This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.
+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.
+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.
+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at `http://books.google.com/`

~~Stack~~
confined.
RBS

N
ii
250

[redacted]

SCRIPTORVM

REI RVSTICAE

VETERVM LATINORVM

TOMVS II.

L. IVNII MODERATI COLVMELLAE

DE

RE RVSTICA

LIBROS XII

ET

LIBRVM DE ARBORIBVS

TENENS.

NATURAL HISTORY
MUSEUM

PRAEFATIO.

Parte operis rustici antiquissima eaque difficillima absoluta, accedimus iam ad eloquentissimum omnium rei rusticae scriptorum, qui quidem hodie exstant, Columellam; de cuius aetate et vita nihil fere aliunde cognovimus praeter ea, quae ipse in variis librorum suorum locis memoriae prodenda censuit. Tempora quidem, quibus vixit, clarissime signauit III. 3. 3. Senecae viuentis et laude florentis vineas commemorans, et Cornelium Celsum suorum temporum virum nominans I. 1. 14. Plures etiam in opere nominauit, quorum memoria in historiis Romanis seruata exstat, veluti M. Trebellium V. 1. 2. vbi videbis notam appositam. Librum de Arboribus, qui reliquos omnes tempore antecessit, ad Eprium Marcellum scriptum fuisse, cum caeteri Siluino inscripti sint, docui ex lemmatibus antiquis Codicum Lipsiensis et Sangermanensis ad initium istius libri. Librum suum aduersus Astrologos ipse memorat XI. 1. 31. Ceretanum in Sardinia praedium III. 3. 3. M. Columellam, patruum, pluribus in locis nominat et patriam suam municipium Gaditanum Hispaniae edit. VIII. 2. 4. X. 185. et alibi. Patriam cum eo eandem habuit Moderatus, cuius libros XI. de placitis Pythagoreorum memorauit Porphyrius in Vita Pythagorae p. 32. Suidas Syrianus ad Aristotel. Metaphys. p. 91. 6. Proclus ad Platonis Timaeum p. 144. e Porphyrio Simplicius ad Aristotelis Physica p. 50. b. et Stephanus Byzantinus in Γάδαρα. vnde breue fragmentum Ἐκ τῶν Μοδεράτου πυθαγορικῶν (scilicet σχολῶν) ex Codd. publicauit doctissimus *Heeren* in Eclogis Stobaei T. I. p. 18. Qui quidem Moderatus nostri an alienam familiam necessitudine aliqua magis quam Moderatus a Seneca in Praefatione libri V. Controuersiarum nominatus attigerit, equidem non habeo dicere. Quod vero ex Libri II. c. 10.

ſect. 18. collegit Geſnerus, Columellam Syriam Ciliciamque obiiſſe non ſine imperio aut poteſtate, vana prorſus nititur coniectura, vt ad locum iſtum monui.

Sedecim Columellae libros memorauit Caſſiodorus Diuin. lectionum c. 28. quanquam hodie tredecim tantum habemus. Numerum Caſſiodori, niſi forte ex errore ſcripturae ortum, ita defendebat atque interpretabatur Geſnerus, vt a Columella ante duodecim de re ruſtica libros editos eandem diſciplinam tribus aut quatuor libris comprehenſam fuiſſe cenſeret. Quibus ad Eprium Marcellum ſcriptis ipſe deinde duodecim alios libros ſubſtituit, quibus praecepta rei ruſticae copioſius explicaret; quo factum eſt, vt priores libri, non nolente, vt puto, ipſo eorum patre, vileſcerent et negligerentur. Vnicum, de arboribus inſcriptum, fortuna ſeruatum, ad noſtram aetatem tranſmiſit; de quo eius fato eſt omnino quod laetemur. Quamvis enim ipſe Columella eadem praecepta in vniuerſum accuratius in reliquis libris tradiderit, tamen inſunt iſti de Arboribus libro quaedam, ex Magonis vel Dionyſii vel Diophanis commentariis ducta, quae repetere Moderatus ipſe quidem noluit, Plinius tamen cum Palladio loca multa inde excerpſerunt, quorum fontem hodie vix agnoſceremus, niſi aditus nobis ad librum Columellae de Arboribus pateret. Verum longe maior eſt libri iſtius vtilitas ad quintum Columellae librum, quem omnium peſſime librarii habuerunt, et in quo ipſe egregius Sangermannenſis Codex ſpem noſtram deſtituit, multis in locis lacunoſis redintegrandum. Codices quidem illi, ex quibus Columella primum editus fuit, librum de Arboribus, poſt librum ſecundum inſertum, tertio loco reliquoſque libros deinceps numerabant, ita, vt, qui hodie duodecimus eſt, ordine decimus tertius eſſet. Eundem librorum ordinem numerumque fuiſſe in libris ſcriptis, quibus olim Seruius Grammaticus vſus eſt, monui in Praefatione ad Librum de Arboribus. Primus Iucundus, Aldinae Editionis auctor, errorem librariorum deprehenſum correxit, librumque de Arbo-

Arboribus ex reliquorum ſerie reiecit ad finem, quem deinceps reliqui Editores recte ſecuti ſunt.

Ceterum praeter Iſidorum, Seruium et Caſſiodorum vix alius Grammaticorum veterum Columellae libros laudauit vel excerpſit, adeo, vt poſt Palladium, qui diſciplinam eius per menſes digeſſit contractam, in bibliothecarum latebris abſconditi et neglecti delituiſſe videantur, quippe quos Vincentius Bellouacenſis ſeculo decimo eumque ſecutus non longo temporis interuallo Petrus de Creſcentiis, diligentiſſimus veterum rei ruſticae ſcriptorum lector, plane ignorauerint.

Editionum principum, ex Codicibus ductarum, notitiam iudiciumque habes in Praefatione ad Catonem et Varronem; Aldinae auctor, Iucundus, quicquid mutauit, plerumque deterius fecit etiam in Columella; Iuntina in paucis aliquot locis Codicis alicuius auctoritatem ſecuta eſſe videtur.

In emendando Columella P. Victorius duobus exemplaribus ſcriptis vſus eſt, altero ex Diui Marci Bibliotheca quem Nicolaus Nicolus ſua manu deſcriptum e vetuſto exemplari moriens curae ſodalitatis Marcianae legauerat et commiſerat; alterum literis Longobardicis exaratum ex Bibliotheca Auguſtinorum Diui Galli primum condita a Laurentio Medices habuit. De vſu eorum ipſe ita tradit: *Quaecunque autem in hoc ſcriptore menda correxi, auxilio horum duorum exemplarium correxi, quae forte, ſi accuratius pertractarentur, poſſent etiam aliis maculis delendis auxilio eſſe: non tamen illa adeo fidelia inueni, vt ſine aliis confirmationibus auctoritatem eorum ſequi tutum eſſe iudicarim.* Habes ipſum Victorium confitentem negligentius quam par erat ab eo Codicem vtrumque fuiſſe tractatum et cum Columella comparatum; quod ipſa etiam inſpectio annotationum ſatis declarat, vbi viri doctiſſimi brevitatem, ne dicam ieiunitatem, ſaepenumero miratus ſum. Editiones primas Columellae nullibi conſuluiſſe videtur; quae eius negligentia eum habuit euentum, vt inſecuti Editores plerique Aldinas deprauationes auctoritate vel

ſilentio Victorii confirmatas exiſtimarent adeoque repeterent. Multo quidem accuratius eoſdem Codices tractaverat antea Ang. Politianus et cum Ienſoniana principe Editione comparauerat, teſtante ipſa egregii viri manu et libro, in Bibliotheca Medicea ſeruato, vnde opera Henr. Brenkmanni excerptam varietatem omnem et ad Chr. Schoettgenium tranſmiſſam publicauit Geſnerus. Hic quidem merito mirabatur, quid eſſet, cur Politiani, cuius manu notato Terentio et Pandectis vſus erat Victorius in Catone, Varrone et Columella eiuſdem opera cum Codicibus comparatis tamen nullibi meminerit; ſed indignum Victorii pudore exiſtimabat credere, tacitum eum alienos labores in vſum ſuum conuertiſſe. Apud me tamen non ita ſaluus eſt Victorii pudor, quam apud Geſnerum, quamque ipſe vellem eſſet apud omnes humanitatis ſtudioſos. Quid quaeris? Dabo tibi ipſum Victorium teſtem contra defenſorem Geſnerum. Ita enim ſcriptum legimus in Victorii Explicat. Caſtigat. ſuarum in Ciceronem, Lugduni 1560. p. 160. *Item Columellae Codex in Bibliotheca Diui Marci non negligenter ſcriptus a Nicolao Nicolo, quem olim Politianus viderat et laudat.*

Priorem Codicem, quem comparauerat Victorius ex Bibliotheca D. Marci, ibi non amplius exſtare, ſed euanuiſſe, auctor eſt Pontedera, cuius haec ſunt verba in Epiſtola III. p. 25. *Optimus omnium Codicum, quem ex Bibliotheca D. Marci Florentina laudat Victorius — et quando liber iſte iam euanuit, dedi operam, vt nonnulla, quae Politianus ante Victorium de eodem tranſſcripſerat, item ex alio, qui ad S. Reparatae aſſeruatur, mihi Florentia per Hier. Lagomarſinum tranſmitterentur. Cumque Caeſenae in Bibliotheca Fratrum Minorum Conuentualium cuſtodiri Codicem, qui de Victoriano illo exſcriptus, ferebatur accepiſſem, per amicos curaui, vt eorum, quae dubia atque obſcura habebam, exemplum remitteretur. Acceſſerunt quoque nonnulla ex Bibliothecis Vaticana deprompta et Medicea. Multa etiam per me Venetiis cum anti-*

antiquo D. Marci exemplari contuli. Idem alibi in iisdem Antiqq. p. 464. in Columellae libri II. capite 2. varietates XC. ex Codicibus a Politiano excerptas in Editione Lipsiensi Gesneri omissas querebatur; cui Gesnerus in Epistola ad Reitzium, Luciano eiusdem addita, respondit, ita, vt omnem omissionis culpam a se amoliretur. In quo viro candidissimo fidem cur non habeamus, causam equidem nullam video. Videtur enim in Politiani Excerptis Gesnero idem accidisse, quod postea I. A. Ernestio in varietate Codicis Sangermannensis, ab Oudendorpio transmissa, de qua paulo postea dicetur. Diu etiam, antequam ex Italia in manus Gesneri peruenirent Excerpta ista Politiani, inter manus cupedinariorum Belgii litterati delituisse, colligo ex annotatione Duckeri ad Florum II. c. 3. sect. 1. p. 244. Quicquid ea de re sit, varietatem omnem, quam ex Politiani Excerptis Pontedera in Columellae quibusdam locis accuratius retulit quam Gesnerus, diligenter excerptam suo quamque loco apposui. Ceterum Codices, a Politiano, Victorio et Pontedera comparati, omnes ex vno eodemque fonte fluxisse videntur, quem deinceps indicabo.

Post Petrum Victorium Fuluius Vrsinus, acerrimi iudicii et acuminis vir, ad Scriptores R. R. latinos emendandos accessit, libris scriptis aliquot vsus, quorum tamen et numerum natalesque et auctoritatem plane ignoramus. Vaticana ex Bibliotheca deprompsisse copias suas Vrsinum, probabile mihi quidem fit ex eo, quod Romae degebat, et cum Petro Ciaccono, Hispano, Pontificis iussu Biblia Graeca tum expoliebat. Huic eidem Ciaccono multas deberi correctiones, aliasque in Catone et Columella Io. Bapt. Sighicello, quae hodie solum Vrsini nomen praescriptum gerunt, ipse acutissimus vir profitetur in Praefatione, vnde verba excerpta posuit Gesner p. XXI.

Hier. Commelini vel potius Fr. Sylburgii nulla sunt in Columellam merita alia, nisi quod hic Editionis Bruschianae varietatem inspexit atque interdum annotauit.

Postremus ad hanc rusticam operam oxpoliendam accessit I. M. Gesner, satis bonis librorum scriptorum copiis instructus. De Politani Excerptis iam satis paulo antea fuit dictum. Praeterea Codicem Columellae Lipsiensem, iam antea a Chr. Schoettgenio inspectum, iterum et multo quidem attentius tractauit, varietatemque omnem inde retulit Gesnerus. Probitate lectionum is liber antecellit Codices, a Politiano et Victorio consultos, et plerumque consentit cum varietate Goesiana, quam ex libro aliquo, cuius auctoritatem ignoramus, ductam Editioni Coloniensi adscripserat Guil. Goesius, ad Editionem autem Parisinam anni 1533. transtulerat Ianus Broukhusius. Cuius librum, ex Bibliotheca Kaesii, Lipsiensis Senatoris, commodatum, habuerunt Schoettgen et Gesner; atque indidem ductae sunt coniecturae aliquot Brouckhusii, quas suis quasque in locis, quanquam leues plerasque aut falsas, commemoratas lector reperiet. Varietas autem Goesiana non vltra libri VIII. capitis XI. sectionem quartam pertingit; quod item in Bibliotheca Surenhusiana p. 63. de Editione Rob. Stephani collata cum veteri Codice Wilh. Goesii vsque ad libri VIII. cap. 8. cum notis MSS. viri docti annotatum esse Gesnerum, monuit I. A. Fabricius. In plerisque omnibus locis scripturam Goesianam cum lectionibus, ex antiquissima Sangermannensi membrana commemoratis a Nicolao Heinsio, conspirare cum animaduertisset Gesnerus, in eam non immerito suspicionem incidit, eiusdem Codicis lectiones peruenisse in manus Guil. Goesii; quanquam sunt loca, in quibus scriptura Goesiana, ab Heinsiana seu Sangermannensi diuersa, abit. Praeterea dubium reddebat Gesnerum illud inprimis, quod varietas Goesiana intra octauum Columellae librum substitit, Sangermannensis autem totum Columellam complectitur. Frustra Gesnerus cum Schoettgenio aditum ad Heinsianas copias tentauerat; itaque eo remedio, ad quod aliena eum inuidia compulerat, vsus est, vt disseminatas a Nic. Heinsio per varios libros lectiones Codicis Sangermannenses sedulo colligeret, collectas-

lectiasque reliquae librorum varietati insereret. In qua tamen opera eum vel memoria, vel diligentia eius hominis, cui Heinsianos libros excerpendos commiserat, valde fefellit. Omissas enim ab eo reperi bene multas lectiones, aut nimis obscure relatas. Gesneri suspicionem de Goesianae varietatis auctoritate confirmauit deinde P. Burmannus, cuius Epistola ad Gesnerum scripta exstat in Thesauro Epistolico Gesneriano Vol. II. p. 253. vbi affirmat vir doctus, varietatem lectionis, a Goesio vel Broukhusio descriptam, non ea cura, qua par fuerat, ex Codice N. Heinsii fuisse translatam, Heinsium vero Codicis Sangermannensis lectiones margini Editionis Gryphianae adscripsisse cum emendationibus et coniecturis suis; quarum bonam partem ex Aduersariis eius, a P. Burmanno Secundo demum editis, excerptam, et ab Ernestio plane omissam, retuli ad singulos Columellae locos.

Atque his, quanquam satis praeclaris subsidiis, vsus Gesnerus pauca tamen Columellae loca correxit, nimia religione et reuerentia nominis Victoriani ductus. Palladium etiam et Plinium non ea cum diligentia vbique comparauerat, quam res postulare quasi videri debebat. Itaque in permultis locis a veritate aberrauit vir doctus, nec orationis vitia animaduertit, ad quorum vestigia indaganda perducere eum facile poterat Palladii comparatio. Qua quidem in parte plus vidit Iul. Pontedera, qui praeterea praeclara rei botanicae et rusticae scientia imbutus, multa plane atque egregie interpretatus est, quae Gesneri ingenium, a scriptorum rusticorum oratione et disciplina plane alienum, ne intelligere quidem potuit. Librorum etiam scriptorum copias aduocauit Pontedera, quorum notitiam paulo antea ex Epistolis egregii viri posui. Librorum Mediceorum excerptas lectiones a Gast. Georgio, Roma Vaticanorum Codicum et Bruschianae Editionis lectiones nescio quo annotante acceperat, vt ipse refert in Epistola ad Iac. Facciolatum, inserta Gesnerianae Editioni p. XLIII — XLV. vbi praeterea Editionum, quibus vsus est Pon-

tedera, notitia exſtat. Denique temporum et Calendarii romani veteris rationes et varietates omnes cum vinitoria diſciplina egregie explanauit additis Tabulis in aere expreſſis, quarum aliquas Geſnerus iam poſuerat, alias nunc primum ex Antiquitatibus viri doctiſſimi addidi, eas quidem, quae mihi ad Columellae librorum intelligentiam perneceſſariae videbantur. Indidem excerpſi annotationes et correctiones aliquot Pontederae, quas in altera Geſneriana Editione omiſerat Erneſti aut plane peruerſe retulerat, cum ipſam viri docti diſputationem non intelligeret. Scilicet, quae Pontedera rogatus primum cum Geſnero communicauerat, ſero tandem perlata, ideoque ad finem Editionis reiecta, ipſe vir doctus, cum nimis ei lentum negotium Lipſienſe eſſe videretur, in Epiſtolarum formam redacta collegit et publicauit Patauii anno 1740. additis non paucis annotationibus, quas repetita Scriptorum ruſticorum lectio ei ſuppeditauerat. Grauis inde ſimultas inter Geſnerum et Pontederam exorta eſt. Cauſam ſuam ipſe Geſnerus defendit in Epiſtola, ad Reitzium ſcripta; eiuſdem partes tueri conatus eſt in Actis nouis Erudit. Lipſ. anni 1743. Chr. Saxius, quod ex indicio ipſius viri doctiſſimi in Onomaſt. litterario cognoui. De tota controuerſia ita iudicauit Ang. Fabronius in vita Iul. Pontederae, inſerta Vol. XII. Vitarum Italorum, doctrina excellentium: *Geſnerum minime functum eſſe amice officio, cum elaborata a Pontedera magna ex parte ſuppreſſerit; ſed durius hoc accepiſſe Pontederam, quam belli homines ſolent.*

Praeterea multas Io. Bapt. Morgagni annotationes eaſque egregias et copioſas communicatas habuit Geſnerus; quas in altera Editionis ſuae parte integras publicauit. Pleraeque omnes in Columella cum Palladio et Vegetio comparando atque emendando verſantur; vbi mirabar, virum praeſtantiſſimum de conſulendis Hippiatricis graecis non cogitaſſe. Ipſas annotationes, breuiter excerptas, inſerui Commentariis meis. Qui vero copias atque elegantiam doctrinae Morgagni accuratius perſpicere atque admirari

mirari volent, iis vt Epiſtolas, in Geſneriana Editione propoſitas, ipſi adeant, auctor ſum. Facciolati annotationes perpaucae ſimul in manus Geſneri perueniſſe videntur; raro enim eas laudatas reperi; neque vlla alia in re niſi in latinitate Scriptorum R. R. explicanda occupatus fuiſſe mihi videtur Italus elegantiſſimus, cuius Epiſtolas, ad Geſnerum ſcriptas, cum Indice Annotationum ſuarum, Morgagni et Pontederae ex Italia tranſmiſſarum, habes in Theſauro Epiſtolico Geſneriano Vol. II. p. 233 ſeqq.

Hactenus de Geſneriana Editione, ab ipſo viro doctiſſimo procurata anno 1735. Pauca ſuperſunt dicenda de altera Editione, quam poſt mortem eius anno 1773. curavit Io. Aug. Erneſti; in qua de Columella quidem praeclare meritus eſt Praeceptor olim meus, publicata varietate lectionis, e Codice antiquiſſimo et celeberrimo Pariſienſi in monaſterio S. Germani ducta illique a Fr. Oudendorpio oblata. Sed huius Codicis lectiones, a Geſneriana diuerſas, non varietati inter textum operis Columellae et notas virorum doctorum poſitas immiſcuit, quod fore videbat ipſe opportunius iis, qui Columellae libros legerent; ſed perverſo plane conſilio ad calcem operis Columellae reiecit, Cauſam ipſe edidit hanc, quam ipſis viri egregii verbis ponam: *Aptius id putabam iis, qui totam illam varietatem et in verbis et in ſcriptura ad vſum criticum in ſcriptoribus latinis tractandis cognoſcere vellent; quod animadverti factum a viris quibuſdam doctiſſimis. Nam vidi in notis criticis ad veteres latinitatis auctores, vt a Drakenborchio in Liuianis aliiſque, lectionum harum mentionem fieri, ita, vt iis ad decernendum vterentur. Ceterum ex his Codicis lectionibus non parum emendationis accedere Columellae poſſe exiſtimo, idque etiam ſpecimine, quanquam breui, demonſtrauit vir doctus in Obſeruationibus Doruillianis T. VII. p. 274.* Auctorem huius Speciminis, qui Geſnerum ſatis inclementer tractauit, P. Burmannum, nominauit in Onomaſtico litterario Chr. Saxius. Sed nec has Burmanni annotationes omnes Erneſtius in alteram Editionem

nem retulit, et de varietate Sangermannensi diu me dubium habuit illud, quod ab Oudendorpio, Burmanno, I. Fr. et Abr. Gronouio, N. Heinsio aliisque annotatas repereram Sangermannensis Codicis lectiones eas, quas in Collectione Ernestiana frustra quaerebam. Neque adhuc ipse causam huius diuersitatis indagare vel interpretari potui. Interim sedulo varietatem omnem ex farragine Ernestiana ad locos quamque suos transtuli; vbi si quid forte diuersitatis omissum a me fuerit, id errore meo, non consilio, factum lectores iudicabunt, quibus aditus patet ad alteram Gesnerianam Editionem, vnde omissa facile poterunt expleri. De conditione Codicis, tantopere a viris doctis laudati, nihil hucusque traditum exstabat, nisi quod Codicem Monasterii Corbeiensis, qui Parisiis in Bibliotheca S. Germani de pratis deinde asseruatus sit, dixit Menagius ad Diogenem Laertium p. 54. edit. Wetst. neque magis mihi constabat, num Nicolaus Heinsius ipse Codicem inspexerit, an ab alio excerptam varietatem lectionis acceperit. Qui lectiones Sangermannenses Ernestio transmisit in publicos vsus edendas, vtinam auctoritatem exempli, vnde ductae fuerunt, addidisset. Nunc vero dubitare licet interdum, cui maiorem adhibeas fidem, vbi eiusdem Codicis scriptura diuersa a diversis tradita legitur. Sed bene accidit, vt a doctissimo Heerenio de Gronoviano apparatu critico ad Scriptores R. R. latinos, in Bibliotheca publica Lugduno-Bataua latente, commonefierem. Statim igitur aditum ad copias Gronovianas tentaui per eruditissimum virum et de literis graecis latinisque in primis bene meritum, Dav. Ruhnkenium; nec is precibus meis pro singulari humanitate sua, quam nuperrime etiam Polybius Schweighaeuseri expertus est, defuit, sed omnem Gronouianum apparatum liberaliter vsibus meis concessit. Quo quidem beneficio, quantopere non tam me ipsum, quam omnes Columellae reliquorumque R. R. Scriptorum lectores sibi vir egregius obstrinxerit, oratione mea satis declarare non possum; cui interim publice hoc loco gratias agendas censui, dum exoptata mihi

se

se obtulerit occasio gratae beneficii memoriae re et facto testandae. In illo igitur Gronouiano apparatu inerat varietas Codicis Sangermannensis, et quidem gemini, adscripta inferiori margini Editionis Commelianae; praeterea in charta, paginis Editionis interposita, separatim annotatae legebantur eiusdem, vt suspicor, Codicis lectiones multae, praescripto MS. titulo. In fronte libri ipse Abr. Gronovius hanc breuem Codicis vtriusque Sangermannensis notitiam apposuerat: *Varietas lectionis, quae partim in inferiore margine, partim e regione contextus adiectae sunt, excerpsi ex Editione Badii Ascensii 1529. ad quam Patruus ὁ πάνυ comparauerat Codicem Bibliothecae Abbatiae S. Germani Parisinae mense Augusto 1679. Codex erat forma quadrata, literis rotundis conscriptus, et vetustatem octingentorum annorum praeferebat. Alter vero Codex, quo Excerpta ex Columella continebantur, in eadem Bibliotheca adseruatus, vetere scriptura quoque erat exaratus.* Alterum hunc Codicem incipere a libri quinti verbis *Quoniam familiariter* ipse Abr. Gronouius in margine inferiore Editionis Commel. ibi annotauerat; eiusque lectiones numero 2. signauit plerumque cum altero consentientes. Quousque pertingerent Excerpta Codicis, nuspiam annotatum a Gronouio reperi. Ceterum in varietate Gronouiana permultae lectiones desiderantur, quas ab Oudendorpio acceptas posuit Ernesti. Cuius diuersitatis causa vnde sit repetenda, equidem excogitare non potui; facile autem illi iudicabunt, ad quos peruenit exemplum Editionis Ascensianae, manu Iacobi Gronouii notatum; vnde fortasse Abr. Gronouius illas tantum excerpserat lectiones, quas approbandas et in noua, quam parabat, Editione, recipiendas censebat. Contra etiam Gronouius lectiones aliquot annotauerat, quas in Collectione Oudendorpiana frustra quaeras. Verba nunc primum orationi Columellae VI. cap. 30. f. 1. inserta: *Paleae — substernendae* solus Gronouius ex Codice Sangermannensi annotauerat. In vniuersum Codicem Sangermannensem, omnium antiquissimum, et ex quo reliqui scripti

libri

libri maiore minoreue cum fide translati fuerint, quilibet lector facile nunc agnoscet; tanta est libri praestantia, tanta lectionum probitas et veritas! Itaque omnem Columellae orationem ad hanc veluti regulam corrigere, et ab insulsis Iucundi interpolationibus purgare non dubitaui; qua quidem in opera non solum elegantiae verborum concinnitatisque, cuius vtriusque Columella egregie studiosus fuit, sed numeri etiam oratorii rationem habendam censui. Multa enim verba, alienum in locum transposita a librariis, ex auctoritate libri Sangermannensis suo reposita reperiet lector, vbi admonere eum de mutatione interdum neglexi. De meo dedi coniecturas aliquot ex lectione vitiosa, sed proxima vero libri Sangermannensis ductas, verum in ordinem verborum nihil mihi ipsi sine libri auctoritate licere putaui.

Praeterea Codicem membranaceum Bibliothecae Pauli a Demidow indicauit Chr. Frid. Matthaei V. C. in Lectionum Mosquens. Vol. I. p. 80. atque inde lectiones variantes retulit, ad librum Columellae decimum pertinentes, cum Indicibus capitum singulorum librorum; vnde didici, librum diligenter admodum ex Codice Sangermannensi fuisse descriptum, quocum in lectionibus plerisque omnibus conspirat. Singularis fuit fortuna decimi Columellae libri, qui, quo pluribus vitiis fuit a librariis conspurcatus, eo maiorem excitauit interpretum copiam et diligentiam. Plurimas huic carmini I. Fr. Gronouii suasque coniecturas adscripserat Abr. Gronouius; sed iam olim I. Pomponius Sabinus, vel, vt Commentariis in Columellam editis inscriptum legitur, Fortunatus amplo commentario versus Columellae magis onerauerat, quam illustrauerat, quem nullo cum lectoris fructu, magno vero cum taedio repetiit Gesneriana Editio. Post eum Io. Baptista Pius maiore cum diligentiae laude interpretatus est carmen hortense, adhibito etiam librorum scriptorum auxilio; ex cuius annotationibus, si quid vtile ad rem meam videbam, excerpsi auctorique suo fideliter adscripsi. Lancillotti Expositiones MSS. in Hortum Columellae Florentiae in Bibliothecae Medi-

Mediceae Pluteo LII. asseruari, fide I. A. Fabricii retulit Gesner. In Halleri Bibliotheca Botanica Vol. II. p. 606. reperi C. Lancilloti Pasii Ferrariensis notas in Columellae Hortos ad Laurentium Mediceum quasi editas Regii 1493. nescio quo auctore memoratas. Eodem igitur anno duorum doctorum virorum annotationes in Hortum Columellae poeticum prodierunt. Nam Pomponii Sabini commentarius, qui in Editione Bononiensi 1494. cum versibus Columellae legitur, iam antea separatim editus exstabat hoc cum elogio: *I. Moderati Columellae hortali commentarium incipit feliciter.* In fine legitur: *Commentarium I. M. Columellae finit.* Libellus plagulas tres cum dimidia implet, nec auctoris nomen vllibi adscriptum habet, testante Gesnero in Praefat. p. XII.

Denique admonebo lectorem de libro Arabico, vnde non parum auxilii ad rusticos scriptores vel graecos vel latinos interpretandos speraueram. Primam eius notitiam debeo Catalogo Biblioth. Hispanic. Casiriano T. I. p. 324 seqq. vbi opus arabicum de re rustica manuscriptum recensetur, et nomina auctorum, ibi laudatorum, ponuntur, pleraque ex Varroniano et Columellae Catalogo translata et mirum in modum vitiata. Specimen libri ibi laudatum tandem beneficio Heynii mei nactus legi, cuius hic erat titulus: *Apendice* (ad Hamelii librum de Agricultura in hispanum sermonem translatum Madriti 1751. 4.) *que contiene dos capitulos del Fratado de Agricultura escrito en lengua arabiga por Abu Zacharia Jehia Ebn Mohamad, Ebn Ahmad (vulgarmente) Ebn Alauan, Sevillano, traducidos por el Doctor Don Miguel Casiri Presbytero — y por Don Pedro Rodriguez Campomanes.*

Capita, ex Opere arabico excerpta, tractant arandi seminandique tempus cum seminum mensura, sed tanta cum nominum verborumque et auctoritatum diuersitate, atque obscuritate, vt latinorum quidem scriptorum auctoritatem multo minus quam graecorum agnoscere mihi licuerit. Neque ego vllum inde subsidium Geoponicis vel latinis rusti-

rusticis expectandum esse existimo; quamuis fieri potest, vt alium ad historiam rei rusticae, inprimis Hispanicae, illustrandam liber Arabicus, bene duntaxat conuersus, vsum praestare possit. Speciminis tamen loco pônam excerpta ex libro perraro verba de seminum generibus aliquot, quae fortasse lectores doctiores agnoscent.

P. 265. *Segun Abil-Fasàl el Andaluz, se cria en tierra de Babilonia Cebada, que llaman Kolba, que es una Cebada sin cascara parecida al Trigo, y tiene en el grano algunas divisiones, ò vetas: las espigas son como las de nuestro trigo, excepto que la Cebada de calidad es mas fria. Algunos llaman à esta Cebada Kolba, por parecerse al Trigo, Cebada Romana.*

La semilla que llama Ben-al-Hagiag en suo Libro Husciaki, es una simiente que se siembra en las tierras de Babilonia, y llaman los Griegos Chondros, y se parece al grano del Kolba, soloque es mas abultado. Siembra se en todo el mes de Noviembre, y se siega en Abril, por ser el mas tempanizo de todos los granos: se muele, cuece, y hace de èl pan. Quiere tierra encarnada, ò colorada y cercana al agua, fuerte, y fierme — Estepan es de poco alimento, estriñe y obstruye.

P. 266. *Es el Tharmaki un genero de grano, que si siembra en el tiempo que el Trigo; pero la mejor essacion de su sementera es amediado Diciembre y en principio de Febrero, y es parecido al grano de Husciaki, de que acabamus de hablar: requiere tierra recia y pedragosa: resiste mucho à la secura, y naquiere rocìo, ni humedad; de suerte que sobre viniendole mucha agua, suele pudrirse ò debilitarse, y estando seco, crecer y corroborarse. Este, sembrado come la levada, se riega tres veces — La siega es al principio de Julio, y se hace de èl pan para comer; y echandole sal al tiempo de amasarle, se corrompe luego, y sale de su harina mucho salvada. Es de dificil digestion; pero digerido, ablanda el vientre.*

COM-

COMMENTARIVS

AD

LIBRVM I. COLVMELLAE.

Praef. Sect. 2. *Siluine*] Eandem cum Columella patriam habuiſſe, inde arguo, quod cum eodem in Cerretano Hiſpaniae agro vineta habuit, vt refert noſter III. 9. 3.

effoetum] Plinius VI. Epiſt. 21. *neque enim quaſi laſſa et effoeta natura nihil iam laudabile parit.* Ita enim ex editione romana anni 1490. legendum eſſe, vidit I. M. Heuſinger. Vulgo eſt: *vt nihil iam — pariat.*

rerum naturam] Vulgo *humi naturam.* Sed de terra ſtatim addit. Igitur praetuli lectionem alteram, ſuadente etiam Pontedera, et iam olim Heinſio ad Virgilium T. III. p. 157.

donavit] Vrſinus malebat *dotavit*, et deinceps *ſterilitatis* legi.

iuuentutem] Sequitur opinionem eorum, qui mundum aeternum eſſe putabant; contra cum Epicuro ortum et interiturum mundum cenſens Lucretius, ſenio quoque obnoxium facit II. 1149. Recte hoc monuit Buchner.

peperit] Recte Heinſius malebat *pepererit*, memorante V. D. in Obſerv. Miſcell. Belgic. VII. p. 274. vbi Praefationem Columellae ex libro Sangermannenſi emendare conatus eſt. Eum fuiſſe P. Burmannum, indicauit Chr. Saxe in Onomaſtico. Is niſi facillimam operis partem ſibi corrigendam ſumſiſſet, profecto non tam facilem carpendae editionis Geſnerianae occaſionem nactus eſſet, vbi in rem praeſentem venire oportebat.

3. *intemperantia*] Alteram lectionem *violentia* praeferebat Pontedera, *iniuriam* interpretatus. Ceterum Abr. Gronouius malebat: *Nec propterea* vel *Nec propter haec.*

et optime] Copulam addi volebat V. D. in Obſerv. Miſcell. l. c. cum Pontedera, qui deinceps etiam *tractauerat* praeferebat.

Atque ego] Ita volebat etiam Buchnerus legi. Vulgo *Atqui*. Deinceps malebat Gesner: *quid sit, quod dicendi cupidi.*

placitae disciplinae consectentur magistrum] Haec otiosa esse et e margine in textum irrepsisse, nec cum reliquis nexa haerere, censebat Pontedera, qui quid spectauerit, ignoro.

5. *fercula*] Liber Sangerm. *fericula*. Ita codices quidam apud Suetonium Calig. c. 15. Ceterum Vrsinus malebat *gulosis — luxuriosis*. Structorem in familia vrbana servum explicuit Schoettgen ad Iuuencum III. 53.

6. *egeret ciuitas*] Ita Sang. Vulgo *ciuitas egeret*. Inepte emendabat Almeloueen *si sine — ageret*.

respublica] V. D. in Obs. Miscell. annotat, in vetere Codice nescio an Sangerm. esse: *resp. prima sine ludicris et artibus. Atque etiam.* vnde Heinsium maluisse *res priua* legi. Pontedera malebat ex vestigiis librorum quorundam legi: *respublica sine ludicris artibus atque etiam sine caussidicis, vt olim satis felices* etc. Ernesti ex Sangerm. annotauit vulgatum *respublica;* quod cur fecerit, ignoro; deinde ait, ibi legi *ac sine agr. ne consistere.*

consistere] Significationem hanc aliunde ignoro. An huc pertinet Ciceronis locus pro Quint. 30. *miserum atque infelicem tandem posse consistere;* et pro Flacco c. 32. *qui non potuerit priuatus in ciuitate consistere?*

7. *minime*] Ita ex editionibus optimis legendum esse pro *minimam*, monuit Pontedera. Consummatio nec maxima nec minima recte dici potest.

crimine caret] Heinsius malebat *careat*. Vulgatum *retinendique* emendauimus suadente etiam V. D. in Observ. Miscell. Ita enim libri meliores habent. Contra Gesner in nota posthuma instat, nihil prodesse amplificare, nisi retineas; nec relinqui posse, quod non retinueris; deinde Iurisperitorum esse, docere, non rusticorum, quomodo relinquendum sit; quae quidem speciem veri habent, sed vera non sunt.

alienis] Hoc vocabulum cum Lips. libro omitti rectius, censebat Pontedera, quia nulla praeda contingat sine nostra aut aliena clade. Equidem retinendum puto et necessarium; clades enim sine adiecto personae nomine dici non potest.

8. *perosis*] Ex vestigiis libri Sang. et Goes. malebat V. D. in Obs. Misc. legi: *an bellum, per obsessa maria et negotiationis alia.* et haec de naualibus bellis intelligi. Male. Haec enim omnia bello opponuntur.

audeat

audeat credere] Ex lectione Sangerm. V. D. idem in Obſ. Miſc. efficiebat: *obiectus irae fluctibus audeat contendere.* Ingenioſe ſatis.

9. *caninum*] Buchner malebat: *caninum facundiae ſtudium.* Cauſſidicos et rabulas ridet Columella. Ciceroni adeo caninam eloquentiam tribuit Lactantius VI. 8. 26. monente Schoettgen. Caninam facundiam dixit Salluſtius apud Nonium in voce *Rabula.*

locupletiſſimum] Heinſii coniecturam, *inculpatiſſimum* legentis, recte reiecit V. D. in Obſ. Miſc. delatores et aduocatos illos infames, a Petronio c. 15. praedones dictos, intelligi monens.

mendaciſſimum] Vrſini coniecturam *mendiciſſimum* defendebat V. D. in Obſ. Miſc. mentione ſportularum, quas ſalutatores a rege ſuo accipiebant. Sed *mercenarius* eam ob rem dicitur ſalutator.

regis] adulatores et ſerui ita dominos, patronos et clientes ſuos vocabant. Res exemplis non eget!

ſomnumque] Hanc lectionem recte ipſe Geſnerus probabat, quoniam vnice ſequentibus conuenit. Vulgatum *ſomniumque inaugurantis* oportet interpretari de adulatoris ſomnium domini veluti diuinationem aliquam conſcientis et confirmantis rumoribus interpretatione.

10. *catenato*] Ianitorem ligatum catena ex Ouidii Amor. I. 6. 1. poſuit Schoettgen.

gratuita] Hanc Sang. lectionem vulgata *gratuitae ſervituti* recte praeferebat Burmann ad Phaedri L. III. Praef. verſ. 12. et in Obſerv. Miſcell. p. 277. qui ex Ouidio *dote rependere* et ex Valerio Flacco VI. 4 et 549. *luctu rependere*, et *viſu* laudauit. Addit Gronouius locum Taciti Annal. XIV. 2. et adire iubet Heinſium ad Ouidii Amores I. 1. 40.

11. *cum ignorantiae*] Malim *dominorum ignorantiae detrimenta multa compenſaret.*

conſpici, eoque] Male Sang. *conſpicioque* habet ſcriptum.

12. *et ipſi*] Sang. *et ipſa.* male iterum!

relegat] Apud Petronium cap. 69. ſeruus conqueritur: *ideo me in villicationem relegauit.* Conferre Caſaub. ad Suetonii Aug. cap. 24. et Fabri Semeſtria II. 5. iubet Schoettgen.

viridem] i. e. vegetam. Virgilii Aeneid. VI. 304. et Plinii Epiſt. VII. 24. 1. comparauit idem Schoettgen.

illud tributum] mercedis diurnae, qua locabatur ā domino. Sequentia verba *qui — poſſit* recte damnauit et incluſit Geſner, veluti gloſſam.

13. *quatuor iugerum*] Vrſinus annotauit Feſti locum hunc: *Quintia prata dicta ſunt a Quinto Cincinatio, qui ſibi damnato filio, venditis omnibus, quatuor iugerum agrum trans Tiberim parauerat; quem agrum colentem ſenatus dictatorem per viatorem ſalutauit Cincinnatum, qui edere bene geſta acto triumpho ad priuata negotia confeſtim rediit, depoſita dictatura, pecuariamque rem et agrariam exercens Romanis ipſis aemulationi fuit.* Prata Quintia trans Tiberim fuiſſe contra eum locum, vbi poſtea naualia fuerint, ibique quatuor iugerum agrum coluiſſe Quintium, teſtatur Liuius III. 13 et 26.

heredioium] Feſtus *heredium, praedium paruulum.* Vide ad Varron. I. 10. 3. Septem iugera agri poſſedit, ex quibus tria pro amico aerario adſignata multae nomine amiſit; reliquorum deinde reditu ferocis filii poenam ſoluit Quintius, teſte Valerio Maximo IV. 4. 7. Ceterum ex Bruſch. *ſumpſerat* reſtitui pro *ſumſerat;* deinceps Br. *quattuor.*

14. *intuear*] Pro videam neſcio an alibi reperiatur in huius aeui ſcriptoribus.

15. *Varro*] Locus eſt in libri 2. Praefatione, vnde deinceps plura repetiit Columella.

16. *Mox deinde*] Ex libro neſcio quo *mox vero* annotauit Geſner; quod malim, etſi ſcio, latinam eſſe vulgatam, ſed alia ſententia, quam quae huic loco apta videatur. Ceterum *caneas* pro *ganeas* ex Sang. annotauit Gronov. Idem alibi *gelare* mutat in *celare.*

Laconicis] Soli olim Lacedaemonii ψυχρολουτρεῖν dicti fuerunt; quorum mores deinde immutati fuiſſe debent, vt Laconica dicerentur ſudatoria balnea ſicca, in orbem conſtructa, de quibus ex Beroaldo ad h. l. tradit Geſner, rectius vero Cornarius ad Galenum de Compoſ. Medic. ſec. loca p. 514. Locus claſſicus eſt Vitruuii V. 10. Inepta eſt h. l. librorum lectio, *lactucis* Pol. *lacticis* Goeſ. et Sang. Seneca Epiſt. 86. *piſcinas — in quas multa ſudatione corpora exinanita demittimus — ſalubrem temperaturam, non hanc, quae nuper inuenta eſt, ſimilis incendio, adeo quidem, vt conuictum in aliquo ſcelere ſeruum viuum lauari oporteat. Nihil mihi videtur iam intereſſe ardeat balneum an caleat.* Idem Ep. 51. *quid mihi cum iſtis calentibus ſtagnis, quid cum ſudatoriis, in quae ſiccus vapor corpora exhauſturus includitur?* Epiſt. 108. *decoquere corpus atque exinanire ſudoribus.*

exſucto] Heinſius malebat *exuſti ſudore.* V. D. in Obſ. Miſc. contra legebat: *exſucti* vel *exſucci ſudore.* Ceterum ex loco Senecae antea laudato poſſis *exuſto* defendere. Ad ſitim per-

pertinet locus eiusdem Epist. 122. *frequens hoc adolescentibus vitium est, qui vires excolunt, vt in ipso pene balnei limine inter nudos bibant imo potent, et sudorem, quem mouerunt potionibus crebris ac feruentibus, subinde destringant.*

17. *qui in villis*] Librorum P. L. Goes. et Sang. lectio aperte vitiosa esse videtur, si compares Varronis locum II. Praef. 1. vnde haec ducta sunt. Ceterum recte Gesner admonuit, desiderari in vulgata verba aliquot, quibus Varronis auctoritatem praefatus erat Columella, atque vnde pendent modi infiniti.

administrarentue op. col.] Haec verba non immerito omittunt libri optimi; sunt enim plane superuacanea post illa: *qui rura colerent;* quare inclusi. Sed nunc demum video Salmasium de Modo Vsur. p. 412. corrigere *colerent opera colonorum*, colonos interpretatus ἐργάτας et a γεωργοῖς distinguens. Quae tamen ratio mihi non placet.

18. *vt nonis*] Pol. et Lips. liber *vt iis.* recte puto; in nundinis enim sunt noni dies.

Viatores] Cicero in Catone c. 15. *In agris erant tum senatores et iidem senes — a villa in senatum arcessebantur et Curius et ceteri senes: ex quo qui eos arcessebant, viatores nominati sunt.* Vide Clauem Ciceron h. v.

19. *rem rusticam*] Vrbanae ita opponi, vt ab hortis violariis viridariis distinguatur, censet Christius in Villatico p. 90. male!

20. *Baeticis*] Lectio a Mureto ad Taciti Ann. III. 54. posita: *Qua dicis.* sine dubio ex errore calami orta est. Vitium gallicarum varia genera memorat infra Columella; vnicam, cocolubem, Hispanicam III. 2. 19. Gallicae vero regiones dicuntur Galliae Cisalpinae, quod item de lanis Gallicis valet. In reliqua enim Gallia vites fuisse suo tempore negat Diodorus, et a Iuliano ex Italia illuc translatas esse testatur Ammianus, ab Abr. Gronouio laudatus, qui h. l. corrigi malebat *Gallaicis.* Sed de Gallia Cisalpina, vti dixi, intelligenda haec sunt.

nullius] Ex librorum varietate arguere licet, geminam olim fuisse huius loci lectionem, eam primam, quae nunc vulgatur, alteram hanc: *nullo egeat — praeceptore.* Equidem vulgatam amplector, vt numerosiorem.

21. *numerum recenseo*] Lectionem *subtilitatem dispicio* praeferebat V. D. in Obs. Miscell. immerito. Neque enim hic de subtilitate disciplinae eiusque partium, sed de numero partium, et vastitate totius disciplinae agitur. At verbum *dispicio* placet, et deinceps vulgato *cognoscere* substituere

 malim

malim *recenſere*. Nam vniuerſa ruris diſciplina facilius cognoſci et mente percipi quam recenſeri poteſt.

22. *declinationum*] Quae vulgo climata dicuntur; inclinationem coeli latine dixit Vitruuius I. 1. Mundum pro coelo dici, multis exemplis allatis docuit Schoettgen.

23. *coeli — mores*] Virgilius Georg. I. *caeli praediſcere morem.*

eodem vultu] Male P. et Lipſ. *voto.*

humidus autumnus] Ex lectione Pol. et Sang. *umidum autumnum* malebat Heinſius: *humidum tempus autumnum.* Recte autem monuit V. D. in Obſ. Miſc. ita praeſtare ſimul legere: *nec pluuium ſemper eſt vernum.* omiſſo vocabulo *tempus*, vti apud Columellam VII. 7. eſt *ſiue autumnum verno mutetur.*

24. *quanto cuique*] Ita recte emendari voluit Geſner, et Heinſius, teſte V. D. in Obſerv. Miſc. Vulgatam *quando cuique* ita explicabat Vrſinus, vt notam interrogandi addi vellet; quod deinde factum eſt. Poetis frequens ſatis fuit vſus hic vocabuli *quantus*, quibus nunc accedit proſaici ſcritoris antiqui auctoritas. In Palladio ſaepe reperias *aliquanti* pro *aliquot* poſitum. Deinde vulgatum *contingit* cum Vrſino et Geſnero correxi. Sequuntur enim deinceps tempora imperfecta.

Numidiae] Ita pro vulgato *Numidia* ex libro Goeſiano ſcripſi. V. D. in Obſ. Miſc. malebat *Numidiam* deleri, aut *Numidiamque* legi.

putres arenae] Virgilius ſolum exile ſeu macrum, et ſiccum arenam dicere ſolet. Georg. I. 104. *qui ſemine cominus arua inſequitur, cumuloſque ruit male pinguis arenae.* Idem verſu 70. exilem et ſiccam terram autumno arare iubet: *ſterilem exiguus ne deſerat humor arenam.* Idem II. 139. *totaque turiferis Panchaia pinguis arenis.* IV. 293. de Nilo: *et viridem Aegyptum nigra foecundat arena.* Quibus in locis omnibus ineptiſſime ſimpliciter arenam pro terra dici, cenſuit nuperus Georgicorum interpres vernaculus, qui quoniam in Parnaſſo ſomniauerat aliquamdiu, ſtatim rem ruſticam omnem percepiſſe ſibi viſus eſt. Pingues arenas habet noſter II. 10. 18.

25. *ſilueſter*] Ex V. Codice V. D. in Obſ. Miſc. affert *ſilueſtris*, quod mutaſſe putabat, qui nolebant agro iungi flexionem femininam. Eum vero ſcrupulum ſublatum fuiſſe a Burmanno ad Petronii c. 128 et 131. Addit *volucris ſomnus* ex Silio Italico X. 352. et ex noſtro III. 12. *ſilueſtris ager*, ex VII. 2. 3. *campeſtris ſitus.* In Lipſ. etiam libro h. l. eſt *ſilueſtris.*

filueſtris. De acer et alacer, acris et alacris exſtat Seruii obſeruatio ad Aeneid. VI. 685.

ſpurcus] Pontedera malebat *purus.* Sed V. D. in Obſ. Miſc. interpretatur *ſpurcus*, qui malis herbis, lolio, auena et ſimilibus ſit deformatus, vel etiam vliginoſus. Recte omnino vidit Pontedera, graminoſo opponi ſpurcum; ſed non neceſſe eſt mutare id in purum. Quin ſpurcum recte Geſner interpretatur ſqualidum; et Columella videtur mihi expreſſiſſe graecum αὐχμηρός. In Curis ſec. Pontedera p. 469. cauillatur Geſneri interpretationem.

Vineiſque quarum] Vulgatum *vinetiſque quorum* correxi ex libris ſcriptis. Vinetum enim vineas eaeque plurium generum complectitur, vt ad Varronem docui. Forma *vinetiſque quarum* miror placuiſſe Burmanno ad Lucanum p. 21.

26. *ſetoſum*] Dixi de eo ad Varronem. Capras Angoricas intelligi, ſuſpicatus eſt etiam germanicus interpres, Curtius. Martialis XIV. 140. de vdonibus Ciliciis: *Non hos lana dedit, ſed olentis barba mariti, Cinyphio poterit planta latere ſinu.* Fuit igitur genus calceamentorum, cuius etiam Vlpianus meminit.

glabrae ſues] Dicam de iis ad VII. c. 9. ſect. 3. vbi etiam genus Carniolenſe nigro et criſpo pilo annotaui, quale Guineenſe genus pinxit et deſcripſit Marcgraf. Tale fuiſſe genus illud puto, a quo Mediolanum, Italiae oppidum, vocatum tradit Claudianus X. 183. *ad moenia Gallis condita, lanigeri ſuis oſtentantia pellem peruenit.* Iſidorus XV. 1. *Vocatur Mediolanum, quod ibi ſus in medio lanea perhibetur inventa.* Sic etiam Sidonius Apollinaris VII. 17. *et quae lanigero de ſue nomen habet.* Inſubres Mediolanum condidiſſe, tradit Plinius III. ſ. 21. Inſubres autem paſtu porcorum excellebant. Plinius XI. ſ. 111. *caudae nudae hirtis, vt apris.* Quod vnde habuerit neſcio; nam Ariſtoteles de A. P. II. 14. vnde reliqua ſunt ducta, nihil tale habet.

27. *quorum in parte*] i. e. quorum curae partem facit auium cohortalium apiumque cura. Scilicet ad villaticam paſtionem pertinet etiam apium et auium cohortalium paſtio et cura.

holerumque] Recte monet Pontedera, inter arborum putationes inſitioneſque male *olera* memorari; igitur malebat *olearum.* Deinceps *exerceret* reſtitui, aſſentientibus Pontedera et Facciolati.

ficorum ſicut roſariis] Geſnerus malebat legi *florum* et verba *ſicut roſariis* tolli, quia putabat, poſt poma ficos in-

epte memorari ſeparatim, multoque minus apte roſaria ficis adiici cenſebat. Sed Columella ſolam ficorum varietatem ingentem ſpectabat, eandemque cum roſarum varietate aeque magna comparabat. Recte hoc monuit etiam V. D. in Obſ. Miſc. p. 284. Equidem malim *roſarum.*

28. *deſcribimus*] Ita primarum Edd. lectionem *deſcribemus* correxit Iucundus, improbante Burmanno in Obſerv. Miſc. et Pontedera. Vterque nondum a Columella deſcriptum cenſebat agricolam eum, quem velit Columella. Verum ſatis eſt ſignificatum antea, qualem velit; hinc pergit: *poſt hanc tam multarum — praedicationem.*

tardatum iri] Sang. lectionem hanc refert Burmannus l. c. *tardat, vt rei ſtudia, — conterriti aliqui nollent — conſequi.* ſed recentiore manu *aliqui* ſupraſcriptum monet, quod Heinſius mutabat in *alioqui.* In Lipſ. *tardatum iri vt rei* eſſe ait Geſner; idem deinceps *ſe conſequi p. diffiderent.* Ex Sang. Erneſti hanc poſuit lectionem: *tarda vt rei — quid — nollent — conſequi.* addit verbo *conterriti* ſupraſcriptum adeſſe *aliq.* vbi dubitari poteſt, lectio *quid* ad verba *quod ſe aſſequi*, vt vulgo legitur, an potius ad verba *qui tam vario* pertineat. Euphoniae cauſa motus ſum, vt *conſequi* vulgato *aſſequi* ſubſtituerem. Supraſcriptum *aliq.* videtur mihi ad varietatem lectionis, olim in Codice annotatam, reſpexiſſe, hanc fere: *ſcientiae contemplatione conterriti.* Certe in vulgata *conterriti* eſt plane otioſum, imo ineptum. Alia eſt ratio loci Ciceroniani, quem Col. expreſſit: *tardem ſtudia diſcentium, qui deſperatione debilitati, experiri id nolent, quod ſe aſſequi p. diffidant.* vbi Erneſtius recte deleuit *id*, quanquam legitur in Codice Wittebergenſi membranaceo, (non chartaceo, vt falſo praedicat Erneſti) et longe meliore membrana Gudiana; ſed male correxit *nolint* ex libro Witteb. rectum *nolent* habet Gudianus.

29. *Tullius*] Locus in Orat. c. 1. exſtat, ab Erneſtio ibi non comparatus cum hoc noſtro: *Sed par eſt omnes omnia experiri, qui res magnas et magnopere expetendas concupiuerunt.* vbi Codex Witteb. cuius lectiones margini libri ſui adſcripſerat Zeunius, habet *omnia omnibus*, ſed in margine *omnia omnes.* Gudiana membrana *concupierunt* habet. Deinceps *columen* ex Sang. annotauit Gronouius.

Nec ſi illa] In Cicerone eſt locus auctior: *Quodſi quem aut natura ſua, aut illa praeſtantis ingenii vis forte deficiet, aut minus inſtructus erit magnarum artium diſciplinis.* vbi tamen verba *aut natura ſua* nemo deſiderauerit, ſi abeſſent. Ceterum ibi Cod. Witteb. *deſtituet* habet.

30. *Nam*

30. *Nam Latiae — adytis suis*] Sang. omittit *suis*. Vulgatum *An* varie tentarunt viri docti; in *Nam* mutabat Buchnerus, in *Ac* Facciolatus; pro *Annon* dictum interpretatus defendebat Gesner; quocum facere videtur Pontedera, qui sequens *Non Brutum* (ita enim Edd. primae habent) mutabat in *Num Brutum*. Equidem rationem Buchnerianam vnice amplector; eamque in loco vulgatae reposui. Sic enim, quem imitatur Columella, Cicero: *Prima enim sequentem, honestum est in secundis tertiisque consistere. Nam in poetis non Homero soli locus est, aut Archilocho — sed horum vel secundis vel etiam infra secundos.* Burmannus vulgatam corrigebat negatione sic translocata: *sed non et eorum.* Ceterum in Cicerone Cod. Gudianus habet scriptum *An im poetis — horum secundus vel etiam infra secundos.* De Accio vide, si lubet, annotationes ad Ciceronis Brutum ex editione Wetzelii mei, vbi oratorum, a Columella nominatorum, aetatem et eloquentiam diligenter notatam reperies.

Caluo] Veterem lectionem hanc deprauauit Aldina mutatam in *Catulo*, qui Cicerone non fuit iunior, sed senior, pater et filius. Licinius est Caluus, de quo vide ad Ciceronis Brutum c. 81.

restinxerat] Etiam in Ciceronis loco membrana Gudiana egregia *restrinxit* habet.

31. *Ac ne minoris*] Vulgatum *An ne* Gesner quasi pro *Annon* dictum defendebat; equidem cum Buchnero et Facciolato dedi, quod in Editione Steph. esse admonuit Gronouius. Sic enim Cicero: *Nec solum ab optimis studiis excellentes viri deterriti non sunt; sed ne opifices quidem se artibus suis remouerunt, qui aut Iolysi non potuerunt aut Coae Veneris pulcritudinem imitari.*

Protogenem] Brusch. *Prothogenem — Parasio — Bryasim — Praxitelen* habet, et vbique *consumata* et *consumationem*. Phidiacum Iouem cum Polycleti Iunone comparat Lucianus in Somnio.

Mineruaeque Phidiacae] Cicero: *Nec simulacro Iouis Olympii aut Doryphori statua deterriti reliqui minus experti sunt, quid efficere aut quo progredi possent.* vbi Columella videri possit Doryphorum interpretatus esse Mineruae in Parthenone Athenienſi collocatam statuam, quam ἔνοπλον et δορυφόρα vocant Epigrammata Graeca, ab Harduino etiam posita ad Plinii 34. s. 19. Hanc ipsam intellexisse videtur Columella; plures enim fecerat Phidias, minoris aestimatas. Sed Cicero in Bruto c. 86. Polycleti Doryphoron, quem Plinius l. c. viriliter puerum fuisse narrat, Lysippo magistrum in arte

fuiſſe refert. Itaque Cicero Doryphorum Polycleti magis, quam Phidiae haſtatam Mineruam cogitaſſe videtur. Quanquam idem Cicero paulo poſt c. 2. *Itaque et Phidiae ſimulacris, quibus nihil in illo genere perfectius videmus, et his picturis, quas nominaui (Ialyſi et Coae Veneris) cogitare tamen poſſumus pulcriora. Nec vero ille artifex, cum faceret Iouis ſignum aut Mineruae, contemplabatur aliquem* etc. vbi manifeſte picturas Apellis antea nominatas reſpicit; itaque etiam Doryphorum iuxta Olympium Iouem Phidiae nominatum interpretari oportet Mineruam Phidiae Doryphorum ſeu haſtatam; quod fecit etiam Columella. Multis etiam aliis in locis Phidiae Mineruam Cicero, vt exemplum artis perfectae propoſuit.

contigit] Ita liber Sang. et ſic Cicero: *quorum tanta multitudo fuit, tanta in ſuo cuiuſque genere laus, vt cum ſumma miraremur, inferiores tamen probaremus.*

32. *Pythagorae fuerit*] Vulgo interpoſitum *non* recte omittunt liber Lipſ. et Sangerm. Deleri etiam iuſſit Vrſinus, Quanquam ex Edd. primis poſſis etiam legere *artis conſummatae non ſit, et in vniuerſa — Pythagorae non fuerit conſecutus.* Ita videlicet ſeruabitur *non*, quod tamen Bruſch. etiam omittit. Sed altera ratio Columellae orationem et molliorem et reliquis membris ſimilem facit. Alioquin in reliqua parte cum I. Fr. Gronouio erit legendum *non Metonis prouidentiam.*

Cap. I. ſect. 2. *impendendi voluntas*] *Facultaſque* inſerui, poſtulante ſententia, monente Vrſino, approbante Geſnero.

4. *iam memorabiles*] Sang. *tam memorabiles.* deinceps *ſtatum.*

cardines caeli] Aequinoctiorum praeceſſionem ab Hipparcho inuentam male interpretatus eſt Columella, vt noſtro fere ſeculo fecerunt vaticiniis inepti hominis, ex Capellae altitudine meridiana mutata ductis, decepti. Vide Pfaffium de Ortibus et Occaſ. Siderum p. 55. Ceterum male Bruſch. *mouentur.*

5. *caeli ſitum*] Iucundus male *ſtatum* dedit, qui plane diuerſus a ſitu, qui graecum κλίμα reddit.

6. *Poeni ex Africa*] Verba *ex Africa* deleri voluit, vt ſuperuacua Vrſinus.

Quaecunque] Ita h. l. corrigendum eſſe, admonuit me Sang. lectio, vbi tamen *ſunt* in vulgari lectione *quaecunque ſunt autem, quae propter* retineri dicitur in Collatione Erneſtiana.

ſtiana. Vrſinus malebat: *Quaec. ſunt autem, quae propter diſciplina — diſcrepet.* Formulam *diſcrepare cum aliquo* Ciceronis exemplis comprobat Index Erneſtianus.

7. *fontibus orti*] Dura mihi et inſolens haec dictio accidit.

Archytas] Inter geoponicos ſcriptores numeratum alibi non memini. Archytae alicuius ὀψαρτυτικὰ nominat Athenaeus XII. p. 516. Varro Pythagoreum vocat. Plinius in Indice Auctorum libri XVII. eundem nominauit.

8. *Epicharmus*] Neſcio an recte Hieronis diſcipulus dicatur regis eius, quocum et Pindaro vixiſſe traditur. Cuperus malebat et *Epicharmi diſcipulus Philometor.* Sed Philometor rex vel Pergamenus vel Aegyptius per temporum rationem non poteſt dici Epicharmi diſcipulus. Itaque Vrſinus malebat legere: *Epicharmus; Aegyptii Philometor et Attalus* in nota ad Varronem; in altera vero nota ad h. l. *Epicharmus Siculus* vel *Siculi* praeferebat; quae coniectura multo deterior eſt. Siculos enim praefatus eſt Columella. De Philometore Attalo dixi ad Varronem. Scilicet vulgata lectio h. l. omnino vitioſa eſt; Attalus enim idem intelligitur, qui cognomen Philometor habuit; Siculus non fuit, vt Hiero, ſed rex item. Ita recte cenſuit etiam Harduinus in Indice Auct. Plinianorum.

Chaereas] Plinius 20. ſect. 99. *Ita enim Chaereas Atheniensis ſcripſit, et Glaucias, qui circa cardnos diligentiſſimus videtur.* vbi Glaucias eſt medicus. Chaeream de vino laudat Athenaeus I. p. 32.

Amphilochus] Vide de eo infra ad V. 12. 5. Scripſit de medica et cytiſo.

Euphronius] Ita ex libris optimis ſcripſi pro *Euphron*, quod nomen abundare cenſebat Pontedera, quia cum Varrone Plinius quinque Athenienſes modo numeret. Recte! at enim Varro duo Euphronios habet: *Euphronii duo, vnus Atheniensis, alter Amphipolites.* etſi Plinius in Indice libri XVIII. vnum *Euphronium Athenaeum* nominat. Vnde apparet, Columellam ſimiliter voluiſſe memorare duos Euphronios, ſed verba in turpiſſimo mendo iacent; nec reperio, quomodo ſint reſtituenda et corrigenda. Illud vero facile erat videre, quod Pontedera monuit, vulgatam deinceps *Chreſtus Euphronis* ex Varrone corrigendam: *Chaereſteus, Euphronius.* Vrſinus etiam *Euphronis* mutabat in *Euphronius;* libri tamen optimi habent *Euphrontis.* De apium cultu Euphronium laudat Columella IX. 2.4. vbi ſimilis ſcripturae varietas eſt. De apparatu vini *Euthronium* laudat Plinius

XIV.

XIV. 19. vbi Index auctorum ante Harduinum habebat *Euphronem Athenaeum.*

9. *Menander*] Prienaeus. Alterum, Heracleoten a Varrone nominatum, omisit Columella. Eundem nominat Plutarchus de Nobilitate, graece editus in Wolfii Anecdotis T. II. p. 258. sed eo in loco lacunosus, vnde versionem ponam Arnoldi Ferroni, Lugd. 1556. proditam: *Menander Heracleotes agricolas ipsos vnos esse reliquias ex stirpe Saturni praedicat: Epigenes Rhodius multis rationibus comprobat, antiquiorem multo fuisse rem rusticam, quam vrbanam: Diophanes nobilitatis initium ex agricultura trahit, in qua qui excellere videbantur, pastores esse maluerunt, quasi et ipsi imperium exercerent in animalia.*

Mnaseas] Gesnerus ediderat *Mnasseas.* Liber Sang. *Mnasias.* Varro contra inter eos nominat, quorum ignorabatur patria.

Hegesias] Plinius XIV. f. 24. De apparando et condendo vino ait Graecos priuatim praecepta condidisse, artemque fecisse; *sicut*, inquit, *Euphronius et Aristomachus et Commiades et Hicesius.* Sed de Hegesia Maronite Vitruvius VIII. 4. ait magna vigilantia et infinito studio locorum proprietates et aquarum virtutes scriptis declarasse. Ecce liber Sang. habet *Hicetias Mariotes*, vnde *Hicetias Mareotes* addendus videtur. Vide ad Varron. I. 1. sect. 8.

10. *Aeschrion*] Sang. *Aeschion* et deinceps *Dandis.* De reliquis nominibus vide ad Varronem notas.

12. *romana*] Sang. liber *romanam ciuitatem* habet.

Sasernas] Ex gente Hostilia; de quorum aetate non constat. Ante Magonis libros, ex punico sermone in latinum translatos, deleta Carthagine, scripsisse vtrumque suspicor ex locis laudatis in his nostris Scriptoribus. Agrum Sasernae Gallicum memorat Varro I. c. 18. f. 6. Ceterum Sang. *filium et patrem.*

Scrofam] Hic Magonis libris, ex punico sermone translatis, vsus erat, teste nostro ab initio capitis huius. Varronis locus de scriptoribus latinis intercidit; igitur dubitari potest, an sit Cn. Tremellius is, quem Varro II. 1. f. 2. et alibi disputantem de agri cultura introduxit, et vt peritum agricolam laudauit. Ante Varronem scripsisse arguit ordo a Columella institutus temporum.

13. *Hygini*] Augusti liberti. Vide Indicem Harduini, et infra ad IX. 2. et c. 13.

octo et viginti] Male ex h. l. XVIII. posuit Isidorus VI. 1.

14. *Cel-*

14. *Celsus*] Celsum a Graecino transscriptum fuisse, ait Plinius 14. sect. 4. no. 5. quem locum ad vnum de vite heluenaca locum Graecini referre malebat Morgagni Epist. I. de Celso p. IX. ed. Patauinae Celsi. Celsi libros de re rustica quinque sequebantur olim in Codicibus scriptis octo de re medica; vnde in libris scriptis quartus de medicina numeratur *Artium Aurelii Cornelii Celsi liber VIIII.* teste eodem Morgagni Epistola II. p. 577.

contrahas] Cicero Tusc. V. 36. cum populo nihil contrahere ait, qui nullos honores ab eo petunt.

18. *parauit*] Plinius 18. sect. 7. *Agro emto domum vendendam inclementer atque non ex vtilitate publici status Mago censuit — vt tamen appareat assiduitatem desideratam ab eo.*

19. *quo vt*] Vrsinus malebat *quo et;* Gesner *quo vel* aut *vtut occupato.* Dedi quod offerebat Sangerm.

20. *quoniam quidem et*] Recte Vrsinus emendabat: *quandoquidem illi.*

Cap. II. 2. *Nam illud vetus*] In Sangerm. *illud* et deinceps *et* deesse separatim testatus est Gronouius; vtrumque vocabulum abesse et ipse malim.

empturo] Ita Br. et Ald. Vulgo *emturo.*

3. *terrenisque aliis ac cultis*] Recte sic Sangerm. teste Heinsio Aduers. IV. p. 628. Vulgo *ac* omissum erat. Recte idem comparat *terrenam Syenem* Gratii, et Plinii V. Ep. 6. *pingues terrenique colles; neque enim facile vsquam saxum, etiamsi quaeratur, occurrit, planissimis campis fertilitate non cedunt;* denique Oribasii locum: ὁρῶν δ' αὐτῶν τὰ μὲν γήϊνα τὰ δὲ πετρώδη. Alia exempla dabit Index noster. Lips. liber habet *teneristque.* Ita Plinius I. Epist. 16. *adiacet gestationi vinea tenera et vmbrosa, nudisque etiam pedibus mollis et cedens.* vbi malim similiter *terrena* legi. Ex Sangerm. laudavit Gronouius: *terrenisque alis atque sylv. alis exasperis.*

4. *vinetisque*] Sang. *vineisque.* Deinceps ante *materiam* excidisse quaedam verba velut *alii sint qui,* recte monuit Gesner. Pro *vestiantur* propter sequentia malim *vestiti.*

5. *villaeque aquas*] Vulgatam *viuae aquae* recte damnavit Pontedera; nostram lectionem res ipsa flagitat. Colles aquam praebent primum eam, quae deriuatur in prata, hortos et salicta; deinde ipsi villae, quae canalibus deducta et expressa fistulis salire cogitur.

Cap.

Cap. III. *Cato*] Debebat Varronem nominare, in cuius libro I. c. 2. ſ. 8. exſtant verba haec; ſed ibi pro *deeſſet* eſt *decollat*. Recte hoc admonuit Schoettgen. In Catone c. I. ſect. 2. eſt: *vti bonum caelum habeat, ne calamitoſum ſiet. ſolum bonum ſua virtute valeat.*

incolere] In Varronis loco eſt ſimplex *colere*, et deinde *culturam*, ſed et ibi Edd. primae *cultura* habent. Deinceps vulgatum *ſumtus* ex Br. et Ald. correxi.

2. *ad fructus peruenire*] Varro I. 4. 3. *contra quod in peſtilenti calamitas quamuis in feraci agro colonum ad fructus peruenire non patitur.* Hinc apparet, vnde profecta ſit lectio Edd. I. I. quam vide in varietate. Ceterum in Varrone Edd. primae *Horco* habent, quod ex *Orcho* ortum eſſe docui ibi in annotatione. Sic *Orcinios* ſua aetate dictos fuiſſe, qui antea *Orchinii* erant, narrat Cicero in Orat. c. 48. vbi editur *Orciuios*. Sed in Cluentiana cap. 34. eſt *C. Orchinius*. Idem de Petit. Conſ. cap. 5. vocatur *C. Orcinius*. vbi Cod. Palat. *Corchiuius* habet.

3. *intuenda*] Plinius 18. ſect. 7. tanquam e Catone: *agrum paraturos ante omnia intueri oportet aquam, viam, et vicinum.* vbi Vincentius habet: *aquarum vim et vicinum* cum Edd. pleriſque, vbi eſt: *aquam vim* vel *aquarum vim.*

ad inuehenda] Breuiter haec eadem tradit Varro I. 16. 6. In Catone nihil horum exſtat, quae a ſectione inde 3. refert ex eo Columella; nec hic reſpexit Varronem, cuius tamen libri hac in parte ſunt valde vitioſi.

4. *nec non nihil*] Mediam negationem monente Vrſino incluſit Geſner. Catonis ſententiam huc pertinentem poſuit Cicero pro Flacco c. 29. *Catonis eſt dictum, pedibus compenſari pecuniam.*

5. *diuerſae*] Recte omittit Sangerm. liber. Broukhuſius malebat legi *nobis, ad diuerſae cauſae.* Credo etiam voluiſſe ſcribere *nobis et diuerſae cauſae.*

ἐδ' ἄν] Ex Heraclidis Politiarum libro ſeu fragmento, nondum edito tunc, Victorius poſuit narrationem de Cumaeis, Aeolidem incolentibus, qui communi conſilio contra fures latroneſque arma caperent et expilatis ſuccurrerent. Hinc fieri ait Heraclides, vt pauca amittant. Hunc igitur Cumanum morem reſpexiſſe Heſiodum, cum iſta caneret; Cumis enim fuiſſe oriundum.

6. *Hiberos*] Gentem Ponti accolam cum Perſis, Phoenicibus, Celtis ac Poenis in Hiſpaniam veniſſe, Varro tradit apud Plinium III. ſ. 3. Hinc Iberia et Celtiberia dicta, monente Geſnero. Hinc vrbs Ponti Ἴβηρα, aliis *Ibora* dicta, de

de qua Valesius ad Sozomen. VI. 30. De Achaeis et Albanis Ponti conferre iussit Gesner Vossium ad Scylacem p. 30. et Plinium III. sect. 4. no. 4. et VI. sect. 5.

7. *Palatinis*] Propert. IV. 9. 17. *incola Caeus erat*, (montis Palatini) sed ibi Schrader *accola* malebat legi.

8. *pronunciauit*] Post hoc verbum inserta vulgo legebantur haec: *μέτρον ἄριστον*, quae cum Victorius in libris suis non reperta deleri iussisset, inclusérat Gesner. Equidem plane omisi, libris etiam reliquis consentientibus. Sunt enim a librario sciolo addita, qui, quae latinis verbis expressit Columella, graece reddere voluit lectori.

idque, vt non] Ex lectione Sangerm. *paraturis is dictum.* mallem transposito *idque* et decurtato legi: *mensuramque rebus: vt non solum aliud acturis, sed et agros paraturis id dictum intelligatur.*

emere velint] Recte ita vulgatum *velit* correxit Pontedera. Virgilii locus est Georg. II. 397.

10. *vetereta*] Hic et alibi Gesnerus *veruacta* restitui malebat. Sed Pontedera docet, veteretum esse agrum, per tempus aliquod arari omissum, eique opponi nouale, qui aratus et cultus est ager. Veruactum autem est vere aratus ager. Addit locum, vbi Columella ait, fabam optime seri in vetereto; idem tamen libro XI. praecipit: *ante Idus Novembres occatam habeas quam pinguissimo et nouo loco.* Scilicet veteretum, postquam aratum est, dici nouum locum seu nouale. Varroni ita dici terram rudem, vbi ait, multum interesse, vtrum in rudi terra, an in ea seras, quae quotannis obsita sit, quae vocatur restibilis, an in veruacto, quae interdum requieuit.

quinquaginta soli] Apud Aurelium Victorem c. 33. legitur *quaterna dena.* Septena ex agro captiuo accepisse Curium, Noster supra I. Praef. 14. Plinius VIII. c. 3. et Valerius Maximus IV. 3. 5. affirmant. Hac mensura fuit contentus, etsi populus quinquagenta ei iugera obtulisset. Haec est huius loci sententia, vitio lectionis et interpunctionis obscurata antea; quam restitui ex Cod. Goes. inserta voce *satis.* Deinde comma post *nomine* sustuli. Non opus igitur habet *tanta* emendatione, nec cum Gesnero ad victoriam, sed ad iugera septena referendum est. Plinius l. c. *Manii quidem Curii — nota concio est, perniciosum intelligi ciuem, cui septem iugera non essent satis. Haec autem mensura plebi post exactos reges assignata est.* Curii iugera fuisse in Sabinis, docet locus Ciceronis apud Nonium p. 522. edit. sec. Mercerii.

popu-

populari ac plebeia] Valerius M. l. c. *decretis enim a senatu septenis iugeribus agri populo, sibi autem quinquaginta, popularis assignationis modum non excessit.* Eadem ex Iulio Hygino narrat Gellius I. 14. Forte ab Hygino sumsit etiam Columella. Ceterum alterum vocabulum abundare videtur, hinc Aldina in Corrigendis emendauit *hac plebeia mensura.* Ex altera tamen Aldina *ac plebeia* laudauit Gesner.

suaque lege C. Licinius] Est C. Licinius Stolo, qui cum L. Sextio tribunus plebis et deinceps pluribus annis continuis fuit, teste Liuio VI. 35. et seqq. idem deinde a M. Popilio Laenate sua lege damnatus decem millibus aeris, quod mille iugerum agri cum filio possideret, mancipandoque filium fraudem legi fecisset, eodem teste VII. 16. Plinio 18. 3. et Valerio VIII. 3. 6. Reliqua vide ad Varronem I. 2. 9.

12. *circumire*] Facile assentior Pontederae, vitiosam esse vulgatam nunc lectionem; sed nec illa, quam vir doctus probabat, *circumire quoque*, mihi admodum placet. Formula enim *ne — quoque* ita positam reperire non memini. Alii forte praeferent *quoquo* cum libro Sangerm. Deinceps verba superuacua *ac populandos* monente etiam Pontedera inclusi. Prouerbiali locutione dicebant olim *fundos habet, quantum miluus non volat.* Petronius ita c. 37. Persius IV. 25. *arat Curibus, quantam non miluus oberret.* Iuuenalis IX. *tot miluos intra tua pascua lassas.*

nexu ciuium] i. e. ciuibus ob aes alienum nexis, qui ad operas manuarias adigi poterant. Ita recte Barth. Aduers. 46. 13. et Gronov. Observ. I. 8. p. 76. Male igitur Vrsinus *nexu crurum.* Varro I. 17. 2. obaeratos vocat.

Cap. IV. *Caesonianum*] Suspicor, Pisonem aliquem intelligi; Pisones enim antequam *frugi* cognominari coeperunt, Caesoniorum habebant cognomen.

Cato Marcus] Inepte vulgo *Cato, mercaturis.* Ita verbum *mercari* repetitur nulla cum significatione. Deinceps dedi *velis* ex Edd. optimis; malim tamen *velimus.* Catonis sententia exstat cap. 7. Lectionem *Cato Marcus* probauit etiam Drakenborch. ad Liuium T. I. p. 532. Bruschiana *eum saepius, quem.*

2. *M. Attilius*] Sang. cum Polit. *Atilius*, omisso *Marco.* Plinius 18. sect. 6. *Atilius Regulus ille Punico bello bis consul aiebat neque foecundissimis locis in salubrem agrum parandum, neque effetis saluberrimum.* vbi Vincentius similiter habet *effectis*, vt h. l. liber Politiani.

cum

cum sit] Non omnis ager foecundus simul, quia foecundus, est etiam insalubris. Igitur malim *si sit*. Quod deesse dicitur in I. B. R. *sit* verbum, in Bruschiana adest. Eadem *Atilius* bis habet, et *inclytissimus*, hoc quidem cum Aldina. Sic supra Praef. sect. 32. Lips. liber habet *Puthagorae*, et in Varrone libri scripti *Subaris*. Postea Br. *concinitate* habet scriptum.

Pupiniae] Vide Varronem I. 9. 5. Cicero Agrar. II. 35. vbi Campaniae agris opimis opponit Vaticanum et Pupinium. In Pupinia Atilium Regulum agrum septem iugerum possedisse testatur Valerius Maximus IV. 4. 6. qui sect. 4. Pupiniae solum sterile atque aestuosissimum vocat. Ceterum *censebat peritus vsu* veram Lips. libri lectionem esse puto, ex qua ortum habuit primarum Edd. et Sangerm. *veniebat*.

4. *proprium coeli*] Recte hoc cum optimis libris praetulit vulgato *varium* Pontedera, etsi in Virgilio I. 51. plerique *varium* ediderunt. Varium enim et inconstans quod est, nec disci potest, nec praedici, igitur discendo nullum habet vtilitatem. In Virgilio etiam Sang. lectionem probare videtur Heinsius p. 186. Ceterum *consequimur* paulo antea ex Sang. annotauit Gronouius; et in loco Virgilii *cultus* idem liber habet. Vitiose Editio Gesneri *cultosque*.

nouaque] Vulgo addebatur *quae*, quod sensum turbat, etsi vel sic locum non satis emendatum puto.

5. *praestari*] Quid effici ex agricultura, quis maximus inde reditus cogi possit. Recte hoc vulgato *praestare* praetulit Pontedera.

6. *cum refert*] Ita Sang. Gesnerus edidit *quum*. Praeterea postulat vsus Columellae, (vt infra cap. 5. sect. 8.) vt legamus *referat*.

memoria] Ita etiam supra cap. 3. 7. memoriae tradit. Ita memoria publica apud Ciceronem Orat. II. 12. Leg. III. 20. veterem memoriam idem habet Orat. I. 2. aequalem Bruto c. 69.

Scaeuolam] Plinius 18. c. 6. *modus hic probatur, vt neque fundus villam quaerat, neque villa fundum. Non vt fecerunt iuxta diuersis eadem aetate exemplis L. Lucullus et Q. Scaeuola, cum villa Scaeuolae fundo careret, villa Luculli agro. Quo in genere censoria castigatio erat minus arare, quam verrere.*

8. *iucundius: Vtique*] Vulgatam olim: *in eo. Iucundius vtique viro* corrigi iusserat Vrsinus, et ex libro Polit. et Sang. emendauerat iam Ernesti in altera editione; eandem scripturam in Anonymi Grammatici codice vetusto se reperisse

periſſe teſtatur Pontedera. In Bruſch. eſt *iocundius vtique viro.*

quam ob rem] Omittunt libri optimi, qui totum hunc locum ita legi volunt: *delicatior, amoenitate aliqua demerenda erit.* Equidem ex Pol. libro *delectanda* malim legere; ita enim et Bruſchiana. Quanquam video nunc Gronouium Obſerv. IV. p. 131. exiſtimaſſe verbum *demereri* ſumtum a Columella ex loco Virgilii Aeneid. IV. 349. *ſi te Carthaginis arces Phoeniſſam Libycaeque adſpectus detinet vrbis.* vbi Codices alii *demeret* ſcriptum habent, a Gronouio probatum.

areae pedem] Pedem vulgatae *idem* praeferebat etiam Pontedera, interpretatus ex architectura, vbi *pedem ponere* eſt fundamenta inſtituere. Attulit etiam locum inprimis accommodatum Senecae de Tranquill. c. 10. *exiguae ſaepe areae in multos vſos deſcribentis arte patuere, et quamuis anguſtum pedem diſpoſitio fecit habitabilem.* Vbi vides ſimiliter pedem areae dici pro ſoli ſpatio, occupato aede aut aedificio aliquo. Bruſchiana *arae aedem* habet. Varro de L. L. IV. p. 25. *a quo dicitur in aedificiis area pes magnus, et qui fundamentum inſtituit pedem ponit.*

9. *aer corruptus*] Vulgo interſertum *atque* recte omittit Sang. nam omnis aer terrae hominibuſque eſt circumfuſus, atmoſphaeram hodie dicimus.

Chalcis] Hinc frumentum bimeſtre Euboeae circa Caryſtum memorat Theophr. H. P. VIII. 4. atque inde Plinius 18. ſ. 12. Maius miraculum refert Scholiaſtes Euripidis ad Antig. verſ. 1126. in Parnaſſo monte et in Euboea eſſe vitem, ἣ καθ' ἑκάστην ἡμέραν περὶ μὲν τὴν ἕω βότρυας φέρει, περὶ δὲ τὴν μεσημβρίαν ὄμφακας, ἐτρυγᾶτο δὲ πεπανθεῖσα περὶ τὴν ἑσπέραν. Idem refert Schol. Eurip. ad Phoeniſſas verſ. 238. vbi recitat verſus Sophoclis de vite Euboica, poſitos inter Fragmenta Brunckiana p. 619. Sine dubio miraculum poetae auxerunt, quod interpretari licebit ex iis, quae de vite inſana narrat Theophraſtus C. P. I. cap. 11 et 22. atque inde Plinius XVI. c. 27. *Vites quidem et triferae ſunt, quas ob id inſanas vocant, quoniam in iis alia maturescunt, alia turgeſcunt, alia florent.* De vite Lybica inſana eadem narrat Ariſtotel. Mirabil. c. 172.

10. *qui fere medios*] Ita recte libri. Vulgatum *quem fere medius collis* ineptum eſt. Nam aer obtinet collem, non collis aerem. Deinceps *torretur* vulgato *torret* praetuli cum Vrſino et Pontedera.

motibus] Addendum putauerim *torpet* aut ſimile verbum. Contra Geſnerus vulgatam interpretabatur: *qui perexigui*

exigui sunt in plano ventorum motus, iidem in summis montibus saeuiunt. Quam equidem interpretationem nullo modo approbare possum; etsi ipse Gesnerus fatetur, summa montium altorum dici vulgo ventis immobilia; verum hic intelligi putat montes vulgares, nec cum Olympo aut Athone comparandos.

Cap. V. 2. *deficiet*] Ita vulgatum *deficient* corrigi iussit etiam Pontedera.

salubritati] Vt leuissimas aquas pluuiales iam olim Hippocrates commendauerat. In vocabulo *tandem* vitium latere arguit etiam lectionis varietas.

fluens aqua] Vrsinus legi malebat *fluens, quae e montibus oriunda per saxa.* Recte! Atque ita voluisse scribi suspicor libros, qui omittunt *si* ante *per saxa.*

vt est — Campaniae] Haec liber Sang. omittit. *In Gaurano* malebat cum viro docto Gesnerus. Gauranos montes Plinius III. sect. 9. Guarcenum nemo nominauit. Gauranos saltus habet Florus II. 6. 28. Gaurum montem nondum venditum fuisse Ciceronis aetate, cognosces ex Agrar. II. 14. Nunc video, Abr. Gronouium emendationem Cluverii ex libro IV. Italiae antiquae p. 1142. commemorare *Guarano* legentis; credo *Gaurano* voluisse. Gaurus mons medio itinere inter Puteolos et Lucrinum lacum paulum a mari remotus hodie *Monte Barbaro* vocatur, auctore Cluverio. Locus Plinii XIV. f. 8. *quidam ita distinguunt, summis collibus Gauranum gigni, mediis Faustianum, imis Falernum* huc non pertinet. nam ibi ex Cod. Chifflet. et duobus Hispanicis *Caucinum* recte corrigit Pintianus. Galenus apud Athenaeum I. p. 27. εὐγενὴς δὲ καὶ ὁ Καρκῖνος καὶ τῷ Φαλέρνῳ παρεμφερής. ibidemque Gauranum seorsum nominat.

4. *Aestatum*] Hoc vulgato *aestuum* praeferebat etiam Pontedera.

quam prae se] Plinius 18. sect. 6. *conuenit nec iuxta paludes ponendam esse villam, neque aduerso amne, quanquam Homerus omnino e flumine semper antelucanas auras insalubres verissime tradidit. Spectare in aestuosis locis septentrionem debet, meridiem in frigidis, in temperatis exortum aequinoctialem.* Varro I. 12. 2. cauet, ne aduersus flumen villa ponatur.

5. *ad orientem*] Cum Sangerm. *ad* post *vel* spurium censeo. Palladius I. 8. 3. *positio ipsius agri, qui eligendus est, ea sit; in frigidis prouinciis orienti aut meridiano lateri*

ager debet esse oppositus, — in calidis vero prouinciis pars potius septentrionis optanda est etc.

ac fluctu] Liber Sang. *a fluctu.* Ceterum hunc locum ita legi volebat Vrsinus: *nonnunquam ex ripa paulum submota — nullo potius interuallo.* Sed recte sensum explicauit Gesnerus, qui simul pro *sed* legi volebat *aut*, sed praestabat inserere *haud* cum libris scriptis.

6. *militarem viam*] Alii tamen hac occasione inuitati tabernas diuersorias villae cauponesque seruos adiungebant, vt ad Varronem demonstraui. Ceterum *vinctam* pro *iunctam* Brusch.

vere natas] Vrsinus vulgatum *destitutas — venenatas* ita corrigi iussit. Egregie! Sed praeterea verbum *natricum* mutandum erat in *nantium*, quod fecimus. Vulgatum *destitutas* ferri non poterat, quia pestes natricum seu nantium serpentiumque non destituuntur in vligine hiberna; sed semina earum deposita in vligine hiberna, et postea destituta seu sibi relicta vligine exclusa in coeno et sole fermentata colluuie nascuntur. Ita infra II. 1. 3. *seu sponte seu casu destituta humus, cum est repetita cultu, magno foenore respondet.* vbi Goes. liber habet *derelicta.* Possis tamen etiam *pestes destitutas* defendere, sed tunc addendum est *in.* Denique inepte adiungitur *venenatas;* satis enim in peste intelligitur venenum. Veris mentionem desiderat non solum hiberna vligo, sed et sequentia verba *sed et anni toto tempore.* Natricum pestes non possunt separatim memorari: sequuntur enim serpentes, quorum vocabulo natrices comprehenduntur. Contra animalia nantia et serpentia in paludibus plura gignuntur, quae ad serpentum genus non pertinent, sed comprehenduntur numero insectorum reptiliumque.

7. *deuertentium*] Ita recte Sangerm. pro *diuertentium* habet.

nec pestilenti] Pontedera ex vestigiis variae lectionis librorum legi malebat: *nec in via, sed alio procul editiore situ condere, sic vt.* quod equidem probauerim. Palladius I. 8. *ipsius praetorii situs sit loco aliquatenus erectiore et sicciore, quam caetera, et propter iniuriam fundamentorum et vt laeto fruatur adspectu — sed totus fabricae tractus vnius lateris longitudine, in quo frons erit, meridianam partem respiciat, in primo angulo excipiens ortum solis hiberni, et paululum ab occidente auertatur hiemali.*

8. *aedificii solum*] Inepte Vrsinus legi volebat *aedificium soli*, recte improbante Heinsio ad Ouidii Fastos I. 109. Deinceps *regeleri — liquescant: quom fere* Brusch. habet.

9. *ex-*

9. *exſtruere*] Bruſchiana *eſtruere* et ſect. 10. *eſtructum;* eadem *incunbent — propriam mollem — aſtruitur* habet.

a ſuperiori parte] Ratio et auctoritas librorum ita ſcribere iuſſit pro *ad ſuperiorem partem.* Ita facere iuſſit etiam Pontedera.

pro fultura] Malim cum Lipſ. *praefultura — fungentur,* i. e. vicem praefulturae praeſtabunt. In vulgata deeſt vocabulum aliquod: *pro fultura — fungentur* quanam re? Vulgatum tamen *fultura* tuetur locus Plinii X. 48. de theatro rimis diſcedente et hiante: *nam fulturae ac ſubſtructiones, quibus ſubinde ſuſcipitur, non tam firmae mihi quam ſumptuoſae videntur.*

10. *Nam cum veteri*] Ita recte annuentibus etiam libris ſcriptis locum antea vitioſum et inepte verbis abundantem emendauit Pontedera. Legebatur enim: *nam nouum cum veteri adſtruitur, rimoſoque recens aedificium.* Recens et novum aedificium idem eſt; deinde rimoſo nemo ſanus adſtruet. Sed rimoſum fit ſtatim quod ſuperiori adſtruitur ab inferiore parte. Nam ita fundamenta ſuperioris conuelluntur in exſtruendo; ſuperius autem aedificium vrget inferius, atque ita fit inferius rimoſum, et ſimul ſuperius pondere ſuo depreſſum, conuulſis ſcilicet antea fundamentis, in communem trahitur ruinam. Atque ita habes rationem, cur deinceps vulgatam *ſurgenti oneri — paulatimque* cum Vrſino mutauerim. *Surgenti* damnauit etiam Geſnerus; nam nouum aedificium cedit veteri et ſuperiori, quod adeo non ſurgit tunc primum, ſed *vrget* inferius. Deinde idem Vrſinus malebat *trahetur;* Geſner etiam *cedet.*

Cap. VI. *vrbanam*] Vitruuio *pſeudourbanam* VI. 6. Palladio aliiſque *Praetorium* dici, monet Geſner.

2. *meridiano aequinoctiali*] Appellationem rationi certe aduerſam pronunciat Geſner, cum auctore Plinio *meridies ſemper ſit idem;* et Apuleius de Mundo p. 62. ex Fauorino: *Quatuor mundi plagas imparem numerum habere ventorum, eo quod ortus et occaſus mutantur tertia vice cum ſolis acceſſu, meridies et arctos iiſdem ſemper regionibus notatae.* Idem tamen Geſnerus monet, Columellam VIII. 8. 2. et IX. 5. 1. ſimiliter *hibernum* et *brumalem meridiem* commemorare. Itaque ad analogiam quandam confugit, qua vſum Columellam cenſet meridiem aequinoctialem dixiſſe ipſum cardinem, nuſquam ad orientem, neque ad occidentem declinantem; vt oriens aequinoctialis ſit ipſe decumanus limes, nihil vel ad ſeptentrionem, vel ad meridiem inflexus. De ipſa appellatione

miror Gesnerum dubitasse; ecce enim Cleomedes de Meteoris libro II. p. 75. πάλιν τε κατὰ τὴν ἰσημερινὴν μεσημβρίαν πάντα περιφωτίζεται τὰ ἐν ὅλῃ τῇ οἰκουμένῃ ἄμφοδα — ὅθεν ἀνατέλλων μὲν ἐν ἰσημερίᾳ ὁ ἥλιος καὶ ἄσκια ποιῶν τὰ πρὸς αὐτὸν ὁρῶντα τῷ πλάτει τῆς οἰκουμένης ἔχει τὴν διάμετρον συμπαρεκτεταμένην, μεσουρανήσας δὲ καὶ πάντα περιφωτίσας τὰ ἄμφοδα, τῷ μήκει. Sicut igitur Cleomedes aequinoctialem meridiem nominauit, vt diametrum solis longitudini terrae aequalem esse demonstrauit, ita Columella eundem meridiem appellavit, iustam dimidiati coeli seu zodiaci mensuram cursusque solaris significaturus. Ceterum vt ambulationes hieme plurimum solis, aestate vero minimam reciperent, artificio hoc effectum fuisse putabat Gesner, vt porticus tectum haberet ita inclinatum, vt radii solis directi humum atque solum porticus ferirent, quamdiu sol non vltra 20 gradus suprà finitorem seu horizontem elatus fuerit; cum primum autem ille superauisset illud spatium, a tecto intercepti arcerentur radii, et in vmbra versari, qui vellent sub tecto possent. Denique villam ad formam, a Columella definitam, non quadrata aliquo consepto continuaque aedificatione conclusam fuisse censebat, sed vel circulari forma opus fuisse vel octangula, aut certe in plures quasi aediculas et lacinias dispersam fuisse, quae porticibus et ambulationibus coniunctae essent. Eandem etiam obseruationem de Plinii iunioris villis valere. Addo στοῶν πρὸς μεσημβρίαν τετραμμένον mentionem factam a Cleomede II. p. 75.

balnearia] Didymus II. 3. Geoponic. balnearia opponi iubet occasui hiberno aut meridiei. Is igitur consulere videtur, vt hieme post meridiem sint illustria.

vt hieme] Comparauit iam olim Nicol. Loensis Miscell. Epiphyllid. IV. 24. locum Xenophontis Memorabil. III. 8. quem ponam: ἡδὺ μὲν θέρος ψυχεινὴν ἔχειν, ἡδὺ δὲ χειμῶνος ἀλεεινήν. οἰκεῖν ἐν ταῖς πρὸς μεσημβρίαν βλεπούσαις οἰκίαις τοῦ μὲν χειμῶνος ὁ ἥλιος εἰς τὰς παστάδας ὑπολάμπει, τοῦ δὲ θέρους ὑπὲρ ἡμῶν αὐτῶν καὶ τῶν στεγῶν πορευόμενος σκιὰν παρέχει. οἰκεῖν οἰκοδομεῖν δεῖ ὑψηλότερα μὲν τὰ πρὸς μεσημβρίαν, ἵνα ὁ χειμερινὸς ἥλιος μὴ ἀποκλείηται, χθαμαλώτερα δὲ τὰ πρὸς ἄρκτον, ἵνα οἱ ψυχροὶ μὴ ἐμπίπτωσιν ἄνεμοι. Sunt igitur παστάδες seu, vt alii libri habent, παραστάδες, quae hieme solem admittunt, aestate excludunt, eaedem quae Columellae ambulationes dicuntur meridiano aequinoctiali subiectae, vt hieme plurimum solis et aestate minimum recipiant. Xenophon igitur domum meridiei opponere ea de causa iubet; quam rationem respicit Didymus Geoponic. II. 3. τινὲς δὲ καὶ πρὸς

πρὸς μεσημβρίαν συμβουλεύουσι τὰς οἰκήσεις ποιεῖσθαι, ἅτε δὴ τὸν ἥλιον ἐπὶ πλεῖστον ἐχούσας. vbi manifesto multa desunt, quibus rationes eius situs explicabantur. Fortasse tamen recte habet locus, quia aestiua et hibernacula nulla distinxit Didymus. Igitur, vt austrum humidum inconstantem et insalubrem vitaret, orienti villae frontem opponere iubet. Ex locis Columellae et Palladii colligit Dickson I. p. 37. villam fuisse hanc quadrato consepto conclusam, vacuo intermedio spatio relicto; huius septi quadrati angulis fuisse additas aediculas, quae facillime ita dirigi potuerint in dictas coeli regiones. Atque ita explicandas etiam ait esse descriptiones, a Plinio iuniore positas.

ambulationes] Vide ad Varronem III. 5. 9. Xystos intelligit.

3. *incendii periculo*] Carebant enim aedificia et graeca et romana canali cementitio, qui fumum educeret, docente Cel. Bekmanno Histor. Inuent. Vol. II. p. 405. Hinc apud Horatium Serm. I. 5. 72. *sedulus hospes paene arsit, macros dum turdos versat in igne; nam vaga per veterem dilapso flamma culinam Vulcano summam properabat lambere tectum.* Foramen tecti emittebat fumum, operculo claudendum, quod Graeci κάπνην, operculum τηλίαν vocabant; foramen eiusmodi furnorum, vbi hordeum torrebant, καυθὸν dictum annotauit Hesychius.

subterraneum] Hinc in *puteum* seruos condere est apud Plautum Aulul. II. 5. 21. quem recte interpretatur Turnebus VI. 24.

4. *duplicia*] Vide paulo post annotationem nostram et positum ibi locum Vitruuii, qui de equilibus singulatim ita: *Equilia quam maxime in villa, vbi loca calidissima fuerint, constituantur, dum ne ad focum spectent; cum enim iumenta proxime ignem stabulantur, horrida fiunt.* Contra idem boves stabulari contra culinam vult. Vide ad Palladium I. 21.

sub dio] Vide infra ad VII. 3. 8. vbi de stabulis ouium docet.

5. *quisque ibi*] Vulgatam *quisque qui ibi* Gesnerus tentabat legendo: *vtque is qui.* Nos Brusch. et librum Sang. sequimur reiecta Aldi correctione.

6. *lata bubilia*] Diuersa a stabulis, quod arguit sect. 4. docet locus Varronis I. 13. *in villa faciunda stabula, ita, vt bubilia sint ibi, quae hieme possint esse caldiora.* Manifestius etiam Palladius I. 21. *Octo pedes ad spatium standi singulis boum paribus abundant, et in porrectione XV.* Quae ille duxit ex Vitruuio VI. 9. *bubilium autem debent esse latitudi-*

nes nec minores pedum denum, nec maiores quindecim; longitudo, vti singula iuga ne minus occupent, pedes septenos. Singula igitur boum iuga stabant in stabulorum bubilibus, vt recte etiam monuit Dickson II. p. 437. Quod cum non animaduertisset Pontedera, nec meminisset soli bubulo pecori duplicia bubilia parari, corrigere ausus est: *domitis armentis duplicia bubulo sint hibernacula atque aestiua.* Sed soli iuuenci feri ad aratrum domabantur, non equi; igitur armenta domita solos boues comprehendunt. Deinde vir doctus malebat legi: *lata cubilia,* vt est in Lips. libro; nam tam parua bubilia neminem facere censebat. Verum male coniunxit stabula bubilia, cum sint stabulorum bubilia, i. e. stationes, vbi paria boum stant in stabulis. Denique idem Palladii (potius Vitruuii, qui forte ex Varronis libro de Architectura duxerat) pedes XV. ad boum binorum bubilia, Columellae mensuram ad singulorum cubilia referebat. Mihi quidem pari boum bubilia parasse Columella videtur, quoniam deinceps iugarii, non simpliciter bubulci meminit. Latitudinem eandem Vitruuius posuit, cuius locum peruertit Palladius latitudine mutata in porrectionem, et longitudine septem pedum mutata in latitudinem octonorum pedum nimis angustam. Ceterum Brusch. etiam hic *lata bubula* habet. In caprilibus et nouilibus Vitruuius pecudibus singulis areae pedes quatuor cum dimidio vel sex assignauit, vnde ratio Palladii de bubilibus falsi arguitur. Idem ibidem: *Item non sunt inutilia praesepia, quae collocantur extra culinam in aperto contra orientem; cum enim in hyeme anni sereno coelo in ea traducuntur, matutino boues ad solem pabulum capientes, fiunt nitidiores.*

minime] Vrsinus malebat *minimum.*

aut iumentum] sc. aliud. Sic VI. 19. 1. *iumenta bouesque curentur.* Ita ex Bodaeo ad Theophr. H. P. III. 16. annotauit Schoettgen. Sed iumenta et armenta distinxit etiam VI. Praef. 3. Scilicet iumenta sunt equi, armenta boues, quod boues soli aratro iungebantur, non item equi, qui curribus iungebantur.

7. *Procuratori*] In familia vrbana rationes impensarum ducebat, in atrio fere habitans. Vide ad Petronii cap. 30. Rusticum nominat etiam Plinius III. 19. *sub eodem procuratore ac paene iisdem actoribus habere.*

vt dixi scalis] Locum non reperit Pontedera; Gesnero tabulati mentio praecedens sufficiebat. De re ipsa Varro I. 55. *triticum condi oportet in granaria sublimia, quae perflentur vento ab exortu ac septentrionum regione, ad quae nulla aura*

aura humida ex propinquis locis adspiret. Plinius XVIII. f. 73. *horrea operose tripedali crassitudine pariete lateritio exaedificari iubent aliqui; praeterea superne impleri, nec afflatus admittere, aut fenestras habere vllas, alii ab exortu tantum aestiuo aut septentrione.*

11. *Eadem ratio est quae*] Ne nimis absurde a granario ad villam vinariam transfiliret Columella, inserui voculam, quam excidisse putabam. Quae enim de cella vinaria hic, eadem alibi de granario traduntur. Varro: *ad quae aura nulla humida ex propinquis locis aspiret.* Ita etiam Geoponica II. 27. *μὴ ἐχέτω δὲ νοτίδα ἢ δυσωδίαν τινὰ ἢ ἀναθυμίασιν ἀηδῆ, μάλιστα δὲ ἱπποστασίων καὶ τῶν τοιούτων, καὶ πάσης θέρμης πόρρω ἔστω.* De positione ita Vitruuius VI. 9. *Granaria sublimata et ad septentrionem aut aquilonem spectantia disponantur. Ita enim frumenta non poterunt cito concalescere, sed afflatu refrigerata diu seruantur. Namque caeterae regiones procreant curculionem et reliquas bestiolas, quae fouimentis solent nocere.* Qui vulgatam lectionem defendere et supplemento nostro carere malit, possit vti simili loco Palladii I. 19. vbi a cellae vinariae descriptione transit ad horrea his verbis: *Sicut horreorum quamuis* etc. vbi equidem ex Vincentio et Crescentio posui *Situs.*

balineis] Ita recte liber Sang. pro balneis. Palladius I. 18. cellam vinariam septentrioni debemus habere *oppositam frigidam vel obscurae proximam, longe a balneis, stabulis, furno, sterquiliniis, cisternis, aquis et caeteris odoris horrendi.* Is igitur hoc in loco etiam *stabulis* insertum legisse videtur, et approbat lectionem Edd. optimarum, vbi exstat *sterquiliniis.* Sed idem I. 19. *Situs horreorum quamvis ipsam septentrionis desideret partem, et superior et longe ab omni humore* (odore Pol. et Cresc.) *et laetamine et stabulis ponendus est, frigidus ventosus et siccus.*

12. *quibus qui*] In Sang. esse *quibus qui — humor qui vinum* separatim testatus est Gronouius.

13. *testacea*] Geoponica: *καὶ τὴν ὀστρακονοῖαν τὴν ἐπὶ τῶ ἐδάφεος χριομένην τῷ ἔρῳ βρέχεσι.* Aliter solum praeparat Palladius I. 19. et quidem viliori pretio.

iunctiurae puluinis] Puluinos hos toros seu partes cylindrorum, in longitudinem quadrifariam sectorum, quae inclusae in parietibus et solo rimas prohibeant, interpretatur Gesner. Equidem iuncturas intelligo trabium et partes ligneas horrei, quae superfuso testaceo opere conteguntur, ne fatiscentes rimas agant et cubilia praebeant vermibus.

lacubus] Palladius: *tunc diuisas cellas, si magnus sperabitur seminum modus, grano cuique tribuemus et si terrae pauperies minora promittit, vel craticiis podiis erunt discernenda granaria.* Sed non sola legumina, sed et frumenta distinguenda sunt; quare excidisse puto *frumenta et.*

14. *Parietes*] Palladius: *cui aridi oleastri vel oliuae folia pro paleis adiiciuntur.* vbi recte Vincentius solus habet *arida.* Cato cap. 92. omnem granarii curam his absoluit: *frumento ne noceat curculio neu mures tangant, lutum de amurca facito, palearum paulum addito, simito macerescant bene et subigito bene, eo granarium oblinito crasso luto, postea conspergito amurca omne quod lutaueris. Vbi aruit, eo frumentum refrigeratum condito, curculio non nocebit.* Pro paleis pilos luto admiscent Geoponica l. c.

15. *ea res*] Palladius: *haec res gurgulionibus et ceteris noxiis animalibus inimica est.* Varro parietes et solum opere tectorio marmorato loricat: si minus, ex argilla mixto acere e frumento et amurca; atque id facere ait grana solidiora ac firmiora nec pati murem vermemue esse. Plinius sine calce construi iubet horrea, quia ea sit frumento inimicissima. Theophrastus etiam H. P. VIII. 10. ἀποθήκας κονιατὰς memorat et quale discrimen habeant ad frumentum seruandum; sed locus est mendosus. Manifestius tamen sententia eius cognoscitur ex libro de Causis Pl. IV. 17. vbi ait, calcem calorem conceptum nimis diu seruare.

scripsimus] Broukh. malebat *descripsimus.* Deinceps verba *sit in* libri optimi omittunt, recte puto.

situ] Plane, vt Itali hodieque mucorem huiusmodi sirorum vocant *Sito di buca*, teste Tozzetti p. 153.

possunt] Cum libri optimi constanter *possit seruare*, malim *possis seruare* legi.

siros] De quibus ad Varron. I. 57. 2. Bruschiana *syros* habet.

16. *nostris*] Et tamen hodieque in multis Tusciae locis ita seruant in siris, quos *buche* vocant, etsi solum fere sicciuis eligunt, *tufo* vocant. Vel sic situm inde trahere testatur Tozzetti Ragionamenti sull' Agricoltura Toscana. Lucca 1759. p. 152.

ventilentur] Palladius: *Negat Columella, ventilanda esse frumenta, quia magis miscentur animalia totis aceruis: quae si non moueantur, in summitate intra mensuram palmi subsistent, et hoc velut corrupto cono caetera illaesa durabant. asserit idem noxia animalia vltra praedictam mensuram non posse generari.* Varro: *quo enim spiritus non peruenit, ibi*

non

non oritur curculio. Plinius XVIII. sect. 73. *multi ventilari quoque vetant: curculionem enim non descendere infra quatuor digitos nec amplius periclitari.* Ceterum grana comesa ventilari vetat Columella; nec meminit eius rationis horreorum, quae semper ventilantur, quamque hodie vnice probamus, rationibus et experimentis G. Fr. Dinglingeri, cuius liber Hanouerae 1768. prodiit de ratione horreorum struendorum optima, adducti. Verum hanc ipsam Geoponica etiam memorant his verbis: *ἐχέτω δὲ πυκνὰς σωλῆνας δι' ὧν ἥτε θερμὴ ἀτμὶς ἐκπνέοι καὶ αὔρα ψύχουσα εἰσπνέοι*, i. e. habeat frequentes canales, (versio fenestellas pessime habet) quibus vapor exspiretur atque aura refrigerans introducatur.

18. *oleariae*] Palladius I. 20. *Olearis cella meridianis sit obiecta partibus et contra frigus munita, vt illi per specularia debeat lumen admitti. Ita et operas, quae hiemis futurae sunt, nullus algor impedict: et oleum cum premetur, adiutum teporibus, frigore non valebit adstringi.* Ex quo loco satis vulgata lectio *magis constringitur* defenditur. Pro *vapore* Broukh. malebat *calore.* Vitruuius VI. 9. *torcular item proximum sit culinae; ita enim ad olearios fructus erit commoda ministratio; habeatque coniunctam cellam vinariam, habentem ad septentrionem lumina fenestrarum; cum enim alia parte habuerit, qua sol calefacere possit, vinum, quod erit in ea cella, confusum ab calore efficietur imbecillum. Olearia autem ita est collocanda, vt habeat a meridie calidisque regionibus lumen; non enim debet oleum congelari, sed tepore caloris extenuari.*

quod minus prouenit] Vrsinus malebat: *Oleum (quod minus saepe euenit) si congelatur fracescit.*

declinatione] Climate recte interpretatur Schoettgen. Male Broukhus. inserebat *frigoris.*

fumo et fuligine] Accuratius haec noster XII. 50. 13. Ex quo loco apparet, ad Columellae vsque aetatem ignis flammam adhibitam a quibusdam fuisse ad cellam et torcular calefaciendum. Deinde vero pensilium balnearum exemplum docuit ignis vaporem purum transferre ad torcular calefaciendum. Palladius I. 20. *At si quis maiori diligentiae studet, subiectis hinc inde cuniculis pauimenta suspendat et ignem suggerat, fornace succensa. Ita purus calor olei cellam sine fumi nidore vaporabit, quo saepius infectum colore corrumpitur et odore.* Has pauimentorum suspensuras docet cum Vitruuio V. 10. Palladius I. 40. ad quem locum accuratius disputabitur de forma balnearum pensilium.

19. *Cortinale*] vbi defrutum in cortina decoquitur, cella dicitur.

quo

quo materia] Ligna intelligit coctilia seu ἄκαπνα, qualia apparare docet etiam Cato 130. Caminis enim carebant coenacula; igitur lignis eiusmodi opus erat. Cf. Beckmann Histor. Inuentorum Vol. II. p. 415. Fumarii hunc vsum plane omisit Gesneri Thes. L. L.

rusticis balneis] Auctor Compendii Architecturae cap. XVI. *in villa rustica balneum culinae coniungatur, vt facilius a rusticis ministerium exhiberi possit.*

20. *fumi quodam tenore*] Lectionem librorum optimorum *fumo quodam genere* praeferebat Pontedera, interpretatus *quodammodo.* Ita Columella V. 11. 11. *et hoc genere optime etiam inseritur olea.* Vulgatum *tenore* Facciolatus et Broukhus. mutabant in *tepore;* Gesner defendebat allato Plinii loco XIV. sect. 4. *Visula vitis impatiens variantis caeli, sed contra tenorem vnum algoris aestusue constant.*

quo amoueantur] Lectionem libri Sangerm. Gesnerus coniectura assecutus est. Vulgo *admoueantur.* Veteranum intelligit, de quo Seneca Epist. 114. *adspice veterana nostra et plena multorum seculorum vindemiis horrea.* Idem vocabulum posuit Scholiastes Horatii ad Librum III. Odar. 21. Ceterum Nigidius apud Nonium p. 437. *Dicemus, quae vetustate deteriora fiunt, vetustiscere, inueterascere, quae meliora.* Quam differentiam Columella non secutus est. Sed apothecae vinariae, vbi vina fumo et tepore vetustescunt, situm vsumque nemo accuratius descripsit, quam Galenus de Antidot. I. 3. cuius locum totum apponam. Depingit ibi villarum in Asia formam; quam particulam commodiori loco apponam ad Palladium I. 21. s. 2. hic graece repetam praecipua: κατὰ τὲς ἀγρὲς ἅπαντας παρ' ἡμῖν (in Asia) οἶκοι γίνονται μεγάλοι, τὴν μὲν ἑστίαν (culinam) ἐφ' ἧς καίεσι τὸ πῦρ ἐν μέσοις ἑαυτῶν ἔχοντες, ἐ πολὺ δὲ αὐτῆς ἀπέχεσιν αἱ τῶν ὑποζυγίων στάσεις, ἤτοι κατ' ἀμφότερα τὰ μέρη δεξιόν τε καὶ ἀριστερὸν, ἢ πάντως γε κατὰ θάτερον· εἰσὶ δὲ κρίβανοι συνεζευγμένοι ταῖς ἑστίαις κατὰ τὸ πρόσω μέρος ἑαυτῶν, ὃ πρὸς τὴν θύραν βλέπει τὲ παντὸς οἴκε. τοιῦτοι μὲν ἐν ἅπαντες οἱ κατὰ τὲς ἀγρὲς οἶκοι κατασκευάζονται, κἂν εὐτελεῖς ὦσιν. οἱ δ' ἐπιμελέστερον αὐτῶν κατασκευαζόμενοι κατὰ τὸν ἔνδον τοῖχον ἔχεσι τὴν κατ' ἄντικρυ τῇ θύρᾳ τεταγμένην ἐξέδραν. ἑκατέρωθεν δ' αὐτῆς κοιτῶνά, καθ' ὃν ἄνωθέν ἐστιν ὑπερῷα οἰκήματα, καθάπερ καὶ κατὰ πολλὰ τῶν πανδοχείων ἐν κύκλῳ κατὰ τρεῖς τοίχὲς τὲ οἴκε τὲ μεγάλε, πολλάκις δὲ καὶ κατὰ τέτταρας. ἐκ τέτων ἓν τῶν οἰκημάτων τὸ μάλιστα σκεπόμενον ἑκατέρωθέν ἐστι τὸ κατὰ τῆς ἐξέδρας ἐκκείμενον, ἐν ᾧ τὸν οἶνον ὁ πατήρ με κατετίθετο μετὰ τὸ κατὰ τὲς πίθες ζέσαι. τὸν δὲ μονιμώτε-

ρον

ρον ἐπὶ τῶν κεραμίων ἀποτίθεται πρότερον, ὥσπερ καὶ τὰς ἄλλας ἐστὶ παρ' ἡμῖν δι' ἔτους θερμαίνειν διόλου. ἀμείνων δὲ τῶν οἴνων ὁ πρὸς μεσημβρίαν μὲν ἐστραμμένος, ἀπεστραμμένος δὲ τῆς ἄρκτου. ἔστι δέ τις παρ' ἡμῖν γενομένη θαμνώδης βοτάνη πάνυ θερμὴ καὶ δριμεῖα καὶ ἀρωματίζον ἔχουσά τι· καλοῦσι δ' αὐτὴν οἱ ἐπιχώριοι κολυμβάδα ἔνιοι δὲ στοιβὴν, ἐπιτηδειοτάτην οὖσαν εἰς φυλακὴν οἴνου. συντίθεται ἓν ἐν ταύτῃ τῇ βοτάνῃ τὰ κεράμια τῶν οἴκων τῶν ὑπερώων τοῦ μέρους, τὸν ἕνα τοῖχον διετρῆτα τρήμασιν ἀξιολόγοις, ἐστραμμένοις εἰς τὸν μέγαν οἶκον, ἐν ᾧ τόν τε κρίβανον ἔφην εἶναι καὶ τὴν ἑστίαν, προιηθέμενος διὰ τῶν τρημάτων εἰσιέναι θερμασίαν εἰς τὸν οἶκον, ᾧ τὰ κεράμια κατετίθετο. ἔκ τε ἓν τῆς κατὰ τὸν μέγαν οἶκον θερμασίας ἡ ἀποθήκη θερμαινομένη κἀκ τῆς στοιβῆς θαλπομένη, διεφύλαττε πάντα τὸν οἶνον, ὡς μηδέποτε ὀξυθῆναι, πρὸς δὲ τὸ μᾶλλον ἐπιτυγχάνειν καὶ μηδέποτε ἁμαρτεῖν τοῦ σκοποῦ, τοῖς κεραμίοις ἐνέχει τὸν οἶνον ὁ κᾶνοῖς, ἀλλ' ἐξ ὧν ἐκεκένωτό τις τῶν πεπαλαιομένων· παραπλήσιον δὲ οἷς ἔρηκα καὶ κατὰ τὴν Ἰταλίαν εἶδον ἐν τοῖς περὶ Νεάπολιν καὶ τὸν γειτνιῶντα λόφον αὐτῇ τῇ χώρᾳ γενόμενον, ὃν ὀνομάζουσι τριφύλλινον. ἐπυθόμην δὲ καὶ κατ' ἄλλα πολλὰ χωρία τῆς Ἰταλίας οὕτω θερμαίνεσθαι τὸν οἶνον. Ἀλλ' ὅ γε τοιοῦτος ὥσπερ μόνιμος οὕτω καὶ κεφαλαλγὴς γίνεται, διὰ τὴν ἐκ τοῦ κάνυ προσερχομένην αὐτῷ ποιότητα. Vbi ſtoebae genus et ſpeciem equidem ignoro, nec explicuit, qui locum Galeni repetiit, herbariae rei quanquam bene gnarus, *Targioni Tozzetti* in Vol. I. p. 147. *degl' Atti della Real Società Economica di Firenze* 1791. Paulo antea docuerat Galenus, quae vina quibuſque de cauſis inueterarentur. Quem ipſum locum nunc addam: καὶ γάρ τοι καὶ ἀσθενέστατοί γε καὶ ὡς ἂν εἴποι τις ὑδατωδέστατοι τῶν οἴνων ἢ (οἱ?) σφόδρα αὐστηροὶ καὶ μάλιστα πάντων οἴνων ὀξυνόμενοι, φθάσαντες ἐν τοῖς πρώτοις ἔτεσιν (addo τὸ) ὀξυθῆναι, διαμένουσι τοῦ λοιποῦ. χρόνος δὲ τῆς τοιαύτης κρίσεως ἄλλος ἄλλῳ οἴνων ἐστὶν, ὁ πολλῶν μὲν ἐτῶν τοῖς ὑδατώδεσιν· οὕτω δ' ὀνομάζουσι τοὺς λευκοὺς τῇ χρόᾳ καὶ λεπτοὺς τῇ συστάσει καὶ μὴ πολλοῦ δεομένους ὕδατος ἐν τῷ κεράννυσθαι· πάντως δ' αὐτοῖς ὑπάρχει τοιούτοις οὖσιν, ὥσπερ οὐδ' ὅλως πλήττουσι τὴν κεφαλὴν, οὕτω μηδὲ θερμαίνειν σαφῶς τὸ σῶμα, μηδὲ πέψει τῇ κατὰ γαστέρα καὶ φλέβας ἐναργῶς συντελεῖν τι, μηδὲ εὐτροφίᾳ συναίρεσθαι· τάχιστα πάντων οἴνων ἔτοι παλαιοῦνται. καλοῦσι δὲ οἱ περὶ ταῦτα δεινοὶ παλαιοῦσθαι τὸ μεταβάλλειν ἑτοίμως εἰς τὴν τοιαύτην ποιότητα τῶν παλαιουμένων. δριμύτης δ' ἐστὶν αὕτη μετὰ τοῦ θερμαίνειν σαφῶς, ὕστερον δὲ καὶ πικρότης, εἰς ἣν μετέστη. ἐνιότε δὲ καὶ τοὺς ὑδατώδεις οἴνους ἀφικνουμένους ἐστὶν ἰδεῖν, ὅταν γε μὴ φθάσωσιν ἐν τοῖς πρώτοις ἢ τρισὶν ἢ τέτρασιν ἔτεσιν ὀξυνθῆναι.

θῆναι. τοῖς δ' ἰσχυροῖς τε ἅμα καὶ αὐστηροῖς καὶ λευκοῖς μετὰ πάχους οἴνοις καὶ μετὰ δεκαετίαν ἐνίοτε συνέπεσε μὴ καλῶς ἀποκειμένοις ὀξυνθῆναι· συνέβαινε δ' αὐτοῖς καὶ παλαιοῦσθαι χρόνῳ παμπόλλῳ. τοιοῦτοι κατὰ τὴν Ἰταλίαν εἰσὶν ὅτε Τιβερτῖνος καὶ Σίγνιος καὶ Μάρσος καὶ Σερρεντῖνος. ὁ μέντοι Τιβερτῖνος καὶ Μάρσος αὐστηροί τε καὶ ῥᾳδίως ὀξυνόμενοι κατὰ τὴν ἀπρονόητον ἀπόθεσιν. Ὁ δὲ Σίγνιος ἰσχυρότερός τε τούτων ὑπάρχει καὶ ἧττον ὀξύνεται, καὶ παλαιωθεὶς κάλλιστος γίνεται. περὶ δὲ τοῦ Σερρεντίνου τί δεῖ καὶ λέγειν; ἅπαντες γὰρ τοῦτ' ἤδη γινώσκουσιν, ὡς σχεδὸν πρὸ κ' ἐτῶν ἔτι ἐστὶν ἄπεπτος. ἀκμάζει δὲ τοσούτων ἐτῶν γιγνόμενος, ἐπὶ πολύ τε παραμένει πότιμος, οὐκ εὐκόλως ἐκπιπρούμενος, συνάμιλλος κατ' ἀρετὴν ὑπάρχων τῷ Φαλερίνῳ. Ἐναντία δὲ τούτοις τοῖς οἴνοις οἱ ὑδατώδεις πάσχουσιν, ὅτι Σαβῖνος καὶ ὁ Ἀλβᾶνος καὶ ὁ Γαυριανὸς ἐν τῷ Ποτιόλων λόφῳ γενόμενος, ὅτε ἐν Νεαπόλει κατὰ τὸς ὑποκειμένους αὐτῇ λόφους, ἀμιναῖος μὲν ὀνομαζόμενος, ἀλλὰ λεπτὸς μὲν ὑπάρχων, οὐχ ὥσπερ οἱ κατὰ τὴν Σικελίαν τε καὶ Βιθυνίαν ἀμιναῖοι. — ἔτοι πάντες ῥᾳδίως μεταβάλλονται πρὸς τὰς ἐναντίας ποιότητας, ἤτοι τὴν ὀξεῖαν ἢ τὴν πικράν· ἐν μὲν ἀρχῇ τὴν ὀξεῖαν. ἐὰν δὲ διαμένωσι, τὴν πικράν· πολὺ δὲ εἰς ἑκατέραν τὴν ἀλλοίωσιν αὐτοῖς συμβάλλεται τὸ χωρίον ἐκ ᾧ κεῖνται· κατ' ἀρχὰς μὲν ἄριστόν ἐστι τὸ ψυχρόν, ὕστερον δὲ τὸ θερμόν· ἢ πάλιν ἱκανῶς θερμὸν ἐξ ἀρχῆς· ὡς τό γε χλιαρὸν ὀξύνει ῥᾳδίως αὐτός. ἐὰν δὲ ἐν τῷ ψυχρῷ κείμενοι διαμένωσιν ἔτεσι β' καὶ γ', τέντεῦθεν ἱκανῶς θερμαίνεσθαι δέονται. τοῦ χλιαροῦ δὲ χωρίου καὶ τοῦ μέσου κατὰ τὴν κράσιν οὐδέποτε δέονται. Τινές γέ μην ὅτως ἀσθενεῖς εἰσι καὶ ὑδατώδεις ὡς μηδ' ἐξ ἀρχῆς φέρειν τὸ ψυχρόν· ἐφ' ὧν ὁ πατήρ μοι πείρας ἕνεκεν εἰς θερμότερον οἶκον ἐμβαλὼν στοιβὴν πολλὴν καὶ θερμὴν, ἐνέκρυψεν αὐτῇ πληρώσας κεράμια, καὶ τυχὼν τῆς ἐλπίδος, οὐδέποτε ἔσχεν οἶνον ὀξυνόμενον, ἀλλὰ πάντας τάχιστα παλαιωμένους. Tum, vt doceat, quomodo vino inueterando, cella calida parari possit, addit verba, supra a me posita. Geoponica VI. 2. docent, dolia in regione sicca esse collocanda ita, vt, si vinum sit tenue et minus alibile, duae vasorum partes, in terra defossae, lateant; contra vino forti et pingue repleta dolia ad dimidium vsque exstare volunt. Plinius XIV. 21. *Mitiores plagae doliis condunt infodiuntque terrae tota aut ad portionem situs.* deinde paucis interiectis: *imbecilla vina demissis in terram doliis servanda valida expositis.* Plutarchus Sympos. VII. 3. κατορύττουσι τοὺς πίθους καὶ σκεπάζουσιν, ὅπως ὅτι σμικρότατος ἀὴρ αὐτῶν ἐπιψαύῃ. Geoponica praeterea loco citato dolio cuique siccam arenam subiiciunt, eique arenae iunci odorati modicam copiam insternunt. Qui quidem iuncus vicem

mihi

mihi videtur gerere ſtoebae eius, quam Galeni pater cum aliis Aſiae patribus familiae doliis ſubſternebat. Mitiores plagae, teſte Plinio l. c. caelum praebebant: alibi vero impoſitis tectis arcebant. Campaniae nobiliſſima expoſita ſub dio in cadis verberari ſole, luna, imbre ventis aptiſſimum videbatur, vt ait Plinius. Hinc Geoponica VII. 2. vinum fortius ſub dio collocare auerſum meridie et occaſu, parietibus appoſitis iubent, tenue vero in cella tecta reponunt, feneſtris altioribus ad ſeptentrionem et orientem conuerſis. Cellarum ſubterranearum noſtrarum veſtigium nullum reperitur in ſcriptoribus graecis latiniſque; niſi quod dolia vini tenuioris terrae infodiſſe videntur. Sed haec cellarum vinariarum diſpoſitio vinorumque, in iis collocatorum, aſſeruatio, pro caeli ſitu vinorumque natura diuerſa, meretur accuratam Chemicorum inquiſitionem, ſine qua iudicare cellarum tectarum et ſubdiualium differentiam vſumque non licet.

21. *piſcinas*] Hinc Palladius I. 31. *piſcinae duae vel ſolo impreſſae vel caeſo lapide circa villam eſſe debebunt, quas facile eſt aut fonte aut imbre ſuppleri*, (Vinc. *impleri*) *vt una ex his vſui ſit pecoribus, vel auibus aquaticis: alia madefaciat virgas et coria et lupinos, et ſi qua ruſticitas conſueuit infundere.* vbi Vincentius legit *virgas tectoria.* Sed *vimina* ex h. l. legendum videtur. Nam coria nemo ſanus aqua madefaciat, quo facto vſui fiunt minus idonea et rigida. Lacus nominat Varro I. 13. 3. et cohorte gemina diuidit; priorem ſemipiſcinam aqua ſaliente efficit. Deinde ex locis Petronii c. 57 et 134. vbi *lorum in aqua* habere dicitur languidus ad Venerem et flaccidus, intellexi ruſticos coria et lora aquis emollita et cruda adhibuiſſe; quo facto tamen deinde fiunt rigidiora, ad ſingulos vſus remollienda.

quae ſunt] Itaque omnia inſtrumenta ruſtica. Sed haec nimis abſurde dicuntur. Lege ex Varronis loco *quae fiunt* ſc. macerata ita.

pauitumque] Librorum optimorum lectionem ita refingebat Pontedera: *pauimentumque ſola habeant.* et pauimentum de materia pauimenti interpretabatur. Superſterni et ſuperfundi pauimentum a Columella et Palladio dici noui; ſed nihil haec loca ad hunc noſtrum faciunt emendandum!

22. *ſuperpoſitis*] Librorum optimorum lectionem praeferebat Pontedera vulgatae, etiam propter Varronis locum I. 13. *Sterquilinium melius illud, cuius latera et ſummum virgis ac fronde vindicatur a ſole; non enim ſuccum, quem quaerit terra, ſolem antea exugere oportet.* Ego vero vulgatam amplector, vt ad Varronem dixi. Verum quid eſſe cauſae dicam,

dicam, quod post ouilia stabula nominet auctor? Stabula enim nomine generico continent ouilia et bubilia, vt ex initio huius capitis patet, et docui ad Varronem I. 13. 1. An fuit *suilibus?* An *cortibus?* Ceterum Heinsius Aduers. III. p. 394. h. l. ita laudat: *superpositis igitur virgeis* omisso deinceps *patiuntur*, et corrigit *iugiter*. Virgeas crates dixit etiam Seneca Epistola 90.

23. *area*] Palladius I. 36. *area longe a villa esse non debet, et propter exportandi facilitatem et vt fraus minor timeatur, domini vel procuratoris vicinitate suspecta. Sit autem vel strata silice vel saxo montis excisa, vel sub ipso triturae tempore.*

24. *nubilarium*] Palladius l. c. *Sit circa hanc locus alter planus et purus, in quem frumenta transfusa refrigerentur et horreis inferantur. quae res in eorum durabilitate proficiet. Fiat deinde proximum tectum, maxime in humidis regionibus, sub quo propter imbres subitos frumenta, si necessitas coegerit, raptim vel munda vel semitrita ponantur.* Nubilarii vsum eundem cum Columella tradit Varro I. 13. 5. et noster II. 21. 3. Praeter nubilarium alterum, veluti refrigeratorium, memorat Palladius etiam I. c. 19. *nihil tamen diu custodiendis frumentis commodius erit, quam si ex areis in alterum locum vicinum transfusa refrigerentur aliquantis diebus atque ita horreis inferantur.*

protegantur] Malim *progerantur*, vt sect. 22. *quidquid — conuersum progesserunt.*

Pomaria] Palladius I. 34. *horti et pomaria domui proxima esse debent. Hortus sit sterquilinio subiectus maxime, cuius eum succus sponte foecundet.*

oleis expressa] Pontedera malebat *ollis;* praecipere enim agricolas amurcam tam diligenter ollis seruare quam oleum; et affert locum Columellae: *amurcae recrementum, quod in ollis subsedit.* Sed iam sua aetate Varro questus est, amurcam plerumque effundi, nec diligentius collectam servari; deinde seruabatur in doliis, non in ollis, vbi decoquebatur, quanquam Pontedera Varroni *ollas amurcarias* restituere conatus est in locum doliorum.

Cap. VII. *vel serui sunt*] Malim deinceps *serui aut soluti aut cincti.*

Comiter] In libro Sang. esse *cuiter*, monet Drakenb. ad Liuium T. I. p. 896. qui legi malebat h. l. *communiter*, contra Abr. Gronouius compendium interpretatur *ciuiliter*. recte!

opus

opus exigat] Colonum in Catone et Varrone pro agricola dici vidimus. Nunc est cui locatur ager poliendus, seu politor Catonis. Praeter pensionem colono certae leges imponebantur, veluti ne colonus capram in fundo pascat. Varro III. 3. sect. 7. Idem I. 2. 17. leges colonicas tollis, in quibus scribimus, colonus in agro surcularia ne capra natum pascat. Igitur Varronis etiam aetate colonus dictus fuit, qui manceps fundi alibi vocatur. Coloniam talem fundum vocat Columella XI. 1. 23. vbi villicus coloniae suae terminos egredi vetatur. Pauli Iurisconsulti loca posuit Gesneri Thes. L. L. Rationes a colono exigi solitas fuisse, docet locus Ciceronis pro Caecina cap. 32. Vide ad Catonis c. 137.

maior vis] Plinius 18. c. 69. duo genera coelestis iniuriae memorans, ait: *vnum quod tempestates vocamus, in quibus grandines, procellae, caeteraque similia intelliguntur: quae cum acciderint, vis maior appellatur.* Locum indicavit Gesner.

2. *summum ius*] Platonis ἄκρατον δικαιοσύνην et Aristotelis ἀκριβοδίκαιον recte comparauit Crenius.

Alphius] Meminit Horatius Epod. II. 67. Ceterum in lectione Edd. primarum et Sang. *seuerissime* latere *sed verissime*, suspicatus erat Abr. Gronouius. Recte; alterum tamen vocabulum hoc praecessisse videtur, ita fere *seuere quidem, sed verissime.*

3. *L. Volusius*] Cognomine Saturninum intelligi, de quo Tacitus Annal. III. 30. et quem inter grandaeuos memorat Plinius VII. c. 48. censebat Crenius. Q. Volusium Saturninum Consulem suffectum habent Fasti A. V. 809. monente Schoettgen.

5. *nunquam non*] Hic et paulo post Vrsinus legi volebat *nonnunquam*. Sed altero loco ex libro Lips. dedimus, quod huic loco non conuenit.

7. *inferunt*] inducere in rationibus dixit Cicero ad Diuers. III. 10. inferre Suetonius Caesar. c. 47.

Cap. VIII. *Proxima*] Lemma: *De pecore et pecorum magistris* ineptum et spurium esse, recte monuit Pontedera, qui praeterea caput ipsum cum praecedente continuari sententia et argumento vidit.

placuerunt] Interpretatur Palladius I. 6. 18. *praesulem agri non ex dilectis et tenere educatis seruulis ponas; quia fiducia praeteriti amoris impunitatem culpae praesentis expectat.* vbi rectius libri habent: *dilectis tenere seruulis.* Palladius

dius dixit *ponere* villicum, quod Columella *instituere*, Cicero *imponere* Orat. pro Plancio c. 25.

3. *iamque is*] Libri optimi habent *is qui transcenderit.* vnde malim: *isque qui iam transscenderit.* Certe vulgatam vitiosam esse censeo. Hesiodus versu 410. bubulcum annos quadraginta natum postulat, eademque aetate satorem, ratione addita: κερότερος γὰρ ἀνὴρ μετ' ὁμήλικας ἐπτοίηται.

ad imperium] Pontedera malebat *ab imperio* seu *de imperio.* Contra Gesner intelligi putabat *ad imperium* necessariam *auctoritatem.* Inepte tamen addebat formulam comparandam hanc: canes ad venandum, quod recte monuit et carpsit Pontedera in Curis sec. Ceterum *et* cum Vrsino spurium censeo, igitur inclusi.

4. *fraudis*] Deleri vt glossema voluit Gesnerus. Equidem teneo, quoniam conscientia sine addito culpae vocabulo non dicitur latine. *Conficere* malebat Vrsinus. Recte puto!

5. *contubernalis*] Ita iterum vocat XII. 9. 7. Coniunctas conseruas Varro I. 17. 8. Sed contubernium et contubernalis vocabula in hac societate seruorum propria sunt. Vide Interpretes Petronii c. 53 et 57.

Eidemque actori] Ita recte libri optimi pro *Idemque.* Vitium viderat Buchner et Pontedera. Actor idem est cum villico. Ita supra I. 7. 7. actor et familia. Infra XII. 3. 6. de villica: *nihil enim nocebit, si sibi atque actoribus et aliis in honore seruulis vestis domi confecta fuerit.* Procuratorem actoribus sociat Plinius Epist. III. 19. vbi vide Cortium. Actor domus est seruus primarius, domesticus Sidonio Ep. V. 20. vbi vide Sauaronem. Denique, quod rem conficit, quae actori hic praecepit, eadem Columella libro XII. villico praecipit. Actuarius apud Petronium c. 53. rationes domino edit redituum et pecoris, vnde Heinsius putabat esse eundem actorem Columellae, qui rationibus praeesset in villa. Verum infra VI. 27. 1. actor industrius dicitur praeficiendus curae equitii; igitur actorem et villicum puto eundem esse; rationes libris inferet idem simul vel procurator villae. Mecum sentit Pontedera in Curis sec. p. 469.

ne fecerit] Infra *facere nesciat. aruspicem sagamque sua sponte non nouerit, quae vtraque genera vana superstitione rudes animos infestant.*

6. *nouerit*] Infra est: *non vrbem — frequentauerit.*

7. *limites*] Vias transuersas in agro esse, alibi terminos, recte annotauit Festus. Locus Catonis, quem laudat Columella, est V. sect. 2.

necessa-

necessarium] Infra: *hospitem nisi ex amicitia domini, quam rarissime recipiat.* Hoc loco puto esse legendum *aut necessarium.*

8. *instrumenti*] Ita recte Edd. optimae pro *instrumentorum.* Ita etiam noster infra XI. 1. 21. vbi eadem verbotenus repetuntur. Est enim instrumentum, quibus res rustica instruitur ad opera, et praeter instrumenta proprie nobis dicta, alia multa includit.

exigit] Ex altero loco, vbi est: *eaque semper duplicia comparet ac subinde refecta custodiat.* inserendum puto h. l. *comparet.*

auocandis] Hoc verbum ex altero loco inserendum esse, monuit etiam Morgagni.

9. *munitamque*] In altero loco rectius est: *id est, munitam diligenter a frigoribus et imbribus, quae vtraque prohibentur optime pellibus manicatis et sagatis cucullis.* vbi Sangerm. licet habet *sagaceis cucullis.* Ferrarius de R. Vest. II. 1. 22. malebat *sagis cucullatis,* alii, referente Morgagni, *sagis aut cucullis.* Pelles manicatas interpretatur Ferrarius tunicas scorteas manuleatas. Sed vide ad Catonem c. II. 3.

10. *contingere*] Infra peius est: *poteritque id custodire, si maluerit cauere, ne peccet operarius.*

11. *iusta reddantur*] Vrsinus malebat: *vt iuxta reddatur,* (scilicet exactio) *villicus se repraesentet.* refutatus a I. Fr. Gronouio Observ. IV. 6. p. 80.

et magistri] Sunt quos sect. 17. operum magistros vocat, recte monente Gesnero; eosdem iterum dicit initio cap. IX. Ceterum in libris antiquis fuit: *ita enim fit, vt non solum magistri — exequantur, sed et caeteri;* quod apparet ex varietate lectionis.

deliciis] Infra rectius *maleficiis* est.

13. *occupet*] Infra est: *pecuniam domini neque in pecore nec in aliis rebus promercalibus occupet, — sed vbi aeris numeratio exigitur, res — ostenditur.* De verbi occupare hac notione vide Clauem Ciceronianam.

14. *cum multum prodest*] Infra: *nam etsi multum prodest scientia, plus tamen obest imprudentia vel negligentia, maxime in rusticatione, cuius est disciplinae caput semel fecisse — res tamen ipsa iam domino decoxit — vt et iacturam capitis amissi restituat et quaestum resarciat.* In hoc loco malim *cum — prosit.* Ita enim postulat vsus Columellae.

decoxit] *domino* addi volebat ex altero loco Pontedera.

postmodum] Libri Pol. et Sang. *postmodo,* probante Drakenb. ad Livium T. III. p. 1037. Sed infra VI. 37. 11.

pro *postea* libri Lipſ. et Sang. cum Edd. I. B. R. habent *postmodum*.

15. *cum hac comitate*] Hanc lectionem ex librorum varietate effeci; cum viderem, alloquio eiusmodi leuari servorum laborem, iocari etiam ausus sum cum iisdem.

et consilium] Plinius I. Epist. 22. *vtque suaserit ratio, vitae mortisque consilium suscipere vel ponere.*

16. *circumspectis*] Edd. primae cum Sang. *circumseptis*. Quam lectionem secutus videtur Vrsinus, cum corrigeret sequentia *recognoscantur — explorentur — domi me nesciente*. Sed Vrsinus praecipue cauere voluisse videtur ita, ne domino haec iniungantur, sed villico. Ita enim infra XI. 1. 22. *itaque mancipia vincta quae sunt ergastuli per nomina citare debebit atque explorare, vt sint compedibus diligenter innexa tum etiam custodiae sedes an tuta et recte munita sit: nec si quem dominus aut ipse vinxerit, sine iussu patrisfamiliae resolvat.* Sed domino nunc praecipere nostrum docuit verba *nam villicus aut allig. quempiam.* vbi libri duo habent optimi: *nunquam villicus.* Scilicet voluerunt dare: *num quem villicus aut alligauerit domino nesciente aut reuinxerit.* Eamque lectionem probo! Ceterum si lectionem *circumseptis* sequaris, tum Vrsinum corrigentem *recognoscantur — explorentur* simul oportet sequaris; vulgari autem lectione probata, non opus erit correctione. Ceterum memineris, ergastulum esse subterraneum. Vide ad cap. VI. sect. 3.

seruare] Vrsinus *seruari* scribi iussit; sed refertur ad villicum vulgata.

12. *vestiariis*] Seneca Benef. III. 21. *est aliquid, quod dominus praestare seruo debeat, vt cibaria, vt vestiarium.* Idem de Tranquill. c. 8. et Scaeuola in Codice legum, recte monente Beroaldo. Dicitur vt congiarium, et salarium. De praebitis addo Suetonii locum in Tiberio c. 50. *peculio praebitisque annuis fraudauit*, quem debeo Gesneri Thes. L. L.

operum magistris] Singulorum officiorum magistros sect. 11. recte comparauit Gesner.

18. *aliquando*] Vulgatum *aliquanto* recte iam Vrsinus correxit, post id vocabulum intercidens. Vulgarem interpunctionem *iuste dolentes*, *tam vindicamus* ineptissimam correxi, quanquam mollior erat oratio, sic ordinata: *tam iuste dolentes vindicamus.*

20. *deos penates*] Cato cap. 2. *paterfamilias vbi ad villam venit, vbi larem familiarem salutauit*, et caetera, quae transtulit Columella.

facere

facere instituerit] Vrsinus malebat *institerit*, refutatus a Gesnero.

certus numerus] Aldinam secutae Edd. inepte interserunt *fuerit*. Vitium viderat etiam Vrsinus et Morgagni, correxit Gesner. Addo egregia Aristotelis praecepta de seruis rusticis tractandis. Oecon. I. 5. διόπερ δεῖ ποιεῖσθαι σκέψιν καὶ διανέμειν τε καὶ ἀνιέναι κατ' ἀξίαν ἕκαστα καὶ τροφὴν καὶ ἐσθῆτα καὶ ἀργίαν καὶ κολάσεις — δίκαιον γὰρ καὶ συμφέρον τὴν ἐλευθερίαν κεῖσθαι ἄθλον — δεῖ δὲ καὶ ἐξομηρεύειν τοῖς τεκνοποιίαις — τὰς θυσίας καὶ τὰς ἀπολαύσεις μᾶλλον τῶν δούλων ἕνεκα ποιεῖσθαι ἢ τῶν ἐλευθέρων.

Cap. IX. *magistros*] Vide ad cap. 8. sect. 11.

statura] Antiquum *status* praeferebat Pontedera; quod et mox sect. 3. legitur, et alibi, vt Index docet. Ceterum sequentia verba mihi vitii quid alere videntur; copia certe vocabulorum abundant.

2. *Bubulco*] Ex libro Polit. malebat Pontedera *Bubulcoque quamuis*. Geoponica II. 2. τοὺς βοκόλους ἰσχυροὺς καὶ μακροὺς καὶ τῇ φωνῇ τραχυτέρους ἐπιστήσομεν, ὅπως μὴ μικροὺς ὄντας καλύπτωσιν οἱ βόες προϊόντες, δύνωνται δὲ ἐφορᾶν τὰ ἔμπροσθεν. καὶ ἵνα τῇ τραχύτητι τῆς φωνῆς καταπτοῶσι τοὺς βόας.

3. *longissimum — aratorem*] Geoponica II. 2. τὸν δὲ ἀροῦντα χρὴ μακρότερον ἔχειν τὸ σῶμα. ὁ γὰρ τοιοῦτος ἰσχυρῶς ἐπικείμενος τῇ ἐχέτλῃ τὴν ὅλην ὕννιν βαρύνει, ὡς μὴ ἐπιπολῆς εἶναι τὴν αὖλακα, καὶ καταφερόμεναι ἀπὸ ὕψους πληγαὶ μᾶλλον καθάπτονται τῶν βοῶν. Plinius 18. 19. *Arator nisi incuruus praeuaricatur*. Ceterum Geoponica male bubulcum ab aratore distingunt.

mediastini] De notione vide Gesneri Thes. L. L. Vrsinus memorat pauimentum vermiculatum Romanum, vbi mediastinus seruus dextra canistrum, sinistra scopam tenens descriptus exstat cum nomine *Cornelius Seruus Mediastinus*. In opere rustico esse mediastinum, qui occandi, sarriendi, runcandi, metendi et simili opere fungitur, comparato nostri loco II. 13. 7. egregie monuit Beroaldus.

4. *nam is habitus*] Ita Sang. pro *his habitus*. Vitium senserat etiam Gesnerus. Geoponica l. c. τοὺς δὲ τοὺς ἀμπέλους ἐργαζομένους οὐχ ἕτως ὑψηλοὺς εἶναι χρὴ, τετραγωνιαίους δέ· ὁ γὰρ τοιοῦτος πρὸς τὴν ἐργασίαν τῆς ἀμπέλου ἐ μακρόθεν καταφερόμενος ἀλλὰ πρόσγειος ὢν ἀπονητὶ ἐργάζεται.

quem desiderat] Ita legi volebat etiam Vrsinus pro *quam*. D'Arnaud de Iure seruor. p. 47. malebat *qualem*.

 6. *ideo-*

6. *ideoque labori*] Ex lectione *liberque labori* Pontedera efficiebat: *libenterque labori.* Verum ita sequens *multum* abundare forte videbitur.

nec tamen viritim] Gesner malebat *nec tam viritim.* Equidem vulgatam probo.

et vinitores] Verba inclusa melius abesse, recte monuit Pontedera, et omittunt partem eorum libri optimi.

7. *Decurias*] In seruis etiam vrbanis habes apud Petronium cap. 47. vbi vide Interpretes. Idem consilium dant etiam Geoponica II. 45. Hinc apud Vitruuium cum alibi tum VII. 3. *decuria hominum inducta ligneis vectibus pinsant materiam Graeci.*

COLVMELLAE LIB. II.

Cap. I. *opinionem*] Plinius 17. sect. 3. *ne vera exsistat opinio eorum, qui iam Italiae terram existimauere lassam.*

3. *cessationes*] Pontedera praeferebat lectionem optimorum librorum *cessatorum*, atque intelligebat *temporum*; laudauit etiam ex Ouidii Metam. X. 669. *cessata tempora.*

4. *adduci*] Scilicet in eam opinionem. Nescio an aliquid exciderit.

nimiae] Ita scripsi suadentibus Edd. vetustis et Sang. qui pro *pondere* habet *ponderis.*

5. *cultum exuberare*] Sangerm. *cultum* praefert. Ita noster IX. 4. 5. quae fauorum ceras exuberant. Vulgatum igitur omisi cultum.

Cap. II. *non sublimem*] Palladius I. 5. *vel campus apertior et humorem pluuium cliuo fallente subducens: vel collis molliter per latera inclinata deductus; vel vallis cum quadam moderatione, et aeris laxitate submissa; vel mons alterius culminis* (Crescentius *cacuminis*) *defensus obiectu, et a molestioribus ventis aliquo liber auxilio, vel sublimis, asper, sed nemorosus et herbidus.* Ita vulgo legitur; atque inde etiam hoc in loco Dickson I. p. 137. negationem tolli volebat. Sed mons asper simul herbidus esse non potest. Igitur vulgata recte habet; et in Palladio Codex Erford. habet: *ventis quolibet auxilio, nec vel sublimis vel asper.*

4. *Virgilius*] Georgic. II. 204.

5. *praebet idem*] Pessime erat distinctus hic locus in edit. Gesner. Legebatur enim *praebet. Idem pinguis — conficitur*; *praestantissimum* etc. Qua distinctione sententia loci plane tollebatur.

7. *mor-*

7. *mortem facit*] Locutionem, in Ouidii Ibide verſ. 148. recurrentem, operoſe adſtruxit Burmann.

8. *duplex tractatio*] Hoc vulgato *ratio* praeferebat etiam Pontedera. Non modus et ratio agrorum duplex, ſed modus agri tractandi geminus traditur.

ſiccus an humidus] Palladius Maio 3. *Si agros incultos volueris aperire, conſiderabis, ſiccus an humidus ſit ager, ſilvis aut gramine, frutetis veſtitus aut filice. Si humidus erit, foſſarum ductibus ex omni parte ſiccabitur. Sed apertae foſſae notae ſunt; coecae vero hoc genere fiunt.*

9. *duo genera*] Ita iam olim Theophraſtus Cauſ. Plant. III. 7. ἐὰν δὲ ἔφυδρα καὶ ναματώδη τάφρες ὀρύσσοντα τὰς μὲν πλαγίες ἵνα τὸ ὕδωρ δέχωνται, τὰς δὲ ὀρθίας καὶ λίθων πληρῶντα καὶ γῆς, ὥστε μὴ ἅπτεσθαι τῆς σκαπάνης, εἶτα ἄμμον ἐμβάλλοντα καὶ χῶν — αἵ τε γὰρ πλάγιοι τάφροι δεχόμεναι τὸ ὕδωρ ξηροτέραν ποιοῦσιν, αἵ τ' ὄρθιαι κάτω λίθες ἔχουσαι δέχονται τὴν συῤῥοήν. Quam locum expreſſit Virgilius I. Georg. 113. *quique paludis collectum humorem bibula deducit arena.* Quem verſum recte de foſſa coeca interpretatus eſt amiciſſimus Fr. Aug. Cartheuſer, male contra Interpretes ceteri, etiam nuperus, omnium ſapientiſſimus, vt ſibi quidem videtur.

cretoſis regionibus] Plinius 18. ſect. 8. *Humidiorem agrum foſſis concidi atque ſiccari vtiliſſimum eſt, foſſas autem cretoſis locis apertas relinqui; in ſolutiore terra ſepibus firmari ne procidant: aut ſupinis lateribus procumbere: quaſdam occaecari et in alias dirigi maiores patentioreſque; ſi ſit occaſio, filice vel glarea ſterni. Ora autem earum binis vtrinque lapidibus ſtatuminari et alio ſuperintegi.* Ex quo loco patet, recte Pontederam vulgatam lectionem: *ſed et patentes et latius apertas*, ita ex Codd. emendare ita: *ſed et patentes latius apertas.* Deinde male Plinius ad apertas foſſas traduxit, quae Columella de coecis tradit, vbi ſcilicet filices et glarea deficiunt. Sarmentorum enim funem in ſolum foſſae contrudendum, cui deinde inculcatis foliis et frondibus terra ingeritur, Plinius ſatis inepte *ſepes* a ſimilitudine aliqua dixit. In Columellae loco bene Codex Lipſ. praefert *per imum contrudetur;* funis enim ſarmentorum in ſolum foſſae anguſtum vi tradendus erat, vt vbique firmaret terram et latera; denique probo etiam lectionem Broukh. *contrudetur, et ſuper — congeretur.* Poterit tamen vulgatum ex metaphora funis, quem dixit Columella, defendi; atque ita videri poteſt lectio Cod. Lipſ. alterius interpretatio. Equidem non ſolum alterum *et* ante *apertas* cum Vrſino et Pontedera

tedera, sed et prius post *sed*, annuente sententia et Codd. auctoritate, omisi. Palladius nostram interpretationem plane confirmat; sed is *capita* habet pro *ora*. Vide locum mox afferendum. Sed ante omnia audiendus Cato cap. 42. Cato altitudinem quatuor pedum, latitudinem supremi sulci trium pedum, infimi pedis cum palmo edit; igitur decliues facit sulcos hos coecos. Contra latitudinem Columella non expressit, sed simpliciter decliues fieri fossas apertas iussit. In coecis enim nullum est periculum, ne latera subsideant, et fossam repleant. Palladius tamen in Columella legisse etiam videtur *coecas decliues fossas*. Et facile restitues Columellae eum sensum legendo ex libris: *Sed latius apertas summa parte*. ita, vt verba haec ad genus vtrumque fossarum pertineant. Sulci etiam notio fossam supra latiorem postulare videtur; atque ita etiam voluit h. l. ex Catone intelligi Dickson I. p. 369.

sulcis — depressis] Palladius Maio 3. *sulci per agrum transuersi altitudine pedum trium: postea vsque ad medietatem lapidibus minutis replentur, aut glarea et super terra, quam egesseramus, aequatur. Sed fossarum capita vnam patentem fossam petant, ad quam decliues decurrant; ita et humor deducetur, et agri spatia non peribunt. Si defuerint lapides, sarmentis vel stramine subiecto cooperiantur, vel quibuscunque virgultis.*

10. *fossae — angustae*] An Igitur apertae fossae sunt maiores? Ita videtur interpretari Plinius, qui coecas dirigi iubet in maiores patentioresque. Cato apertas fossas latiores facit, sed pede dimidio minus altas, easque scrobes appellat. Sed repertum in Br. et Ald. *anguste* sine cunctatione recepi.

12. *cupressinis*] Vide infra ad cap. IX. 9.

more ponticulorum] Verba haec alienò loco posita puto et sic ordinanda: *exitu fossae binis saxis tantummodo pilarum vice constitutis et singulis more ponticulorum superpositis.*

illapsus — atque exitus] Vulgatum *illapsu — exitu* damnauerat etiam Pontedera.

radicitus] Ex Sang. *exstirpandis radicibus, arboribus remouendis* annotauit Gronouius.

vel si rarae sunt] Palladius Maio 3. ex h. l. *si nemorosus est ager, exstirpator aut raro relictis arboribus excolatur.* Sed is a sensu h. l. certissime aberrauit, qui paulo difficilior est in lectione vulgata. Quomodo enim arbores, quamuis rarae, *inarari* possunt? Sed vides, in prima orationis parte *nemorosi frutetosique tractus* ab arboribus distin-

gui *frutecta;* arbores iam expediuit Columella; sequuntur ergo frutecta, quae adeo latent in lectione Codd. Polit. et Sang. *rareta.* Puto igitur, scripsisse Columellam: *vel si carecta sint.* Haec enim facile excinduntur succisis caricibus, incisis et radicibus inarandis. Carecta nominat Palladius Aug. 3. ex Columella XI. 2. 62. Vitiosam lectionem iam olim reperisse videtur in h. l. Palladius. Idem Iulio cap. 1. *silvestres agri vtilissime exstirpabuntur arboribus atque virgultis cum luna decrescit, desectis radicibus atque combustis.* Quae ex Columella XI. 2. 52. ducta, sed pleniora sunt. Aliam rationem silvestris agri excolendi tradit Palladius I. 6. 13.

12. *at saxosum*] Palladius l. c. *si lapidosus (ager) per macerias saxorum a turba collectas et purgari poterit, et inde muniri.* vbi ex libris optimis et h. l. legendum est: *saxorum turba collecta.* Locum Siculi Flacci de condit. agrorum p. 11. *Sed in planis locis si saxuosus sit ager, repurgatur, et ex congestione maceriae fiunt. Ita ex ipsius loci qualitate aliquid colligi potest:* posuit Schoettgen.

13. *repastinatio*] Palladius l. c. *iuncus et gramen et filices frequenti aratione vincuntur; sed filicem, si saepe fabam conseras vel lupinos, et si subinde nascentem mucrone falcis incidas, intra exiguum tempus absumes.* Obiter annotabo diversam graecorum agricolarum rationem, memoratam a Theophrasto C. P. V. 22. hi enim reliquiis desectarum radicum oleum, picemue aut seuum illinebant. Idem H. P. VIII. 8. stercoratione et ab ouium incubantium stercore et vrina perire filicem monet.

interimi] Polit. liber *interemi* propius ad verbi originem. Festus: *Emere quod nunc est mercari, antiqui pro sumere accipiebant.* Idem: *abemito significat demito vel auferto, emere enim antiqui dicebant pro accipere.* Idem: *surremit, sumpsit: inque manum surremit hastam. Idem etiam* (Lucilius) *surrempsit vsurpauit pro puerum sustulerit.* Hinc frequentantur *eximere, interimere.*

biennium] Plinius 18. sect. 8. filix biennio moritur, si frondem agere non patiaris; id efficacissime contingit, germinantis ramis baculo decussis (Vincent. germinantibus habet) succus enim, ex ipsa defluens, radices necat. vbi vereor, vt vox *baculo* sana sit; falce in eadem opera vti iubet Columella; et tenax omnino lentaque est filix; forte igitur *falcula* legendum est.

moritur] Hoc cum Pontedera vulgato *moriantur* substitui ex libris.

vel cinereum] Plinius VIII. sect. 7. velut e Catone affert: item terra nigra et cinerei coloris.

15. *Nihil de ceteris*] Solus Sangerm. et Goes. seruavit vocabulum *nihil*, quod exciderat. Ita legi, et deinceps *tum etiam* voluit etiam Pontedera.

18. *excolere*] Recte hanc lectionem praeferebat Gesner, vulgata enim doctrinae Columellae et sententiae aduersatur.

ac si — quamuis] Ex lectione librorum *at si* Pontedera effingebat *ea si;* deinde legebat *quamuis leuissimo dente — dissipatur, res admonet* deletis verbis *ea res* aut, vt alii libri habent, *quae res.*

inhaerescit] Virgilii locus est Georg. I. 250. Repetiit Palladius I. 5. 3. Plinius XVII. sect. 3. nec semper pinguis adhaerens digitis, quod in argillis arguitur.

19. *Sed et*] Idem habet experimentum Diophanes Geopon. II. 11. Palladius I. 5. 3. Plinius l. c. *Scrobes quidem regesta in eos nulla complet, vt densa atque rara ad hunc modum deprehendi possit.* Sed totum hoc caput de experimentis terrae egregie illustrant, quae docuit Tozzetti sull' agricolt. Toscana p. 74 seqq.

fermento] i. e. intumuerit et scrobem superauerit. Infra IV. 1. 7. repastinata humus, dum est recens soluta laxataque velut fermento quodam intumescit, cum deinde — condensata subsidit. Similiter fermentum dixit Plinius 17. sect. 35. no. 4.

20. *Sapore*] Repetiit Palladius I. 5. Anatol. Geopon. II. 10. Columella de Arborib. III. 6. Ceterum lectionem vulgatam equidem teneo. Pontedera cum Vrsino alteram *saporem* probauit; vsus tamen non est argumento satis specioso, quod offert liber de Arboribus l. c. vbi est: *Sapor autem comprehendetur, si terram aqua diluas.*

trifolium] Similia quasi ex Catone refert Plinius 18. sect. 7. no. 2. *Ebulum vel prunus sylvestris; vel rubus, bulbus minutus, trifolium, herba pratensis, quercus, silvestris pirus, malusque frumentarii soli notae.* vbi verba: *herba pratensis:* ex interpretatione trifolii nata esse censuit Pontedera ad h. l. Praeter signa et nomina herbarum allata multa habent alia Geopon. II. 4. 5. 6. 10. quibus immorari nunc non lubet.

indagatoribus aquarum] Qui puteis fodiendis aquam quaerunt; cui vsui seruiunt capita tria priora Geoponicorum, quae laudaui antea.

21. *bipedanea*] Anatolius Geoponic. II. 10. frumentis postulat ποδιαῖον βάθος, vineae tripedaneam, arboribus quatuor

tuor pedes altam. Palladius I. 6. 11. *terrae altitudinem cum foecunditate, si ad frumenta, duobus pedibus explora, quatuor vero, si ad arbusta vel vites.*

antiquissimum est] Restitui lectionem veram approbante Pontedera, quam et sequens *sequantur* postulabat; alias enim debebat esse *sequerentur*. Nec antiquissimi auctores haec omnino attigerunt, nedum eleganter atque accurate tractarunt. Sangerm. lectionem probauit etiam Drakenb. ad Liuium T. I. p. 135. et Burmann. ad Velleium p. 286.

sectam] Optimi libri *sectam* praeferunt vulgato *scita*. Cicero de N. D. II. 22. natura habet viam et quasi sectam, quam sequatur.

22. *arcte*] Plinius XVIII. sect. 49. *araturos boues quam arctissime iungi oportet, vt capitibus sublatis arent; sic minime colla contundunt.* Ibi tamen Pontedera *aptissime* et in Columella *apte* legi volebat Pontedera. Sed *apte* respuit sequens *aptum ceruicibus*, nec boues sibi inuicem arcte iunctos, sed iugo arcte iunctos dicit, ne colla labefactentur. Explicat Dickson II. p. 451. *fixing the yoke bet ween the neck and shoulders*, i. e. vt iugum inter ceruicem et armos sedeat.

cornibus] Palladius hinc II. 3. *boues melius collo quam capite iunguntur.* Plinius VIII. sect. 70. *plurimum lactis Alpinis — capite non ceruice iunctis.* Cornibus ipsis olim iunctos boues testatur epitheton κεραλκέες apud Callimachum Hymno in Dian. versu 179. Phaedri locum: *Bos dum tendit validius confregit cornu* attulit Gesner, Callimachi Schoettgen, Homeri locum Iliad. XIII. 704. annotauit Dickson. Statius Thebaid. I. de iuuencis aratro iunctis: *illi indignantes, quis nondum vomere multo ardua nodosos ceruix descendit ad armos.* vbi Lutatius: *Secundum Italiae situm loquitur, vbi boues trahunt collo. Nam dum nisu trahendi anteriora petunt, ceruix in armos reflectitur.* Propertius II. 34. 48. *sed non ante graui taurus succumbit aratro, cornua quam validis haeserit in laqueis.* vbi laqueos alii interpretantur ζυγόδεσμα. Vide vero an potius laquei sint, quibus capulari iuvencos domandos dixit noster VI. 2. 4. De iugo et iungendi ratione accurate dicetur ad VI. 2. 7. vbi vide notas.

23. *qui non valent*] Elegantem Sang. lectionem *perfossa naualium terga* recepi. Ita noster IV. 14. 1. terga soli, et X. 7 et 71. terga resoluta agri habet. Pontedera volebat etiam legere *quia non valent*, vt libri quidam habent.

confert] Ex libris optimis Pontedera praeferebat *confertur*, quod pariter facerem, si scriptum exstaret: a bubulcis

cis profunde ſolum proſcindentibus plurimum — confertur; qua forma haec poſuit et explicauit Pontedera.

24. *impendii*] Ita recte Bruſch. Ald. et Cod. Lipſ. probante etiam Pontedera. Vulgatum *ſtipendii*, qui inuexit, cogitauit bouem operantem, quaſi ſtipendia merentem. Sed de emtione hic ſermo eſt!

25. *obliquum*] Aratrum vulgare Italicum, quo terra proſcindebatur, iterabatur et tertiabatur, aures ſeu tabulas additas non habebat, quibus terra proſciſſa in dextram ſublata conuerti poſſet, vt ſulcus aperiretur; tabulas addebant tum demum, cum ſementem inararent, quo altiore ſulco aquam pluuialem a ſegete deducerent, quae in porcis altis, a terra aratri tabulis reiecta atque accumulata factis latebat tecta. Igitur cum aratro vulgari ſimplice, ſulcos exarare atque aperire volebant, vomerem in alterum latus inclinabant obliquum; deinceps eundem verſum recto vomere exarabant revertentes, ita, vt ſulci pars decliuis vomere recto finderetur et terrae obliquo vomere reiectae antea adderetur, atque ita ſulcus purus et profundus exigebatur. Bubulcus ipſe per proſciſſum ſemper ingredi debebat, ſed boum alter alternis per proſciſſum et per terram planam incedebat. Ceterum tam denſis ſulcis arari iubent ſcriptores noſtri, vt vix dignoſcatur in vtram partem vomer actus ſit; ita enim omnes radices herbarum perrumpi. Ne vero cruda terra, quam ſcamna vocabant ruſtici, relinqueretur, ſedulo cauebant, eiuſque reique experimentum capiebant pertica tranſuerſa, per ſulcos inſerta, quae ſi aequaliter ac ſine offenſione penetrabat, recte aratum fuiſſe iudicabant. Hanc primam operam arandi ſequebatur iteratio ſulcis tranſuerſis. Columella III. 13. *vt more naualium terra tranſuerſis aduerſiſque ſulcis proſcindatur.* Plinius XVIII. c. 19. *omne aruum rectis ſulcis mox et obliquis ſubigi debet.* et cap. 20. *aratione per tranſverſum iterata, occatio ſequitur.* Virgilius I. Georg. 97. *et qui proſciſſo quae ſuſcitat aequore terga rurſus in obliquum verſo perrumpit aratro.* Ab hoc igitur ſulco *tranſuerſo et obliquo* plane diuerſus eſt, quem obliquo aratro facere iubet Columella, vt recte admonuit Dickſon I. p. 437.

ſcamnum] Ita noſter II. 4. 3. III. 13. 2 et 10. de Arborib. XI. 2. Vtitur et Plinius XVII. ſect. 35. no. 4. Ex noſtro loco Palladius II. 3. ſeruandum eſt, ne inter ſulcos non mota terra relinquatur. Gallicis aratoribus *Veaux et barres* auctore Harduino. Experimentum perticae habet Columella cap. 4. ſect. 3. atque inde Palladius II. 3. Scamna Frontinus et Aggenus Arbicus agri latitudinem vocant. Ita enim Aggenus:

nus: *Quicquid in longitudinem est delimatum per strigas appellatur, quicquid per altitudinem seu latitudinem, per scamna.* Hinc idem agrum *strigatum*, et *scamnatum* dixit. Itali scamna haec *lembi* dicunt, teste Tozzetti.

26. *delibet*] Praeferebat Pontedera *deibret*, quod delibari truncus nec recte nec proprie dicatur. Arbor enim radicibus firmata non facile de sede moueatur aut luxetur. Contra arbori maxime cauendum esse id, quod frequentius contingit, ne cortex laedatur. Loci Columellae XII. 1. 6. *ne delibata sint*, et Varronis II. 2. 16. alia est ratio, monente etiam viro docto, cui assentior.

lacessat] Nescio cur Vrsinus post *stimulo* distingui; et deinceps legi velit: *iuuencum quod — calcitrosumque etiam reddit nonnunquam: tamen.* Ceterum antiquarum Editionum lectionem *iuuencumque reste tractum calcitrosumque* inepte Iucundus correxit, cum potius deberet: *qui restitantem.* Hinc Gallicum *rêtif* est. Latine retractantem bouem dici, nec credo, nec docere aliquis adhuc conatus est. Contra restitare est in vitio armentorum, praecipue cum arant et sulcum rectum ducere debent. Dum restitat bos, calce simul bubulcum petit, et ad stimulum recalcitrat. Ceterum Sang. libri *quae res caetratum* annotauerat etiam in margine infimo libri Commelin. Abr. Gronouius, *cetratum* scribens, cui statim subiecta erat *caetrastum* vel *caetrestum* G. recentiore atramento sublectum. Quod quo pertineret, ignorabam.

27. *media*] Plinius 18. sect. 49. *In arando versum peragi nec strigare in actu spiritus.* Versura est locus, vbi convertuntur boues, ad hanc vsque extenditur versus arando ductus; boues igitur non vult consistere in ipso versu, sed ad finem perducere versum, seu ad versuram vsque. Vulgatam igitur recte Buchner et Salmasius de Modo Vsur. p. 294. corrigunt *parte versus.* nec licet vti Gesneri ratione, qui locum inter vtramque versuram mediam interpretatur vulgatam. Vna enim versura sulcus perducitur, non gemino.

sulcum] Palladius II. 3. hinc habet. Plinius 18. sect. 3. Iugum vocabatur, quod vno iugo boum in die exarari posset. Actus in quo boues agerentur cum aratro impetu vno iusto. Hic erat pedum CXX duplicatusque in longitudinem iugerum faciebat. Cf. infra V. 1.

28. *versuram*] Palladius Ianuario 3. vbi *ad versuram venerint, arator retineat et iugum propellat, vt eorum colla refrigerentur.* Quare non erat, quod Pontedera lectionem *restringantur* praeferret, interpretatus *reluxentur, resoluantur.* De iugo vide ad VI. 2. 7.

dolabra]

dolabra] Plinius XVIII. sect. 49. Securiculam infitivam (in stiua emendant) pendere, qua intercidantur radices. Palladius II. 3. glebae omnes dolabris dissipandae sunt.

Cap. III. 1. *quia et*] Ex neglecto hoc praecepto nasci tandem ait coriaginem morbum. Vulgatum *id* genus falsum est. Vide omnino infra ad VI. 13. notas.

Cap. IV. *continet aquam*] Palladius Septembr. cap. 1. *ager pinguis, et qui diu tenere consueuit humorem, tertia vice arabitur, quamuis humido anno possit et antea tertiari.* Virgilius I. 63. *terrae pingue solum primis extemplo a mensibus anni fortes inuertant tauri, glebasque iacentes pulueruleuta coquat maturis solibus aestas.*

in vtram partem] Plinius 18. sect. 49. *Id demum arvum recte subactum erit, vti non intelligetur, vtro vomer ierit.* Noster infra sect. 10. *nec eodem vestigio terram moliamur.*

necantur] Plinius l. c. *priusquam aras, proscindito; hoc vtilitatem habet, quod inuerso cespite herbarum radices necantur.*

2. *Iterationibus*] Iterare est, quod alibi offringere dicunt, Itali *costeggiare.* Plinii locum 18. s. 49. no. 3. *Spissius solum, sicut plerumque in Italia, quinto sulco seri melius est, in Tuscis vero nono* comparauit Gesner, alterumque iunioris Ep. V. 6. 10. vbi de campis Tusciae, Apenino subiacentibus: *Campi, quos non nisi ingentes boues et fortissima aratra perfringunt: tantis glebis tenacissimum solum, cum* (primum) *prosecatur, adsurgit, vt nono demum sulco perdometur.* vbi recte Editio romana anni 1490. omittit inclusum *primum.*

3. *pertica*] Palladius Ianuario 3. *aequaliter motam terram esse cognoscis, si transuersam per sulcos perticam mittas; quae res saepius facta, bubulcos ab hac negligentia submouebit.* quem locum multo aliter laudauit Vincentius VII. 84. *sed aequaliter terram motam esse cognoscis, si sulcos multos aequaliter partitam perspexeris, vt non intelligatur, vtro vomer ierit.* alibi laudat *pertitam videris, ita, vt non intelligatur vtrum vomer ierit.* Tertio aliquo in loco vulgatam nunc laudat. Ex qua varietate apparet, plura olim in Palladio adfuisse excerpta ex Columellae h. l.

dixerunt] Plinius XVIII. sect. 49. Male aratur aruum, quod satis frugibus occandum est.

4. *viginti*] Numerum ex libro optimo addidi, suadente Pontedera, qui deinceps veram lectionem *quod est VI. cal. Iul.* demonstrauit. Simile interuallum viginti dierum circa

circa brumam religiosum habebatur. Vide ad cap. 8. sect. 2. Ceterum Vrsinus malebat: *quod est a. d. IX vel VIII. Cal. Iulias.*

quoniam in id] Vulgatam *Cum id tempus* vitiosam esse viderat etiam Vrsinus, nos suadente Pontedera ex libro Goesiano et Sangerm. correximus.

5. *semi madidus*] Palladius Ianuario 3. *Obseruandum est ne lutosus ager aretur, aut (quod saepe fit) post longas siccitates leui imbre perfusus. nam terra quae lutosa tractatur in primordio, fertur toto anno non posse tractari, quae autem supra leuiter infusa est, et subter sicca, si tunc aretur, asseritur, per triennium sterilis fieri. Et ideo mediocriter infusus ager, vt nec lutosus nec aridus sit, proscindi debet.* Plinius 18. s. 49. *lutosam terram ne tangito.*

cariosam] Ita recte videtur interpretari cariosam terram Catonis cap. 61. quam male explicauit Plinius, monente etiam Dickson. Sed nunc video Columellam expressisse locum Catonis c. V. sect. 6. *terram cariosam caueto, ne ares, neue plostrum neue pecus impellas. Si ita non caueris, quo impuleris, triennii fructum amittes.* vbi vide notam. Theophrastus H. P. VIII. 6. δοκεῖ γὰρ ὡς ἐπίπαν ἀνεπιτήδειος ὁ σπορὸς ἐν τοῖς ἡμιβρεχέσιν. ἀπόλλυται γὰρ καὶ ἐκγαλακτῆται τὰ σπέρματα, καὶ ἅμα συμβαίνει πόαν ἀναφύεσθαι πολλήν. vbi verbum ἐκγαλακτῆσθαι Bodaeus mucore obduci vertit. Inepte. Est cum semina germinarunt et fata lactentia abortiunt prae siccitate. Plinius XVII. s. 2. de niuium vsu liquefactarum: *tellus quoque illo modo fermentescit et succi plena ac lactescentibus satis non effeta.* Haec quidem Theophrasti ratio probabilis esse videtur; Columella nullam plane attulit.

occationi aut sarritioni] Ita pro vulgato *sationi* scribendum esse vidit Vrsinus et Pontedera. Vulgatam ita defendebat Gesner, vt sementis ad frumenta, satio ad plantas pertinere diceretur; quasi hoc in libro de plantarum alio genere, quam de frumentis et leguminibus ageretur. Vitium ortum est ex scriptura *sartioni*, quam vbique tenent Codices optimi, teste etiam Heinsio, quamque ipse veram puto esse.

6. *atqui*] Vulgato *at quae* praeferri voluit etiam Pontedera. Sed *at* in Sangerm. deesse annotauit Gronouius, rectius igitur omittes.

Dens aratri] Supra cap. 2. 24. *exiguis vomeribus, et dentalibus terram subigere.* Quae verba quo melius intelligantur, breuiter haec annotanda sunt. Ligneas partes has enarrat Virgilius I. Georg. 169 seq. aratri, quale ad semen-

tem

tam adhibetur, rotis incumbens, quale Plinius plaustraratrum vocat. Scilicet burin, ex vlmo incuruata factam; quam *curuum* ab aliis appellari monet Varro de L. L. Fracta bura boues interdum nimis contendentes vomeres in aruo relinquere, idem tradit R. R. I. 19. Est haec ea pars aratri, quam Britanni *the sheath* aut *fore heath*, Galli *soc de charrue*, nostri *Krumholz* vocant, in alio genere *Krümmel*. Huic superne protensus iungitur temo; nostris *Deichsel*, *Pflugbaum*, *Grendel*, Britannis *beam of the plough*. Burae adduntur, quae Virgilius dicit *dentilia duplici dorso*, ex ligno scilicet facta. Nam poeta ligneas modo partes ibi enumerat. Britanni hanc partem *the head of the plough*, nostri *Schaarbaum*, *Pflughaupt*, *Hakenschuh* appellant. Duplex dorsum gemina ligna, anterius concurrentia, in mucronem eum, cui vomer induitur aut aptatur, significat, nostris *Sohlhölzer*. Horum lignorum anterius concurrentium gemino dorso acclinatus et resupinus aptatur vomer ferreus, vnde fulco attritus splendescere dicitur Virgilio Georg. I. 46. Mucro vomeris dens dicitur; atque ita Varro de L. L. IV. *dens*, inquit, *quod eo mordetur terra*. Dentalia erant exigua et magna, longa et breuia, eorumque formam vomis sequebatur. Hinc Columella *exiguis vomeribus et dentalibus*. Plinius XVIII. c. 18. alterum genus vulgare aratri, rostratri vectis ait esse; itaque mucrone vomeris longo; tertium in solo facili adhiberi, *nec toto porrectum dentali, sed exigua cuspide in rostro*. Quarto generi latior erat cuspis, et acutior in mucronem fastigata, eodemque gladio scindens solum et acie laterum radices herbarum secans. Hoc ait non pridem in Rhaetia inuentum aratrum Plinius. Ex quo apparet, vulgarem Italicum vomerem latera non habuisse acuta. Rhaetico generi Gallos ait addidisse duas rotas, et cuspidem habuisse effigiem palae. Cultri non meminerunt Scriptores nostri; in peregrino, vt videtur, aratro memorat Plinius. De auribus dixi ad Varron. I. 29. Atque has aratri partes principes recte explicuit et Dickson et nuperus Georgicorum Virgilii interpres vernaculus, nisi quod Dickson male a dentalibus duplex dorsum separat, quasi diuersam aliquam partem. Denti vomerem praefigi, et vnciniam curuationem buridis leges in Festo sub voce *Vruat*.

diffundit] Vulgato *diffindit* praetuli cum Pontedera. Nec enim hoc satisfacit consilio auctoris, qui humum non solum diffindi aratro, sed diffissam humum et comminutam late in vtramque partem spargi et veluti diffundi, non consistere in glebas duras vult. Ita Xenoph. Oecon. XVII. 11. de

de terra vere proſciſſa: *μάλιστα χεῖσθαι τὴν γῆν τηνικαῦτα κινεμένην.*

peſſime multentur] Ita recte libri duo optimi. Vulgo *maxime.* Laudat Pontedera exemplum ſimile ex libro I.

ratio ruſtici] Ex Edd. vetuſtiſſimis *ruſtica* praeferebat Pontedera; ſed infra cap. IX. 18. eſt: *nec impenſa gravi rationem cultoris onerant.* atque iterum IV. 2. 1.

8. *proſciſſum eſt iterare*] Vrſinus emendabat *non iterare;* coniecturam eam equidem ſententia poſtulare videtur; ſed tum ſequi debebat *ſed pluuiam operiri.* Potuit tamen variare orationem Columella.

Iugerum] Infra XI. 2. 46. ſi eſt difficilis terra, proſcinditur operis tribus, iteratur duabus, tertiatur vna, lirantur autem iugera duo operá vna. At, ſi facilis eſt terra, proſcinditur iugerum duabus operis, iteratur vna, lirantur vna iugera quatuor. Contra Plinius XVIII. ſect. 49. Iuſtum eſt proſcindi ſulco dodrantali (i. e. nouem pollices alto) iugerum vno die, iterari ſeſquiiugerum, ſi ſit facilitas ſoli, ſi minus, proſcindi ſemiſſem (i. e. partem dimidiam) iterari aſſem, quando et animalium labori natura leges ſtatuit.

ſatum redigitur] Quod Salmaſius ad Solinum p. 515. coniectura aſſecutus erat, ex libro Goeſ. dedit iam Geſnerus pro vulgato *ſtatim redigitur.* De lira et porca vide mox ad ſect. 11.

9. *trimeſtri*] Libri optimi pro *trimeſtrium.* Palladius Februario 2. *Locis tepidis, aut ſi clemens tempus et ſiccum fuerit, colles pingues vel hoc menſe proſcinde.* Deinde cap. 3. *hoc menſe ſerendum eſt omne trimeſtrium genus.* vbi tamen liber Erford. et Vincentius habent *trimeſtre.* Sic loquitur noſter infra cap. 13. 8 et 9. Sed trimeſtrem ſementem noſter habet cap. 9. ſect. 7. et Cato c. 35.

10. *tranſuerſus*] Plinius XVIII. ſect. 49. *in collibus tranſuerſo tantum monte aratur, ſed modo in ſuperiora, modo in inferiora roſtrante vomere.* Palladius Ianuar. 3. *Si collis eſt, tranſuerſus per latera ſulcetur. quae forma tunc ſeruanda eſt, cum ſemen accipiet.* vbi Vincentius habet et *tunc — acceperit.* Creſcentius habet *accepit.* Poſtrema verba vnde duxerit Palladius, nondum reperi. Sed et ſic locus Palladii confirmat lectionem libri Goeſiani, probatam etiam a Pontedera, quam itaque recepimus pro vulgata *iugerum talis agri. Sed in arando maxime* etc. Idem conſilium prato conſerendo in colle ſicco dedit Bradly Survey p. 249. qui rationem ſulcorum a recta deflexorum deorſum repetit ab aqua decurrente, quam ſulci ita inclinati melius retinent et diſpertiun-

tur. Atque ita Cresc. II. 17. *praecipitur etiam ab agricolis per transuersum sulcari, vt in sulcis stet retenta pinguedo, quae decurrit praeceps si ex directo sulcus descendit.* Ita scilicet Albertus tradit, addens: *propter quod etiam fiunt retinacula per macerias ex transuerso ante agrum positas ne humus defluat postquam fuerit exarata. Quidam subtiliori ingenio humum hanc serunt non exaratam, sed duram. Sed postquam seminata est humus, euertunt eam super semina aut aratro aut ligone aut alio fossorio et non arant eam nisi semel nec comminuunt in ea glebas magnas.*

11. *Exilis*] Palladius Aug. I. *hoc mense vltimo circa Calendas Septembres ager planus, humidus, exilis incipiat exarari.* Idem Septembri 1. *nunc ager humidus, planus, exilis, quem Augusto primo arari* (Vincentius *primitus exararari*) *diximus, iteratur et seritur.*

solo est, eo quod] Pontedera praeferebat lectionem *eoque*. Rationem sic edit: Nempe quia exilis et soluta terra facile colitur, propterea pauciores operae impenduntur: non quia pauciores adhibentur, propterea expeditius colitur. Equidem tamen non video, cur ratio haec non possit etiam sine stultitiae crimine conuerti, ita, vt nunc traditur in lectione vulgata. Libri alii praeterea *soli* habent, Sang. vtramque exhibet.

graciles] Palladius Septembr. 1. *graciles clini nunc primum arandi sunt, et serendi statim circa aequinoctium.* Virgilius Georg. I. 6. 7. *At si non fuerit tellus fecunda, sub ipsum Arcturum tenui sat erit suspendere sulco, — hic sterilem exiguus ne deserat humor arenam.* Plinius XVIII. cap. 26. *in gracili insecuti aestus exsiccant: tum namque succum venturis seminibus auferunt. Talia autumno melius arari certum est.* Idem praeceptum habet Theophrastus de C. Pl. III. 25.

sub sulco] Vide ad Varron. I. 29. 2. Addo nunc glossam Hesychii, quam Interpretes non agnouerunt: *κασφυράσσεται· κατασπείρει.*

Cap. V. *in campo rarius*] Palladius Septembr. 1. *agri nunc stercorandi sunt, sed in colle spissius, in campo rarius laetamina disponentur, cum luna minuitur. — sed iidem cumuli tot dissipandi sunt, quot eadem die poterunt exarari, ne stercora exsiccata nihil prosint.* vbi Codices quidam *exsucata*, Vincentius *exucca* habet. Praeterea ibi legendum est *inarari*. De colle, superius spissius stercorando, bene docet Albertus p. 494.

vehes

vehes quatuor] Infra XI. 2. mense Nouembri tradit vehem modios continere LXXX. Carpenta vocat Palladius. Ceterum ad calculum reuocauit h. l. Dickson I. p. 288. atque ita reperit aceruos octonorum pedum interuallo quoquouersus separatos in iugerum efficere vehes 28. senorum vero interuallo, 50 vehes. Sed recte monuit vir doctus ipse, mensuram pedum octonorum non esse a centro aceruorum exordiendam; deinde aceruorum mensura non tam accurate definitur a Columella, vt calculo tam subtili possit subiici. Ait enim *instar modiorum quinque*. Nec admetiebantur acervos; sed vehium numerum singulis aruis destinabant; bubulcus oculorum arbitrio aceruis contribuebat, quod satis esset.

2. *bubulci*] qui bobus iunctis arant. Hinc Italis *bifolco* dicitur bubulcus.

robus] Genus frumenti hoc solus Columella nominavit, plures describunt, vt ipse Columella infra c. 9. vbi vide notam. Nomen habet vel a robore inter arbores dicto, quem *robum* dixit Cato cap. 17. 1. et antiquitas; vnde *robusta* vel *robustea* materia, vel a graeco ὄροβος, erui genere rubeo. A colore hoc bouem rustici *robeum*, graece ξανθὸν vocauerunt, vt ad Varronem et infra ad Columellam VI. 1. 2. dictum est. Potuit a comparatione arboris dici triticum hoc, quia robustissimum omnium et durissum granum habet, hinc Italis hodie *grano duro* dicitur, regionibus siccis coeloque calido proprium, vt siligo humidis frigidisque tractibus communis est. Graeci itaque solum robum notum habuere, siliginem ignorarunt; illud genus similiter a rutilo ignis colore πυρὸν dixerunt. In Sicilia hodieque *Russia, frumentu forti*, species alia *tumminia*, alia *Gurria*, in Apulia et Campania *brondella*, in Tuscia grano duro vocatur, docente egregio Tozzetti p. 126 seqq. Pontedera esse censet robum, quem populares sui *amaiorcato* dicant. Epist. p. 492.

Cap. VI. *semen adoreum*] Plinius XVIII. sect. 19. *frumenta vulgatissima far, quod adoreum veteres appellauere, siligo et triticum. — Qui zea vtuntur non habent far. Est et haec Italiae in Campania maxime semenque appellatur. Hoc habet nomen res praeclara — amylum quoque ex ea fit, priore crassius*, sc. quod fit ex tritico et siligine. Isidorus Origin. XVII. 3. *Adoreum, tritici genus, quod idem vulgo semen dicitur.* Male quidem Isidorus adoreum tritici genus facit, sed recte omne adoreum dici semen annotat, vt ex h. l. constat. Sic deinceps trimestre semen seu halicastrum est genus ado-

rei seu farris atque infra cap. 13. 1. post triticum seminis, id est, adorei rationem habet in satione. Cap. 9. sect. 8. post hordeum memorat halicastrum, vbi Pontedera far addi volebat. Alicam vbi ex zea fieri tradit Plinius XVIII. c. 29. no. 2. addit *zea, quam semen appellauimus.* Dioscorides vero II. cap. 118. ex zea dicocco fieri alicam (graece χόνδρον) ait. Hinc iam olim Isidorus XVII. 3. *alicastrum simile est alicae, pondere et bonitate praecipuum.* Scilicet ab alica, quae fit ex semine seu adoreo trimestri dictum voluit semen ipsum alicastrum. Sic a siliquis, piperis vicem sustinentibus, siliquastrum seu peperitis herba olim fuit appellata. Denique ipse Plinius XVIII. sect. 10. inter frumenta alicam referens ipsum halicastrum intelligere videtur. *Aliqui*, inquit, *verna milium panicum, lentem, cicer, alicam appellant.* Iterum inter frumenta commemorat XXII. sect. 6. vbi rem romanam, non pridem excogitatam in Graecia atque adeo Pompeii Magni aetate adhuc ignotam. Far praeterea dicitur factitium aliquid ex farre tosto, vt infra docebo ad Columellam VIII. 5. 23. Frumenti genus, quod adoreum far et semen veteres dixerunt, est quod Germania superior *Dinkel, Spelt, Vesen,* Heluetia gallica *Epautre* vel *Bled locular, Froment locar* appellat. De Halicastro mecum sentire video nunc demum Dickson II. p. 140. qui locum etiam Crescentii libro III. annotauit, vbi est de farre: *far est simile speltae, sed est grossior in herba et grano; seritur tempore tritici et speltae et corbis vna iugerum complet.* De spelta vero idem sic: *spelta nota est. eius quidem diuersitates sunt; quia quaedam est grauior, et haec melior; quaedam vero leuior, et haec deterior. Et his temporibus seritur quibus frumentum, et eodem modo; sed duae corbes in iugerum seruntur, cum ex frumento corbis vna sufficiat.* Quam igitur Crescentius speltam dixit, ea plane sementis mensura conuenit cum farre romano; non item quod far dixit. Sed idem Crescentius XII. 9. in repetendis Palladii verbis X. 2. pro adoreo speltam nominauit. Alicastrum dici ab alica, inde facta, mecum sentit Bradley p. 82. Speltae Crescentius l. c. separatae a paleis pluries virgis semen percuti ait, vt ab aristis mundetur.

2. *siliginis*] Plinius XVIII. sect. 20. *siliginem proprie dixerim tritici delicias. Candor est et sine virtute et sine pondere, conueniens humidis tractibus — in ceteris ibi partibus biennio in triticum transit. Remedium, vt grauissima quaeque grana eius serantur.* Robum esse triticum aristis munitum Parkinsoni, siliginem eiusdem triticum spica mutica, setaneum denique triticum eius semestre, censuit Bradley Survey

vey p. 77. 78. De trimestris siliginis natura infra iterum noster cap. 9. vbi vide notas. Siliginem genus esse tritici, regionibus humidis coeloque frigido proprium, grano molliori, quam robum, farinoso et candido, itemque trimestre triticum, Italis *grano trimestre* vel *Marzuolo* dictum, cum siliginem *grano* nostrale vocent, in duas species diuisam, *gentile* et *grosso*, egregie docuit Tozzetti Ragion. sull' agricoltura Tosc. p. 123 seqq. Siliginem et panem siligineum Graeci ignorabant, robo et σεμιδάλει inde facta contenti.

id genus est siliginis] Haec verba quibus rationibus inductus Gesner glossae numero habuerit adeoque inclusserit, equidem excogitare non possum, et egregie defendit contra Gesnerum Tozzetti p. 125.

aliamue causam] Isidorus Orig. 17. 3. *trimense triticum ideo nuncupatum, quia satum post tres menses colligitur. Nam vbi propter aquam aliamue causam matura satio omissa est, praesidium ab hoc petitur.*

3. *Clusinum*] Plinius XVIII. sect. 12. triticum Clusinum ait modio libras 26. ponderare, gallicum esse leuissimum; idem sect. 20. siliginem Clusinam ratione mensurae reliquas antecellere ait. Ex lectione Codd. *candidioris et nitidi* Pontedera effingebat: *candidioris grani et nitidi.*

venuculum] Vt h. l. in libris est *vermiculum*, ita infra III. 2. 2. vuas *venuculas* Cod. Lips. mutat in *vermiculas*. Est praeterea alius locus Columellae XI. 2. 9. *seminis adorei, quod quidam far vernaculum vocant.* vbi idem genus cum venuculo intelligi videtur. Libri scripti in altero loco nihil variant. Vuam *venuculam* iterum nominat Columella III. 2. 27. vbi libri optimi fere omnes *auenunculae* habent. Atque ita Macrobio Saturn. III. 20. est *venuncula*. In Horatio Serm. II. 4. 71. est *venucula*. In Plinio XIV. cap. 2. libri aliqui habent *venicula*. Tertio loco a Columella XII. 43. 9. sine varietate librorum nominatur *venucula*.

rutilum] Hinc Virgilius Georg. I. 73. flaua farra seri iubet in agro, antea faba aut lupinis consito. Idem versu 219. robusta farra appellat. Varietatem farris etiam hodie nouimus rutilis, alteram candidis spicis nudis et sine aristis.

semen trimestre — halicastrum] Spelta, quam nouimus in Germania, aestiua, distinguitur aristis, hordeo similibus et spicis laxioribus. Isidorus 17. 3. *alicastrum simile est alicae, pondere et bonitate praecipuum.* Hinc malim etiam h. l. *alicastrum.* Vide infra ad cap. 9. 8. Plinius III. c. 5. *ibi Laborini campi sternuntur, et in delicias alicae politur messis.* vbi Harduinus ex libro Chiffl. dedit *populatur*, interpretatus rapi-

rapitur. Codd. Regii *populitur*, in Toletano est *populitu mensis*, vnde Pintianus malebat: *populi totius menses*. Huc facit locus Festi: *Alicariae meretrices appellabantur in Campania solitae ante pistrina Alicariorum versari quaestus gratia*. Halicarios memorat etiam Lucillius apud Charisium p. 75. vnde constat, de aspiratione vocis *alicae* iam olim dubitasse grammaticos.

Cap. VII. *Milium et panicum*] Culmum habent geniculatum et concauum, semen auibus expositum; membranis enim indefensum continetur, et reliqua, quae Plinius habet XVIII. sect. 10. no. 3. vbi milium indicum infra decem proximos annos in Italiam inuectum esse ait. Ad legumina Columella retulit, quae Theophr. H. P. VII. 1. ad tertium aliquod genus medium inter frumenta et legumina *κέγχρον*, *μέλινον* (alibi *ἔλυμον* vocat) et *σησάμον*, quae omnia aestiuorum seminum nomine comprehendit.

linum] Columella cannabin et linum humani vsus causa serit, vt semen in cibum veniat; etsi infra c. X. s. 17. tenue linum docet facere. Nec vllibi lini vel cannabis cultum eum memorat, quem tamen aliunde tradidit Plinius in lino, vt infra dicetur ad cap. X. s. 17.

2. *nouissime*] Cum de satione autumnali adhuc sermo sit, vt ipse Colum. c. IX. 6. monet, recte Pontedera monuit et multis argumentis docuit, rectius legi: *frigidis ocissimo, — calidis nouissime*. Compara c. 8 et 9. cum Plinio 18. 24. Miror, virum doctum omisisse locum Catonis c. 34. *vti quisque locus frigidissimus aquosissimusque erit, ibi primum serito, in calidissimis locis sementin postremum fieri oportet*. Hoc ipsum praeceptum respiciebat Columella; igitur veram lectionem restituere Columellae non dubitaui.

proinde] Vrsinus malebat *perinde*.

Cap. VIII. 2. *altero et tricesimo*] Pontedera corrigit: *quadragesimo quarto*. Scilicet in Antiqq. p. 361. docet, nostrum IX. 14. s. 11. aequinoctium apponere VIII. Cal. Oct. et ab eo ad Vergiliarum occasum numerare dies XL. Quodsi colligantur dies a primo Vergiliarum occasu XIII. et XII. Cal. Nov. fiunt dies XXIV vel XXV. a secundo IV Cal. Nov. fiunt XXII. a tertio V Id. Nov. fiunt XLVI.

nono Cal.] Pontedera mauult *sexto*. quod fuit initium aequinoctii ex ratione Iulia, V Cal. ex ratione Augusti.

sex et quadr.] Pontedera praefert: *quatuor et quadr.*

IX Cal.

IX Cal. Nouem.] Pontedera mauult: *IV Idus*: sed sententiam mutauit in Curis sec. Vide notam sequentem.

quindecim] Palladius I. 6. 15. *omne opus rusticum, cum fieri praecipitur, neque cito est, si ante quindecim dies, neque tarde, si post quindecim fiat.* Quem locum non recordabatur Pontedera, cum h. l. Columellae tentaret in Epistolis p. 490. cuius notam omiserat excerptam ponere Ernesti. Scilicet is interuallum dierum religiose habitarum circa brumam simile censebat et par interuallo circa solstitium habito, de quo supra c. 4. sect. 4. numerumque adeo refingendum in *viginti.* Affert argumentum ex libri XI. loco vbi est: *per hos quoque dies abstinent terrenis operibus religiosiores agricolae, ita tamen, vt ipsis calendis Ianuariis auspicandi causa omne genus operis instaurent, caeterum differant terrenam molitionem vsque in proximas Idus.* A bruma igitur dies religiose habiti in a. d. Idus Ianuarias XX. colliguntur; hinc apparet, numerum XV. dierum vitiosum esse. Qui vero in numerum hunc vitiosum inciderant scriptores librarii, iidem *a. d. IX cal. Nov.* dederunt, cum esse deberet *a. d. XIII cal. Nouemb.*

abnuimus] Hoc vulgato ambigimus praeferendum vidit etiam Pontedera. Non ambigimus de certis, at non abnuimus, cum dubitamus. Ita recte admonet Pontedera.

3. *pendent*] Virgilius I. 214.

vt prius] Plinius XVIII. sect. 54. *Sationem locis humidis celerius fieri ratio est, ne semen imbre putrescat; siccis serius, vt pluuiae sequantur; ne diu iacens atque non concipiens euanescat.*

colliquias] Plinius 18. sect. 49. *In vsu est et collicias interponere, si ita locus poscat, ampliore sulco, quae in fossas aquam educant.* Vt *elices*, sic dicuntur, auctore *Festo*, in viis, lapide stratis, *inlices*, canales, in quos aqua confluit. Et *colliciae* dicuntur hinc, recte admonente Salmasio p. 512.

4. *nam quod sicco solo*] Plinius XVIII. sect. 56. *sunt qui et ante Vergiliarum occasum seri iubeant, duntaxat in arida terra calidisque prouinciis; custodiri enim semen, corrumpente humore, et a proximo imbre vno die erumpere.* vbi legendum esse ex h. l. *non corrumpente*, admonuit etiam Harduinus. Pintianus malebat: *incorruptum vt horreo.* Geoponica III. 13. Septembri mense multos monent serere incipere; si autem post decimum quartum diem pluat, sata bene prouenire, tamen non laedi, etiamsi non pluat. Rectius tamen ante Calendas Octobris nihil omnino seri.

5. *firmum et durabilem*] Plinius 18. f. 19. *ex omni genere duriſſimum far et contra hiemes firmiſſimum, patitur frigidiſſimos locos et minus ſubactos, vel aeſtuoſos ſitienteſque.* vbi Vincentius *hiemem — ac ſitientes* habet. Idem Plinius ſect. 10. no. 7. *in area exteruntur triticum et ſiligo et hordeum; ſic et ſeruntur pura, qualiter moluntur, quia toſta non ſunt. E diuerſo far, milium, panicum purgari niſi toſta non poſſunt, itaque haec cum ſuis folliculis ſeruntur cruda, et far in vaginulis ſuis ſeruant ad ſatus atque non torrent.* Tamen Idem ſect. 20. no. 4. ex Theophraſti H. P. II. 5. tradit, tiphen et zeam, ſi piſtae ſerantur, tertio anno in triticum mutari. Contra, qui farris naturam et cultum egregie expoſuit Hoffmann in Frankiſchen Sammlungen Vol. III. p. 483. far ſine folliculis ſeu piſtum ſatum prouenire omnino negat.

Cap. IX. 1. *iugerum agri pinguis*] Palladius Sept. 3. *in mediocris agri iugeri 5 tritici modios et adorei totidem, conſeremus. nam quatuor ager pinguis accipiet.* vbi Cod. Polit. verba *et totidem adorei* rectius omittit quam Erford. qui *hordei* habet. Plinius XVIII. ſect. 55. *ſerere in iugera temperato ſolo iuſtum eſt farris aut ſeminis, quod frumenti genus ita appellamus, modios denos.* Palladius tamen ſibi conſtat. Nouembr. c. 1. *triticum ſeremus et far ſatiore legitima Iugerum vtriuſque ſeminis modiis quinque tenebitur.* Hanc diverſitatem menſurae inde explicare conatus eſt *Dickſon* Vol. II. p. 145. quod inuenta fuerit poſt Columellam ratio far ſine palea ſeminandi. Antea enim cum palea adeoque impurum ſerebatur, ideoque plures modii in iugerum computantur, quam tritici. Creſcentii equidem auctoritatem non adeo magnifacio hac in re, vt Palladium ab errore vindicare poſſit; habet tamen eandem menſuram Creſcentius etiam. Cum palea ſeritur hodieque. Sed alia etiam ratione licet excuſare Palladium, vt ſtatim docebo. Ceterum ſeminis menſurae tantum adiici in adoreo propter folliculum, quocum ſeritur, vidit etiam Bradley p. 129. et monuit Geſner.

ſi mediocre, decem] Schwartz ad hanc Columellae ſententiam adhaeſit, quia agrum mediocrem maiore ſeminis copia citius exſugi putabat, quam pinguem. Puto Columellam in hac autumnali ſatione ſpectaſſe hoc, ne herbae praeuenientes ſegetem rariorem citius angant. Aliter videtur *Bradley* Survey p. 128. qui frumenti caulem ſimplicem exire ait in agro exili, ſpica parua, contra in laeto fruticare pluribus caulibus et ſpica grandiori; ideo numerum ſpicarum ſpectari in illo, magnitudinem in hoc ſolo. Quae quidem

dem opinio mihi placeret, nisi in siligine noster infra sect. 6. affirmaret, in solo sicco et resoluto vel pingui vel exili tantundem seminis requiri: *Quoniam*, inquit, *e contrario macer tantundem seminis poscit. Nam nisi rare conseritur, vanam et minutam spicam facit; at vbi ex vno semine pluribus culmis fruticauit, etiam ex rara segete densam facit.* In adoreo causa peculiaris esse debebat, cur in mediocri solo non tantundem seminis, sed plus quam in laeto posceret Columella. Idem tamen etiam in faba cap. 10. s. 8. in mediocri solo paulo amplius seminis spargit, quam in pingui. Faba autem caule stat erecto et simplice. Sed ecce Varro I. 44. vbi modios frumentorum in satione definit; *si enim locus crassus, plus, si macer minus.* Igitur Columella suas sibi rationes seorsum habuit serundi, aut loci eius de sationis modo omnes sunt librariorum culpa vitiosi; quod tamen vix asserere ausim. Varro secutus est Graecos. Theophrastus H. P. VIII. 6. πλεῖον γὰρ ἡ πίειρα καὶ ἀγαθὴ δύναται φέρειν τῆς ὑφάμμου τε καὶ λεπτῆς. Ita etiam Xenophon Oecon. cap. XVII. sect. 8. seqq. Vide etiam ad sect. 5.

tritici quinque, et adorei] In libris optimis est: *tritici, quibus et adorei.* quam lectionem Palladius forte reperit ita positam: *tritici quinque, quibus et adorei modiis obserere praecipiunt.*

2. *nam prima sementis*] Plinius XVIII. sect. 54. *festinata satione densum spargi semen, quia tarde concipiat; serotina rarum, quia densitate nimia necetur.* Sed Plinius serotinam dicere videtur vernam et festinatam autumnalem.

illud idem] illud coelum scilicet pluuium rariorem sementim, hoc siccum, densiorem desiderat. Recte h. l. ita ex libris optimis docente Pontedera constituit Gesner. Antea erat: *hoc quoque vltima.* In vltima sementi pars seminis deperit ob ingruentem brumam; in siccitate sata semina depopulantur animalia, nec tam facile germinant.

3. *robustius*] Infra sect. 12. robustum semen opponit exili. Rationem roboris explicat *Bradley Sarvey* p. 131. Scilicet radices latius explicatae nutrimentum facilius attrahunt, et culmi per gradus collis surgentes vento interflante spicam magis firmant et grana. Minus granorum collis superficiem reddere quam plani agri, non mirabitur, qui meminerit obseruationis, positae a Iulio Frontino de Agror. Qualit. p. 145. *cultellamus agrum eminentiorem et ad planitiem redigimus. Aequalitatem hanc nobis ratione ipsa seminum natura monstrauit. Omnis enim illa soli inaequalitas colligi poterit, nisi quod de terra quicquid nascitur, in aerem*

rectum exit, et illam terrae obliquitatem crescendo atterit, nec maius spatium occupat, quam si ex plano nascatur. Monuit de hac re *Bradley* l. c. et Gesner ad h. l. Demonstrationem mathematicam dedit Gallus *de Goyon de la Plombiere* de Ligno ad fabricas parando, cuius disputationem conuersam habet Promtuarium Hamburgense Tom. XX. p. 445.

minus tamen] Palladius I. 6. 12. *frumentum collis quidem grano robustius, sed mensurae minus refundet.* vbi Crescentius habet *respondet.* Plinius 18. f. 46. *colles robustius, sed minus reddunt triticum; far et siligo et cretosum vliginosumque solum sortiuntur.* Manilius II. vers. 20. Hesiodum docuisse ait: *quod colles Bacchus amaret, quod foecunda Ceres campos, quod Pallas vtrumque.* Ceterum de alimento etiam Celsus II. 18. *frumentum quoque valentius est collinum quam campestre.* Ceterum vox *granum* in vtraque Gesneriana fuit omissa.

densa] Pallad. I. 6. 16. *spissa et cr. et humida t. bene far et triticum nutrit, — si in lutoso spargatur, moritur.*

omne] Palladius I. 6. 15. *frumenta omnia maxime laetantur campo patenti et soluto et ad solem recliui. Spissa et cretosa et humida terra bene far et triticum nutrit. Ordeum agro soluto delectatur et sicco. nam si in lutoso spargatur moritur.*

4. *humo iacitur*] Hanc lectionem vulgatae *iaciatur, perit.* recte praetulit Gesner, ob rationes, in Columella positas infra cap. 10. 14. Ita etiam libri optimi habent scriptum. Vulgatae antea lectionis vitium Vrsinus emendabat legendo: *nam nisi vel* etc. Schwartzius autem mutato *nullam* in *nudam.* Pontedera *perit* in *prouenit* mutato. Quibus emendationibus opus non esse, si sequamur librorum optimorum lectionem, recte vidit Gesner. Vide etiam notam ad Varron. I. 9. 4.

5. *siliginis*] Plinius XVIII. sect. 55. *In denso aut cretoso aut vliginoso solo tritici aut siliginis modios sex, in soluta terra nuda et sicca et laeta, quatuor. Macies enim soli, nisi rarum culmum habeat, spicam minutam facit et inanem. Pinguia arua ex vno semine fruticem numerosum fundunt, densamque segetem e raro semine emittunt. Ergo inter quatuor et sex modios pro natura soli alii quinque non minus seri plurefue praecipiunt: item in consito, aut cliuoso, vt in macro.* vbi vides, *nudam* dici, quae nostro est *exilis.* Sed ordo verborum debet esse hic: *in soluta terra sicca, et nuda et laeta.* Pessime Brotier exemplo librorum aliquot omisit vocabulum *nuda.* In Plinii loco Pintianus corrigit *modios quinque* ex

Colu.

Columella; verba *et nuda* omittit Codex Pintiani; ex eodem lectionem vulgarem *macies enim soli maior — ex vna seminis radice fruticem* correxit Pintianus et Harduinus. Codex Chifflet. habet *macrum enim solum nisi rarum.* Pro macra esse h. l. nudam, vidit etiam Dickson II. p. 26. Causam agri vliginosi, et cretosi ita explicat Dickson p. 33. *be cause the seed being ploughedin, was covered deep, and the land being raised in clods prevented the whole seed thus covered from coming up.* Ceterum idem rationem eius moris, nostro et Britannico contrarii, quo scilicet minore mensura seminis ager exilis occupatur, quam densus vliginosusque, in eo reperisse sibi visus est, quod seges in agris nostris ab herba facile necatur frequente, contra romanus agricola agrum diligentissime herbis purgabat, ita, vt segeti nihil esset timendum ab herbis. Vide Dickson II. p. 35. De mensura seminis vide etiam supra ad sect. 1. Quaestionem: ager quo macrior, eo ne minore seminis mensura sit conserendus? agitauit *Le Blanc* in Youngii Annalibus Agriculturae Vol. I. atque experimentis institutis confirmare eam sententiam conatus est, quae minus seminis in agrum macrum spargere suadet; plus contra seminis quam pinguiori distribuit, qui versioni germanicae notulas adspersit, *Riem*, quo citius seges pluribus culmis fruticans herbas enecet.

6. *quinta parte*] Ita recte liber Sang. Vulgatam *quintam partem* recte tamen Gesner interpretatus est, si quinque modii occupant iugerum agri vacui, sex satisfacient consito. Eadem scilicet ratio agri densi et vliginosi et arbusto consiti esse videtur. Sed vitium h. l. haesisse vidit Dickson II. p. 31. qui laudat locum Plinii XVIII. sect. 55. *item in consito aut cliuoso, vt in macro (seri debet).* Igitur hinc apparere ait, minorem seminis mensuram spargi in agrum, arbusto occupatum, quod et ratio docet. Columella tamen plus seminis in arbusto spargere videtur Gesnero, propter vmbram et radices arborum, vt, quod soli bonitati decedit, seminis copia pensetur. Equidem dubius haereo.

7. *trimestrem*] Palladius I. 6. 16. *trimestris satio locis frigidis et niuosis conuenit, vbi qualitas aestatis humecta est, caeteris raro respondet euentu. Semen trimestre locis tepidis melius respondebit, si seratur autumno.* Cuius loci lectionem h. l. vulgatam satis defendit. Libri enim quidam *semestrem* habent. Accedit Plinius XVIII. sect. 12. no. 3. *plurimis tunicis Thracium triticum vestitur, ob nimia frigora illi plagae exquisitum. Eadem causa et trimestre inuenit, detinentibus terras niuibus, quod tertio fere a satu mense et in reli-*

MANSFIELD LIBRARY OF ANCIENT HISTORY OXFORD

liquo orbe metitur. Totis hoc Alpibus notum, et hiemalibus prouinciis nullum hoc frumento laetius. Vnicalamum praeterea, nec vsquam capax: seriturque non nisi tenui terra. Est et bimestre circa Thraciae Aenum, quod quadragesimo die, quum satum est, maturescit; mirumque, nulli frumento plus esse ponderis, et furfuribus carere. Vtitur eo et Sicilia et Achaia, montuosis vtraque partibus. Euboea quoque circa Carystum. In tantum fallitur Columella, qui ne trimestris quidem proprium genus existimauerit esse, cum sit antiquissimum. Graeci setanion vocant. Ipse Plinius, dum Columellam taxat, grauiter labitur, recte docente post alios Tozzetti sopra l'agricolt. Tosc. p. 126. De trimestri satione vide ad Caton. c. 35.

autumno] Palladius et noster XI. 2. 20. hoc de tepidis locis praecipit.

8. *Galaticum*] Puto esse κριθὰς λεπτίτιδας, quas vere ferunt Geoponica III. 3.

halicastrum] *Far* addi volebat Pontedera; id enim intelligi patet ex cap. 6. 3. Et Geoponica III. 3. hoc tempore ferunt ζειὰς, genera zeae, ex qua alicam parant eadem III. cap. 7.

robusta] Hinc patet ordeum galaticum et far alicastrum, vt siliginem, grano esse minus denso et molliore.

solet autem salsam] Palladius Septembri 3. haec repetiit, vbi est: *cupressi folia inspargere et ita, vt eadem misceantur, inarare — si aquarius sulcus noxium deducat humorem.* Idem *vliginem salsam* dixit humorem salsum. Geoponica II. 18. cupressi folia contusa seminibus admiscent, vt a vermibus inuiolata seruentur. Atque ita Plinius etiam docet 18. c. 45. Hinc interpretandus est locus Columellae: ad vliginem exsugendam non faciunt folia cupressi, sed stercus columbinum, cineres aut calx vsta. Nunc tamen recordor, folia cupressina etiam supra II. 2. 11. adhiberi ad vliginem derivandum.

calentibus — glabreta] Vulgatum *glabrentibus* ex libris optimis correxi. Inepte enim ita ταυτολογεῖ Columella; contra *calentibus* continet causam vitii. Nec deinde est elegantia Columellae dignum idem vocabulum bis continuo ponere. Infra c. 20. *glabrescit area.* Vineam calueſcere dixit Cato, castaneta Columella.

9. *hyaenae*] Palladius Sept. 3. *si modium, quo seretur, hyaenae pelle vestieris, et ibi aliquamdiu quod serendum est, esse putaris, sata bene prouenire feruntur.* Ita enim locum istum

istum legendum esse, ex libris melioribus olim docebo. Ineptias easdem repetit Africanus Geoponic. II. 18.

10. *subsectis*] Ita sententia postulante scripsi, eoque ducit varia libri Lips. lectio. Ita etiam Palladius Sept. 3. *quaedam animalia subterranea sectis radicibus necant plerumque frumenta — vna nocte madefaciat.*

anguini] agrestem vocat Palladius l. c. paulo operosius cucumerem hunc adhibet Africanus Geop. II. 18. Plinius 20. c. 2. *multi hunc apud nos esse, qui anguinus vocatur, ab aliis erraticus, arbitrantur.*

alii hac eadem] Palladius l. c. *aliqui vbi haec segetes suas perferre senserint, inter initia vitiorum insulsa amurca, vel praedicta aqua sulcos et aratra perfundunt.* vbi similiter Vincentius *infusa* habet scriptum. Praeterea ibi legendum est ex h. l. *arata.* Plinius 18. sect. 49. *Vulgo, si dulcedo noceat, et vermes radicibus inhaereant, remedium est amurca pura ac sine sale spargere.* Africanus Geop. II. 18. ὕδατι καὶ ἀμόργῃ ἐπιψεκάσας. Is igitur *infusa* legisse videtur in Columella. Virgilii enim locum I. 193. *et nigra perfundere amurca* ita item reddidit νίτρῳ καὶ ὕδατι ἐπιψεκάζειν.

11. *optimam quamque*] Plinius XVIII. sect. 54. de semine eligendo: *Quae spica per interualla semina habebit, abiicietur.*

capisterio] A vanno et ventilabro diuersum instrumentum, quo semina seu grana purgantur. Ventilabrum, et ipsum a vanno diuersum, mihi esse videtur graecum πτύον et θρίναξ. Vide infra ad cap. 21. 4. Est vox graeca a κάπω, καπύω spiro, vnde καπυρὸς ducitur. Locum ex Goffridi Vindocinensis Serm. XI. posuit Schoettgen, vbi capisterium dici videtur figulini operis, certe fragile, quippe quod ea mensa cum cecidisset, fractum in duas partes dilapsum erat. Idem in Antiq. Triturae p. 64. addidit locum ex vita Scholasticae apud Bollandum Februar. T. II. p. 404. Locum ex vita S. Mauri c. 13. posuit Cangius, vbi est: *eodem modo ac si capisterium ventilare videretur, tremere infeliciter coepit.* Vbi tremor indicare videtur genus cribri.

in imo] Plinius XVIII. s. 54. de omni semine: *quod in ima area subsedit ad semen reseruandum est. id enim optimum, quia grauissimum.*

13. *diffissum*] Plinius XVIII. sect. 54. *Optimum granum, quod rubet et dentibus fractum eundem habet colorem; deterius, cui plus intus albi est.* Hae scilicet notae conueniunt in genus illud tritici, quod supra c. 6. robum dixit a colere, de quo etiam Geoponica II. 16. quae triticum in sa-

tio-

tionem eligunt: εὐγενῆ, ἁδρὸν, στερεὸν, λεῖον, χρώματι χρυσίζοντα καὶ νοστιμώτατον, i. e. generosum, robustum, solidum, laeue et colore ad aureum inclinante. Galenus etiam de Alim. Facult. I. 2. et de victu attenuante cap. 6. praefert tritici genus densum, compactum, vt dentibus vix diuidi queat graue intus etiam fuluum; contra damnat laxum molle, extus atque intus album, leue, in cibo scilicet attenuante. Illud genus eadem mensura granorum plus farinae molitum reddit; siligo contra minus farinae, sed eam candidiorem, leuem et delicatiorem in cibo reddit grano pallidiore atque intus flauo. Siliginem solam Germania cum reliquo septentrione nouit. Vide omnino Tozzetti p. 140 seqq.

vitium est] i. e. vitio transit in siliginem triticum. Plinius XVIII. sect. 20. *siliginem proprie dixerim tritici delicias, candor est et sine virtute et sine pondere, conueniens humidis tractibus, quales Italiae sunt et Galliae comatae. Sed et trans Alpes in Allobrogum tantum Meminorumque agro pertinet, in ceteris ibi partibus biennio in triticum transit. Remedium, vt grauissima quaeque grana eius serantur.* quem Plinii locum aut a librariis aut ipsius Plinii mala interpretatione Columellae nostri corruptum et vitiosum esse, recte admonuit ad h. l. Gesner. De siligine porro Plinius: *siligo nunquam maturescit pariter, nec vlla segetum minus dilationem patitur propter teneritatem, iis, quae maturuere, protinus granum dimittentibus. Sed minus, quam cetera frumenta, in stipula periclitatur, quoniam semper rectam habet spicam, nec rorem continet, qui rubiginem faciat. — Item siligo sine arista est, excepta, quae Laconica appellatur.* Palladius I. 6. 6. *omne triticum in solo vliginoso post tertiam sationem in genus siliginis commutatur.* Italia hodieque experitur veram Columellae sententiam, egregie docente Tozzetti p. 127 seqq. Ecce Albertus Vegetab. p. 422. *seminata siligo nobilitatur et in secundo vel tertio anno mutatur in triticum, et e contra contingit, quod triticum in quibusdam terris seminatum degenerat et fit in secundo anno vel tertio siligo. — modus autem est paulatinus. quia paulatim siligo nobilitatur; in primo anno fit granum grossius et rubicundius, et ex illo seminato tertio anno fit triticum; et e contra.* Idem p. 279. *triticum in terra maioris latitudinis quam 40 graduum seminatum raro conualescit, et si exurgat, inter duas vel tres seminationes degenerat in granum ignobile, quod a quibusdam vocatur siligo, quod tamen optime in septimo climate conualescere videmus.*

14. *hexastichum*] Hesychius: ἑξάστιχος· ἀριθὴ ἡ ἑξάστιχος. Κνίδιοι. Ex qua glossa apparet, Cnidios hexastichum coluisse

coluisse hordeum. Cantherinum dicitur, quod equi cantherii eo saginari solebant. *Lapathum cantherinum* habet Plinius XX. sect. 85. Idem XVIII. sect. 18. de hordeo: *spicae quaedam binos ordines habent, quaedam plures vsque ad senos.* Ita Theophrastus H. P. VIII. 4. qui plurimas ait esse senorum ordinum seu hexastichas. Isidorus 17. 3. *Primum hexaticum vocatur, eo quod spica eius sex ordines habeat, quod quidam canterinum appellant, quoniam animalia melius quam triticum pascit, et homines salubrius quam malum triticum.* Broukhus. h. l. malebat legi: *quoniam id alit animalia.* Dedi lectionem Sangerm.

et hominem] Plinius XVIII. sect. 14. *antiquissimum in cibis hordeum sicut Athenienſium ritu — polentam quoque Graeci non aliunde praeferunt — panem ex hordeo antiquis vsitatum vita damnauit, quadrupedumque fere cibus est.*

nimis] Ita recte liber Sang. pro *nimiis.* Palladius Oct. 1. *hoc etiam mense seremus ordeum, quod dicitur cantherinum. Seritur macra et sicca terra, vel multum pingui. nam quia hoc semine macescunt arua, pingui vincitur agro: alteri non habet, quod amplius nocere possit, cum propter macritatem semen aliud ferre non valeat. laeto agro nunc est serendum.* Ita enim legendum est.

committitur. Altero] Interpungi iussit Vrsinus: *committitur, altero.* et sic reliqua continuari. Sed obstat interfertum deinceps, *si laeto solo: si gracili maturius.* Ceterum Palladius aliam lectionem secutus esse videtur, hanc fere: *pinguissimo agro, a quo vincitur,* aut: *cuius nimiis viribus vincitur, aut macro, cui amplius noceri non possit, cum nihil aliud ferre valeat, committitur.* Sed locum Palladii nunc demum video a Iucundo esse temeratum atque ita scribendum: *hoc quippe vincitur, alteri non habet amplius, quod noceat, quia semen aliud ferre non potest.*

15. *Iugerum quinque*] Palladius Sept. 4. *nunc gracili solo ordeum seritur cantherinum, modiis V per iugerum. Post hoc genus agros cessare patieris, nisi forte laetamen adspergas.* vbi Vincentius habet: *modiis V iugerum impletur.* Ex quo loco malim h. l. *quinque modiis occupabit.* Hordei modios sex in iugerum temperato solo seri iubet Plinius XVIII. sect. 54.

idque vbi paulum] Palladius Iunio 2. *nunc prima hordei messis incipitur, quae consummanda est, antequam grana arefactis spicis lapsa decurrant, quia nullis, sicut triticum, folliculis vestiuntur. Sed hordei culmos iacere in agris aliquantulum sinimus, quia fertur hoc more grandescere.* vbi alii

libri

libri habent scriptum: *grana refractis spicis lapsa curuentur. Palea* est igitur h. l. qui Palladio folliculus, Varro I. 50. 3. quod cum spica stramentum haeret, interpretatur paleam. In adoreo folliculum dixit ipse Columella cap. 8. Plinius XVIII. sect. 10. *tunicae frumento plures. Hordeum maxime nudum et arinca, sed praecipue auena.* Idem sect. 18. *rapitur omne statim a prima maturitate festinantius, quam cetera; fragili enim stipula et tenuissima palea granum continetur. Meliorem etiam polentam fieri tradunt, si non excocta maturitate tollatur.* De polenta (graece *alfiton*) consentit Galenus de Alim. Facult. I. cap. 11. Hordeum glabrum Baeticae et Africae, ex quo ptisana fiebat, idem cum olyra et cryza putabat Turanius apud Plinium XVIII. f. 15. Hoc etiam huius loci argumento demonstrare voluit *Pontedera*, hordeum hexastichon esse nostrum *secale, seigle, Roggen*, quod veteribus ignotum fuisse, ante eum omnes affirmarant. Hoc enim fragili culmo constare, ipsiusque grana ab inferiore tantum parte glumis excipi; celerius maturescere et meti, ne grana decidant, et nullo negotio grana exteri in area; eo denique arua macra reddi. Haec omnia de hordeo hexasticho veteres scriptores praedicare. Contra hordeum nostrum arcte grana amplectentibus glumis constare, quibuscum etiam recondi et seri soleat, adeoque maiorem eius modum ad sationem requiri quam tritici; quae quidem omnia veteres de adoreo suo tradiderint. Itaque hordeum nostrum vir doctissimus cum farre romano comparat; hoc quidem manifesto errore; hordeum vero hexastichon Columellae secale nostrum esse statuit. Monet tamen ipse, secale nostrum non habere senos spicae ordines, quoniam intermedii ordines non explicentur. De farre romano, male cum hordeo nostro comparato, monuit iam Gesnerus ad h. l. De hordeo consentit etiam Dickson, vulgaris nostri hordei species, glabras forte et nudas, veteribus itidem fuisse hoc nomine appellatas. Secale Plinii farraginis genus fuisse statuit etiam Tozzetti Itiner. T. II. p. 93. vers. germ. qui secalis frumenti albi notitiam ex septentrione in Italiam post Romanorum imperium allatam fuisse affirmat. Hordeum Libycum palea tegminibusque suis exui iubet Ouidius in Remediis Amoris versu 53. Ceterum olyram et zeam iam olim Moschopulus *περὶ σχεδῶν* de secali interpretatus fuit, *ἡ κοινῶς σίκαλις*. Cf. Cangii Glossar. Lat. sub vocabulo *Sigalum*.

16. *Galaticum*] Palladius Ianuar. 4. *si clemens hiems fuerit, ordeum galaticum, quod graue et candidum est, circa Idus Ianuarias seramus locis temperatis. octo modiis iugerum com-*

complebitur. vbi in libris nulla est lectionis varietas. De numero igitur modiorum dubitatio superest. Idem Febr. 8. *etiam nunc ordeum galaticum, quod graue et candidum est, feretur locis frigidis circa Martias calendas.* Plinius XVIII. sect. 15. ptisanam fieri tradit in Aegypto ex hordeo, cui sunt bini anguli; quod ipsum est distichon, Contra tempestates hordeo candido maximam infirmitatem esse, ex Theophrasto H. P. VIII. 4. tradit Plinius XVIII. sect. 18. Hordei is sex modios in iugerum seri iubet generatim XVIII, s. 54. Quinque modios cantherini hordei in iugerum computauit supra cum Columella Palladius. Isidorus 17. 3. *Alterum distichon — hoc plerique calaticum vocant. Tertium trimense, quia dum cogit necessitas verno seminatur et celeriter colligitur.* Quae de hordeo trimestri addit, vnde habeat, ignoro.

17. *nec in sabuloso*] Vrsinus *sabulosis solum*, Pontedera *sabulone solum* legi malebat. *Solum* certe tenendum erit. Pontedera etiam *serantur* inserebat post *riguo solo.* Palladius Martio 3. *Calidis et siccis regionibus panicum seremus et milium. Leuem et solutam terram desiderant; nec in sabulone solum, sed in arena quoque proueniunt, dummodo coelo humido et solo serantur irriguo; quia siccum et argillosum agrum reformidant. Herbis liberentur assidue: quinque sextario spatium iugeri complebitur.* vbi legendum est *sabuloso;* deinde quinque sextarios habet, vbi noster quatuor. Florentinus Geoponic. II. 38. ἡ κέγχρος χαίρει γῇ ἱλυώδει καὶ νοτερᾷ καὶ ἀμμώδει ἐὰν ἄρδηται πυκνότερον — τὸ γὰρ πλέθρον πλέον χειροπλήθης ἐκ ἂν δέξηται. — ἔτω γὰρ τὸ πλέθρον ἐνέγκοι μοδίους τεσσαράκοντα. De milio indico Plinius XVIII. s. 10. no. 3. afferit ex vno grano ternos sextarios gigni. Idem sect. 25. Panicum et milium aquis minime gaudent, cum exeunt in folia. Vetant ea inter vites arboresue frugiferas seri, terram emacrari hoc satu existimantes. Sed in Theophrasti H. P. VIII. 7. est: panicum et milium minus aquorum indigere; si enim aqua abundauerit, folia deiicere. Milium esse fortius, panicum infirmius, sed dulcius. Milium ex omnibus frumentis coquendo maxime crescere annotat Plinius XVIII. sect. 10. no. 3. Hinc praecipuus eius ad fermenta vsus cum musto triti, vt idem sect. 26 tradit et Geoponica II. 31. Milium et panicum occatur et farritur, non iteratur, non runcatur, auctore Plinio XVIII. sect. 50. in quo Columellam aduersarium habet. Denique Plinius *panis*, inquit, *multifarie et e milio fit, e panico rarus.* et iterum sect. 24. Milio Campania praecipue gaudet *pultemque candidam ex eo facit .. fit et panis praedulcis.* De pane testatur etiam

Galenus de Alim. facult. I. c. 15. Purgamenta ſeu furfures panici miliique veteres apludam dixere eodem auctore ſ. 23. et Gellio cum Feſto. Columella *furfurem* h. l. appellat. De ſatione Plinius XVIII. ſect. 66. *extremo hoc tempore milii et panici ſatio eſt; iuſtum eſt hoc ſeri maturato hordeo.* Panico Gallias, inprimis Aquitaniam, ſed et Italiam circumpadanam, addita faba, vti, teſtatur Plinius ſect. 25. vbi Harduinus locum Paulini Epiſt. 3. attulit, vbi *faba intrita panicio* memoratur. Vides igitur, tempore Paulini *panicium* dictum fuiſſe panicum; eaque forma exſtat in libro Sangerm. ſupra cap. 7. 1. Ex panico panem factum circa Euphratem, memorat Xenoph. Expedit. I. 5. 10. et riuulis rigari panici ſegetem in Graecia, obiter annotat ibidem II. 4. 13. Graece panicum dicitur *μελίνη* et *ἕλυμος*. Iſidorus 17. 3. *panicium dictum, quia multis in regionibus ex eo panis vice homines ſuſtententur.* Panicum album a Romanis cultum fuiſſe cenſebat *Bradley* p. 100.

Martii] Plinius 18. ſ. 66. 2. de tempore inter aequinoctium vernum et Vergiliarum exortum, id eſt, inter diem VIII Calendas Apriles et VI Idus Maias ita: *extremo autem hoc tempore panici miliique ſatio eſt. Iuſtum eſt hoc ſeri maturato hordeo.* Columella XI. 2. 33. *milii quoque et panici haec prima ſatio eſt, quae peragi debet circa Idus Apriles. vtriuſque ſeminis ſextarii quini ſingula iugera occupant.* Itaque recte h. l. Lipſ. Aprilem nominat pro Martio.

rationem cultoris] Ita pro *ſationem* ſcribi iuſſerat Vrſinus, qui monet, in Codice vetere eſſe *ſartionem.*

18. *fere quatuor*] Quinque ponit Columella XI. 2. 33. et Palladius loco ſupra laudato; Plinius 18. ſect. 15. milii, panici, ſextarios quatuor in iugero conferit. vbi tamen Codex Pintiani *ſextarios ſex* ponit. Corbis octauam partem ponit Creſcentius, qui copioſe docet, quomodo panicum vel integrum vel mola tritum cum oleo, vel pinguediue, vel lacte caprino, vel ex aqua coquatur in cibum hominis.

19. *quauis in copia*] Hanc lectionem cum Pontedera praeferimus vulgatae *quauis inopia*, plane ineptae. Feſtus in *Forma* habet: *Item forma appellatur puls miliacia ex melle.*

Cap. X. 1. *prima ratio*] Poſſis etiam legere *ſatio;* ſaltem vulgatam ita interpretaberis. Plinius XVIII. ſect. 36. *primum omnium ſeritur, nouiſſimum tollitur, vtrumque Septembri fere menſe, quia ſi non anteceſſit hiemem, frigoribus obnoxium eſt.* Ita etiam Florentinus Geopon. II. 39. Graece appellatur *θέρμος.*

boves]

boues] Plinius XVIII. ſ. 36. *maceratum calida aqua homini quoque in cibo eſt. nam bouem vnum modii ſinguli ſatiant, validumque praeſtant. Annuo bouis cibario modios lupini 60 requirit Cato cap. 60. Igitur Plinii ſententia de ratione ſeminis interpretanda erit.* Macerato lupino boues equoſque hodieque Itali paſcunt.

ſterilitas annorum] Hoc vulgato praetuli annonae, quod annona omnino de prouentu dicitur, non de agro. Etiam in Columellae loco III. 15. 5. regionis annona eſt prouentus copioſus aut rarior fructuum, aut potius pretium fructibus ſtatutum ex maiore minoreue prouentu. Hinc annonae raritas et vilitas recte dicitur apud Plinium, non item ſterilitas. De vſu lupini Plinius XVIII. ſ. 36. *vſus lupini homini et quadrupedum generi, vngulas habenti, communis — pingueſcere hoc ſatu arua vineaſque diximus.* Scilicet libro XVII. ſect. 6 et 7. Ceterum homines Aſiaticos in cibo ſumſiſſe lupinos, multis ante diebus aqua maceratos, vbi deponunt amaritiem, et coctos teſtatur Galenus et Diphilus, medici; farinam hordeaceae et frumento admiſtam in paniſicium adhiberi, Florentinus Geoponic. II. 39.

ſtercus praebet] Palladius Sept. 9. *hoc menſe vt loca foecundentur exilia, lupinus circa Idus ſeritur, et vbi creuerit vertitur vomere, vt putrefiat exciſus.* Idem Maio 4. *ſi quis lupinum ſtercorandi agri cauſa ſeminabit, aratro illum nunc debet euertere.* Lupinum hodieque Itali pro ſtercorando agro euertunt, quod vocant *Souerſcio.* Lupinus perennis Linnaei. Sui temporis vſum in ferendo lupino egregie enarrauit Creſcentius II. cap. 12. quem locum conferet diligens lector et curioſus.

2. *ex area*] Plinius: *protinus ſeritur ex aruo, ac ne ſpargi quidem poſtulat, decidens ſponte — plerumque tamen leui ſulco integunt.* vbi *ex area* legendum eſſe, cum locus noſter, tum Theophraſti docet in H. P. VIII. 1. ἀπὸ τῆς ἄλως γὰρ φασὶ δεῖν καταβάλλειν εὐθύς; addit: alias male prouenire, ibid. cap. 11. Cauſam edit de C. P. III. 8. Iterum Columella XI. 2. 72. *quidam vel ab area protinus in agrum deferri putant oportere.* Huc pertinet alter locus Theophr. H. P. I. 12. ὅτι ἂν ἐν ὕλῃ βαθείᾳ σπαρῇ, διαίρει τὴν ῥίζαν πρὸς τὴν γῆν καὶ βλαστάνει διὰ τὴν ἰσχύν. quae cum Gaza male interpretatur Scaliger.

Octobribus] Ita hic et infra ſect. 17. Sangerm. liber, monente etiam Drakenb. ad Liuium T. I. p. 1016.

conualuerit] Praeferrem lectionem Sangerm. *conualuit.* De meſſe leguminum et lupini Theophraſtus C. P. IV. 14.

τὰ δὲ ὄσπρια θερίζουσιν καὶ πρὸς τὸ δύνασθαι συλλέγειν. ξηραθέντα γὰρ καταῤῥεῖ. τὸν δὲ θέρμον ἤδη λήγοντος τοῦ θέρους, τοῦ ἀέρος ἀνυγραινομένου κατὰ τὸ ἑωθινόν· ἂν γὰρ πρότερον θίγῃ τις, ἐκπίπτει καὶ οὐκ ἔστι λαβεῖν. Ita demum apparet ratio, cur lupinus in horreo sit ab humore defendendus, et fumo potius exsiccandus.

3. *semini supereſt*] Hoc auctore Sang. praetuli vulgato ſeminis; nec enim de ſemine agit, nec id in tabulatum reponitur, ſed lupini ſeges, quae in fruges abiit, et ſemini ſeruatur futuri anni. Plinius 18. ſect. 36. *condi in fumo maxime conuenit, quoniam in humido vermiculi vmbilicum eius in ſterilitatem caſtrant. Si depaſtum ſit in fronde, inarari protinus ſolum opus eſt.* Palladius Iunio 3. *hoc menſe lupinus colligitur et ſi placuerit ſtatim ex area ſeretur, ſed longe ab humore eſt ponendus in horreis, ſic enim diutiſſime cuſtoditur, maxime ſi granaria eius afflauerit fumus aſſiduus.*

adederunt] Hoc cum Pontedera vulgato *ederunt* praetuli. Minus enim eſt *adeſſe* quam *eſſe* vel *edere*. Oſcilla ſunt qui alibi vmbilici dicuntur, quibus ſemina adhaerent ſiliquis, atque vnde prodit germen.

exilem] Cf. notas ad Catonem cap. 34.

4. *decem*] eundem numerum ponit Plinius XVIII. ſ. 55.

Phaſelus] Geniſtam vel ſpartium ſemen in folliculis phaſeolorum modo gerere ait Plinius 24. ſect. 40. Idem 27. ſect. 70. Iſopyrum ait etiam phaſiolon vocari, quod folium in pampinos torquetur. Ex Dioſcoride IV. 121. qui ſimile ait phaſiolo τῷ κατ' ἄκρον τὸ πέταλον ἕλικα φέρειν, quod extremum folium in clauiculam abeat. Infra Columella XI. 2. 72. faſeolum ad eſcam ſerere docet; ſed ex eo loco faſelum retulit Palladius Sept. 12. et Octobr. 1. 3. Longa faſelus et phaſelus eſt in carmine libri X. 377. Faſeolis venoſa folia tribuit Plinius XVIII. ſect. 10. vbi Codd. phaſiolis. Paruas faſiolorum ſiliquas habet XII. ſect. 14. cum ipſis granis mandi ait XVIII. ſect. 33. vbi de ſatione eſt: Serere eos qua velis terra, licet ab Idibus Octobris in Calendas Nouembres. De terra aduerſatur Columellae hic locus, quem tranſtulit Palladius Octobr. L. 3. Faſeolorum quatuor modiis iugerum conſeri ait Plinius XVIII. ſect. 55. Ex quibus locis omnibus nulla diuerſitas demonſtrari poteſt phaſelorum, phaſeolorum, faſelorum, et faſiolorum. Recte hoc vidit etiam *Dickſon* Vol. II. p. 188. qui Britannorum *french*, *bean* interpretatur faſeolum. Vide ad X. 377.

Piſi] Plinius XVIII. ſect. 31. ex leguminibus autem Nouembri feruntur lens et in Graecia piſum — Piſum in apricis

apricis seri debet, frigorum impatientissimum; ideo in Italia et in austeriore coelo non nisi verno tempore terra facili ac soluta, quae postrema verba confirmant emendationem Harduini ex Codd. ductam: ex leguminibus autumno et vere seruntur. Piso folia multiplicia et longiora tribuit XVIII. sect. 10. ibidem caules in terram spargi ait, nisi habeant adminiculum. Siliquas pisi cylindratas ait esse s. 33. ex Theophrasti H. P. VIII. 5. qui κυλινδρώδεις habet, et addit de eruo et piso: τὰ σπέρματα γὰρ ἑκατέρωθεν τοιαῦτα τοῖς σχήμασιν; ex quo suspiceris, ad vtramque siliquae valuarum futuram alternatim posita esse. In lutosa ferra serere iubet pisum Leontius Geoponic. II. 13. Pisum faselo minus fuisse, ingeniose ex eo colligit *Bradley* p. 152. quod faseli modiis quatuor, pisi tribus iugerum conferitur.

5. *Fabae*] Palladius Nouembri 1. *In huius principio fabam spargimus, quae pinguissimum et stercoratum desiderat locum vel vallem, quam succus veniens a summitate foecundet. Primo seritur, deinde proscinditur, et tunc sulcatur.* Plinius 18. s. 49. *fabam et viciam non proscisso serere sine damno.*

veteretum] Ager est requietus, opponitur restibili. Male Gesner *veruactum* praeferebat. Faba enim in agro proscisso non serebatur. Vide ad Varron. I. 44. 2. Crescentius III. 8. *terram desiderat pinguem et cretosam et in ea subtilem facit corticem et facile coquitur et in mediocriter soluta satis conuenienter nascitur. In sabulo vero et macra non prouenit bene, et quae ibi nascitur, grossum habet corticem et dura est ad coquendum, nisi talis ager laetamine impinguetur.* In terra lutosa seri fabam iubent Geoponica II. 13. item pisum, in sicca, priusquam enascantur, corrumpi, aut degenerare. Theophrastus H. P. VIII. 7. κάλλιστη νειὸς ἀπὸ κυάμων καίπερ πυκνοσπορεμένων καὶ πολὺν καρπὸν φερόντων. Idem cap. 9. stercorari ait videri sibi agrum a fabis διὰ μανότητα καὶ εὐπεψίαν. vbi Scaliger cum Gaza legit εὐσεψίαν, propter raritatem et facilitatem putrescendi.

in liram] i. e. *imporcabimus*, vt ipse deinde ait; Palladius *sulcare*, i. e. *porcis* operiemus. Vide etiam Salmas. ad Solin. p. 512. Dickson interpretatur *ridge, forme into ridges, in such a manner asto allow the crop to be hoed.* Vide ad Varron. I. 29.

altius largiore] Palladius: *occanda est large, vt tegi plurimum possit.* Videtur itaque is legisse: *occabimusque large, quo altius humo contegatur.* Ceterum Bruschiana *quod altius;* deinde vt vbique *quattuor — glebae* habet.

6. *restibile*] sc. Aruum, quod a vetereto adeo differt, sed demonstrat, veteretum esse agrum requietum et rudem. Ipse Columella XI. 2. 85. de eadem re pro vetereto dixit novum locum, qui scilicet primum aperitur. Paulo post dicit *crudum solum.*

desectis stramentis] Quae plerumque altissima relinquebantur in messe, aliter quam apud nos fit, vbi stipulae breves supersunt a messe. Varro apud Nonium in *Colere*: *At in segetibus post messem colligebant stramenta, quis domicilia colerent.* Infra noster XI. 2. 86. vehes stercoris decem et octo iugero addit. vbi vide notam.

occari fabam] Palladius: *Aliqui locis frigidis dicunt in fabae satione glebas non esse frangendas, vt per eas gelicidiorum tempore possint germina obumbrata defendi.* Crescentius III. 8. *Seminatur faba in stipulis et terra non arata, licet et in arata seri congrue possit. Spargitur autem semen in locis calidis aut temperatis mense Ianuario aut Februario, cum terra post forte gelicidium talis est, vt possit arari post sparsum semen et melius quidem in humida terra quam sicca seritur. — Nec est necessarium, vt nascatur, vt glebae in eius seminatione rumpantur. His enim non obstantibus, licet plurimum infra terram submersa fuerit, erumpit pullulans ad superficiem terrae. Corbis vna et minus iugerum* (antiqua mea editio *bubulcam*) *complet, nam late spargenda est, vt dilatari in stipitibus possit. luna autem plena melius seritur faba.* Columellae opinioni oggerit Mitterpacher Elem. rei rusticae T. I. p. 322. opinionem, a Io. Beckmanno primum positam, leguminosas plantas mucilaginem quandam humo inferre euersas, qua magis quam stercore ipso ager recreetur. Viscosam lupini materiam, qua leuis terra colligetur, causatur *Bradley* p. 143.

istam siliquam] Palladius: *Satione eius generis, sicut opinio habet, non foecundatur terra, sed minus laeditur. nam Columella dicit agrum frumentis vtiliorem probari, qui anno superiori vacuus fuerit* (hoc est veteretum) *quam qui calamos fabaceae messis eduxit.* In libris optimis Columellae est *spicam* pro *siliquam.* An voluerunt *stipulam?* Sed vulgatam praefero. Crescentius l. c. *Hoc genere leguminis terra non laeditur et maxime si radices dimittet in ea, sed tamen in eo non foecundatur, nisi per accidens ager fuerit multum humidus. Nam Columella* et reliqua, quae vide ad Palladium.

fabae sex] Palladius: *Pingue iugerum sex modii occupant. mediocre amplius. Spisso bene prouenit. macrum solum nebulosumque non patitur.* vbi libri scripti cum Vincentio simi-

ſimiliter *locum* habent. Fabam romanam eſſe eam, quam Parkinſon fabam ſylueſtrem Graecorum cum Lobelio et Lugdunenſi vocauit, Dodonaeus bonam ſeu faſelum ſilueſtrem, ſtatuit Bradley Survey p. 87 ſeqq. eumque ſecutus *Dickſon* II. p. 181 — 188. comparauit cum Britannorum *ſmall - bean.* Haec igitur a Linnaeo vicia narbonenſis appellatur; quae non ſtat caule erecto, ſed ſarmentis reptat. Haec igitur non eſt faba veterum ſcriptorum, vt recte monuit Becmann Biblioth. Oeconomic. XVI. p. 214. qui fabam noſtram minorem Linn. intelligi putabat, etſi paulo maiorem, quam vt auriculam intrare poſſit, quod Aetius aliique medici de faba narrant, vt ipſe Becmann admonet. Fabam cum cicere genere hilum exſtantem, ſeu vmbilicum monet Theophraſtus H. P. VIII. 5. De faba ſua, cui veterum loca accommodavit, ſic Creſcentius III. 8. *faba quaedam groſſa, quaedam parua eſt, quaedam alba et quaedam nigra eſt. — et alba quaedam* (forte *quidem*) *quae facile coquitur, eſt melior, et parua ſaporoſior eſt, ſed minus fertilis quam groſſa; groſſa vero pulchrior eſt, ſed minus fertilis.* Is igitur eiuſdem fabae colorem album et nigrum facit. Idem olim Theophraſtus C. P. IV. 14. vbi plantarum imbecillarum fabam ex albo in nigrum colorem ait tranſire. Maxime leguminum omnium erecto nec fruticoſo, ſed ſimplice caule creſcere fabam tradit VIII. 2 et 3. Tiliae fructum rotundum magnitudine fabae, taxi vero baccam paulo maiorem faba ait Theophr. H. P. III. 10. Virides etiam fabas olim comedebant, maturas vero et ſiccas cum carne ſuilla decoctas, teſte Galeno Aliment. Facult. I.

7. *qui putent*] Graeci iam olim ita docuerunt de fabis et de raphanis vel braſſica. Praeter alios Heſychius: Γάστρια τὰ σπαρθέντα πρὸς τὸ λιστρευθῆναι. ἢ δὲ κύαμοι ἢ ῥάφανοι, οἷς ἀντὶ κόπρου χρῶνται, ὅταν αὐξηθέντα λιστρευθῇ. Sed ibi Λίστρια legendum eſſe ſuſpicor.

8. *ſementi*] Frumenta Plinius ita diſtingui ait, vt aliqua hiberna, circa Vergiliarum occaſum ante hiemem ſata dicantur veluti triticum, far, hordeum, alia aeſtiua, ante Virgiliarum exortum aeſtate ſata, velut milium panicum; quaedam verna. Aliqui ita frumenta diſtinguebant, vt verna dicerent milium, panicum, lentem, cicer, alicam, ſementiua autem triticum, hordeum, fabam, napum, rapa. Sementiua ſunt quae Columella matura dicit, et Theophraſtus H. P. VIII. 1. ex quo Plinius tranſtulit πρωΐσπορα.

Septimontialis] Palladius Decembri 1. *et faba circa ſeptimontium ſeri poteſt. nam poſt exactam brumam male ſemi-*

nantur. vbi alii libri *circa VII. Iduum* habent. De festo Septimontio, ante Saturnalia celebrari solito, vide Festum et Torrentium ad Suetonii Domit. c. 5. In Fastis Verrii Flacci p. 74. die XI. Decembris notantur Agonalia, quae eadem esse cum Septimontio docet Festus; et Kalendarium Vindobonense eodem die Septimontia apposuit, monente Foggini.

9. *vere*] Plinius XVIII. sect. 30. *Seritur ante Virgiliarum occasum leguminum prima, vt antecedat hiemem; Virgilius eam per ver seri iubet Circumpadanae Italiae ritu.* Palladius Nouembr. 1. *In principio Nouembris fabam spargimus.* Locus Virgilii est Georg. I. 215. De eadem faba verna Plinius XVIII. sect. 52. *alius ordo, vt, vbi adoreum fuerit, cesset quatuor mensibus hibernis, et vernam fabam recipiat, ita, vt ante hiemalem ne cesset.* Vernam fabam, quae sustinet veris tepores, Marsicam appellat Columella II. 9. 8. Februario haec serebatur, vt linum, Februario satum, vere dicitur seri. Vide ad sect. 17. Male igitur Pontedera verba huius loci sic volebat distingui: *trimestris faba. Quae* (seritur nimirum) *mense Februario, seratur quinta parte amplius quam matura.* Male enim alias trimestrem dici, quae Februario sata extremo Iunio aut primo Iulio colligatur, teste Columella XI. 2. At enim ibi Columella de messe fabae serotinae et maturae agit, aqua diuersa est verna. Nihil igitur mutandum est.

parum recte] Secuto imbre frequentiore fabam difficulter exire terra, monet Theophr. H. P. VII. 1. contra florentem madefieri amare ait, eamque causam esse, cur mature seratur VIII. c. 6. quod ad pabularem solam referebat Bradley p. 159. Semini enim si consulimus, optandum potius, ne pluuiae seminalem florum puluerem eluant, quanquam in leguminibus tectiorem, vnam in frumentis.

maturae fabalia — trimestris] *Maturae* vulgato *natura* sola Sang. auctoritate confisus praetuli; alteri emendationi *semestris* pro semestrem plures auctores fuerunt. Pontedera etiam Codicis Vaticani *trimestris* laudauit; et aperte confirmat nostram lectionem Plinii locus: *sed maior pars malunt fabalia maturae sationis, quam trimestrem fructum; eius namque siliquae caulesque gratissimo sunt pabulo pecori.*

10. *tantum*] Polit. liber *tantum vt* habet. Quo supplemento carere nos posse censeo. Nec similis plane est locus infra cap. 11. 4.

ἀπόκρυσιν] Palladius ita haec reddidit: *Curandum est praecipue, vt luna XV. seratur, si adhuc ictum solis repercussa non sensit. Aliqui dicunt quartam decimam potius eligendam.*

Cete-

Ceterum lunae rationem cum in variis operibus rusticis, tum in primis in satione frugum et leguminum habitam fuisse olim a rusticis romanis, non sine fructu aliquo docere conatus est *Dickson* Vol. II. p. 201 — 205. Potuisse ait rusticos respicere ad securitatem foliorum seminalium a variis insectis luna silente aut plenilunio non prodeuntibus defendendorum; potuisse incrementi rationem et prouentus referre ad effectum lunae in aestu maris et tempestatum ventorumque mutatione conspicuum inprimis. De limacibus, noctibus obscuris non prodeuntibus nec germina laedentibus, eandem suspicionem posuit *Bradley* Survey p. 187. — Noster infra XI. 2. 85. *vt pridie quam plenilunium sit, si minus certe ipso plenilunio, omnem quam saturus es, fabam vno die spargas; sed postea licebit ab auibus et pecore defensam obruas, eamque, si ita competierit lunae cursus ante Idus Nouembres occatam habeas quam pinguissimo et nouo loco; si minus, quam stercoratissimo.* Facciolatus vulgatum antea ἀπόκαυσιν ita explicabat, vt Columella plenilunium canere diceretur. Contra Gesner ἀπόκρυσιν restituit, monens, eam esse initium decrescendi in luna, idque fieri, cum radios solis e diametro oppositi transcurrit, vt iam non praecedat solem, sed sequatur. De luna decrescente ἀπόκρυσιν σελήνης dixit etiam Alexander Aphrod. annotante H. Stephano. Igitur probo sententiam Gesneri. Et videtur Columella cauere, ne luna ea die sit plena, et initium simul decrescendi capiat. Palladius nimis laxe locum est interpretatus, nisi ipsum ἀπόκαυσιν ictum solis interpretari voluit.

11. *maderent*] Cod. Sang. *maderet*, i. e. *percoquatur*. Rationem differentiae in coctura a soli qualitate reperit Crescentius loco supra allato. Remedia habet ad hanc rem Palladius Nouembri 1. et Geoponic. II. 35. in quibus est etiam *aqua nitrata*. De fabis item Plinius 18. f. 45. de leguminibus generatim Geoponica II. 41. Graeci legumina cocturae difficiliora ἀτέραμνα et κερασβόλα dixerunt. Vide Ruhnken. ad Timaei Glossar. p. 155. ed. secundae. Causam quaesiuit Theophrastus C. P. IV. 14. et alium secutus auctorem Plutarchus Symp. Q. VII. 2. Sed neuter rationem, a Crescentio editam, et a crassa cortice in terra macra sabulosa cito repetitam, tetigit. Sarritionem ait Columella infra 12. sect. 7. efficere, vt fabae exiguam portionem in valuulis, id est, putaminibus seu cortice habeant; idemque olim iam monuit Theophrastus C. P. IV. 14.

12. *Silente*] Hinc Palladius Iunio 3. *nunc et faba luna minuente velletur, ante lucem sane, et antequam luna procedat,*

dat, excussa et refrigerata ponatur. ita gurguliones non patietur infestos. vbi ex Crescentio legendum est *reponatur in horreo.* Ante lucem colligere iubet, quod legumina omnia sic legere rorulenta suasit iam olim Theophrastus C. P. IV. 14. vt ad sect. 2. monui, ne scilicet semina excidant siccis et ruptis siliquis.

in area exaruerit] De messe et excussione fabarum locus est egregius Theophrasti C. P. IV. 14. vbi fabas monet in area post messem in paleis suis esse pati agricolas, nec statim excudi, purgari ac ventilari, ne durae et coctu difficiles reddantur.

13. *longissimum eius*] Aream potissimum rotundam ex Varrone I. 51. 1. annotauit Gesner, qui inde longissimum eius spatium idem medium esse vult, seu diametrum. Sed area rotunda Varronis non opus est; ea enim media tumida simul erat.

14. *cudentibus*] Plinius XVIII. c. 67. faba metitur concutiturque. vbi Pintianus recte *cuditur* emendat, et affert Comicum illud: *in me cudetur haec faba.* Saltem legendum erit *excutitur.*

ventilabris] Vide infra ad cap. 21. 4.

15. *lentim*] Palladius Febr. 4. *lenticulam seres solo tenui et resoluto, vel etiam pingui, sed sicco maxime, quia luxuria et humore corrumpitur. vsque ad duodecimam lunam bene seminatur.* Plinius XVIII. sect. 61. *lentem vero a vigesimo quinto ad trigesimum serendam.* Idem sect. 31. *Lens amat solum tenue magis quam pingue, coelum atque siccum.* Varietas, in optimis duobus libris reperta, interpolationem arguit. Ex ea varietate legendum puto: *Lentem modo a dimidiata luna vsque in duodecimam.* Librarius aliquis lunam dimidiatam interpretatus erat crescentem, et quidem recte, eaque glossa ipsum textum occupauit. Praeterea vulgatae lectionis *sementi media* vitium vel eo arguitur, quod Columella ipse deinde geminum sationis tempus definit, alterum media sementi, alterum vere; seu mense Februario. Interim locum correxi, ita, vt Codices viam monstrabant cum Palladio, quanquam ex Plinio suspicor olim h. l. fuisse *duodecimam, et a vicesima quinta ad tricesimam, tunc enim luna iterum erit dimidiata, sed decrescens.* Ceterum in Sang. esse *Lenti modo semediata* annotauit Gronouius. Aliter Ernesti retulit eius scripturam.

ingrandescat] Palladius simplex habet *grandescat.* Plinii locum deinceps ponam. Theophrastus de Causis Pl. V. 7. *ἐν βολίτῳ φυτεύειν* iubet, et in H. P. II. 5. *φακὲς ὥστε ἄδρες γίνε-*

γίνεσθαι, φυτεύεσιν ἐν βολίτῳ. vt recte vulgatum ἔμβολον emendauit Niclas ad locum Florentini Geoponic. II. 37. qui eadem tradit.

16. *Iugerum*] Plinius XVIII. c. 55. *lentis tribus modiis iugerum conseri, sed hanc cum fimo arido seri* tradit; quae diuersitas mensurae nimia est. Modium vnum ponit etiam Palladius Febr. 4, Quartarium corbis Crescentius.

defricetur que (oleo)] Ex Catone c. 116. vocem *oleo* addidi. Vide notam ad istum locum. Paulo antea Brusch. *dimittatur;* eadem vbique *mixtus* et *permixtus* scriptum habet; ex eadem deinde vulgatum *promserimus* correxi. Postea eadem *spissimum*, et vbique fere *sestarius* habet.

oleariis] Haec ad finem sectionis excerpsit Palladius Iunio 3.

17. *Lini semen*] Pallad. Octob. 3. *hoc mense lini semen seremus, si placet, quod pro malitia sui serendum non est. nam terras vber exhaurit. Sed si velis loco pinguissimo et modice humido seretur in iugero 8 modiis. Aliqui maxro solo spissum serunt; ita assequuntur, vt linum subtile nascatur.* Agrum exsugere annotauit olim Theophrastus de C. Pl. III. 6. Cf. Quintilios in Geoponicis II. 40. vbi est: σπείρεται δὲ ἀπὸ ἰσημερίας μετοπωρινοῖς ἕως Ἀρκτέρου (Δελφῖνος) ἐπιτολῆς, ἥτις ἐστι πρὸ μιᾶς νόννων Ἰανναρίων.

idem etiam] Malebat Gesnerus *iidem* legere. Sed vulgatum legisse videtur Palladius Febr. 22. *hoc mense aliqui lini semen laeto solo in iugerum X. modios spargunt et lina consequuntur exilia.* Plinius XIX. sect. 2. *seritur sabulosis maxime vnoque sulco, nec magis festinat aliud. Vere satum aestate vellitur.* Vernum linum est, quod Februario seritur. Lini sationem obiter modo tradunt latini et graeci scriptores rei rusticae, quia exiguus lini et linteaminum vsus fuit in Graecia et Italia. Paulo tamen accuratius lini praeparationem tradidit Plinius. Italicam sui temporis sationem et praeparationem accurate docuit Crescentius III. 15. vbi etiam Alexandrinam sationem annotauit. Sed memineris Columellam cap. 7. linum et cannabin in vsum humanum serere.

18. *Sesama*] Palladius Septembri cap. 7. h. l. transtulit, et mensuram seminis ita definit: *iugero quatuor vel sex sextarios seuisse conueniet.* Tempus sationis retulit idem in Octobr. 1. sect. 3. Geoponica III. 2. 4. III. 3. 12. mense Februario et Martio sesama serere docent. In Palladio etiam *congestiua* habet liber Erford.

pullum] Infra III. 11. 7. si facilis est humus et modice resoluta, quam pullam diximus vocitari. vbi Florent. in Geo-

Geoponicis V. 1. Μελάγγειος, μὴ ἔσα πυκνή. Cato cap. 151. terram tenerrimam pullam vocat. Ex quo loco transtulit Plinius XVII. cap. 5. Idem ibid. sect. 3. pulla, qualem habet Campania. Vide ad Varron. I. 20. 4.

Sed hoc idem] Columella XI. 2. 56. Quibusdam regionibus sicut in Cilicia et Pamphylia hoc mense (Iulio) sesama seruntur; Italiae autem regionibus humidis possunt vltimo mense Iunio seri. Plinius XVIII. sect. 10. inter aestiva, quae aestate ante Virgiliarum exortum serantur. Italiae duntaxat ritu refert milium, panicum, sesama, alioqui in Graecia et Asia omnia Virgiliarum occasu seri.

19. *Cicercula*] Etsi optimi Codices habent *Cicer et cicercula*, pro *Cicera et cicercula*, tamen Palladius II. 5. cicerculam solam ex h. l. retulit. Ait: *sed hoc genus seminis raro respondet, quia decipitur austro vel siccitate dum floret, quod tunc prope necesse est euenire.* Differentiam Cicerae vide cap. XI. sect. 12. Plinius XVIII. sect. 32. *est et cicercula minuti ciceris inaequalis, angulosi, veluti pisum.* Idem ibid. sect. 15. *serere in iugerum cicerculae modios tres iubet.* Idem XXIII. sect. 72. *Cicercula*, inquit, *etiamnum magis in aluo proficit.* Amaritudinem cicerculae habet. Idem XVIII. sect. 73. Cicercula stercorari agrum Saserna tradit apud nostrum infra cap. XIV. 1. Cum eruilia ponit Varro I. 32. 2. Ciceram esse Theophrasti ἄρακον, cicerculam vero λάθυρον, plurimi censent Botanici scriptores; et Galenus de Alim. Fac. I. 27. aracum ait lathyro similem facie vsu et viribus, nisi quod durior et concoctu difficilior sit aracus, a multis haberi pro eadem planta. Crescentius III. 5. *cicerculam* non describit; sed de cicero cap. 4. ita tradit: *quoddam est rubeum, quoddam paruum album, quoddam sanguineum. et ex his quoddam grossum, quoddam paruum, quoddam nigrum.* (vbi antiqua mea: *quoddam est rubeum, quoddam nigrum.*) *Ex quibus sanguineum tantum rugosum corticem habet et est melius ceteris. reliqua omnia corticem habent politum. Optime nascitur in aere temperato et humido et terra pinguissimam et solutam desiderat et cretam non formidat. et terram quidem valde macilentam reddit. Seminatur mense Februarii in locis calidis, temperatis Martii — cui proderit, vt cito nascatur, si molle seratur. — Media corbe seminis vacca contenta est.* — et cap. 5. de cicercula: *et media corbis complet vaccam.* sed antiqua mea vtroque in loco habet *bubulcam* pro *vacca.* Vacca esse videtur eadem cum *vaccaria*, de qua vide Cangium. *Molle seri* dixit Crescentius ex Italico *à molle*, i. e. madefactum.

factum. Cicer Itali *cece* hodieque vocant, cicerculam *circerchia*.

20. *Punicum*] Columella IX. 1. 8. Punicum cicer et vernaculum memorat. Male igitur Dalecampius ad Plinium puniceum legebat, vt a colore erui, vt Graecis ὀροβιαῖος, appellaretur; male etiam Bodaeus ad Theophr. p. 938. pumilum legebat, et album interpretabatur, ab arietino seu purpureo diuersum. Palladius Martio c. 4. Columellae locum transtulit, et ex Graecis, quae leguntur Geoponic. II. 36.

arietinum] De scriptura Sangerm. *arietillum* testatur etiam Burmann ad Petronii c. 35. et N. Heinsius in Sylloge Epistol. Burmann. T. V. p. 381.

macerandum] Ciceris semina aqua antea madefacta cum ipsis siliquis serere iubet Theophr. H. P. II. 5. quo grandius cicer fiat. Idem de lente praecipit Florentinus Geoponic. III. 37. in cicere addit aquam nitratam III. 36. alias tepidam, seminibus nudis adfusam, sufficere, ponit ibidem, et ex eo Palladius Martio c. 4. Vernam et autumnalem sationem ciceris et erui habet Theophrastus H. P. VII. 1. et de Caus. Pl. V. 7. atque inde Florentinus, ex quo Palladius.

laedit] Plinius XVIII. sect. 32. *Ciceris natura est gigni cum salsilagine; idea solum vrit, nec nisi madefactum pridie seri debet.* Haec ille ex Theophrasto H. P. VIII. 6. Addit Plinius: *Differentiae plures magnitudine, figura, colore, sapore. Est enim arietino capiti simile, vnde appellatur; album nigrumque. Est et columbinum, quod alii Venerium vocant, candidum, rotundum, laeue, arietino minus, quod religio peruigiliis adhibet. Est et cicercula minuti ciceris, inaequalis, angulosi, veluti pisum. Dulcissimum autem id, quod eruo simillimum; firmiusque quod nigrum et rufum, quam quod album.* Species igitur ponit septem nempe arietinum, nigrum, album, candidum seu columbinum aut Venerium, rufum, cicerculam, et eruinum. Columella quatuor species posuit: arietinum, quod libro IX. 1. 8. vernaculum dicere et a Plinio distinguere videtur. Ciceram ex Hispania Baetica, vbi fresa bubus dabatur, teste nostro infra cap. 10. sect. 12. importatam Italiae puto, cicercula obsoletiorem et nigro propiorem. Eam Columella pabulo serere docet, nominibus tamen ipsis in cibo non iniucundam. Cicerculam hominum cibo serere docet supra sect. 19. eam piso similem esse ait; Plinius semen minutum, angulosum, et inaequale veluti pisum esse ait. Hanc minus salsam amaramque, adeoque agro minus noxiam esse, agnoscitur ex Columella. Accuratius

tius ſpecies ſingulas cum Plinianis comparare non licet. Apros, qui cicer appoſitum attingere renuerent, ſanos non eſſe iudicabant olim ſacerdotes in victimis, teſte Plutarcho de Defectu Oracul. p. 720. ed. Reiſke. Theophr. H. P. VIII. 5 et 6. duo genera habet, arietinum, κριὸν Graecis, nigrum et oblongum, alterum eruinum (ὀροβιαῖον) rotundum fuluum (πυῤῥὸν) et tertium in medio poſitum (ἀνὰ μέσον) album, infirmius vtroque, ſed dulcius, vt in omni leguminum genere colorem album maiorem dulcedinem arguere. Colorem floris in eruino ex albo variare flauido et purpuraſcente, monet *Bradley* Survey p. 96. De ſatione ita Theophraſtus l. c. συμφέρειν δέ φασιν ἐν τοῖς ἐφύδροις τόποις ὀψὲ σπείρειν αὐτόν. Hilum exſtantem gerere cicer, ait VIII. 5. Vide etiam Creſcentii locum ſupra allatum. Diocles apud Athenaeum II. p. 55. album cicer praeſtare ait nigro, buxeum et Mileſium arietino (κριῶν). Plinii errorem ex Theophraſto iam olim arguit Dalecamp, qui in Columella *puniceum* legi malebat ὀροβιαῖον, ſeu, vt Galenus vocat, ὀροβίαν, cicer eruinum interpretatus, poſt Dalecampium Cornarius ad Galenum de Compoſ. Medic. ſec. loca p. 413. Galenus Libro I. de Aliment. facult. cicer nigrum in Bithynia frequens ait eſſe paruum, idque arietinum (κριὸς) vocari; addit: veſci ciceribus virentibus, vt fabis homines. Bodaeus ad Theophr. p. 938. malebat *pumilum* legere, arietino minus interpretatus.

21. *Cannabis*] Palladius, qui h. l. tranſtulit, Februario c. 5. appellat cannabum; iterum Martio cap. 5. Plinius 19. ſect. 56. cannabin a Fauonio ſeri ait, et quo denſiorem, eo tenuiorem eſſe. Fratres Quinctilii in Geoponic. II. 40. ab exortu Arcturi vſque ad aequinoctium vernum ſeri docent in locis cauis et humidis. Creſcentius libro III. p. 112. in locis pinguiſſimis ſatum in funium vſum, longum valde et ramoſum prouenire ait, ſi rarius ſeminetur; contra in pannorum vſum et linteaminum ſpiſſius ſerendum in locis mediocriter pinguibus et ſolutis, ita enim prouenire ſine ramulis quaſi magnum linum, et quod ſemine omnino careat.

ſextum aut quintum] Geoponica: Ἀρκτέρῳ ἐπιτολῆς, ἥτις ἐστι πρὸ τεσσάρων καλανδῶν Μαρτίων ἕως ἐαρινεῖς ἰσημερίας, ἥτις ἐστὶ πρὸ Ϛ' καλανδῶν Ἀπριλίων.

22. *Napi raporumque*] Ita ex Codice Pol. et Sang. ſcripſi pro *naporum*; ita iterum ſect. 24. napus ſingulari numero diſtinguitur a rapis, etiam a Palladio, Columellae aſſecla. Alia ratio eſſe videtur in libri XI. cap. 3. ſect. 59 et ſeqq. vbi napi raporumque ſatio paulo aliter refertur, et quidem

dem copiosius. Sed ex illo libro nihil in hac satione excerpsit Palladius.

boues pascunt] Plinius XVIII. sect. 34. de rapis: *ante omnia cunctis animalibus nascuntur, nec in nouissimis satiant ruris alitum quoque genera, magisque si decoquantur aqua. Quadrupedes et fronde eorum gaudent. et homini non minor rapaciorum suis horis gratia quam cymarum; flauidorum quoque et in horreis enecatorum vel maior quam virentium.* — *A vino atque messe tertius hic Transpadanis fructus.* Rapacia sunt teneri raporum caulículi decocti et in cibo sumti. Caules rapicios appellat Cato cap. 35. Mense Augusto rapa praecocia seminari et Septembri transplantari, vnde fiant coliculi in cibum, quos γογγυλοσπάραγον, asparagum rapaceum, appellant, est in Geopon. XII. 1. 8.

23. *Sed rapa*] Palladius Iulio 2. *hoc mense loco irriguo napos seremus et rapa solo putri et soluto nec spisso. locis humidis laetantur et campis, sed napus in sicco et prope tenui atque deuexo et sabuloso melior nascitur.* vbi vox *rapa* excidit ante *locis humidis.*

rapa biennio] Palladius: *rapa in alio solo per biennium sata mutantur in napos, alio vero napus transit in rapum.* vbi Vincent. habet *rapae* — *sapae* — *rapam.* Pro *rapum* Codex Lugd. et Erford. habet *rapa* plurali numero. Geoponica XII. 21. rapum monent post annos tres brassicam producere (κράμβην) et vice versa.

iterationibus] Palladius: *subactum solum, stercoratum versatumque conquirunt.* Plinius XVIII. sect. 34. *terram,* inquit, *non morose eligit rapam, paene vbi nihil aliud seri potest. Nebulis et pruinis et frigore vitro aluntur.* Idem sect. 36. de napis: *eadem fere natura; gaudent aeque frigidis.* Idem sect. 74. *Vulgus agreste et rapa post ciconiae discessum male seri putat. nos omnino post Vulcanalia* (inter Vulcanalia et Neptuni sacra ferenda dixerat sect. 35. *et praecocia cum panico. (ante Vergiliarum exortum.)* Praecocia sunt, quae in vsum cibi seruntur; quorumque coliculis vice asparagi vescebantur, vt supra ex Geoponicis docui.

24. *opimas*] Crescentius ex Palladio contrarium retulit sic: *et in illis locis optime prouenit, in quibus segetes eo anno fuerunt.* Sed is temporis sui et nostri, non romanum morem, respexit. Vide ibi notam.

quatuor sextariis raporum] Palladius: *iugero raporum quatuor sextarii, napi autem quinque sufficiunt.* vbi vides, Palladium sequi lectionem eam, quam ex Codice Goes. et Sangerm. restituit Gesner pro vulgato *napis.* In libro XI. 3. 59. Colu-

Columella nullo discrimine napi et raporum ponit: *Iugerum agri quatuor sextarios seminis eorum poscit.* sed raphani semini paulo plus quam heminam adiicit. ex Hygino, vt puto. Ceterum rapum Graece dicitur γογγύλη, quo ipso nomine natura eius rotunda et capitalis significatur. Graeco nomine gongylin Nursinam vt praecipuam laudauit Columella X. 421. quam Martialis XIII. 20. pilam Nursinam dixit. Napam graeco nomine buniadem appellauit Columella ibidem, et Amiterninam laudauit, in vtroque sentiens cum Plinio 18. sect. 34 et 35. vbi de napis: *Seruntur et ante Calendas Martias, in iugero sextarii quatuor; diligentiores quinto sulco napum seri iubent, rapa quarto, vtrumque stercorato. — Seruntur et vere in calidis atque humidis.* De rapis ex Theophrasto H. P. VII. 4. addit frigore dulciora fieri et grandiora; tepore in folia exire. Consentit Martialis XIII. 16. brumali gaudentia frigore rapa dicens. Inter vtilitates rapi vinum e napis factum ex Dioscoride V. 56. memorat Plinius 23. sect. 26. sua aetate ignotum. Ex Theophrasto H. P. VII. 4. plura raporum naporumque genera enarrat Plinius 19. sect. 25. Lombardia hodieque napos *Nauoni* rapa vocat *rave*, reliqui Itali *Rape.*

quarta parte] An hinc Plinii error l. c. *diligentiores quinto sulco napum seri iubent, rapa quarto* de sulco praecipientis, quae Columella de mensura seminis?

25. *decem annis*] Infra sect. 5. permanebit annis decem. Optimi tamen Codices h. l. annis omnibus. Sed *decem* ex h. l. etiam Isidorus 17. 4. Peius est quod habet Plinius 18. sect. 43. *ex vno satu amplius quam tricenis annis durat. Similis est trifolio. caulo foliisque geniculata; quicquid in caule assurgit, folia contrahuntur.* Quae postrema clarius expressit Dioscorides II. 177. caule, inquit, crescente, contrahuntur folia et fiunt angustiora. Repetiit verba Columellae Palladius April. 1. Altitudinem radicum postea e Plinio annotabimus. Medicaginem satiuam Linnaei, vulgo Luzerne dictam, intelligi, iam diu annotarunt viri docti, quorum opinionem confirmat praecipue locus Plutarchi in libro: Non posse secundum Epicurum suauiter viui p. 475. ed. Reiske, vbi de semine est: ὥσπερ τὸ τῆς μηδικῆς σπέρμα πολυκαμπὲς καὶ σκληνὸν ἐμφύεται τῇ γῇ καὶ διαμένει πολὺν χρόνον ὑπὸ τραχύτητος. quae interpres reddit: sicut medicae herbae semen multis flexibus et per obliquum terrae innascens ob asperitatem multo tempore perdurat. Sed rectius dixisset, ipsum semen valde flexuosum, inaequale et asperum. Semini tribuit, quod radicibus debetur. Ceterum in Plinio recte

Vin-

Vincentius S. N. XI. 84. legit *in caule assurgit, in folia contrahitur.* Seruius ad Georg. I. 215. *tum te quoque, medica, putres accipiunt sulci. Huius*, inquit, *plena Venetia est, et vt dicit Dionysius, trium foliorum est semperque virens. — Vno anno frequenter seritur et sexies aut amplius secatur, — quidam enim medicam post decennium seri dicunt. Haec autem herba vulgo Sylla dicitur.* Quae postrema clausula nisi fuerit ab interpolatore recentiore Italo adiecta, videtur interpretari medicam de hedysaro coronario Linnaei, quod Itali *Sulla* vocant. Ceterum in Sang. *interdum* ante *etiam* deesse annotauit Gronouius.

tribus equis] Qui scilicet vecturis et equiti seruiebant, non aratro. Rationibus operosis ex comparatione medicaginis nostrae (Luzerne) curiose cultae docuit Dickson Vol. II. p. 221 — 234. vsum medicae non esse vltra verum laudatum a Columella.

26. *Locum*] Plinius l. c. *solum, in quo seratur, elapidatum purgatumque subigitur autumno; mox aratum, et occatum integitur crate iterum ac tertium, quinis diebus interpositis et fimo addito. Poscit autem siccum succosumque vel riguum. Ita praeparato seritur mense Maio, alias pruinis obnoxia. — Si sit humidum solum herbosumue, vincitur et descisci in pratum. Ideo protinus altitudine vnciali herbis omnibus liberanda est, manu potius quam sarculo.* Ex Columella Palladius Februar. 6. Plinii locum vitiosum esse sensit iam olim Pintianus, qui verba ita ordinabat: *Alias pruinis obnoxia, cauendumque ne aduratur, terraque protinus integi debet altitudine vnciali, internascentesque herbas excludi. Opus est densitate seminis omnia occupari; id praestant in iugera modia vicena. Si sit humidum — pratum. Ideo protinus herbis omnibus liberanda est.*

Martium] Plinius: *solum in quo seratur, elapidatum purgatumque subigitur autumno, mox aratum occatumque integitur crate iterum ac tertium, quinis diebus interpositis et fimo addito. Ita praeparato seritur Maio mense alias pruinis obnoxia.* vbi Dalecamp. ex nostro emendabat: *Martio tertiatum et occatum integitur* etc. Recte quidem vir doctus; si constaret, Plinium in hac disciplina sequi Columellam voluisse. Locum Geoponic. III. 1. 8. et III. 2. vbi mense Februario iterare iubent agrum medica obserendum, annotauit Schoettgen.

27. *vetus stercus*] Ab ouium incubantium stercore et vrina medicam perire, ex aliena fide refert Theophr. H. P. VIII. 8.

quantum] Inutile est hoc vocabulum. Seminis rationem aliter edit Plinius l. c. *Opus est densitate seminis omnia occupari; internascentesque herbas excludi. Id praestant in iugera modia vicena.* Varro I. 42. sesquimodium deputat iugero. De vitio lectionis in Plinio admonuit etiam Dickson Vol. II. p. 246.

ligneis rastris sarriendus] Plinius: *Verno seri debet liberarique ceteris herbis, ad trimatum, marris ad solum radi. Ita reliquae herbae intereunt sine ipsius damno propter altitudinem radicum. Si euicerint herbae, remedium vnicum est aratio, saepius vertendo, donec omnes aliae radices intereant.* Vbi recte Harduinus ab initio legendum censet *sarriri.* Postrema an sana sint nescio. Marra glebas contundit Columella X. 72 et 89. Sed arationem illam postremam, sibi etiam mirabilem visam, explicare conatus est Dickson Vol. II. p. 246. qui praeterea monet, disciplinam Plinii in medica multum diuersam esse a ratione Columellae. Esse praeterea in Plinii loco talem sententiarum nexum, vt vix sanum inde sensum extundere liceat. Igitur vir doctus totum locum ita ordinari voluit: *Poscit autem siccum succosumque, vel riguum. Si sit humidum solum herbosumue, vincitur et desciscit in pratum. Ita praeparato seritur mense Maio, alias pruinis obnoxia. Opus est densitate seminis omnia occupari internascentesque herbas excludi. Id praestant in iugera modia vicena. Cauendum ne aduratur, terraque protinus altitudine vnciali integi debet. Ideo protinus herbis omnibus liberanda est, manu potius quam sarculo.* Videtur Plinius accuratiorem medicae cultum ex Amphilocho tradidisse. Ita in cytiso videmus Columellam ex Aristomacho culturam tradidisse eius fruticis, vnde et Plinius doctrinam suam transtulit. Forte in re noua sua experimenta sequi non potuit Columella. Dickson suspicatur, rationem colendae medicae fuisse emendatam post Columellae tempora, et Plinium nouam eam doctrinam exposuisse. De emendatione loci Pliniani iam antea dixi. Paucа nunc addo: Pintianus iam olim voluit verbum *seri* mutari in *sarriri;* deinde idem ex Codice legit: *aratro vertere donec.* Recte! Deinde Vincentius habet: *in aruis a solo radi.* De ligneis rastris praeceptum, et ne ferro tangatur medica post sationem, ad superstitionem refert *Bradley* Survey p. 181.

aduruntur] Plinius l. c. *mouendum ne aduratur, terraque protinus tegi debet.* In vicia contra sect. 7. *si nox intercessit, quantulacunque humore prius quam obruatur, corrumpitur.* Scilicet vtrumque et nocturnum rorem, legumi-

num

num germina succosa celerius explicantem, quam in frumento duriore fieri potest, et insecutum solis calorem tenera germina et nuda adurentem coniungendum esse in hoc praecepto, bene docuit Bradley p. 177 seqq.

28. *seminum eiecerit*] Plinius l. c. *seratur incipiens florere et quoties refloruit. Id sexies euenit per annum; cum minimum, quater. Id semen maturescere prohibenda est, quia pabulum vtilius est vsque ad trimatum.* Palladius ex h. l. *vt aliquantum seminis excutiat.* Praeceptum ipsum egregie explicat Bradley l. c. p. 182 seqq. Scilicet perfecta atque absoluta fructificatione plantarum succus in radicem regressus pullulare inde compellit plantam et fruticare; contra imperfecta fructificatione caulis incisus succusque retro compulsus incrementum omne plantae inhibet.

quam voles tenerum] Palladius Aprili 1. *quam volueris cito, peragantur messes reliquae.* Hinc vulgatum *posteaquam* separandum vidit Morgagni.

inflat enim] Plinius: *Dari non ad satietatem debet, ne deplere sanguinem necesse sit. Et viridis vtilior est. Arescit surculose ac postremo in puluerem inutilem extenuatur.* Aristoteles H. A. III. 21. *μηδικὴ πόα σβέννυσι τὸ γάλα, μάλιστα τοῖς μηρυκάζουσι.* Sed Columella iumenta inprimis medica pascere iubet, armenta reficere, et pecori medicari. Monet Bradley p. 185. ab initio purgari valde pecus medica comesa, deinde assuetum illi pinguescere. Equos ipse vidi purgari medica, ruminantes vero bestias magis inflari audio.

29. *Viciae duae*] Plinius XVIII. sect. 37. *et vicia pinguescunt arua, nec ipsa agricolis operosa; vno sulco sata non sarritur, nec sterceratur, nec aliud quam deoccatur. Sationis eius tria tempora. Circa occasum Arcturi, vt Decembri mense pascat; tunc optime seritur in semen; aeque namque fert depasta. Secunda satio mense Ianuario est; nouissima Martio; tum ad frondem vtilissima. Siccitatem ex omnibus, quae seruntur, maxime amat; non aspernatur etiam vmbrosa.* Vides igitur, verbis tantum, non re, differre disciplinam Plinii; quod enim noster ait: *vel etiam serius*, pertinet ad tertiam aliquam sationem. Columellam transcripsit Palladius II. 6. Modum seminis maiorem, si pabulo seruire debet, bene explicuit Bradley p. 185. et ad omnem sationem pertinere monuit. Seruius Virgilii I. 75. *tenues viciae foetus* interpretatus: *nam vix*, inquit, *ad triplicem peruenit fructum, cum alia legumina prouentum habeant felicissimum.*

limacem] Plinius XVIII. sect. 61. *fabam alii plena luna serendam, lentem vero a vigesimo quinto ad trigesimum.*

Viciam quoque iisdem lunae diebus: ita demum sine limacibus fore. De faba aliter Columella II. 10. 11. et Geoponica II. 18. 13. vbi praeterea est aliud remedium contra viciae noxam. Appellantur nempe τὰ βίκια. In Asia vero βίκιον appellatum fuit, qui ab Atticis κύαμος et σάραχος dicebatur, teste Galeno de Aliment. Facult. I. 36. Viciam vulgarem satiuam, Britannorum *Tare* intelligit Bradley p. 115. Creditur esse Theophrasti ἀφάκη. Ceterum Bruſch. *ne ante non quintam.*

farraginem] Nomen a farre ductum. Plinius XVIII. sect. 41. *farrago ex recrementis farris praedensa seritur, admixta aliquando et vicia. Eadem in Africa fit ex hordeo. Omnia haec pabularia.* Ex tritico farraginem habet Plinius XVIII. sect. 10. et in tritici genere pars aliqua pabuli est quadrupedum causa sati, vt farrago, et in leguminibus, vt vicia. In farracia segete factum primum testatur Varro I. 31. 5. quod deinde eius aetate in ordeo vicia et leguminibus mistis fiebat.

decem modiis] Dimidio minor hordei modus seritur, cum semini seruimus. Cantherinum scilicet pabulo inprimis seritur, idque rarius fruticat quam distichon, pluribus spicae seriebus grauidum. Ita *Bradley* p. 188. monet ad h. l.

auenae] Solam auenam pabulo satam ponit Columella. In ocymo admixtam Mamilius Sura apud Plinium XVIII. sect. 42. *melius*, inquit, *et auena graeca, cui non cadit semen, admixta.* Haec auena graeca videtur esse eadem, quam Columella pabulo serit, et diuersa ab ea, quam Plinius simpliciter auenam appellat. Lectionem *ratio* vulgatae *satio* praeferebat etiam Pontedera. Est haec auena Graecorum αἰγίλωψ. de qua Theophr. H. P. VIII. 11. XII. 7. Linum et auenam agrum vrere monet Virgilius Georg. I. 77. vbi Seruius: *Coelius libro tertio seri auenam ostendit.*

33. *Siliquam*] Plinius XVIII. sect. 39. Silicia hoc est foenum graecum scarificatione seritur, non altiore quatuor digitorum sulco; quantoque peius tractatur, tanto prouenit melius. Ita iterum Plinius XXIV. sect. 120. Verba Columellae repetiit Palladius II. 7.

hac satione] Ita pro *ratione* legi volebat etiam ex libris Pontedera.

minimis aratris] Herbarum radices ex agro tollere iubent Geoponica III. 1. βραχέσι et μικροῖς ἀρότροις, II. 23. 9. vbi §. 14. est ὕνειτε χρῆσθαι βαρυτέρᾳ. Haec scilicet postrema conditio pertinet ad solum firmum et pingue, in quo vtuntur ἄροτρα βαθέα, quae ibidem III. 118. nominantur.

ad-

adobruunt] Palladius ex h. l. *cooperiunt.*

34. *Potest (et)*] Inclusum *et* deleri, aut *etiam* legi volebat Pontedera. Interim inclusi vocem satis inutilem.

Eruum] Sationis cautelam eandem repetit infra XI. 2. 10. et ipsum eruum fresum et aqua maceratum bobus per hiemem praebet VI. 3. 4. Graecorum ὄροβος. Cortice exteriore detracto intus rubere, vitello oui simile tradit Actuarius de Vrinis. Galenus I. de Alim. facult. docet, eruum esse colore ξανθὸν ἢ ὠχρὸν; varietatem albam dulciorem, sed minus medicamentosam esse. Itali hodie *Moco* et *Ervo* appellant.

quinque modiis] Plinius XVIII. sect. 38. *nec erui operosa cura; hoc amplius quam vicia, runcatur. et ipsum medicaminis vim obtinens. — Sufficiunt singulis boum iugis modii quini sati. Martio mense satum noxium esse bubus aiunt, item autumno grauedinosum, innoxium autem fieri, primo vere satum.* Noxae tempora distinxit ille auctore Theophrasto in H. P. II. 5. Palladius ex Columellae h. l. III. 7. habet *boues insanos.* Aristoteles H. A. III. 21. ὄροβοι ποιοῦσι γάλα πολὺ — οἱ δὲ ὄροβοι καὶ τοῖς κυήσαις ἐ συμφέρουσι, τίκτουσι γὰρ χαλεπώτερον. Eruo nimio deuorato sanguinem per vrinam reddentes sues Lugduni expertus est C. Gesner. Vide eum in Boue p. 64. In Plinio annotabis, singula boum iuga dici, quod nostro iugerum est. Sed is de ratione seminis ibid. sect. 55. *in iugerum erui modios sex serere iubet.* Noxam ervi semini non plantae ipsi inhaerentem intelligi, docet alter Columellae locus supra positus. Et Plinius 22. s. 13. *Cibis idem hominum alienum, vomitiones mouet, aluum turbat, capiti et stomacho onerosum. Genua quoque degrauat. Sed madefactum pluribus diebus mitescit; bobus iumentisque vtilissimum.* Dioscorides II. 131. βοῦς δὲ λιπαίνει ἐφθὸς παρατιθέμενος. Varia comminiscitur *Bradley* Survey p. 189. vt rationem exputet, cur mense Martio satum noxam bobus contrahat siue pabulum siue semen ipsum. Verba Theophrasti sunt: ἐάν τις τοὺς ὀρόβους εἰαρινοὺς σπείρῃ, τρισάλυποι γίνονται καὶ οὐχ ὥσπερ οἱ μετοπωρινοὶ βαρεῖς. Contrariam sententiam quae ratio romanis agricolis persuaserit, equidem non comminiscor; causam igitur ipsius rei vano conatu quaerimus.

35. *colore*] Palladius IV. 6. *distat a cicercula solo colore, quo sordet et nigrior est; seritur primo sulco vel secundo solo laeto. Iugerum quatuor vel tribus vel etiam duobus modiis implebimus.* Colorem Sinopidis cicerculum habet Plinius 35. sect. 13. quem Harduinus interpretatur *gris brun.*

Vide ad cap. 10. 19. Ceterum in Brusch. est *difert — nam et obsoletior.* Quod ad *difert* attinet, nescio an spernenda sit forma illa; vulgaris enim conuenire videtur cum antiqua illa apud Quinctilianum, quae *caussa, cassus, diuissiones* et similia frequentabat.

lentescat] Quod ex L. et P. posuit Gesner *inlentescat*, id ipsum habet Aldina, sed in Corrigendis mutauit in vulgatum nunc *lentescat*, nescio qua auctoritate.

subtritis] Alteram lectionem *succretis* interpretabor purgatis cribro.

Cap. XI. *quidam negant*] Palladius Ianuar. 9. *hoc mense serenis et siccis diebus, dum gelicidium non est, sunt sarculanda frumenta. quod opus plerique negant fieri debere, quia radices eorum detegantur, aut incidantur, et necentur frigore subsecuto. Mihi autem videtur herbosis tantum locis esse faciendum.*

2. *plana sarritione*] Hoc idem deinde dicit: *remolliri terra debet aequaliter.* hoc idem Plinius in faba XVIII. c. 26. dicit *leui sarculo purgare verius quam fodere.* Sarritionem seu sarculationem male cum cratione *(harrowing)* hodierna permutasse Tullium Britanum, operose docet Dickson II. p. 53 seqq. Sarculos simplices et bicornes memorat ad hunc vsum Palladius I. 43. 3. Quod in hodierna arandi ratione locum non habet, fieri commode in latis sulcorum profundorum interuallis, segete in porcam altam congesta, potuisse, recte monet idem Dickson p. 61. Graeci sarire dicunt σκαλεύειν. Xenophon Oeconom. XVII. 12. dicit, saritionem institui, vt seges hibernis aquis et luto obruta liberari aut nudata obrui et tegi, aut herbis purgari possit. Ita etiam Leontius in Geoponicis II. 24. Sarire est a graeco σαρῶν verrere, purgare; et *sartio, sartura*, vt in libris optimis scribitur, mihi praeferenda videntur; certe aequaliter vbique scribendum erat. *Sartura* est apud Plinium XVIII. sect. 67. no. 2. et apud Columellam IV. 26. 2. Planam sarritionem fieri puto sarculo vnicorni, altam fossioni similem bicorni, quod suo tempore ignorasse monet *Bradley* p. 234. qui bicorne sarculum inprimis probat.

3. *vti*] Recte Broukhus. emendabat *niti.*

sicut Aegypti] Plinius XVIII. sect. 50. *At in Bactris, Africa, Cyrene omnia haec superuacua fecit indulgentia caeli: a seminente non nisi messibus in aream redeunt, quia siccitas coercet herbas, fruges nocturno rore tactas nutriens.* Ita ex h. l. scripsit ibi Harduinus cum vulgo esset: *nonnisi nonis men-*

mensibus. Praeterea ex lectione Codd. *area* recte emendat *arua.* Ita Plinius sect. 47. de Aegypto: *reliqua pars nonnisi cum falce arua visit, paulo ante Calendas Apriles.*

4. *sulcos contexerint*] Geoponica II. 24. ὅταν ᾖδῃ τὸν βῶλον, κρύπτειν ἄρχηται. Virgilius Georg. I. 113. segetem depasci iubet *cum primum sulcos aequant sata.* quem locum Dickson I. p. 517. interpretabatur de agro sub sulco seminato; nam liram mox a segete enata contegi atque aequari. Quam interpretationem non adiuuat hic Columellae locus, vbi sarritio segeti datur. Sarritio autem fere vbique agro; in lira consito adhibetur, vbi per sulcum incedentes facile sarculum tractabant et segetem purgabant.

quatuor fibras] Plinius XVIII. sect. 65. 2. *far, lex certa meo, cum quatuor fibrarum esse coeperit, sarriendum; faba vero non antequam trium foliorum. tum quoque leui sarculo purgare verius quam fodere. florentem vtique XV. diebus primis non attingere.* Palladius Maio 9. *triticum et far sarritur quatuor foliorum, ordeum quinque; faba et legumina cum supra terram quatuor digitis fuerint. Lupinus vero, qui vnam radicem habet, si sarculetur, extinguitur; quod nec desiderat, quia herbas praeter auxilium cultoris affligit.*

vnam radicem] Ratio haec vera esse non potest. Theophrastus enim H. P. VIII. 2. omnia legumina radicem habere vnicam et lignosam, fibris exilibus circum sparsis et in caules ramosos fruticare, contra frumenta radices multas atque exiles emittere; vnde Plinius XVIII. sect. 10. no. 2. *legumina omnia singulas habent radices easque sarculosas.* Capparin et lupinum cultum omnem abnuere tradit Theophr. H. P. I. 6. III. 3. Geoponica II. 39. Ceterum in vinea stercoris vice satum et deinde euertendum aratro sarrire iubent Geoponica III. 5. 7.

5. *esset cultus*] Ita iam olim voluit Vrsinus scribi pro vulgato tum *erit.* Lupinum seri in perniciem herbarum iubent Geoponica III. 5 et 10.

segetes vel] Ita libri optimi. Vulgo *segetes quae vel.* olim etiam *vel quae.* Palladius Maio 9. *si siccas segetes sarculaueris aliquid contra rubiginem praestitisti.* Rubigo est ἐρυσίβη Theophrasti. Sterilem rubiginem segetis dixit Horatius Carm. III. 28. 7. Remedium ex lauri ramis, in aruo defixi, posuit Plinius 18. cap. 17. Aduersus hunc morbum segetum inuocabant Robiginem deam Robigalibus sacris, quae septimo Kalendas Maias Romani celebrabant. De natura rubiginis, et antiquitates reliquas posui ad Varronem

I. 1. 6. De natura locus classicus est Theophrasti H. P. VIII. 10. et C. P. III. 27.

hordeum vero] Plinius XVIII. sect. 65. no. 2. *hordeum nisi siccum ne sarrito.* Palladius Maio 9. *maxime hordeum siccum sarrietur.*

6. *ducta secernatur*] Vrsinus volebat legi *deducta secernatur, ac caetera runcatione.* Videtur viro docto nouus accidisse vsus vocabuli *runcatione* pro herbis, quae runcatione tolluntur. In libris optimis bis scriptum exstat *runca.* probante Pontedera.

eius leguminis] Ex libris optimis inserui *eius* sententia et Pontedera suadentibus.

pessimi agricolae] Pontedera lectionem librorum optimorum *pessime agricolas* praeferebat. Deinde malebat *in satis* aut *satis praeueniat.* Equidem priorem rationem praefero; ita enim in libro Politiani scriptum exstare, annotat Pontedera, etsi eius lectionis non meminit Gesneri editio.

7. *debere etiam*] Palladius Maio 9. *Faba autem si bis sarculetur, proficiet et multum fructum et maximum afferet; vt ad mensuram modii complendi fresa propemodum sicut integra respondeat.* Ex quo loco apparet, quid sibi velit lectio Lipf. libri *etiam intersariri.* Scripserat scilicet Columella *etiam iterum sariri.* Ex hac lectione superest vulgatum et vitiosum *ter sariri.* Plinius XVIII. sect. 50. *triticum, hordeum, semen, fabam bis sarrire melius — faba runcari non gestit: quoniam euincit herbas lupinum, runcatur tantum. ter quidem sartum modium fresae e modio solidae reddere.* vbi *sartam* ex Codice probat Heinsius Aduers. III. p. 525. qui eandem scripturam passim in libro Sangerm. Columellae reperiri monet.

8. *ne radices satorum*] Plinius XVIII. sect. 50. *Sarculatio induratum hiberno rigore tristitiam soli laxat temporibus vernis, nouosque soles admittit. Qui sarriet, cauebat, ne frumenti radices suffodiat.*

frutex humi] Lectionem librorum optimorum *frutex culmi* damnat sententia loci. Nam prima atque altera saritio peragitur antequam in articulum eat seges et culmum faciat. Igitur dum pullulat seges, saritur. Fruticare igitur et pullulare idem est. Alia ratio est supra cap. 9. 6. *ex vno semine pluribus culmis fruticauit.* Mecum sentit Dickson II. p. 69. Vitem de nouo palmite pullulascere dixit IV. 21. Pullos pro stolonibus dixit Cato cap. 51. pullulos Plinius XVII. sect. 12.

9. re-

9. *remolliri*] Ita vulgatum *remoliri* corrigendum esse, quilibet videt; Gesnerus tamen id in Indicem, vt passiue dictum retulerat.

viginti] Plinius 18. sect. 67. no. 2. *Sarritur vero diebus viginti. Ab aequinoctio sartura nocere et vineae et segeti aestimatur.*

runcatio] Non satis accurate tractasse videtur runcationem Columella. Plinius XVIII. sect. 50. *runcatio cum seges in articulo est, euulsis inutilibus herbis, frugum radicem vindicat, segetemque discernit a cespite.* Ita definitur tempus runcationis in frumentis. *In articulum ire seges* dicitur etiam Plinio 18. sect. 45. Geoponica II. 24. ὅταν δὲ ἀποσταχύῃ βοτανιζέσθω. Graeci etiam κοασμὸν dicunt runcationem.

10. *Omne autem frumentum*] Palladius Maio 1. *frumenta et ordeum, et quae sunt seminis singularis, octo diebus florebunt, et deinde per dies XL. grandescent flore deposito vsque ad maturitatis euentum. quae vero duplicis seminis sunt, sicut faba, pisum caeteraque legumina XL. diebus florent simulque grandescunt.* Ex quo loco patet, quod ipsa etiam ratio botanica docet, in Columella legendum esse *non duplici* cum negatio excidisset. Igitur sine dubitatione eam restitui, repertam in Brusch. et Aldina, quam ideo inspexi.

ad quartum nodum] Theophrastus H. P. VIII. 2. de frumentis, vere caulem emittentibus: συμβαίνει δ' εὐθὺς ἐν τῷ τρίτῳ γόνατι, τοῖς δ' ἐν τῷ τετάρτῳ καὶ τὸν στάχυν ἔχειν, ἀλλ' ἐ φανερὸν ἐν τῷ ὄγκῳ· γίνεται δὲ ἐν τῷ ὅλῳ καλάμῳ πλείω τέτων (γόνατα) ὥστε σχεδὸν ἅμα τῷ καλαμῶσθαι συνίστασθαι ἢ μικρὸν ὕστερον — ἀπολυθεὶς εὐθὺς ἀνθεῖ (ὁ σταχὺς) μεθ' ἡμέρας τέτταρας ἢ πέντε, καὶ πυρὸς καὶ κριθῆ, καὶ ἀνθεῖ σχεδὸν τὰς ἴσας. οἱ δὲ τὰς πλείστας λέγοντες ἀνθεῖν ἐν ταῖς ἑπτὰ φασὶν ἀπανθεῖν. ἀλλὰ τῶν χεδροπῶν χρόνιος ἡ ἄνθησις, χρονιωτάτη δὲ τῶν μὲν ἄλλων ὀρόβε καὶ ἐρεβίνθε, τέτων δὲ ἐπέντων τῷ κύαμε — τετταράκοντα γὰρ ἡμερῶν ἀνθεῖν λέγεσιν — ἡ γὰρ ἄνθησις τῶν μὲν σταχυνηρῶν ἀθρόα, τῶν δ' ἐλλοβοδῶν καὶ χεδροπῶν πάντων κατὰ μέρος. Deinde cap. 3. μετὰ δὲ τὴν ἀπάνθησιν ἀδρύνονται πυρὸς καὶ κριθῆ τεσσαρακοντάῃα μάλιστα — τεσσαρακοντάῃον δέ φασι καὶ τὸν κύαμον, ὥστε ἐν ἴσαις ἀνθεῖ καὶ τελειῦται, τὰ δ' ἄλλα ἐν ἐλάττοσι. Plinius XVIII. sect. 10. no. 4. *frumenta quaedam in tertio genu spicam incipiunt contipere, quaedam in quarto, sed etiamnum occultam. Genicula autem sunt tritico quaterna, farri sena, hordeo octona; sed non ante supra dictum geniculorum numerum conceptus est spicae; qui vt spem sui fecit, quatuor*

tuor aut quinque tardissime diebus florere incipiunt, totidemque aut paulo pluribus defloresscunt. Hordea vero cum tardissime septem — frumenta cum defloruere, crassescunt, maturanturque cum plurimum diebus quadraginta: item faba: paucissimis cicer. Patet igitur, Columellam paulum descivisse a graeca Theophrasti disciplina. Vide ad Varron. I. 32. Pontedera Antiqq. p. 142. numerum XL. dierum hic suspectum habebat, nescio qua de causa.

duplici semine sunt] Theophrastus H. P. VIII. 2. frumenta omnia ita germinare ait, vt ex inferiore parte crassa radicem, ex superiore germen (βλαστὸν) emittant; contra legumina ex vna eademque parte et radicem et germen emittere, ea scilicet, qua siliquae adhaerent, quam oscillum Columella, alii vmbilicum dixerunt. Crassam frumentorum partem similiter eam intelligi, quae spicae adhaeserat. Germine protruso atque explicato disiungi semina omnia; esse enim omnia bifida seu duplicia, manifestiore tamen discrimine in leguminibus: τὰ δὲ χεδροπὰ φανερῶς πάντα δίθυρα καὶ σύνθετα, i. e. legumina manifesto bifora et composita; paulo antea διμερῆ duplicia dixerat. Huius loci alteram modo partem excerpsit Plinius XVIII. sect. 10. no. 2. *Ex hordeo*, inquit, *alterum caput grani in radicem exit; alterum in herbam, quae et prior floret. Radicem crassior pars grani fundit, tenuior florem. Caeteris seminibus eadem pars et radicem et florem.* Ad Theophrasti locum recte monuit Scaliger, leguminum semina duplicia dici a Columella, quia manifesto germine protruso in duas discedunt partes. Rem ipsam recte etiam interpretatus est Gesnerus; sed locum Theophrasti aut Plinii non attulit, nec accuratius doctrinam hanc explicauit. Frumenta hodie botanici monocotyla, legumina dicotyla, cotylas seu cotyledones Ludwigius lobos seminales, alii aliter appellarunt. Vide quae multo accuratius quam Linnaeus in Philosophia botanica p. 89 et 102. ed. Gleditsch. tradiderunt Ludwigius Instit. regni Vegetab. p. 215. Adanson et nuper Hedwigius noster cum Wildenouio.

Cap. XII. *summam — dimidiam*] Ita ex libris scribi voluit etiam Pontedera pro vulgato *summa — dimidia*. Eandem rationem in hordeo deinceps sequimur, vbi vulgata habebat *summa — dimidia*. Pendent enim haec ab *exigunt*, illa ab *occupant*.

Seminis] Vestigia verae lectionis, quae pure exstat in Sang. habent etiam reliqui libri. Vulgo *Sesami*, quod postea commemorabitur. Monuit de vitio etiam Pontedera. Semen

men eſt adoreum, quod maiore menſura feritur, quia folliculis ſuis incluſum iacitur in arnum.

quot operis carpantur, incertum eſt] Lectoris alicuius, qui mentionem operarum, quot carpantur omiſſam animadverterit, obſeruatione haec verba eſſe nata, ſuſpicabatur Geſner, qui excogitare non potuit cauſam, cur ſit incertius hoc in panico et milio, quam in reliquis. Verum in his duobus leguminibus maturitas tempore nimium variatur, et grana matura nimis cito defluunt; deinde etiam modus carpendi varius erat; pectine enim plerique vtebantur in legendo milio et panico.

5. *vndecim*] Hunc rectiorem numerum ex libris reſtitui, monente etiam Pontedera. Vulgo *decem.*

quatuor iugis] idem eſſe atque operis ſeu bubulcis recte monuit Geſner.

6. *runcantur vna, velluntur*] Locum hunc ex emendatione Pontederae poſui, qui libros optimos auctores ſecutus eſt; niſi quod runcationem ſarritioni ſubiunxit, ſcilicet ne ſarculo ſemen ad maturitatem accedens diſcutiatur. Occationem multo minorem operam deſiderare, quam arationem, exempla multa alia apud Columellam demonſtrant.

incertum eſt, quantam impenſam] Diſcrimen facere videtur, prouti ſemine cannabis, aut turba ipſa vti velis ad funes aliamque ſupellectilem inde conficiendam. De cannabis cultura nimis pauca Scriptores latini rei ruſticae docuerunt.

7. *in aſſe*] Vulgatum *in aſſem* correxi cum Vrſini. Ita ſect. 9. eſt *ſic in aſſe fiunt.*

8. *operas CXV.*] In hoc altero deinde numero XL. vitium eſſe, monuit Pontedera; computari enim in iugeri proſciſſionem operas binas, et recte quidem; deinde in iterationem dimidiam partem, hoc eſt operam vnam; in tertiationem et ſationem contra conferri operas paene duas; atque in eo vitium haerere numero, cum conſtet, vna opera iugerum tertiari et ſeminari; atque omnino iugero ſufficere operas quaternas, quae cum numero XXV. multiplicatae efficiant ſummam C. non autem CXV. itaque etiam altero in loco XXV. eſſe ſcribendum. Vulgatam contra explicare conatus eſt Salmaſius ad Solinum p. 511. rationibus mihi plane obſcuris.

9. *Legumina*] Ante hoc vocabulum vulgo infertum legebatur *caetera;* ſed recte Pontedera monuit, leguminibus nec re nec nomine conuenire cum frumento; itaque recte omitti a libro Polit. *caetera.* Verum reſtat difficultas in numero-

merorum summa, postquam frumentorum summae dies subtraxit Pontedera XV. qui attribuendi diebus hic commemoratis. Octo enim menses et dies decem efficiunt dies 250. Ex his 100 tribuimus frumentis; supersunt leguminibus, diebus ferialibus, pluuialibus, et brumalibus contribuendi 150. Vulgata autem lectio hic numerat modo 135. Exciderunt igitur dies XV. quos supra frumento detraximus, hic addendos. Recte igitur monet Pontedera, brumale intervallum requirere dies XL. quibus bubulci circa brumam otiari solebant. Supersunt nunc dies V. quos Pontedera attribuit numero dierum ferialium et pluuialium, vt efficiatur summa dierum 250.

Cap. XIII. 1. *eruilia*] Hoc vulgato eruo praetuli ob auctoritatem veterum Edd. et Codicis Sang. cuius lectionem commemorauit etiam Burmann ad Petronii c. 57. In Varrone I. 32. 2. Victorius eruilam ediderat. Eruiliae folia longiora, vt et piso esse, ait Plinius XVIII. sect. 10. Eruiliam ocyno pabulo miscet Mamilius Sura ibid. sect. 42. Denique Plinius XIX. sect. 17. rubiam seri ait similitudine eruiliae. Ex Theophrasti H. P. VIII. 3. ὤχρον vertit Plinius eruiliam. Festus *eruum* graece ὄροβον, eruiliam ὀρόβινον interpretatur. Male, vt puto; sed nihil decerno. Huc pertinet prouerbium rusticum apud Petronium l. c. *quid nunc stupes tanquam hircus in eruilia?* Vt a cicere cicercula, ita ab eruo dicitur eruilia.

De lupino] Palladius I. 6. 14. *lupinus et vicia pabularis, si virides succidantur et statim supra sectas eorum radices aretur, stercoris similitudine agros foecundant: quae si exaruerint antequam proscindas, in his terrae succus auferetur.*

2. *proscindatur*] Vrsinus h. l. ita volebat legi: *proscindantur, nihil ex iis segetibus.* Sed puto, virum doctum a recto et vero sensu loci aberrasse.

3. *salsae*] Male libri duo praestantissimi *densae.* Plinius XVII. sect. 7. *cicer quia vellitur et quia salsum est — segetem exurit.* Ita nempe Cato cap. 37. Ratio, *quia vellitur*, haec est: Cicer omnium leguminum maxime altas agit radices, teste Theophrasto H. P. VIII. 2. Hinc etiam stercoris vice legumina breuium radicum modo seri iubent Geoponica II. 23. 11.

Virgilius] Georgic. I. 77.

Cap. XIV. *Ac nautibus*] Vulgatum *aut* ex Varrone corrigi voluit Pontedera, qui deinceps legebat: *nam inde noxium*

noxium quod est. Palladius I. 33. *sed columbinum feruidissimum, caeterarumque auium satis vtile est excepto palustrium.* Plinius XVII. sect. 6. *proximum Columella columbariis, mox gallinariis facit, natantium alitum damnato.*

fermentare] i. e. ex densa rariorem et resolutiorem facere et vim addere gignendi. Ita recte interpretatur Niclas ad Geopon. II. 21. vbi de hoc genere est: *ἡ τῶν περιστερῶν πολὺ τὸ θερμὸν ἔχουσα — ὠφέλιμος γὰρ γίνεται τῇ ἀδυνατούσῃ χώρᾳ, τρέφουσά τε αὐτὴν καὶ δυνατωτέραν ποιοῦσα εἰς τὴν τῶν καρπῶν ἔκφυσιν καὶ τροφὴν καὶ τὴν ἄγρωστιν δὲ αὐτάρκως λυμαίνεται.*

2. *naturae est ferv.*] In Sang. est: *feruentius naturae est.* Plinius l. c. *Ceteri auctores consensu humanas dapes ad hoc inprimis aduocant.*

veterascere] Plinius l. c. *alii praeferunt hominum potus, in coriariorum officinis pilo madefacto; alii per se, aqua iterum, largiusque etiam, quam cum bibitur admixta. Quippe plus iam ibi mali domandum est, cum ad virus illud vini homo accesserit.* Vrinam et per se et cum coriariorum recrementis laudant Geoponica II. 22. praecipue ad vineam stercorandam. Idem fecit iam olim Theophrastus de Causis Pl. III. 12 et 23. eoque laetamine ait arbores quasdam silvestres in vrbanum habitum transiisse. Quod vero veterascere et deferuere antea vult Columella, vim causticam vrinae mitigare voluit, quod fit vsu officinarum coriariorum et fullonum, quae magnum etiam discrimen spectant vrinae, ex potu vini aut cereuisiae concoctae. Ceterum ex Sang. etiam *passus veterescere* omisso *fueris* laudat et in *passus fis viescere* mutat Heinsius Aduers. III. p. 460.

3. *ablaqueatae*] Restitui formam hanc, cui ex sola Commel. Gesner substituit alteram *oblaqueatae;* quod tamen in Catone cap. 29. non fecerat. Ceterum ipse etiam formam alteram veram censeo esse. Vide ad locum Catonis notam.

4. *asinus*] Palladius I. 33. haec omnia transtulit. *Stercus asinorum primum est, maxime hortis;* armenta et fauillam omittit. Plinius l. c. *Proxime (a lotio) spurcitias suum laudant, Columella solus damnat.* Geoponica II. 21. distinguunt vsum ita: *μετὰ δὲ ταύτας ἡ βοεία. καλλίων δὲ τούτων ἴσως ἡ ὑεία κόπρος ἀνεπιτήδειός ἐστι τοῖς σπορίμοις, διὰ τὴν πολλὴν αὐτῆς θερμότητα· καίει γὰρ εὐθέως τὰ σπόριμα.* Ad arbores laudat etiam Theophrastus H. P. II. 8. De asinino Plinius ibidem sic: *Quidam etiam bubulo iumentorum praeferunt suillumque caprino, omnibus vero asininum, quoniam lentissime*

tissime mandunt. E contrario vsus aduersus vtrumque pronunciat.

iumentorum armentorumque] Graece vno verbo λοφύρων dixit Theophrastus C. P. III. 7. quorum stercus leue, nec calefacere nec exsiccare tantum ait, quantum reliquorum animalium stercus acre et vehemens.

5. *cineris*] Fimum siccum duobus in locis hoc genus appellauit Columella III. 11. 4. V. 9. 14. Cineris vsum apud Transpadanos memorat Plinius 17. c. 9. Ceterum ex lectione Pol. et Sang. legendum fuerit: *satis proficitur cineris vsu.*

frutex lupini] Plinius XVII. sect. 6. *inter omnes constat, nihil vtilius esse lupini segete, priusquam siliquetur, aratro vel bidentibus versa, manipulisue desectae circa radices arborum ac vitium obrutis.*

e viis] Haec ex Goes. et Sang. addidi, quae in *et triviis* mutari Burmann ad Petron. c. 134. deleri veluti glossam vocabuli *compitis* volebat Schoettgen. Equidem simpliciter lectionem optimam cum Nic. Heinsio ad Petronii l. c. approbo.

6. *serpentem noxiam latere*] Quia liber Polit. omittit verbum *latere*, Pontedera ex vocabulo *noxia* effingit *nasci.* Varro sic I. 38. *in eo si in medio robusta aliqua materia sit depacta; negant serpentem nasci.* vnde Plinius XVII. sect. 8. *palo e robore depacto — ita fore, ne innascuntur his serpentes.* Vides, Plinium interpretari *robustam* e robore. Ita etiam Cato cap. 18. 4 et 8. dixit *robustos stipites.* Equidem vulgatum *serpentum noxam* ex libris optimis correxi.

7. *caprile*] Vulgatum *caseale* aperte vitiosum ex libro Lips. corrigi iussit Pontedera; caprile enim quotidie verri vult Columella libro VII. c. 6. Sed praeterea etiam *culinam* h. l. abesse vellem. Voluit enim aperte Columella de pecudum stercore loqui. Itaque malim *suile* et *caprile.* De suili Columella VII. 9. 14. *diligens porculator frequenter suile converrat et haras saepius — mundissimum tamen cubile desiderat.* Vulgatum *caseale* Scaliger cum Turnebo interpretabatur locum, vbi casei conficiuntur et reponuntur; alii *caesale* latrinam explicabant. Culinam nemo defendet ex loco Aggeni Vrbici Comment. in Frontinum de Agrorum Qualitatibus, vbi est: *Sunt in suburbanis loca publica, inopum destinata funeribus, quae loca culinas appellant.* Vide Gesneri Thes. L. L. qui culinam etiam de latrina dici voluit. Sed neutra significatio h. l. conuenit. Festus culinam dici ait locum, in quo epulae in funere comburuntur. Catalecta:

Neque

Neque in culinam et vnctia compitalia dapesque ductis sordidas. vbi *Ditis* corrigit Pontedera ad Varronem in Antiqq. In lapide vetusto sacris aedibus adnexa culina est: *Herculi Saxano Sacrum Scr. Sulpicius Trophimus aedem, zothecam, Culinam pecunia sua a solo restituit.* In alio: *Iunoni sacrum M. Magius — aedem, Signa X, Porticum Materiis II. Culinam et locum in quo ea sunt V. S. L. M.* Haec attulit Pontedera ad Varron. I. 13. 2.

quodque] Ita recte Vrsinus emendauit vulgatum *quoque;* idem volebat deinceps *ouium* legi.

assiduo humore] Palladius I. 33. *humor abundans hoc praestabit stercori, vt si qua insunt spinarum semina, putrefiant.* Videtur igitur h. l. *spinarum semina* legisse; aut traduxit ex libri I. cap. 6.

8. *rastris permisceri*] Geoponica II. 22. τοῖς ἄμαις ἕως τοσούτου κινεῖσι, ἕως ἂν πᾶσα συμμιγεῖσα καὶ ἐνωθεῖσα ἡ κόπρος χυλώδης γένηται.

itemque maiores] Plinius XVIII. sect. 53. *vt hanc quoque curam determinemus, iustum est, singulas vehes fimi denario ire, in singulas pecudes minores: in maiores denas: nisi contingat hoc, male substrauisse pecori colonum appareat.* quem locum pessime interpretatus Harduinus non vidit in *denario ire* latere mensis seu tricenorum dierum vocabulum et numerum. De vehibus vide XI. 2. 86.

9. *anno requieuerit*] Palladius I. 33. *stercus quod anno requieuerit, segetibus* (alii libri *satis*) *vtile est, nec herbas creat: si vetustius sit, minus proderit. pratis vero recentia stercora proficient* (alii libri *proderunt*) *ad vber herbarum.*

vetustius] Exstat apud Aristotelem H. A. V. 19. observatio de muscarum ortu haec: αἱ δὲ μυῖαι ἐκ τῶν σκωλήκων τῶν ἐν τῇ κόπρῳ τῇ χωριζομένῃ κατὰ μέρος. διὸ καὶ οἱ περὶ ταύτην τὴν ἐργασίαν ὄντες μάχονται χωρίζειν τὴν ἄλλην τὴν μεμιγμένην, καὶ λέγουσι τότε κατεργάσασθαι τὴν κόπρον.

nam ea quoque] Palladius Septembri 1. *cum luna minuitur; quae res si seruetur, herbis officiet.* Scilicet, vt noster cap. 16. monet, ad segetem stercus decrescente luna egerendum est, contra in prata crescente, quo plus herbis proficiatur recenti stercore ingesto.

De caetero vsus] Malim cum Vrsino *de caetero vsu stercoris.*

Cap. XV. *qualibet*] Palladius Sept. 1. *eiiciuntur quidem laetamina et qualibet hiemis parte, sed si tempore suo eiici aliqua ratione non poterunt, antequam seras, more seminis*

per

per agros puluerem ſtercoris ſpargere, vel caprinum manu proiice, et terram ſarculis miſce.

duodeuiginti] Ex Lipſ. libri lectione *duo* et *viginti* et cap. 5. Pontedera correxit vulgatum duodecim. Accedit Bruſch. et Plinius XVIII. ſect. 53. *autumno aliquid ſaturus Septembri menſe fimum inaret poſt imbrem. Vtique ſi verno erit ſaturus, per hiemem fimum diſponat. Iuſtum eſt, vehes octodecim iugero tribui; diſpergere autem priuſquam areſcat aut iacto ſemine.* Poſtrema verba vitioſa cenſeo in Plinio. Vide etiam infra ad XI. 2. 86.

araturus] Hanc librorum lectionem praeferebat etiam Pontedera ex cap. 5. vbi eſt: *iugerum deſiderat, quod ſpiſſius ſtercoratur vehes quatuor et viginti; quod rarius, duodeviginti. Diſiectum deinde protinus fimum inarari et obrui conuenit.* Palladius Sept. 1. *vni iugero aſſerit Columella 24 ſtercoris carpenta ſufficere, in plano vero 18, ſed iidem cumuli tot diſſipandi ſunt, quot ea die poterunt exarari.*

2. *ſecunda ratio*] Plinius 18. ſect. 53. *ſi haec omiſſa ſit ſtercoratio, ſequens eſt, priuſquam ſarriat, auiarii puluere.* poſt quae verba addo, quae paulo antea vitioſa cenſui *iacto velut ſemine* aut *ceu ſemine.* Alias enim locus *Plinii*, qui manifeſto ex Columella eſt traductus, ſenſu caret omni. In Plinio ante Harduinum legebatur: *prius quam ſerat, ante puluerem.* Codices tamen aliqui *ſeriat* et *ſariat* habent ſcriptum. Sed ratio et auctoritas Palladii, ſupra laudati, legere in Columella et Plinio iubet *ſeras* et *ſerat.* Nam ſi agro iam ſeminato, qui ſarritur, ſtercus iniiciatur, nec agro nec frugibus profuerit. Itaque vulgatum *ſarrias* correxi. Poterit tamen vulgata lectio etiam defendi ex eo quod ſequitur: *atque ita terram ſarculis permiſcere.* id enim eſt, *ſarrire.* Sed diligentia Columellae poſtulabat, vt ante quam de ſarritione loqueretur, de ſtercore et ſemine ipſo iniiciendo loqueretur, et tempora vniuſcuiuſque iniiciendi doceret. Igitur antecedere *ſationis*, ſequi debebat *ſarritionis* mentio. *Auiarii* mentionem nec Palladius fecit, ſed ſimplicitur puluerem ſtercoris ſpargi iubet. Alii cum ipſo ſemine columbinum ſtercus in aruum ſpargebant, annotantibus Quintiliis Geopon. II. 21.

refrigeſcere] Plinius 18. ſect. 53. *Ager ſi non ſtercoratur, alget; ſi nimium ſtercoratus eſt, aduritur: ſatiuſque eſt id ſaepe, quam ſupra modum facere. Quo calidius ſolum eſt, eo minus addi ſtercoris, ratio eſt.*

immodice] Palladius Sept. 1. *nec prodeſt nimium ſtercorare vno tempore, ſed frequenter et modice. Ager aquoſus*

plus

plus ſtercoris, ſiccus vero minus requirit. Sed ſi laetaminis copia non abundat, hoc pro ſtercore optime cedit, vt ſabuloſis locis cretam vel argillam ſpargas, cretoſis ac nimium ſpiſſis ſabulonem. Hoc etiam ſegetibus proficit, et vineas pulcherrimas reddit; nam laetamen in vineis ſaporem vini vitiare conſueuit.

4. *ſabuloſis locis cretam*] Plinius 17. cap. 5. extremo: *Terram terra emendari, vt aliqui praecipiunt, ſuper tenuem pingui iniecta, aut gracili bibulaque ſuper humidum ac praepinguem, dementia operae eſt. Quid poteſt ſperare, qui talem colit?* Ita ſuo ipſe indicio rerum ruſticarum et naturalis ſcientiae infantiam prodidit, qui tamen de margae generibus et vtilitate alibi tradidit. Olim Theophraſtus de C. P. III. 25. eandem doctrinam propoſuit cum Columella. Calcis vſum ad foecundandos agros Heduorum et Pictonum ipſe Plinius memorat XVII. c. 8. Ad oleas cinerem e calcariis fornacibus adhibet Columella. Ad agros foecundandos calcis et margae vſum ignorat cum Catone, Varrone et Palladio; nec in Geoponicis legi, quod huc referre poſſem. Varro tamen meminiſſe videtur margae I. 7. 8. ipſe cretam foſſiciam vocat.

5. *negabat*] Hinc Palladius Aug. 2. *hoc tempore, ſi terra exilis in vinea eſt, et vinea ipſa miſerior, tres vel quatuor lupini modios in iugero ſparges, atque ita occabis. Quod vbi fruticauerit, euertitur et optimum ſtercus praebet in vineis, quia laetamen propter vini vitium non conuenit inferre vinetis.* Idem Septembri 9. *hoc menſe, vt loca foecundentur exilia, lupinus circa Idus ſeritur, et vbi creuerit, vertitur vomere, vt putrefiat exciſus.*

6. *tertium*] Ter enim florere lupinum, annotauit etiam Plinius XVIII. ſect. 36. *Ad rubricam*, inquit, *alendam poſt tertium florem verti debet, in ſabulo poſt ſecundum.* Creſcentius II. 13. ſuo tempore lupinus eodem conſilio ſeri, a Mediolanenſibus raphanos, ab aliis galegam ait; in Britannia fagopyrum, trifolium et alia legumina ita ſeri et aratro converti ſtercorandi agri cauſa, monet Dickſon I. p. 303. Graecos ita fabae ſegetem aratro vertiſſe, diſcimus ex Theophraſto H. P. VIII. 9. qui Theſſalos et Macedonas nominat. Ceterum *lubricoſis* in Sang. eſſe teſtatur Gronouius.

7. *praeruptae*] Ex ingenio Vrſinus ſuo dare voluit, quod confirmarunt libri ſcripti pro vulgato *praerupti*, quod tamen Geſnerus non audebat damnare.

Cap. XVI. *armenta*] Isidorus XV. 13. *Pratum est cuius foeni copia armenta tuentur, cui veteres romani nomen indiderunt ab eo quod protinus sit paratum: nec magnum laborem culturae desideret.* vnde h. l. malim legi *magnum laborem culturae desideret.*

2. *Nomen quoque*] Varro I. 7. 10. Plinius XVIII. sect. 6. *et prata antiqui parata dixere.* Idem sect. 67. *pratorum facillima agricolis cura ac minimi impendii.* ex quo loco vulgata sect. 2. lectio *minimique* defenditur.

sumtus egens] Ex lectione libri Polit. et Sang. suspicor, olim h. l. fuisse lectum *minimi sumtus et laboris.* Ipse Columella deinceps cap. 18. cultus pratorum maioris curae quam laboris est.

cum etiam in pabulo] Plinius 18. s. 67. no. 5. *ter vero plerisque in locis: et postea in ipso pabulo non minus emolumenti est quam a foeno. Armentorum id cura iumentorumque progeneratio suum cuique consilium dabit, optimo maxime quadrigarum quaestu.*

3. *Laeto pinguique*] Plinius XVIII. sect. 67. *relinqui debent prata in laeto solo vel humido vel riguo, eaque aqua pluuia rigari via publica.* Palladius Septembri c. 10. *Si eligendi facultas est, locum pinguem, roscidum, planum, leuiter inclinatum, vel huiusmodi vallem deputabimus, vbi humor nec statim praecipitari cogitur, nec diu debet inhaerere. Potest quidem et soluto et gracili solo prati forma, si rigetur, imponi.*

et in densa] Palladius *solutum et gracile solum* modo ex h. l. memorauit, et vitium arguit lectio libri Sangerm. *nam et inde et resoluta.* In terra densa tamen pratum fieri, etiam testatur noster c. 18. 5. *si tamen terra densior est.*

5. *sed vt quis eam*] Vulgatae *aut si quis eam* vitium Gesnerus emendare conabatur legendo *at si quis.* Nos librum Sangerm. sequimur.

Cap. XVII. *magis curae*] Plinius 18. s. 67. no. 4. *pratorum facillima agricolis cura, ac minimi impendii.*

stirpes] Palladius Septembri 10. *exstirpandus est itaque locus hoc tempore et liberandus impedimentis omnibus, vel herbis latioribus et solidis atque virgultis. Deinde cum frequenter exercitatus fuerit, ac multa aratione resolutus, submotis lapidibus et glebis vbique confractis, stercoretur luna crescenti recenti laetamine. Ab vngulis iumentorum summa intentione seruetur intactus, praecipue quoties humescit, ne inaequale solum reddant multis locis impressa vestigia.* vbi recte

Edd.

Edd. I. B. R. habent *herbis altioribus*. Crescentius VII. 2. ex illo loco habet: *non solum spinetis et virgultis, sed etiam herbis latioribus et solidis*. Ceterum pro *spinas* h. l. cum Polit. etiam Sang. *cineras* habere, testatur Gronouius; idem deinceps *alias sugillamus*. Vbi si quid vulgata rectius lateat, id me ignorare nec coniectura assequi potuisse, fateor.

intuba] Cum per auctumnum et hiemem spinas et virgulta exstirpare iusserit, inepte nunc solstitiales spinas repetit, quae nec vllae fuerunt a scriptoribus commemoratae. Liber Sangerm. et Polit. recte *spinas* omittunt, et habent scriptum *intuba solstitialis*. Vnde malim *intuba, solstitiales herbas*. Eiusmodi *herbam solstitialem* memorat Plinius XXVI. 14. et Plautus in Pseudolo I. 1. 36. Latini scilicet ita dixerunt, quam Graeci heliotropium; et Vegetius III. 42. 2. heliotropium intubum agreste vocat. Alii forte mallent legere; *intuba solstitialia*. Interim *spinas* inclusi.

impasci] Festus: *impescere, in laetam segetem pascendi gratia immittere*.

quia vdo] Hanc optimorum librorum lectionem confirmat Palladius, et ipse Columella sect. 6. *nam pecudes, vt ante dixi, molli solo infigunt vngulas, atque interruptas non sinunt herbarum radices serpere et condensari*.

2. *pendula*] Palladius Februario 1. *locis temperatis prata incipient custodiri, quae prius, si macra sunt, sparso laetamine saturentur, quod eiiciendum est luna crescente. Quanto recentius fuerit, tanto plus nutriendis herbis valebit, quod a superiori parte fundatur, vt succus eius per totum possit elabi*. quae ex parte etiam ducta sunt ex nostri sectione 7.

falcibus noxia] Vulgatam *obnoxia* corrigi ita volebat etiam Gesner, ex lectione libri Sang. commemorata etiam ab Heinsio ad Ouidii Metamorph. IV. 198. Pontedera probabat *asperiora*, sed non nouerat lectionem Sang. Ernesti et *noxia et asperiora* orta putabat ex glossa.

temporius] Codd. *temperius*, sic Sang. hic et infra VIII. 4. 3. teste Heinsio ad Ouid. II. p. 255. qui ex h. l. laudat: *omnes lapides — colligi ac longius* etc. omisso *debent*.

obducta] Palladius Septembri 10. *Sed si prata vetera muscus obduxerit, abradendus est et scalptis eisdem locis foeni spargenda sunt semina, et quod ad necandum muscum prodest, cinis saepius ingerendus*. vbi recte, nisi fallor, solus Vincentius habet *abradendus scalpris et eisdem locis*. Vides igitur, egregie ita firmari lectionem, quam vulgatae olim ex libris optimis substitui. Non sum tamen ausus *scalpris erasa*

ponere, etsi lectio librorum *vel crasso* aut *vel eraso* ducere videtur ad vocabuli alicuius omissi vestigia.

3. *accepimus*] Ita primus ex emendatione Brouckhusii et libro Lips. correxit Schoettgen.

multa sunt] Palladius l. c. *quod si sterilis factus est locus carie, incuria, vetustate, exaretur, ac de nouo rursus aequetur. nam prata sterilia plerumque arare conueniet.*

4. *napo*] Ita pro *napis* ex libris optimis correxi h. l. Solet enim Columella vbique *napum* singulari et *napa* plurali commemorare. Palladius l. c. rapa sola nominat ex h. l. Plinius XVIII. sect. 67. *utilissimum simul et herbae arare, deinde cratire, serere florem ex fenilibus, atque ex praesepibus feno dilapsum spargere, prius quam cratiantur. Nec primo anno rigari, nec pasci ante secunda fenisecia, ne herbae vellantur, obtrituque hebetentur. Senescunt prata, restituique debent faba in his sata vel rapis vel milio. Mox insequente anno frumento, rursusque in prata tertio relinqui. Praeterea quoties secta sint, siciliri, hoc est, quae feniseces praeterierunt, secari. Est enim inprimis inutile enasci herbas sementaturas.* quae omnia ex h. l. praepostero tamen ordine relata sunt.

radicitus] Lectionem Sang. *radicibus*, probatam distinctione verborum, adiuuabat Heinsius ad Virgil. II. p. 655. cuius sententiam ipse secutus vulgatam correxi. Falso Ernesti ex Heinsio lectionem posuit Sangerm. *interueniunt radices.* Iterum enim Heinsius h. l. tractauit ad Ouidium T. I. p. 50. ed. Burm.

viciam] Hanc etiam Palladius l. c. spargi iubet; frumenta secundi anni omisit. Compara Crescentii VII. 2.

crate] Vegetius I. 56. 4. *Crates quae occa vocatur a vulgo.* Ita enim lege ibi pro *iacca.* Sed Vegetius ita dicit cratem, cui foenum immittitur in pabulum equorum, nobis *Raufe.* Cratis genus, stilis ferreis dentatae, habet Plinius 18. sect. 50. eoque iubet pectinari segetem in herba. Crates dentatus supertrahi agro consito iubet sect. 48. Hinc apud eum *cratire* dicitur. Dentatas crates Phanias in epigrammate dicit κτένας ἑλκυστῆρας, i. e. pectines tractiles. Graece est διὰ βοῶν σπάλλειν in Geopon. II. 24.

dissipabimus] Ex varia librorum scriptorum lectione Pontedera efficiebat *disiciemus.*

foenisecas] Vulgatum *foenisecam messorem* ex libris duobus optimis correxi, vt paulo antea vulgatum *foenisecae.* Plinius vbique *fenisecem* dixit. Atque ita h. l. legi voluit etiam Vrsinus. Male libro XI. 2. 40. legebatur olim *foenisciae instituendae.* Pontedera etiam nostram lectionem praeferebat.

5. *col-*

5. *colligatum sit solum*] Palladius: *rigari vero, antequam durum solum fecerit (fuerit* lego) *non debebit, ne eius cratem, minus solidam, vis interflui corrumpat humoris.* vbi recte Codex Erford. *interrumpat.* Plinius 18. f. 67. no. 2. *rigare prata aequinoctii (verni) diebus primis; cum herba creuerit in festucam, arcere aquas.*

7. *secundum Fauonii*] Cato cap. 50. *Prata primo vere stercorata luna silenti, quae irrigua non erunt, vbi fauonius flare coeperit.* Vide etiam Catonem cap. 29. vbi etiam Plinii errorem annotaui.

Cap. XVIII. *demetitur*] Plinius 18. f. 67. 5. *Fuit hoc quoque foenisecium maioris impendii apud priores. Creticis tantum transmarinisque cotibus notis, nec nisi oleo falcis aciem excitantibus. Igitur cornu propter oleum ad crus ligato foenisex incedebat. Italia aquarias cotes dedit, limae vice imperantes ferro. Sed aquariae protinus virent. Falcium ipsarum duo genera. Italicum breuius, vel inter vepres quoque tractabile. Galliarum latifundia maioris compendii: quippe medias caedunt herbas breuioresque praetereunt. Italus foenisex dextra vna manu secat.* vbi Pintianus malebat *dextra ima manu.*

inarescat] Palladius Maio I. 2. *Hoc mense in locis sictis calidis siue maritimis foena recidantur, prius tamen, quam exarescant.* Bene rationes explicat Crescent. VII. 3.

alterum (quod) omnem] Inclusi *quod*, quoniam in Pol. libro deesse videtur, et alterum deinceps *quod* omittunt optimi libri. Vno vero omisso alterum locum amplius non habet. Paulo antea Pontedera lectionem libri Lipf. *condatur* mecum praeferebat. Plinius 18. f. 67. no. 4. *secandum antequam inarescat — quidam pridie rigant; vbi non sunt rigua, noctibus roscidis secari melius. Quaedam partes Italiae post messem secant.* ita enim recte ex Codice suo Pintianus emendauit, vbi vulgo nunc est: *vbi sunt rigua. Noctibus.* Noctu prata meti vult etiam Virgilius I. 289. Ceterum vide ad Catonem c. 53.

2. *siccari. tunc demum*] Palladius Maio I. 2. *quod si pluuiis infuso fuerint foena, conuerti ante non debent, quam pars eorum summa siccata sit.*

vtrinque siccatum] Ita recte Vrsinus correxit vulgatum *vtrumque*, quod ineptum plane est. Idem primus vulgatum *struem* mutari iussit in *strigas.* Nec intercedit locus Plinii XVIII. sect. 67. vbi est: *sectum verti ad solem, nec nisi siccum construi oportet; nisi fuerit hoc obseruatum diligenter, exhalare*

tare matutino nebulam quandam, metasque mox sole accendi et conflagrare certum est. Nam ille ordinem rerum agendarum singularum neglexit; nec recte sole accendi ait metas; is enim ad eam conflagrationem non requiritur, vt multis hodie experimentis constat.

in manipulos] Hodie id non fit, sed foenum in tabulata contruditur furcillis ingestum. Contra segetes delectas in manipulos vincimus hodie, quod et Graeci faciebant olim, non item Romani, vt recte obseruauit Dickson II. p. 370 seqq. Paulo antea *strigam* edidimus cum Gesnero, quanquam is deinde in Thesauro L. L. maluit h. l. *striam* legi. Sed ibidem affert plura exempla ex scriptoribus agrariis, vbi *strigae* dicuntur series. Alii libri h. l. striam habent. Ita variatur in *strigare* et *striare*.

vt in villam] Cum foenum omne siccatum aut sub tecto in tabulato villae condi soleat, aut in metas, extra villam exstructas, seruari, correxi duce Goesiano libro vulgarem lectionem: *vt aut in — aut in manipulos colligari, certe.* quae sensum plane nullum habet. Pontedera ait duobus vsitatis seruandi foeni modis tertium nunc subiungi in lectione vulgata, sed inepte, itaque etiam Goesianum librum sequitur. Nescio tamen, an consilio scripserit *exsiccatum erit.*

metas] Aceruos vocat Varro I. 56. qui in tabulato conditum pecori iucundius esse monet. Vide etiam ad Caton. c. 55. Easdem Graeci *κώνους* dixere, auctore Galeno: *κῶνος ἐν ταῖς ἅλωσιν ἔτι καὶ νῦν ἵσταται καὶ μάλιστα ἐν ταῖς ἐπόμβροις χώραις, ξύλον ὀρθόν, ἐφ' ᾧ συντίθενται οἱ κάρποι κωνοειδῶς.* Nubilarii igitur locum in frumentis tenuit graecus *κῶνος*.

3. *defenditur*] Ex Sang. *defendetur* posuit Gronouius. Sequens *iam illatum* Victorianae errore in *illatam* mutatum reliquae deinceps propagarunt; donec Gesnerus vitium animaduersum corrigeret.

Sed iam foenificia] Ita volebat etiam Vrsinus scribi, cuius emendationem optimi libri comprobant. Vulgo *sed et iam.*

Cap. XIX. *terrena*] Ex h. l. Palladius Iunio 1. *hoc mense area paranda est ad trituram, cuius primo terra radatur, deinde effossa leuiter mistis palcis et amurca aequatur insulsa; quae res a muribus et formicis frumenta defendit. tunc premenda est rotundo lapide vel columnae quocunque fragmento cuius volutatio possit eius spatia solidare. Dehinc sole siccetur. Aliqui mundatis areis aquam spargunt et minuta ibi pecora*

pecora diu ſpatiari ac proculcare compellunt, et cum terra vngulis ſtricta fuerit, ſpectant ſolidam ſiccitatem. Quid h. l. in Columella *terrena* ſibi velit, neſcio; niſi enim ex terra area fieri non poteſt. Vitium igitur latere puto; aut opponitur terrenum cretae.

extergatur] Cato c. 91. *locum confodito, poſtea amurca conſpergito bene finitoque combibat, poſtea comminuito glebas bene, deinde coaequato et pauiculis verberato. poſtea denuo amurca conſpergito, finitoque areſcat.* Eadem paulo aliter repetit cap. 129. Igitur inde nihil praeſidii ad h. l. corrigendum, niſi quod inde Vrſinus h. l. *aſpergatur* legi volebat. *Irrigetur* praeferebat Schoettgen, *acceperit, irrigetur* Geſner; (quo melius ſcilicet erroris fons pateret in ſcriptura.) Pontedera primum volebat *exteratur*, i. e. comminuatur, ex Catone; deinde praetulit: *exſtringatur*, i. e. diſtringendo reſoluatur exteraturque. Poſſis huc aduocare locum Plinii XVII. ſ. 47. *ſtipula hordeacea areae ſtringantur*, quod interpretatur Harduinus *denſe* ſpargi et ſpiſſe. Sed locus iſte dubius adhuc eſt mihi. Hoc equidem video, *irrigetur* non conuenire amurcae, paleis mixtae; multo minus approbauerim *extergeatur*. Palladii locus, ab interpretibus nondum comparatus, *exaequetur* offert; ſed ea poteſt eſſe interpretatio lectionis *ſtringatur*, cuius exemplum exſtat in loco Palladii, vbi eſt *terra vngulis ſtricta*.

molari lapide] Videtur Palladius *columellari lapide* legiſſe. Plinius XVII. ſect. 14. cupreſſum ſerere docet area aequata cylindris aut *volgiolis*, vbi Codices habent *volgiualis*. Idem aream ad meſſem hordeaceam XVIII. ſect. 71. creta, amurca temperata, praeparat, aut aequatam fimo bubulo dilutiore illinit.

2. *ſunt tamen*] Vulgatam lectionem *qui potius adiacentium fabalium partem* vitioſam eſſe arguit vel vocabulum *fabalium*, quod de agro non dicitur, fabis conſito, ſed de culmis fabarum. Igitur recepi optimam librorum ſcriptorum lectionem, niſi quod *pratis* mutaui in *prati*. Intelligitur ager, faba in pabulum conſitus. Fauonium in ventilando frumento praeferebat noſter. Vide deinceps ſect. 5. cap. 21. Forte olim fuit *prati ſubiacentem*.

et iniecta] Vulgatum et *lecta* ex libris optimis correxi, ſententia poſtulante. In Palladio manifeſtum eſt vitium et legendum ex h. l. *aliqui mundatis areis fabam ſpargunt* et *minuta ibi pecora diu ſpatiari ac proculcare compellunt*. Quanquam librarius in Palladio ſibi ſatis conſtans fuit. Ita enim etiam Libro I. 36. 1. *area vel ſub ipſo triturae tempore*

vngulis pecorum et aquae admiſtione ſolidata. Ceterum Sangerm. libri lectionem ita excerpſit ſeparatim Gronouius: *permiſtis paleis amurga quae ſalem non accepit, et rigetur.*

Cap. XX. *indureſcant*] Plinius XVIII. ſect. 72. *Lex aptiſſima, antequam granum indureſcat, et cum iam traxerit colorem. Oraculum vero, biduo celerius meſſem facere potius, quam biduo ſerius. Siliginis et tritici etiam ratio in area horreoque.* In hordeo aliam eſſe rationem, docet Palladius Iunio 2. *hordei culmos iacere in agris aliquantulum ſinamus, quia fertur hoc modo grandeſcere. — tritici meſſem paratam eſſe cognoſces, ſi aequaliter ſpicarum populus maturato rubore flaueſcit.* Sed vide notam ſequentem.

incrementum] Didymus in Geoponicis II. 27. frumenta in area ita componi iubet, vt culmus meridiem ſpica aquilonem ſpectet, ita enim pleniora fieri grana et facilius exteri. Grandeſcere frumenta iam demeſſa a vento, inprimis aquilone, docet Theophraſtus de Cauſis Pl. IV. 15. Eſt praeterea locus Theophraſti H. P. VIII. 10. vbi ait componi hordeum et triticum in aceruum atque ita videri grandeſcere in aceruo, nondum ſicca demeſſa: *καὶ δοκοῦσιν αὐξύνεσθαι ἐν θωμῷ μᾶλλον ἢ λιποσαρκεῖν.* Scilicet grana ſegetis deſectae et in aceruum compoſitae nondum exſiccata in aceruo concaleſcunt, et calore iſto interno concepto tumeſcere et grandeſcere videntur. Alii vim illam aquiloni tribuere malebant. Hinc patet, lectionem vulgatam in *aceruo* non eſſe mutandam in *horreo;* atque in ipſo Plinio rationem incrementi, in horreo aut in agris facti, hinc eſſe explicandam. Male Palladius ad hordeum ſolum tranſtulit, quae Columella de tritico, Theophraſtus de tritico et hordeo ſimul tradunt.

3. *veruculatis*] Geſnerus *vericulatis* edidit, et recte de falce veru infixa ſeu haſtili interpretatus eſt. Graeci *δορυδρέπανα* dicunt. A veru quod et ligneum et ferreum eſſe poteſt, fit *veruculum*, quo vſus eſt Plinius; alii *verutum* dixerunt. Ex lectione libri Polit. et Sang. *verutulatis* effeci, quod magis probo *veruculatis.*

roſtratis] Geſneri Index interpretabatur, quae continuam habent aciem. Male! Ipſe enim noſter IV. 25. in falce vinitoria roſtrum partem aduncam interpretatur. Sunt igitur aduncae, *denticulatae* rectae. Ita nunc video interpretari *denticulatas* etiam Dickſon II. p. 357. ſed is tamen denticulos aciei addi volebat. In *verutulatis* plane aberrauit vir doctus, quod a retis verriculi ſimilitudine dictas putabat *vericulatas.* Ceterum quid ſtramentis, in aruo relictis, fiat, vide

vide apud nostrum VI. 3. 1. De merga et pectine dixi ad Varronis l. c. 51. sect. 2.

nubilarium] Codices optimi nubilar, vt supra I. 7. 24. Sed in Varrone I. 13. 5. nulla est librorum scripturae varietas.

proteritur] Varro I. 13. 5. de nubilario areae applicato: *quo et in trituram proruere facilius possis.* vnde h. l. legi malim *prolata teritur.* Saltem ita oportet interpretari verbum *proteritur.* Ceterum animaduersione dignum est, fruges etiam in Italia sole torrefactas fuisse, antea quam horreis conderentur; eique vsui seruisse videtur inprimis nubilarium; cum quo licebit aliquo modo comparare Sueciae et Curlandiae morem, vbi similiter iuxta aream, in qua equis exteritur frumentum, domus est, quam *Hitzrige* vocant, vbi grana ignis calore torrentur, antequam in aream assitam proruantur. Ratio etiam purgandorum frumentorum multis argumentis conuenire videtur cum graeca et latina. Vide Besecke in Promptuario Lipsiensi Differt. ad Oecon. et Hist. natural. spectantium anni 1786. p. 30 seqq.

4. *equis*] Plinius XVIII. sect. 72. *messis ipsa alibi tribulis in area, alibi equorum gressibus exteritur, alibi perticis flagellatur.* Equos autem bobus praefert, quod solidam illi vngulam, hi fissam habent. Graeci adhibebant boues, equos et asinos, quos insequebantur serui, ἐπαλῶσται dicti, qui spicas nondum satis extritas vngulis iumentorum subiicerent, teste Xenoph. Oeconom. XVIII. 5.

tribulam] Genere neutro Varro et Virgilius, foemineo noster etiam I. 6. 23. et XII. 50. 7. Trahea videtur esse quod plostellum punicum dixit et descripsit Varro I. 52. quod rotis (orbes appellat Varro) conuertendis habuisse adiunctos cylindros *(rollers)* suspicatur Dickson II. p. 391. Sed haud scio, an ita commode asses dentatos interpretari liceat. Vide locum Varronis. Graecis ignota fuit tribula. Qui nominant eam sub imperio romano notitiam eius acceperunt. Ita in epigrammate Philippus τριβόλοις ὀξεῖς ἀχυρότριβας nominat, Analector. Brunckii T. II. p. 215. Longus Pastor. 3. p. 93. ed. Villoiſ. περιήλαυνε τὰς βοῦς καὶ τοῖς τριβόλοις κατειργάσατο τὸν σταχυν. Bellonius Observ. I. 64. Epirotas refert frumenta exterere bobus inactis, qui asseres, chalcedonio lapide munitos, post se traherent. Cylindrum canaliculatum vel columnam adhibent, et equorum ope circumagunt Pedemontani, *Rubatto* hoc genus triturae vocantes; alii Italiae populi *trebbia.* Vide Rifiorimento della Sardegna auctore Gemelli T. I. p. 178. Sed tribulam Meister interpretatur

plauſtellum punicum Varronis. Vide Diſp. de Trapeto Catonis. Tribulam Hiſpani *Trillo* vocant, traham ſeu ploſtellum negligentes, cuius picturam dedit Townſend Itiner. T. I. p. 360. Tab. 3.

fuſtibus cuduntur] Ita pro vulgo *tunduntur* ſcripſi ex libris optimis. Supra cap. X. 13. vbi ſabam terere ſine iumentis per aream et ſine vento purgare docet: *et baculis furcilliſue contundunt — ac duriſſimae quidem acus — ſeparatae erunt a cudentibus.* Baculi et fuſtes iidem eſſe videntur hoc in loco; forte etiam *perticae* Plinii, quibus frumenta flagellantur. Quae ſint furcillae noſtri ſupra X. 13. dubito.

vannis] Supra X. 13. docuerat fabas ſine vento purgare tritas; hoc vbi docuerat et in his verbis deſierat: *ac duriſſimae quidem acus reiectae ſeparataeque erunt a cudentibus,* pergit rationem purgandi cum vento docere: *minutae vero quae de ſiliquis cum faba reſederint, aliter ſecernentur. Nam cum aceruus paleis graniſque mixtus in vnum fuerit congeſtus, paulatim ex eo ventilabris per longius ſpatium iactetur, quo facto palea — citra decidet — faba, quae longius emittitur, eo perueniet, quo ventilator eam iaculabitur.* Quod igitur h. l. paulo poſt ſequitur *vento ſeparentur*, idem eſt ac ſi dixiſſet *ventilabris.* Eandem vanni et ventilabri diſtinctionem paulo poſt iterum repetit. Meminiſſe autem oportet ventilabris ſeu vento purgari frumenta et legumina h. l. in area. Capiſterio purgare tritici grana docet noſter II. 9. 11. vbi vide. De capiſterio nihil annotauit Dickſon; ſed ventilabra interpretatus *Shovels,* (quod eſt ipſum noſtrum *Schaufeln, Wurfſchaufeln)* comparauit cum graeco πτύον, quod Homerus iam memorauit Iliad. XIII. 588. Scholia graeca Homeri πτύον interpretantur ligneum inſtrumentum, manus formam habens quaſi digitatum, atque ita permutant πτύον θρίνακα; hic enim erat digitatus, et raſtro latino reſpondet. In Ariſtoph. Pace verſ. 567. in cultura ficuum, vitium et olearum mentio fit θρίνακος, vbi male vulgo vertebant ventilabra, recte admonente Brunckio. Pollux Onom. I. ſect. 225. ἀποκαθῆραι τὰ ἄχυρα τῷ προκάνῳ, vbi recte Codex πλοκάμῳ et Hemſterhuſius vannum ſeu cribrum areale ex Seruio interpretatur; et ſect. 245. pro πρόκανον iterum Codex πλόκαμον. Sed X. ſect. 129. πλόκανον et κόσκινον iuxta nominantur. Sed de θρίνακος vſu dixi accuratius ad Nicandri Theriac. verſ. 114.

5. *Fauonius*] Plinius XVIII. ſect. 73. *Columella et Fauonium ventum conferre frumento praecipit; quod miror equidem,*

dem, siccissimum alioqui. Cum nostro facit Tarentinus Geopon. II. 25. Huc pertinet epigramma Analect. T. I. p. 153. vbi Eudemus Zephyro sacellum in agro dedicat: τῷ πάντων ἀνέμων πιοτάτῳ Ζεφύρῳ. εὐξαμένῳ γὰρ οἱ ἦλθε βοηθόος, ὄφρα τάχιστα λικμήσῃ πεπόνων καρπὸν ἀπ' ἀσταχύων. vbi corrige πρηϊτάτῳ ζεφύρῳ. Plato in Timaeo p. 535. τὰ δὲ κινέμενα ἄλλα ἄλλοσε ἀεὶ φέρεσθαι διακρινόμενα, ὥσπερ τὰ ὑπὸ τῶν πλοκάνων τε καὶ ὀργάνων τῶν περὶ τὴν τοῦ σίτου κάθαρσιν σειόμενα καὶ ἀνικμώμενα. vnde patet, πλόκανον esse vannum.

vannis] Nescio quid sit, quod libri optimi *manibus* habent h. l. Goes. etiam addit: *id quod fieri in Hispanis intelligo.* Manifesto inepta est lectio *manibus;* nec quo referatur additum supplementum Goes. comminiscor. Praeterea merito miratur Auctor libri paulo antea nominati, *Rifiorimento della* Sardegna l. c. p. 185. Columellam h. l. solum vannum memorare, nec ventilabrum adhibere, cum nostri agricolae vndique silente vento maiore cum temporis compendio ventilabro vtantur, quam vanno. Hinc sequitur, ventilabrum quo flante vento veteres agricolae vtebantur tantum, aliam habuisse formam, quam nostrum, nec eo potuisse rusticos vti silente vento. Oppianus in Halieuticis ventilabrum appellat poetice ἐρετμὸς χερσαίους, i. e. remos terrestres, eiusque vsum flante vento ponit; ex qua similitudine possis arguere formam plane eandem cum ventilabro nostro. Sed Graeci nominant in ventilando frumento θρίνακα, idque instrumentum tribus dentibus asperum, veluti rastrum vel furcam tridentem pingunt. Hinc suspicor, ventilabrum latinum esse graecum θρίνακα, cuius vsus erat valde commodus ad dispergendas et separandas frumentorum paleas, sed ineptus ad iactanda et purganda semina seu grana ipsa. Inter vitilia opera Varro I. 23. 5. refert *vallos*, atque iterum vallis subiactari ait grana I. 52. 2. Itaque vannus est Graecorum πλόκανον. Virgilius Georg. I. 166. similiter ad virgeam supellectilem refert crates et vannum. Est igitur quem hodieque Galli *Van* dicunt, nostri *Schwinge.* Seruius ad Virgilium *vas viminneum latum* interpretatur, seu *cribrum areale, in quo propter capacitatem rustici cogere primitias frugum solent et frumenta purgare.* Nescio an bene! Apuleius Metamorph. IX. *tunc vxor — adulterum alueo ligneo, quo frumenta purgari consueuerunt temere propter iacenti suppositum abscondit.* vbi Codices alii *frumenta confusa* alii *confrixa*, Heinsius Adverf. III. p. 525. *contusa* corrigebat. Forte capisterium intelligit, de quo supra ad II. 9. 11. Capisterio certe grana extrita purgat Columella, vanno et ventilabro a paleis separat.

rat. An Capisterium ex ligno vas idem licet credere, quod ex vimine textum vannus dicitur? Nunc demum opinionem meam de ventilabris plane confirmatam video narratione de more frumendi purgandi in Hispania hodieque frequentato apud Britannum Townsend Itiner. T. III. p. 314. *to get out the straw by means of rakes, then he tossed the grain with a four pronged fork in order to expose it to the wind.* Ventilabrum id Hispani vocant *aventador*, quod recte Onomasticon Hispanicon-Gallicum nouissimum interpretatur: espece de fourche, dont les laboureurs se servent pour separer les pailles d'avec le grain sur l'aire après être hachée. Arearum enim vsus ibidem perdurat hodieque.

aggeranda] Hoc vulgato *aggerenda* substitui; significat in aceruum congerere. Vtitur eo noster XI. 2. 46. et 3. 38.

vannis] Optimi libri *manibus*, quod posset excusari; nam vanni manibus reguntur; sed additamentum Codicis Goesiani nimis ineptum est, quam vt probari possit.

6. *repurgari*] Ex lectione Polit. libri Pontedera efficiebat *repoliri*. Ingeniose sana!

nam ea quoque] Lectionem optimorum librorum, qui verba *vel statim absumuntur* omittunt, vtpote inepta et ad disciplinam Columellae non pertinentia, probandam esse nullus dubito, sed in reliquis dubito; quia solus liber Lipsiensis habet *cuduntur*.

Cap. XXI. *maiores*] Cicero pro Plancio c. 27. *Etenim M. Catonis illud, quod in principio scripsit Originum suarum semper magnificum et praeclarum putaui, clarorum virorum atque magnorum non minus otii quam negotii rationem exstare oportere.*

segeti praetendere] Ex Sang. *segete* annotauit Gronovius. Cum hoc loco confer Macrobii Sat. I. 16. et III. 3.

sepiri] Equidem sequor lectionem Polit. libri, qui *sariri* habet; nisi putes, Columellam Virgilio opponere legem pontificiam. Locus est Georg. I. 268. Nuperus interpres germanicus sepem nouam a Columella, veterem resarciendam a Virgilio intelligi putabat. Quam equidem rationem amplector; nam et alteri Virgilii praecepto Columella opponit Pontificum libros.

nisi propter medicinam] At si propter hanc, sane non lauant lanarum causa. Igitur vitiosam vulgatam distinctione hac

hac iuuare voluit Vrſinus: *niſi, propter medicinam Virgilius, quod licet feriis flumine abluere gregem, praecepit.* Equidem Vrſini rationem non ſatis intelligo; nec magis video, quomodo Geſnerus recepta Polit. libri lectione *qui* pro *quod* locum apertiorem factum fuiſſe putauerit. Forte ita legendum eſt: *niſi propter medicinam Virgilius qui liceat* etc. i. e. niſi Virgilius praecipere voluit, quomodo oues lauare liceat tamen propter medicinam, ideoque adiecit *ſalubri fluuio merſare.* In Sang. eſſe *lauare oues niſi ſi propter medicinam* teſtatur Drakenb. ad Liuium T. II. p. 376. et Gronouius.

3. *faces incidere*] Ita etiam dixit Plinius 18. ſect. 63. Virgilius Georg. I. 291, *ferroque faces inſpicat acuto.* Plinius XVI. c. 18. *nunc facibus carpinus et corylus familiariſſimae.* Ruſticorum faces etiam ex ſparto factos habet idem XIX. ſect. 7.

foſſas tergere] Virgilius *riuos deducere* dixit, quod Macrobius *detergere* interpretatur.

ſtercora aequare] i. e. diſſipare, aequaliter in agrum diſtribuere. Male igitur Vrſinus *aquare* legi volebat, recte monente Schoettgen.

clitellario] In Codice Lipſ. gloſſa habet *barda*, ex quo gallicum *bardeau* ortum eſt. Falſo Geſnerus vocabulum hoc de onere aut clitella interpretatus eſt ad h. l. et in Indice.

iuncto] ſc. mulo vel equo. Plinius Epiſt. II. 17. *iter iunctis paulo grauius et longius, equo breue et molle.* vbi ſimiliter libri quidam habent *iumentis*, vt h. l. Lipſienſ. habet *iumento.*

4. *nec oues tondere*] Deeſſe haec in libro Sang. teſtatur Heinſius ad Ouidii Metam. et Heroid. 4. 111. vbi ſimul probat lectionem eiuſdem cum Edd. optimis concinentem *niſi ſi catulo.* Verum quia paulo antea eſt *niſi prius*, vbi nihil varietatis annotatur, reliqui vulgatam.

oues veſtiri] tectas intellige, ſeu graecas.

5. *Cato*] Cap. 2. et 138.

denicalibus] Cicero Leg. II. 2. Feſtus h. v.

6. *in eum librum*] Apud Catonem luſtrationis mos docetur cap. 141. Columellae nullus huiuſmodi liber ad nos peruenit.

COM-

COMMENTARIVS
AD
LIBRVM III. COLVMELLAE.

Cap. I. *principio*] Ita legi iusserat etiam Vrsinus, vt est in Lips. Male vulgatum *principia* defendebat Gesner ex libri XI. 2. 3. *auspicari culturarum officia.* Locus Virgilii est II. 1. alter vero ibidem versu 10.

2. *sui cuiusque*] Lectione Sang. commemorata Drakenb. ad Liuium T. I. p. 629. emendat h. l. *sui quaeque.* recte!

palmae campestres] Suspectae Guilaudino de Papyro c. 3. qui ex libro de Arboribus I. vbi olea et ficus ex arborum, rosa et arundo ex fruticum numero nominantur, malebat *canna campestres.* Sed liber Sang. ibi cum aliis arboribus addit pirum, fruticibus violas. Cannam tamen reponere non licet, hanc enim ab arundine distinxit Columella, etsi Palladius pro arundine nominauit saepe. Pontedera *rosas campestres* praeferebat. Gesnerus ex Plinio 13. 14. monet palmam humilem fruticem non excedere, campestrem tamen dici nullibi. Igitur lectio dubia manet.

dixerimus] Ita legitur etiam constanter in libro de Arbor. Vulgo *dixerim.* Ceterum vitem apud priscos fuisse inter arbores numeratas propter magnitudinem quarundam, monet Plinius 14. 1.

5. *habile campo*] Palladius III. 9. *Plano igitur loco statues vitem, cuius genus nebulas sustinet et pruinas collibus, quod siccitatem durat et ventos. pingui agro graciles atque infoecundas. macro feraces et solidas.* vbi Vincentius *quod siccitatem tolerat* alibi *ad siccit. durat.* Cresc. *per sicc. durat et ventos non timeat.*

colli, quod] Ita legi deberi, primus vidit Vrsinus, deinde Pontedera, quem secutus est Gesner.

macro feracem] Palladius et *solidam* additum legisse videtur.

vehementem] Palladius: *denso validas atque frondosas.*

rari sarmenti] non densi nec solidi. Tales fere albae vites sunt, vt deinceps dicetur. Geoponica II. 2. χρὴ τὰς μὲν φύσει ὑγροτέρας ἐν τοῖς αὐχμώδεσι καὶ ψυχροῖς καὶ ξηροτέροις τόποις φυτεύειν, τὰς δὲ ξηροτέρας ἐν τοῖς ὑγροῖς. ὅταν γὰρ ἂν τὸ τοῖς φυτοῖς λεῖπον ἐκ τῆς κατὰ τὴν γῆν φύσεως πληροῖτο. Καθόλου ἐν εἰς τὴν λιπαροτέραν γῆν μὴ τὰ εὔτροφα τῶν ἀμπέλων γένη ἀλλὰ τὰ ἐναντίως ἔχοντα τιθέναι προσήκει· —

τεθέντα

τεθέντα γὰρ τὰ εὐτραφῆ ἐν τῇ λιπαρᾷ γῇ, ἐ φθάνει πεπᾶναι τὰς καρπὰς, ἀλλὰ καὶ εἰς πλῆθος φύλλων ἐξανθῶσι. τὰ δὲ ἀσθενῆ ἐν τοῖς ξηροτέροις τόποις ἀσθενεστέρας καὶ τὰς καρπὰς οἴσει. quae postrema simillima sunt iis, quae noster habet de Arbor. III. 2.

teneri] Infra IV. 29. f. 17. *locisque aridis et siccis nigram vitem inserito, humidis albam.* quae tamen verba vitiosa et veritati contraria esse censebat Pontedera. Albas enim vuas, vtpote teneriores, in humido solo facile putrescere. Certum est, loco illo aliena esse verba, quae forte hic locum suum obtinuerunt, et quidem longe rectius. In eadem enim disputatione Geoponica V. 2. ἐν τῇ μελαγγείῳ καὶ ἰκμάδα ἐχούσῃ καὶ καθύγρῳ γῇ τὰ λευκὰ τῶν γενῶν φυτευτέον· πλείονος γὰρ ταῦτα τῆς ἀπὸ τῆς γῆς δεῖται τροφῆς στερεὰ ὄντα καὶ πυκνὰ καὶ δύστροφα. — τῇ μέντοι ξηρᾷ γῇ καὶ λεπτογείῳ καὶ ψαμμώδει αἱ τοιαῦται ἄμπελοι ἐχ ἁρμόζουσι, ἀλλ' ὅσαι πυκνὰς ἔχουσι τὰς ῥᾶγας καὶ λεπτὴν τὴν ἐντεριώνην. ὡς ἐπιπολὺ δὲ ἡ μέλαινα σταφυλὴ τοιαύτη ἐστὶ — ἐναντίως ἔχουσα τῶς λευκῶς τυτέστι τὴν φύσιν δυστροφωτέρας. vbi monendum, ex vi oppositionis albas vites esse debere multa medulla, laxa vua; at vero quomodo eaedem dici possint στερεὰ ὄντα καὶ πυκνὰ καὶ δύστροφα, non satis equidem intelligo. Certe Theophrastus C. P. III. 16. albas vites nigris maximam partem rarioris esse sarmenti ait, id est, habere plus medullae quam ligni, plures item maioresque meatus. Has igitur solo mandat vdo et pratensi, vtpote queis plus alimenti opus sit. Deinde ponens ἐν τῇ στερεᾷ καὶ αὐχμώδει τὰ στερεὰ addit: ὡς δ' ἐπὶ τὸ πᾶν τὰ μέλανα στερεώτερα; has item densiores solidioresque medullam habere tenuem, plus autem materiae. Quid igitur, si in Geoponicis legamus πλείονος — δεῖται τροφῆς ἢ τὰ στερεὰ ὄντα καὶ πυκνὰ καὶ δύστροφα. Ita nimirum nigra vitis recte dicetur στερεὰ πυκνὰ καὶ δύστροφα; et recte deinceps Codex Gudianus habet: ἐναντίως ἔχουσα τῶς λευκῶς, τυτέστι τὴν φύσιν δυστροφότερος. Quod ex Gudiano laudauit Niclas δυστροφωτέρας, ex diuerso plane Codice ductum est ab eo, quem ipse contali. Miror, discrepantiam et locum Columellae fugisse diligentiam Niclasii! Apparet igitur, Pontederae censuram vanam esse et contrariam praeceptis Theophrasti. Accedit quod eadem Geoponica sect. 6. addunt: εἰς δὲ τὴν μελάγγειον τὰ εὐθαλῆ καὶ δυνάμενα πᾶσαν ἐπιστάσασθαι τὴν ἀπὸ τῆς γῆς τροφήν. Vides hic εὐθαλῆ dici, quae antea in vulgari lectione δύστροφα audiunt!

6. do-

6. *dominus loci*] Vrsini emendatio *loco plus posse* valde mihi placet.

7. *nebulosae*] Palladius: *frigido et nebuloso, quae hiemem celeri maturitate praeueniunt aut quae duris acinis inter caligines securius florent.* Vnde Pontedera addi volebat in Columella verbum *securius*. Recte! Plinius 17. c. 2. *Quidam coelum terrae parere cogunt, vt quae in siccis serantur, orientem ac septentrionem spectent; quae in humidis meridiem. Nec non ex ipsis vitibus causas mutuantur, in frigidis praecoces serendo, vt maturitas antecedat algorem.*

fidenter] Palladius: *ventoso stabiles et tenaces. calido, grani tenerioris et humidi; sicco eas, quae pluuias ferre non possint.* vbi Vincentius habet bis scriptum: *ventoso tenaces.* sed rectius liber Erford. *ventoso statui tenaces.* Deinde Crescentius habet: *calido loco teneriores, sicco eas* etc. Vincentius: *calido tenerioris grani et humido feraces. sicco eas.* Ceterum in Columella Vrsinus malebat *tenacis.*

vberioresque] Vrsinus malebat: *calido vberiorique tenerioresque concredet.* Sed recte Palladius videtur vberiores interpretari *grani humidi.* Recte etiam defendit vulgatam Gesner, densis et confertis acinis interpretatus.

placida] Palladius: *placida sane regio et serena tuto genus omne suscipiet.*

8. *nec densum*] Palladius I. 13. *Solum vineis ponendis nec spissum sit nimis, nec resolutum, propius tamen resoluto; nec exile nec laetissimum, tamen laeto proximum, nec campestre nec praeceps, sed potius edito campo: nec siccum nec vliginosum, modice tamen roscidum; nec salsum nec amarum, quod vitium sapore corrupte vina contristat.* vbi vulgo similiter *rosidum* legebatur, vt in Columella, sed rectum *roscidum* habent Vincent. et Crescent. Ceterum solum, quale vult Columella, tale μελάγγειον esse affirmant Geoponica V. 1.

simile edito campo] Geopon. V. 2. οἶνος δὲ κάλλιστός ἐστιν ὁ ἐν ξηροῖς καὶ κεκλιμένοις τόποις καὶ πρὸς ἀνατολὰς ἢ μεσημβρίαν βλέπουσι φυτευθεισῶν ἀμπέλων — χαμαιζήλοις μὲν ἀμπέλοις ἐκείνη ἐστὶν ἐπιτηδειοτέρα ἡ ἐν τοῖς πλαγίοις καὶ ἠρέμα ἀνακεκλιμένοις τόποις καὶ ὑψηλοτέροις καὶ ξηροτέροις. αὕτη γὰρ τὸ θέρος εὐμαρέστερον ἕξει διαπνεομένη καλῶς. καὶ ἡ ἐν τοῖς γηλόφοις δὲ τόποις ἀνηπλωμένη καὶ ἐν τοῖς ὑπωρείαις ἁρμόζει τοῖς χαμαιζήλοις καὶ χαμαιπετέσιν ἀμπέλοις. et reliqua, quae rationes explicant eius sententiae.

9. *Virgilio*] II. 238.

10. *Coelum*] Palladius I. 13. *Coelum mediocris qualitatis conuenit esse, tepidum tamen magis quam frigidum; siccum potius*

potius quam nimis imbridum. Sed ante omnia vitis procellas ventosque formidat.

Cap. II. *defusionem*] Hanc vulgatae lectionem libri Goes. praetuli. Schoettgen malebat *diffusionem*. Vinum non deponitur in effusionem, vt vulgo legitur, sed ad defusionem seu diffusionem, vt in doliis vetustatem assumat.

Pomum] Ineptum *promum* primus hinc expulit Pontedera, nec tamen eiicere ausus fuit Gesner. Quicquid ex stirpe vt malum estur, pomum dici, veluti nuces, glandes, vuas, caulem tenellum, corticem et radicem, exemplis docuit Pontedera Antiquit. p. 611.

vendere] Palladius III. 9. *Vitium genera numerare non attinet, sed notum est, maiores vuas pulchrae speciei, grani callosi et siccioris ad mensam, feracissimas vero et cutis tenerioris et sapore nobiles et maxime quae citius deflorescunt, vindemiis esse seruandas.* Isidorus XVII. 5. *Suburbanae vuae quaedam dicuntur, quia fructus eorum ad escam velut pomum in vrbibus venditur. Commendat enim eas et species et saporis iucunditas, ex quibus sunt praecoquae, duracinae, purpureae, dactyli, Rhodiae, Lybicae, Cerauniae, Stephanitae, Tripedianae, vnciariae, Cidonitae.* quem locum Vincentius 14. c. 81. integriorem sic exhibet: *Stephanitae. Durabiles autem per totam hiemem foeniculae et numesianae.* quorum postremorum verborum lacinia exstat in Isidoro his verbis consuta: *duracinae autem per totam hiemem. Veniculae et Numesianae.* vbi in margine annotatur varia lectio *Venunculae.* Vides, *bumastos* omitti et pro *venuculis* Vincentium ponere faeniculas. Horatius Serm. II. 4. 71. *venucula conuenit ollis, rectius albanam fumo duraueris vuam.*

bumasti] Plinius 14. c. 3. *tument mammarum modo bumasti, praelongis dactyli porriguntur acinis.* Virgilius II. 102. *et tumidis bumaste racemis.* Idem sect. 4. no. 8. *sunt etiamnum insignes vua, non vino, ambrosiaca, duracina, sine vllis vasis in vite seruabilis. tanta est contra frigora aestus tempestatesque firmitas — non item dactylides digitali gracilidate — et magis purpureae cognomine bimammiae, quando non racemos, sed vuas alias gerunt. Item tripedanea, cui nomen a mensura est.* sect. 9. *In pergulis seruntur cibariae appellatae, e duracinis albae nigraeque, et bumasti totidem coloribus, ac nondum dicta Aegia et Rhodia et vncialis, velut a pondere acini. Item picina, et coronario naturae lusu stephanitis acinos foliis intercursantibus, et quae forenses vocantur, celeres prouentu.* Dactylos comparat cum ea, quae

in Hungaria dicitur vna *grüne Lägter*, Mitterpacher Elem. rei rusticae II. p. 26. Ceterum nomina vitium Italicarum sedulo annotauit Crescentius; germanicarum istius aeui paucissimas nominauit Albertus Veget. p. 458. veluti nobilem et Sclauam, de qua ita p. 459. *quae habet tenuem pellem et latum et tenuem pampinum, est de vite foemineo, quae apud vulgum vitis Sclaua vocatur.*

4. *frondet*] Ita pro *spondet* legendum esse, monuit Pontedera. Quae nimis celeriter frondet, gelicidiis serotinis obnoxia est. Vrsinus malebat *respondet;* quod ipsum in mentem venit etiam Heinsio Aduers. III. p. 396. Sed ante florem vua non fert fructum! Lectionem Sang. *frondet* non annotauit Heinsius.

carbunculum] Pessime in Indice omiserat Gesner. Plinius 12. s. 14. coeli intemperie carbunculari dixit siliquas, piper ferentes, ex Dioscoride II. 189. Plinius 14. s. 4. no. 5. *heluenaca vitis carbunculari negatur.* vbi Columella III. 2. 26. *siccitates maxime perfert, et frigora sustinet.* Idem Plinius 17. s. 37. no. 4. *pruina enim verno tepore inuitatis et erumpere audentibus satis mollibus insidens, adurit lactescentes germinum oculos, quod in flore carbunculum vocant.* Idem 18. s. 68. no. 2. *Sub canicula res summa vitium agitur — vnde carbunculare dicuntur, vt quodam vredinis carbone exustae — carbunculus regionum late patentium malum est. — Plerique dixere rorem inustum sole acri frugibus rubiginis causam esse et carbunculi vitibus; quod ex parte falsum arbitror omnemque vredinem frigore tantum constare.* Contra carbunculum et rubiginem remedium docet 17. s. 42. scarificationem corticis, et quae Noster Arbor. 13. habet contra rubiginem.

abolescit] Lips. *obcalescit.* Vulgatae patrocinium quaerebat Gesnerus ex imitatione Virgiliani loci, vbi est: *abolescit gratia facti.* Sed quae ex libro Polit. et Sang. varietas relata est ad verbum *putrescit*, ea pertinet ad *abolescit.* Igitur hanc scripturam *arescit* praefero. Similiter Arbor. V. 4. *radices inolescunt* legitur pro *inarescunt.* vbi libri scripti *inalescunt.* Si vero *obcallescit* probes, interpretaberis ex Plinio 17. cap. 24. decoqui in callum, antequam maturescant. Vitium vuarum habet Theophrastus C. P. V. 13. simile rubigini: γίνεται ὅταν ὑπέσης ὑγρότητος μετὰ τὰς ψεκάδας ἐπικαύσῃ σφοδρότερον ὁ ἥλιος. ὅπερ συμβαίνει καὶ ἐπὶ τῶν οἰνάρων. Quod quo nomine latino appelletur, ignoro. Sed nunc demum video Heinsium ex Sang. laudare *harescit* pro *putrescit*, idque mutat in *mucessit* vel *scabrescit.* Priorem con-

coniecturam praeferrem, si qua opus esset in verbo *putrescit*. Plinius 17. f. 24. locum Theophrasti sic reddidit: *Nascitur hoc malum tepore humido et lento. Fit aliud ex eodem, si sol acrior insecutus inussit ipsum vitium ideoque mutauit.* vbi Heinsius l. c. corrigit *adeoque mucauit.* Idem vinum putidum priusquam coactum est in Plauti Trinummo II. 4. 125. male mutat in *mucidum.*

6. *quae tamen*] In Bruschiana est *quaeque tamen ipsa.*

7. *Amineae*] Plinius 14. f. 4. *principatus datur Amineis propter firmitatem senioque proficientem vini eius vtique vitam. Quinque earum genera: ex iis germana, minor acino, melius defloresciit, imbres tempestatesque tolerat: non item maior, sed in arbore, quam in iugo minus obnoxia. Gemellarum, quibus hoc nomen vuae semper geminae dederunt, asperrimus sapor, sed vires praecipuae. Ex iis minor austro laeditur, ceteris ventis alitur, vt in Vesuuio monte Surrentinisque collibus. In reliquis Italiae partibus non nisi arbori accommodata. Quintum genus lanatae, — adeo lanugo eam vestit: prima ex Amineis maturescit ocyssimeque putrescit.* Graeci vocant Ἀμινεάς, ex Peucetia, postea Salento allatas, teste Macrobio Saturn. II. 16. Ammineas in Plinio edidit Harduinus. Virgilius II. 97. *Ammineas vites, firmissima vina.* Sed pronuntiando etiam duplicari potuit littera *m*, vt prima syllaba longa fieret. In Plinio Schoettgen malebat pro *acino* legi *ocius.* Quin Codices optimi Plinii habent germana minor *ocius et melius defloresciit.* quod restituendum Plinio erat etiam Columella suadente. Ceterum in Plinio Vincentius legit: *ocyssimo maturescit et putrescit.* haud scio, an rectius. Isidorus 17. 5. *Genera autem vuarum, quae vino deseruiunt, plurima. Ex quibus aminea dicta, quasi sine minio, id est, sine rubore. Album enim vinum reddit, quae cum sint vnius nominis, non vnam speciem reddit. Amineae enim duae geminae ab eo dictae, quod duplices vuas mittunt.* vbi Vincentius habet *gemmae — emittunt.* Vetustissimas Italiae vites Amineas esse, annotat Columella cap. 9. sect. 3. In Plinii loco Pintianus ex duobus Codd. emendabat: *proficientem vim eius, vtique vitam.* Philargyrius ad Georg. II. 97. *Aristoteles in Politicis scribit Amineos Thessalios fuisse, qui suae regionis vites in Italiam transtulerint, atque illis inde nomen impositum.* Vide ad Caton. c. VI. 4. Librum Sangerm. variare in scriptura vocabuli et *Aminum* plerumque, alibi tamen *amminum* et *aminneum* habere, monuit Heinsius ad Virgilium I. p. 293. Amineum Italiae circa Neapolin natum vinum tenue et dissimile Siculo et Asiatico pronunciat Gale-

nus Antid. I. 3. cuius locum posui ad Colum. I. 6. sect. 20. vbi etiam de gemino, Falerno, Sabino et Albano vino traditur.

sibi comparatae] Cum libri optimi deinceps *et* ante ceteras omittunt, recte videtur Broukh. legere: *et sibi comparatae magis — praebeant, ceteras.* Vrsinus malebat *at ceteras.* Nescio an hinc Plinius excerpserit vini senio proficientem vitam. Sensum expressit Palladius III. 9. *Loca naturam plerisque vitibus mutant. Solae Amineae vbicunque sint, vinum pulcherrimum reddunt. calidum statum potius quam frigidum sustinebunt. De pingui ad macrum transire non possunt, nisi stercus adiuuerit. harum duo genera sunt, maior et minor; sed minor melius defloresciť et citius, internodiis minoribus et grano breuiore. Si arbori applicetur, pinguem terram, si colatur in ordine, mediocrem desiderat; imbres contemnit et ventos. nam maior saepe vitiatur in flore.* vbi verba *de pingui adiuuerit* non sunt in Columella. Acinum minori minorem vides etiam a Palladio tribui, granum enim appellat; sed is praeterea etiam *ocius et melius defloresciť* in Columella legit; quare nihil in Plinii loco supra allato tentandum esse apparet. Geoponica IV. 1. 3. arbustiuae Amineae in Bithynia meminerunt. Eadem V. 17. sic de aminea: *ἡ μέντοι Ἀμίνως ὡς ἐπιτοπολὺ πανταχῇ ἐπιτηδειότερον φέρει, ἐξαιρέτως δὲ ἐν τοῖς πλαγίοις χωρίοις καὶ αὐχμηροῖς, ἢ καὶ καθύγροις καὶ μάλιστα εἰ ἐπὶ τῶν δένδρων τρέφοιτο.*

9. *vuida*] Pontedera *viuida* praeferebat, quod Columella alibi monet vitem amplioris acini non recte mandari loco vuido. Recte!

et acinorum] Haec verba cum optimis libris omitti voluit Pontedera. Sed acino minorem Plinius, grano breviore geminam minorem esse ait Palladius; igitur recte Columella nunc discrimen hoc significat memorata acinorum magnitudine in maiore.

rarior] Interpunxi post hoc verbum monente Pontedera. Palladius minori tribuit internodia minora, an lectionem diuersam secutus? De nodis et internodiis vitis vide infra ad IV. 29. 8.

geminae] Vulgatam *duae geminae, quae ab — gemellae vocantur austerioris* ita emendabat Vrsinus, vt legeret *duae amineae germanae, quae ab eo.* Dedi scripturam eam, quam maxime probo, et quam Isidori locus supra allatus plane confirmat. Vitem Bithynicam habent Geopon. V. 17. praecocem: *μόνη ἀπὸ ἑκάστῃ ὀφθαλμῇ τρία ἐκβάλλει. τῶν ἄλλων μόλις δύο καθ' ἕκαστον ὀφθαλμὸν χορηγεσῶν.* Ternas igi-

igitur haec ex gemma vuas exigit. Amineas vuas austeras esse, pluribus locis profitetur Galenus, et circa Neapolin et Tuscorum in terra coli ait; alibi etiam Siculi Aminei vini meminit. Loca posuit Cornarius ad Galenum de Compos. Medic. sec. loca p. 448. Vua aminea, quae in vepribus nascitur ruberrima apud Scribonium Comp. 249. est potius *taminea*, quam Plinius distinguit colore rubro.

11. *Sustinet. Materiam*] Egregie vidit Pontedera, haec ita esse distinguenda. Vulgo erat: *sustineat materiam fructumque; nisi quod.* quae vitiosa esse, etiam grammatica ratio docere poterat. Hinc apparet germanam nullam duplicem fructum ferre, sed solas gemellas.

gerit] In vulgata ante nos *egerit* forte latet *exigit.* Interim probabiliorem lectionem posui cum Vrsino et Pontedera.

maiori germanae] Ita legendum esse, etiam inuitis libris, pro *minori*, vidit etiam Gesner. Minorem geminam cum germana minore comparauit; nunc maiorem geminam cum maiore germana contendit. Et de maiore germana supra dixit *praepingui et viuida terra* respondere. Deinde malim *qua tamen hoc melior est* aut *qua tamen haec melior est.* Interim *minor*, ne sensum turbaret, inclusi. In Brusch. est *melius est.*

12. *lanatam*] Isidorus: *Aminea lagana, quia plus omnibus lanescit lanugine.* vbi Vinc. *lagena* habet. Lanam foliorum intelligi, recte monet Gesner, eique opponi sect. 17. nuda folia. Ceterum folia vitium pilosa et lanata plus aeris humorisque fugunt, hinc facilius solum tempusque siccum perferunt vites lanosae, contra solum vliginosum, tempestatem siccam vmbramque vix patiuntur et facile vuae putrescunt. Ita videmus myosotin scorpioidem Linn. foliorum pilis facile pati arua sicca, glabris vero esse in vliginosis pratis. Seruiunt scilicet plantarum transpirationi atque inspirationi foliorum pili lanaeque.

lenioris] Ita legendum esse, monuit Pontedera. Reliquis enim Amineis austerus et asperrimus sapor est. Deinde vulgatum *superioris* correxerat iam olim Vrsinus.

saepe parum] Brusch. *parum saepe — eadenque.* postea *rettulimus.*

13. *maiori geminae non dissimilis*] Pontedera praeferebat lectionem alteram *germanae* eamque ait a sequentibus firmari. At Columella maiorem gemellam cum maiore germana comparauerat, igitur vtrique similis dici potest.

generosissimis] Sequimur librum Lipf. Vulgatae *generosissimus sit, proximae praeferenda.* vitium ita emendabat Vrsinus, vt legeret: *proxime praeferenda.*

spissasque et] Ita ex vetere Codice legendum esse, monuit Vrsinus.

14. *Nomentanae*] Ab agro et oppido Nomento dictae, vbi hodie esse dicitur *Lamentana.* De vino ita Galenus apud Athenaeum I. p. 27. ὁ Νομεντᾶνος ἀκμάζει ταχὺ καὶ ἀπὸ ἐτῶν πέντε πότιμός ἐστι. ἔστι δὲ ἔτε λίαν ἡδὺς ἀδὲ λεπτός.

scinditur] Plinius 14. sect. 4. *Proxima dignitas Nomentanis rubente materia, quapropter quidam rubellas appellaucre vineas. Hae mimus fertiles, vinaceis et faece nimia, contra pruinas fortissimae, siccitate magis quam imbre, aestu quam algore vexantur. Quamobrem in frigidis humidisque principatum obtinent. Fertilior, quae minor acino, et folio minus scissa.* Vbi vides, Plinium minus fertiles dicere, quas contra Columella foecundiores. Sed vetus lectio habet: *minus fertiles vino, acinis et faece nimiae.* quam temere mutauit Harduinus. Vinum Nomentanum nominat Martialis XIII. 119. Idem I. Epigr. 106. *In Nomentano quod nascitur agro, accepit quoties tempora longa merum, exuit annosa mores nomenque senecta, et quicquid voluit, testa vocatur anus.*

vt maioris] Hanc librorum optimorum lectionem vulgatae, vt *Amineis* recte praeferebat etiam Pontedera. Amineae non rubent, sed solae Nomentanae, hinc rubellae dictae.

rubellianae] Isidorus: *rubiliana dicta, quia eius materia rubet.* Plinius *rubellas* dixit, atque ita liber Goesii habet scriptum.

faeciniae] Isidorus: *Fecinia minuti acini et durae cutis vuas habet, nobilitate amineam sequitur, foecunditate praecedit. Quam proinde feciniam vocant, quod plus quam ceterae feces afferat.* vbi Vincent. *faecineae* habent. Ceterum huc pertinet locus Geoponic. V. 17. καὶ ἡ λευκὴ δὲ ἡ μείζως τὰς βότρυας ἔχεσα ἐν τοῖς αὐτοῖς αὐχμηροῖς χώρτοις κατὰ τῶν δένδρων φερομένη κάλλιστον τὸν οἶνον ποιεῖ καὶ πολύν. λέγεται δὲ ἐν Βιθυνίᾳ λευκοθρακία. ἔχει δὲ ἐπιμήκεις τὰς βότρυας καὶ ἰσοπαχεῖς τὰς ῥᾶγας τροχοειδεῖς καὶ λιπαρὰς, τῷ δὲ καιρῷ τῆς πεπάνσεως ὑπερύθρας καὶ αὐτὰ δὲ τὰ κλήματα ἐρυθρὰ ἔχει. Eadem forte est, quam Geoponica V. 2. Mersiten vocant, quae in Bithynia vinum, dendrogalenum dictum, alibi Tiarenum, et Tianum vinum praebeat, vbicunque optimam omnium. Vuam ferre dulcissimam, ita, vt apes eam depraeden-

dentur, et vberrimam, ipso etiam trunco racemos ferente, acinis rotundis, pellucidis, tenacibus duris et ligneis. Gaudere arbusto, foliorumque detractione crebra; vinum vero eius saepius defaecari debere.

16. *Albano*] Plinius 14. sect. 4. *Eugeniam Tauromenitani colles cum generositatis cognomine misere Albano tantum agro; quoniam translata statim mutatur. namque et aliquibus tantus locorum amor, vt omnem in his gloriam suam relinquant, nec vsquam transeant totae. Quod et in Rhaetica Allobrogicaque, quam supra (sect. 3.) picatam appellauimus, euenit, domi nobilibus nec agnoscendis alibi. Foecundae tamen, bonitatis vice copiam praestant, eugenia feruentibus locis, Rhaetica temperatis, Allobrogica frigidis, gelu maturescens et colore nigra.* Ita enim locus iste distinguendus erat, ne cum hoc nostro pugnaret. Vulgo est *praestant: eugenia* etc. quasi *eugenia feruentibus* locis gaudeat, quibus tantummodo foecunditate bonitatem redimit. Idem Plinius sect. 8. no. 3. *ad tertiam palmam venere varie Albanae vrbi vicina, praedulcia ac rara in austero.* vbi Pintianus malebat *in arbusto.* Ceterum ex Brusch. et Aldina reuocaui *dum sunt,* pro *cum sunt.*

17. *Apianae*] Plinius 14. sect. 4. *Apianis apes dedere cognomen, praecipue earum auidae. Ex eis duo genera lanugine et ipsa pubescunt. Distant, quod altera celerius maturescit, quanquam et altera properante. Situs frigidos non respuunt, et tamen nullae celerius imbre putrescunt. Vina primo dulcia, austeritatem annis accipiunt. Etruria nulla magis vite gaudet.* Sequitur in Plinio: *et hactenus potissima nobilitas peculiaribus atque vernaculis Italiae. Ceterae aduenere Chio Thasoue. Graecula non inferior Amineis bonitate, praetenera acino, et vua tam parua, vt nisi pinguissimo solo colere non prosit.* vbi Vincentius habet *vt conualere et coli non possit nisi in pinguissimo solo.* Recte idem verba media *Ceterae aduenere Chio Thasoue* omittit. Apiaam Graecorum sticham esse, monet Plinius 14. s. 11. Apiciam videtur appellare Cato. Comparant cum ea, quae hodie ab odore muscato appellatur.

recipiat] Male Vrsinus *recipiant.* Ita enim oportebat dici *tertia* non altera. Cariem de vino dici, ex Plinio annotauit Gesner; libro enim 15. s. 3. est: *inuitat ad seruandum vinum blanda inueterati caries.* Ceterum haud scio, an recte Plinius ex h. l. retulerit *altera celerius maturescit.* deinde idem: *et tamen nullae celerius imbre putrescunt.* sed liber antiquus

tiquus, a Dalecampio laudatus, rectius: *nulla celerius maturescit; imbre putrescit.*

18. *venisque*] Hoc vocabulum cum libris optimis rectius omitti censuit Pontedera; falsum enim ait esse vinum muscatum venas inflare et laedere, magis quam vinum quodvis intemperantius ingestum. Igitur inclusi. Deinceps Vrsinus corrigit *non apti.* recte! Idem post *maturae lectae* interpunctionem maiorem poni voluit; sed apianae videntur ideo dictae esse, quod apibus, nisi mature leguntur, vt pluuiis et ventis, praedam afferunt. Ceterum *offerunt* malebat Gesnerus legere. Isidorus: *Apianae vinum dulce faciunt, quas nisi cito legas, pluuiis et ventis et maxime apibus infestantur, quarum depraedatione apianae cognominatae sunt.* vbi Vincent. *colligantur.* Ceterum interpunctionem, a Gesnero ordinatam, rationibus etiam physicis confirmauit Morgagni. Vina enim acidis elementis aggredi neruos, quoque maturius lecta eo acidiora esse.

Biturica] Plinius: *reliquae ignobiles; aliquando tamen coeli aut soli opera non fallunt vetustatem, sicuti Fecenia et cum ea florens Biturica, acino rarior, nunquam floris obnoxii, quoniam antecedunt, ventisque et imbribus resistunt, meliores tamen algentibus locis quam calidis, humidis quam sitientibus.* vbi vides, Plinium fere eadem ex communi auctore retulisse cum Columella, et eodem ordine, vt fere in locis omnibus hucusque laudatis de vitium generibus. Igitur verosimile est, Feceniam illius esse eandem quam Columellae libri editi basilicam appellant, et nomen esse vitiosum. Isidorus post Amineam pergit: *Balanitae a magnitudine nomen sumserunt — Biturica a regione nomen sortita est, turbines et pluuias et calores fortissime sustinens, nec in macra terra deficiens. Huius meriti et basilisca est.* Ita et Vincentius habet. *Basilisca* libri etiam scripti dare voluisse videntur. Pontedera malebat *Vibisca.* Vibiscos enim cum Bitungibus Aquitaniam habitasse olim. Non meminerat ergo Plinii, qui sic: *Basilicam Dyrrachini celebrant, Hispaniae cocolobin vocant. Rarior vua, aestus austrosque tolerat, capiti inimica, copia larga. Hispaniae duo genera eius faciunt, vnum oblongo acino, alterum rotundo nouissimas vindemiant. Quo dulcior cocolobis, hoc melior. Sed et austera transit in dulcem vetustate: et quae dulcis fuit, in austeritatem: tunc Albanum vinum aemulantur. Tradunt vesicae vitiis vtilissimum ex his potum.* Etiam Chifflet. liber Plinii *Balischam* habet. Forte vocata fuit a *Balesio* in ora Calabriae, apud Plinium 3. c. 16. quod Mela II. 4. Valetium dicit.

19. *coco-*

19. *cocolubem*] Plinius *cocolobin*, Codex Chifflet. *cocabolin*, Toletanus *Colobin* vocant.

20. *quam humores*] Oppositos frigoribus *calores* legisse h. l. videtur Plinius, qui sic: *meliores tamen algentibus locis quam calidis.*

21. *Visula*] Edd. primae *Visulae*, in numero plurali consentiunt Codd. Lips. Pol. Sangerm. qui paulo post *visulla* habent scriptum. Pontedera lectionem vulgarem ita corrigebat ex Plinio: *Visulae deinde et ex his minor Argitis.* Scilicet Plinius XIV. c. 2. ita: *Visula* (Edd. antiquae *Vix vlla*) *magis quam denso vuarum partu, impatiens variantis coeli, sed contra tenorem vnum algoris aestusue constans. Quae minor est ex eo genere, melior. In eligendo solo morosa, pingui putrescit, gracili omnino non prouenit; mediam temperiem delicate quaerit; ob hoc Sabinis collibus familiaris. Vua eius indecora visu, sapore iucunda, nisi matura protinus rapitur, etiam non putrescens cadit. Contra grandines eam tuetur foliorum amplitudo atque duritia.* Vnde si eum Pontedera h. l. legas *et ex his*, omnino vetus lectio *Visulae* seruanda erit, nec diffiteor, rationem hanc mihi placere prae vulgata lectione, vbi *deinde* idem significat, quod sequens *ab his*, adeoque abundat. Sed de Visulis vitibus dubitari potest, num vna an plures fuerint. Vnam ipse deinceps Columella cum Plinio nominat. Argitis etiam dubium est, Visularum an suo genere contineatur. Minorem laudat etiam Virgilius II. 99. *Argitisque minor, cui non certauerit vlla aut tantum fluere, aut totidem durare per annos.* Ex graeco ἀργὸς generis albi argitin interpretatus est Isidorus. Infra sect. 27. Sangerm. nominat *argillin.* Ceterum in loco Plinii vocabulum aliquod excidisse manifestum est. Harduinus igitur corrigebat: *materia magis quam denso vuarum partu.* Dalecampius malebat *magis condenso.* Brotier: *visula multo, magis quam denso, vuarum.* Ex Columella quidem earum correctionum nulla poterit confirmari; aliunde enim Plinius sua duxit, videlicet ex Graecino.

in sublimibus] Plinius l. c. post verba supra apposita: *albuelis summis arboribus fertilior est, visula imis*: idem antea: *Sabinis collibus familiarem*: quae verba proxima sequuntur argitidis mentionem. Consentit igitur Plinius cum nostro, qui tabulatis humillimis visulam aptat, Plinius imis arboribus. Iugum igitur Columellae videtur ad colles Sabinos et vitem Argitin esse referendum, cum adiectae arboris ingatam vitem potius intelligere nos iubere videantur. Ceterum ante Gesnerum interpungebatur: *exuberat, humilli-*

mis tab. aptior. Visula breuem. quod vitium emendare iussit Vrsinus.

22. *durum et latum folium*] Ex Brusch. Goes. Sang. accessit *durum* male in Edd. reliquis omissum, firmante Plinio. Isidorus: *Argitis graecula vitis generis albi, fertilis; vastam materiam et breue et latum folium mittens, cuius fructum nisi primo tempore colligas, aut ad terram decidit, aut humore putrescit.* Cuius loci vitium ante Pontederam ad h. l. vidit et correxit Gallicus Isidori interpres Iacobus du Breul. Legendum enim: *Visula materiem breuem.* Vincentius inde excerpsit: *vastam materiem et breue latumque folium.*

legantur] Etiam in Plinio ante Harduinum erat: *nisi — rapiatur.* Sed Cod. Chiffl. *rapitur.*

23. *Heluolae*] Isidorus: *Elbolae quas quidam varias appellant, neque purpureae neque nigrae, ab elbo colore ita dictae, subalbi tamen musti. Elbum enim est inter nigrum candidumque colorem. nam elbum nec album nec nigrum est.* Plinius: *insignes iam colore inter purpureas nigrasque medio heluolae, saepius variant, et ob id varianae a quibusdam appellatae. Praefertur in his nigrior: vtraque alternis annis fertilis, sed melior vino, cum parcior.* Suspicor esse graeciam κάπνεον, quorum vua media inter album nigrumque colorem, teste Aristotele de Gener. IV. 4. quasi fumidam dicas. De qua Theophrastus eadem tradit H. P. II. 4. C. P. V. 3. Plinius 14. s. 4. no. 7. Capniam vitem in Thurinis collibus non ante demeti ait, quam gelauerit. Capniam gemmam Plinius veluti fumo infectam interpretatur 37. s. 37. eandem sect. 56. plurimis spiris fumidam dixit. Optimum vinum Capnium in Beneuentano agro nasci, tradit Athenaeus I. p. 31. Heluolam esse, mecum sentit Bodaeus ad Theophrastum. Ceterum de vino Heluolo Galenus apud Athenaeum I. p. 27. ὁ Ἐρβηλος ἐν ἀρχῇ μέν ἐστι μέλας, μετ' ὀ πολλὰ δὲ ἔτη λευκὸς γίνεται. ἔστι δὲ λίαν κεφος καὶ τρυφερός.

sed haec] Recte monuit Pontedera, non habere *haec* quo referatur, et esse dubium ad nigram an albiorem pertineat. De nigriore constat ex Plinio, eam praeferri; rationem abundantiae addit Columella; alteram neuter nominavit, vt dubitari possit, quo colore fuerit, quae sapore praestabat.

Preciae] Plinius: *Et Preciae duo genera magnitudine acini discernuntur, quibus materies plurima vuaque ollis vtilissima, folium apio simile.* Nominat etiam Virgilius II. 95.

vbi

vbi Seruius: *Hae cito maturescunt, vnde et preciae dictae sunt, quasi praecoques, quod ante alias coquantur.* In Plinio XIV. s. 8. vinum Pucinum cum Graecorum *Praeciano* comparatur; sed ibi Edd. antiquae cum Hermolao *pyctanon* habent. Recte Pintianus monuit, ex Codice Chiffl. *Praitianum* et Salmant. *Praictanum* efficiendum esse *Paraetypianum*, quod ex Hadriaco sinu allatum memorat Dioscorides libro V.

24. *Albuelis*] Plinius: *Albuelis summis arboribus fertilior est, Visula imis. Quam ob rem circa easdem satae diversitate naturae locupletant.*

Mareoticas] A Marea, seu Mareotide lacu Aegypti, inde forte in Graeciam translatas. Vide Interpretes Virgilii Georg. II. 91. De psithia vide ad Nicandri Alexiph. vers. 181.

Sophortiae] Monstrum nominis nemo expellere conatus est. An latet in loco Plinii 14. s. 10. *Rhodium Coo simile est, Phorineum salsius Coo?* vbi Codices *Phormeum*, Harduinus legi vult *Corynaeum*.

fluunt] Virgilius Georg. II. *Argitisque minor cui non certauerit vlla aut tantum fluere aut totidem per durare annos.* De oliuis noster cap. 50. similiter posuit *exiguum, satis fluit.* Hinc *fluxura* Columellae dicitur de vini expressi copia. Monuit haec primus Pontedera. Graecam esse seu ex graecis translatam locationem, docebo ad XII. cap. 50. s. 1.

Inerticula] Isidorus: *Inerticula nigra est, quam Graeci amaracion vocant, boni vini et lenis, a quo etiam nomen traxit, quod iners in tentandis neruis habeatur, quamuis gustu non sit hebes.* vbi Chacon annotauit, vocem *amaracion* ab helvenaeis istuc esse translatam. Plinius: *Inerticulam e nigris appellauere, iustius sobriam dicturi, inueterato praecipue commendabilem vino, sed viribus innoxiam, si quidem temulentiam sola non facit.* Qui locus nomen amethyston satis defendit et explicat.

25. *Tertium gradum*] Isidorus: *tertius locus vitium, quae sola foecunditate commendantur, abundantia copiosa, multumque vini fluens.* Plinius: *fertilitas commendat ceteras, principemque heluenacam. Duo eius genera: maior, quam quidam longam, minor, quam emarcum appellant, non tam foecundam, sed gratiorem haustu. Discernitur folio circinato, verum vtraque gracilis. Furcas subdere his necessarium: alioqui vbertatem suam non tolerant. maritimo afflatu gaudent, roscido odore. Nulla vitium minus Italiam amat, rara, parua, putrescens in ea: vino quoque, quod genuit, aestatem non exsuperante: nec alia macro solo familiarior. Graecinus,*

qui

qui alioquin Cornelium Celsum transscripsit, arbitratur, non naturam eius repugnare Italiae, sed culturam auide palmites euocantium. Ob id fertilitatem suam absumi, si non praepinguis soli vbertas lassescentem sustineat. Carbunculari negatur: magna dote, si verum est, aliqua in vite coelo non esse ius. Vbi vides, Plinium duo modo genera commemorare, et ad emarcum transferre folium rotundum. Codex Thuani similiter ibi habet *marcum*, alii *quam arcam*. Denique *roscida odere* in Plinio legere malebat cum Dalecampio Harduinus; atque ita edidit Brotier, qui ex libris praetulit scripturam *heluenaicam*. De nomine heluenaciarum primum videamus. Noster infra V. 5. 16. eluenacum genus, vt Gallicum commemorat, vbi nulla librorum varietas est. Igitur nomen ipsum Gallicum est. Diuersae sunt *heluolae* a colore vario appellatae, quas supra sect. 23. et infra cap. 21. s. 3. nominat noster. Vinum heluеolum minusculum Catonis VI. 4. et Varronis I. 25. Plinius et libri scripti variant, *heluium*, *heluinum*, *heluolum*, *helutum* vocantes. Idem Cato cap. 24. heluеolum vinum fieri ait addita dimidia parte vini apicii et defruti trigesima, vbi Polit. liber *heluiolum* nominat. Ex eo igitur loco credo apparere, heluеolum Catonis seu heluiolum esse genus vitis a natione aliqua dictum; idem, ni fallor, de quo Plinius 14. s. 3. *Iam inuenta per se in vino picem respiens, Viennensem agrum nobilitans, Arueno, Sequanoque et Heluico generibus non pridem illustrata.* vbi, si verum est, non pridem celebratam fuisse vitem Heluicam, Catonis vinum Heluiolum diuersum esse debet: quod equidem non credo. Heluicum et heluenacum idem esse, monuit ad Plinii locum Harduinus, et dictum ab Heluiis, quos ab Aruernis Ceuenna monte separari ait Caesar B. G. VII. 7. Albam Helvorum habet Plinius III. sect. 5. Heluiorum seu Helbiorum ager nunc dicitur *le Vivarais*. Quam Sueui vocant *Elben*, alii *Elbling*, *Elbische*, folium rotundum habet quidem, sed diuersa esse videtur. De ea vide Sprengeri Cultur. vinearum practicam p. 59.

emarcum] Cod. Lips. et Sang. *marcum*, vt libri quidam Plinii. Suspicari possis, hinc deriuandum esse Gallicum vocabulum *marc*, quo vinaceorum pes expressus significatur, cuius significationis exempla ex scriptoribus latinis serioris aeui posuit Cangius in *Marchus*. Nisi potius a vetere Gallorum vocabulo descendit, quo equum significabant, teste Pausania in Phocicis, qui ἵππων ὄνομα μάρκην esse ait. Sic Marcellus Empiricus c. 16. p. 121. *herba quae gallice calliomarcus, latine equi vngula vocatur.* Cf. Cangii Glossar. lat. in

in vocabulo *Marecha.* De Marcomannis, id est, ἱππικοῖς ἀνδράσι vide Hagenbuch. ad Aeliani H. A. XIV. 23. in edit. Abr. Gronouii. Fuerit igitur *vua marcus* vel *marca* quasi ἵππιος graece dicas.

auaram] Vitium arguit varietas *cauam* et *canaram.* In Varrone II. 4. 10. de Gallicis succidiis legitur in vetustissimis libris scriptis *canatae* et *cauarae*, in Edd. *taniacae.* An fuit olim h. l. *canariam?* vt dicta fuerit vitis vilis propter sordidum vinum a canibus. Veram lectionem forte alii exquirent. Forte latet vestigium vocis *canaba*, de cella vinaria vsurpata ab Augustino aliisque, vnde Italicum *canaua* hodieque frequentatur; Galli *cave* dicunt. Vide Cangii Glossarium.

vuarum prima specie] Hanc Sang. lectionem probauit etiam Drakenb. ad Liuium T. I. p. 573.

27. *Vt spionia*] Isidorus: *Vitisionia vuas magnas magis quam multas habet. nomen autem inde hoc sumens, quod multum vini fluat.* Pontedera *vt* pro *at* restitui iussit, et lectionem librorum *scipionia* interpretatur a longitudine vuarum aut a Scipionum gente dictam. Plinius: *Aestum fert spionia, quam quidam spineam vocant, autumnisque et imbribus pinguescit. Quin imo nebulis alitur vna, ob id Rauennati agro peculiaris.* Scilicet *vt spionia* pendet ab initio sect. 25. *quae foecunditate sola commendantur, vt tres Heluenaciae.* Iterum nominat infra c. 7. s. 1. III. 21. s. 3 et 10. Naturam eius arguit solum vliginosum Rauennae. Hinc Martialis III. 56. *Sit cisterna mihi quam vinea malo Rauennae, cum possim multo vendere pluris aquam.* Alia conditio agri Caecubi, de quo vide ad III. 8. s. 5. propter eius aquas calidas vbique prorumpentes.

oleaginia] Plinius: *oleagineam nuper inuenerint a similitudine oliuae. Nouissima haec vuarum ad hoc tempus reperta est.* Ita saltem *oleaginea* h. l. scriptum oportebat. Sed libri scripti omnes cum Edd. optimis pro ea nominant *holconiam*, quae videtur esse ea, de qua Plinius inter vites, fertilitate commendabiles: *sicut horconia in Campania tantum vilitatis cibariae, sed vbertate praecipua.* Itaque hanc equidem lectionem praetulerim.

Murgentina] Plinius: *In Vesuuio et Surrentinis collibus Murgentina e Sicilia potissima, quam Pompeianam aliqui vocant, Latio demum feracem, sicut horconia in Campania, tantum vilitatis cibariae, sed vbertate praecipua.* Idem paulo post: *Municipii vuam Pompeii nomine appellant, quamuis*

Clusi-

Clusinis copiosiorem. vbi Pintianus emendat: *Pompeii municipii suo nomine appellant.*

Numisiana] Plinius: *Tarracina numisianam nullas vires proprias habentem, sed totam perinde ac solum valeat. Surrentinis tamen efficacissima testis, Vesuuio tenus.*

Venucula] Plinius: *Veniculam inter optime deflorescentes et ollis aptissimam Compani malunt sirculam vocare, alii staculam.* vbi ex Regio libro *scirculam* edidit Brotier. Idem Plinius inter insignes vua, non vino, vites nominat *scirpupulam passo acino.* In Macrobio Saturn. III. 20. legitur *venuncula.* Deinde *scircitula* ex libris scriptis et libro XII. 43. malebat Pontedera; paulo post tamen praefert *scriptulam,* quasi venis lineisque distinctam, denique *sticulam* a *stica* interpretatur dictam, lineis venulis striisque distinctam atque ordinatam in acinis, a στίχος series. Sed libri optimi pro *sticula* habent *rabucula.* Plinius inter pergulanas damnat *rabusculam* vbi libri scripti *rabuculam* habent, Harduinus malebat *rauusculam* a colore rauo. *Rabiolas* vuas habet Cangii Glossarium.

merica] Plinius: *Tolerat et annos moerica contra omne sidus firmissima nigro acino, vinis in vetustate rubescentibus.* vbi alii Codices habent *metica.* Brotier antiquum *merica* restituit. Libri Columellae *metticam, mettiam, ymetticam* nominant, et praeterea *atticam* interserunt, quasi de *Hymettica attica* Columella loquatur.

Rhaetica] Plinius inter insignes vua, non vino, vites: *Rhaetica in maritimis alpibus appellata, dissimilis laudatae illi* (sc. Rhaeticae) *namque haec breuis, conferta acino, degener vino, sed cute omnium tenuissima, nucleo, quem Chium vocant, vno ac minimo, acinum praegrandem vnum alterumue habens.* Geminam ita facit Rhaeticam Plinius. Putant esse quae hodie dicitur *Valteliner,* in Hungaria *rothe Zierfahnler* teste Mitterpacher Elem. rei rusticae T. II. p. 22. Virgilius: *et quo te carmine dicam, Rhaetia? nec cellis ideo contende Falernis.* Vino Rhaetico Augustum delectatum fuisse, monet Sueton. c. 77. Plinius XIV. s. 3. inter fabrili fumo seruatus vuas refert: *Ante Tiberium Rhaeticis prior mensa erat et vuis Veronensium agro.* vbi libri scripti *et vllis* vnde Harduinus corrigebat *et Tullis* vel *visulis.* Postea Plinius Rhaeticam domi nobilem alibi non agnosci tradit, foecunditate tamen bonitatem vini compensare locis temperatis satam; sect. 8. *In Veronensi item Rhaetica Falernis tantum posthabita a Virgilio.* Scilicet Rhaetorum oppidum erat Verona. Sed ecce Seruius ad Virgilii Georg. II. 95. *Rhaeticam vuam Cato prae-*

praecipue laudat in libris, quos ſcripſit ad filium; contra Catullus eam vituperat, et dicit, nulli rei aptam eſſe, miraturque cur eam laudauerit Cato. Hodie in libro Catonis Rhaeticae veſtigium non extat.

arcelacae] Infra cap. 7. 1. vbi libri alii *Arcelatam* alii *Arelatam.* cap. 21. ſ. 3. legitur *arcellae.*

28. *Pergulanam*] Vereor, vt vocabulum ſit ſanum. Nam pergulana eſt, quaecunque in pergulae formam colitur.

irtiolam] Plinius: *Irtiola Vmbriae Meuanatique et Piceno agro peculiaris eſt.* vbi libri ſcripti *Irciola* habent.

iucunditatiue] Spurium cenſeo vocabulum hoc, approbantibus libris optimis. A ſola enim foecunditate commendantur haec tria genera in ſequentibus Capp. a Columella; nec de iucunditate nunc quaeritur.

30. *qualitate*] Iſidorus: *multa autem genera vitium ſunt, quae tamen mutatione loci et qualitatem et nomen amittunt.*

31. *quo potiri*] Vrſinus malebat *qua potiri nequeat.*

niſi fama] Palladius I. 6. 2. *genera omnium ſurculorum vel frugum praeclare, ſed terris ſuis experta committe. in nouo enim genere ſeminum ante experimentum non eſt ſpes tota ponenda.* et ſect. 14. *eligamus praecipua in ea regione, quam colimus, vel exploremus aduecta.*

Cap. III. 2. *Varro*] Vide ad Varronem I. 2. 7. notas.

his certe temporibus] Locum hunc ex optimis libris reſtitui priſtinae veritati, varie vitioſum antea, vt varietas demonſtrat.

3. *octonos*] Aliter Plinius 14. ſ. 5. de vineis his Senecae, a Rhemnio Palaemone emtis: *quando et poſtea ſaepenumero ſeptenos culeos ſingula iugera, hoc eſt, amphoras centenas quadragenas muſti dedere. Ac ne quis victam in hoc antiquitatem arbitraretur, idem Cato denos culeos redire ex iugeribus ſcripſit.*

Ceretanis] Iterum infra c. 9. 6. nominat. Beroaldus recte monuit, non reſpici Ceretes Etruriae, ſed citerioris Hiſpaniae. Plinius III. ſ. 4. *per Pyrenaeum Cerretanos.* et paulo poſt *Cerretanos* refert, *qui Iuliani cognominantur et qui Auguſtani.* Comparat deinde Beroaldus locum Martialis XIII. 124. Ceretana Nepos ponat, Setina putabis. et epigr. 54. de perna: *Ceretana mihi fiet vel maſſa licebit de Menapis.*

octo-

octogenae] Lectionem *octogintae* probat Dickson I. p. 181. ita, vt iugerum vinea consitum dicatur septem culleos extulisse vini. Totum is locum ita vertit: *and that with nine eight hundred stocks planted only two years before, should produce seven cullei; or even that the best vine yards should produce an hundred amphora by the iugerum.* Scilicet putabat vir doctus, stirpes vineae pedum senorum interuallo plantatas 800. occupare iugerum; idque h. l. intelligi putabat. At enim si de iugero loqui voluisset, breuius dicere poterat; potius prodigium ita narrat, vt non solum singulae vites, sed octogenae simul duobus continuis annis, et denique tota iugera vinearum primarum, in Sardinia sitarum, fructum tam vberem proferrent.

4. *quando cum quarto*] Ex Varrone I. 44. Vrsinus addi volebat *decimo.* Verum Varro istum modum quibusdam modo locis Italiae assignat. Deinde si *decimo quarto* legas, Columella longe maius pretium agro, segetibus consito, statuet, quam pratis, pascuis, siluis et ipsis adeo vineis. Nam ex iugero agri mediocris, quod Columella vineae serendae destinat, reditum fuisse annuum sestertiorum 40. ex rationibus ipsis Columellae deducere conatur Dickson II. p. 97 et 106. Atque ex hoc etiam argumento probare vult neglectum et detrimentum enorme agriculturae romanae, quod Varronis tempora consecutum esse debuit, cum aucto frumentorum pretio.

5. *Dotem*] Cum dote hac comparat *Sprenger* Cult. Vinear. p. 146. partem summam et imam vinearum Sueuicarum *Vorlehn* dictam, quasi feudi partem liberam dixeris, quoniam terra inde egesta reliquae vineae quotannis additur, et gramina inde in pabulum bubulsi pecoris vertitur, vnde stercus confiat.

6. *vberrimum*] Sangerm. ita: *vberrime praesentem vivat, sic imperat vitibus.* omissis reliquis.

non vt ego] Vrsinus malebat: *vt non, vt ego existimo tricenas — vicenas percipiant.* Scilicet locus ante Gesnerum ita legebatur: *At si qui cum — existimo tricenas vel quadragenas certe.* Sed vel ita etiamnum in verbis *licet, inquit* vitium superesse puto.

7. *nec in hoc errat*] Graecinus. Sed agricolam potius respicere videtur Columella. Quare vitium aliquod latere suspicor. Malim *nec in hoc errant; quippe diligens ratiocinator — videt.*

8. *septem iugera*] Geoponica II. 46. πλέον ὀκτὼ πλέθρων ἀμπέλῳ ἐργάζεσθαι ἀδυνατὸν etc.

de

de lapide noxium] Lapis veluti catasta, locus, vbi serui venibant, etiam apud Graecos, teste Polluce III. 25. Cf. Turnebi Aduers. X. 3. Brodaei Miscell. VI. 5. Pignorium de Seruis p. 49. quos laudauit Schoettgen. De lapide Capitolino h. l. interpretatus erat Georg. Alexandrinus Merula, quem refutauit Beroaldus, comparans locum Plautinum Bacchid. IV. 7. 17. et Ciceronis de Petit. Consul. c. 15. *emti de lapide*. Feminae in machina prostare dicuntur. Idem Cicero ibid. c. 2. *amicam de machinis emit*. Varro apud Nonium in *Sarcinatrices* nominat *sarcinatrices in machinis*, vbi cantare soleant. Male ibi pergulas interpretatur Ian. Guilelm. Verisim. II. c. 12.

(*sex vel potius*) *sestertiis*] Verba a Gesnero inclusa primus damnauit Vrsinus velut ex varietate scripturae *sestertiis* et *sextertiis* orta. Ceterum debebat esse *sestertium octo millibus*.

totidem millibus] Scilicet septem, quot sunt iugera, vt monuit Gesner.

9. *semisses vsurarum*] Vsurae menstruae semissium efficiunt in centum sestertios vsuras annuas sestertiorum sex, in mille sestertios, sexaginta, in 29,000, vsuras annuas 1740, quae duplicatae vsuras biennii efficiunt summam a Columella positam 3480. Semisses vsurarum suo etiam tempore commemorauit Cicero. Sed nunc demum animaduerto Salmasium de Modo Vsurar. p. 281. instare latine *semisses vsuras* dici, non semisses vsurarum; itaque bis in h. l. vulgatam corrigit *semissium vsurarum sestertia*: et deinceps: *praedictum vsurarum semissium foenus constituat*. Posteriorem hanc emendationem inter paucas Salmasianas mihi egregie probari, fateor.

octoginta] Libri optimi *octuaginta* ex Graeco ὀγδοήκοντα, quam formam in libro XII. Columellae reliquit Gesner; paulo post tamen Bruschiana sola *octoginta* praefert.

fecerit, eius summae] In Gesneri editione est: *fecerit eius summae, vt in quasi nomen eius summae* iungenda sint. Vitium distinctionis correxeram, antequam Salmasii admonitionem nouissem.

nongentos] Vitium numerorum, ante Gesnerum a Victorio positorum, viderat etiam Ant. Augustinus Emend. II. 10. Numerum rotundum posuit Columella pro recto, qui erat $1948\frac{4}{3}$, recte monente Gesnero. Veram lectionem restitui iussit etiam Salmasius de Modo Vsur. l. c.

10. *minimum pretium annonae*] De vario pro diuersis temporibus vini pretio haec breuiter annotabo, quae ad Ca-

tonem etiam poterunt referri. Plinius 18. c. 4. *M. Varro auctor est, eum L. Metellus in triumpho plurimos duxit elephantos, assibus singulis farris modios fuisse, item vini congios, ficique siccae pondo LXX. olei pondo X. carnis XII.* Haec pertinent ad A. V. 502. et bellum Punicum primum, notante ipso Plinio 8. c. 6. Idem 14. c. 16. *P. Licinius Crassus et L. Iulius Caesar Censores A. V. C. 565. edixerunt, ne quis vinum graecum Amminneumque octonis aeris singula quadrantalia venderet.* Pertinet huc etiam locus Polybii de Gallia Cisalpina II. 15. vbi sua aetate saepe tritici medimnum Siculum obolis quatuor, hordei duobus venisse ait, vini autem pretium metretae fuisse aequale hordei medimno.

12. *ille minus quatuor*] ille scilicet sexdecim millia malleolorum ponebat inter ordines. Vide infra III. 16. 3.

13. *redemtorum erunt*] Redemtor ab hac re alienus est. Libri optimi *redemtorum erunt* vel *erit*. Malim *emtorem reperient*. Ita graece εὑρίσκειν dicitur de publicis, quae venduntur. Interim lectionem Goes. et Sang. recepi; nam vulgata vel propter ingratam in tam elegante scriptore repetitionem eiusdem verbi displicere debebat.

quanti constare iugerum] scilicet cum dote sua. Vide sectionem 8. Ceterum *sestertiorum* posui pro vulgato *sestertia* ex libris Pol. Sang. Lips. quorum lectionem probauit ipse Gesner.

Cap. IV. 3. *conseruerit*] Vrsinus malebat *conseuerit* et deinde *seuerit*, vbi ex Sang. dedi *posuerit*.

biennii spatium] Plinius 17. c. 35. no. 9. *interest autem biennium, fructus quo tardius in sato prouenit, quam in translato.*

quam in otio tractare] Vrsinus malebat: *tractaret*. Gesner: *melius an is terrae mandauerit — an qui in otio tractarit.* Mihi nec haec correctio satisfacit.

Cap. V. *si in peius transferantur*] Ita recte ex Goes. correxit Gesner vulgatum: *priusquam transferantur*. quam lectionem etiam in Codd. Vaticanis reperit Pontedera. Contra verum in duobus vetustissimis Codd. Florentinis reperit Georgius ab eodem Pontedera consultus. Sententiam expressit Palladius I. 6. et II. 9.

3. *vitiario est aptissimus*] Plinius 17. c. 35. no. 4. *solum apricum et quam amplissimum in seminario siue in vinea bidente pastinari debet ternos pedes bipalio alto.* vbi vocabulum *amplissimum* vitiosum est.

quae

quae est altitudo] Infra XI. 2. 17. *vel ad bipalium cui est altitudo duorum pedum.* vbi Sangerm. habet *quae est altitudo.* Sed vide ad librum de Arboribus cap. 1. sect. 5. Ceterum h. l. vitiosum esse, dubitari non potest. Gesner auctore Brouckhusio verba *quae est — humus* veluti ex glossa orta inclusserat; sed bipalium sine addita mensura pastinationis nuspiam dixit vel Columella vel alius scriptor.

per totum iugerum] Palladius III. 9. 9. *nonnulli in iis vitibus, quas toto solo pastinato disponunt, ternos pedes inter singulas vites quoquouersus dimittunt. Sed hoc genere diuisionis in iugerali tabula* (i. e. horto, vitiario) *pangentur tria millia sexcenta sarmenta. Quod si duos semis pedes inter vites relinqui placet, in eadem tabula ponentur vites quatuor millia septingentae quinquaginta tres.* Qui locus, vt huic nostro medelam suggerit, ita ipse ex nostro emaculari debet, quod miror Gesnerum non vidisse, qui frustra calculos suos posuit. Iugerum ordinarium longum pedes 240. latum 120. occupabunt per longitudinem sarmenta 80. per latitudinem 40. quae efficient in vniuersum sarmenta 3200. Igitur antiqua Palladii lectio: *tria millia vicena vna sarmenta* verae propior est, et temere a Gesnero mutata. Eadem igitur etiam Columellae restituenda fuit, vbi erat *qui ducenos quadragenos pedes obtinent, sexcenteni malleoli pangendi sunt.* Ad veram lectionem ducit lectio Sang. libri, qui omittit *qui* cum Lipsiensi post ordinibus, et deinde pro falso numero *obtinent sexcenteni* habet *optime septeni*, in quo verus numerus *octogeni* latet. Igitur eam lectionem Columellae restituere non dubitaui. Gesnerum reliquosque Interpretes miror, qui tam enorme vitium non animaduerterunt. Altera ratio, ad quam numerus quatuor millium pertinet, h. l. plane excidit, ex Palladio restituenda; sed summa in ea efficit malleorum 4578. In Palladio contra vetus lectio ponit 5476. recepta a Gesnero lectio 4753. — Sangerm. lectionem qui memorauit, *sexceni* probabat Drakenb. ad Liuium T. V. p. 840.

Cap. VI. 2. *e duro*] Palladius III. 9. 6. *neque putemus brachia esse fertilia, quae vuas singulas aut binas producunt, sed quae multa vbertate curuantur; nam potest ferax vitis feraciores in se habere materias. Erit et hoc signum fertilitatis, si de duro aliquo loco fructum citabit, si foetu impleverit ramulos, ex ima parte surgentes. Sed hoc signis positis per vindemiam est notandum.* Vides, *nepotes* esse Palladio *ramulos, ex ima parte surgentes.* Vitem interdum ex

et sedet ingentem pascens Meuania taurum, dona Ioui. Idem VIII. 458. *et laetis Meuania pratis.*

4. *florere coco*] Ita scribi voluit etiam Vrsinus et Rhodius ad Scribonium p. 253. In Mediceo tamen libro Gesner ait esse etiam *flore croceo.* De croco in Coryco, Ciliciae monte, et Tmolo, Lydiae, testatur praeter alios Plinius 21. c. 6. et Virgilius Georg. I. 56. Infra IX. 4. 4. bulbum Siculum cum Corycio nominat Columella.

casiam] Quod ex Plinio 16. c. 32. casiam in septentrionali tantum Italiae plaga nasci monet Schoettgen, in eo errauit. Ea enim casia est Graecorum cneorum, et Daphnae Linnaeanae genus, vt quidam opinantur, minus odorum. Casia nunc dicitur a Columella arboris odoratae genus. Lectionem *compluribus* pro vulgata *cum pluribus* ex Sang. etiam laudauit Drakenb. ad Liuium T. I. p. 953.

iam turream plantam] Varietas Edd. I. B. R. *plantam mature ampliatam.* ex vitio scripturae et distinctionis orta est, vt bene monuit Gesner. Ceterum de turea planta opportune succurrit locus Plinii 12. c. 30. *Legati ex Arabia omnia incertiora fecerunt, quod iure miremur, virgis etiam thuris ad nos commeantibus, quibus credi potest matrem quoque terete et enodi fruticare trunco.* Tuream virgam in vsum hastilium apportatam de Sabaeis commendat Gratius Cyneg. 132.

5. *Massici*] Plinius XIV. c. 8. de gradu tertio vinorum: *Certant aeque Massica ex monte Gauro Puteolos Baiasque pro spectantia — Iuncta his praeponi solebant Calena, et quae in vineis arbustisque nascuntur, Fundana.* quae verba Harduinus interpretatur: *e monte Massico in Gauranum translatis vitibus vina expressa.* Plinius enim ipse III. c. 9. de Campania: *Ab hoc sinu incipiunt vitiferi colles. — Hinc Setini et Caecubi protenduntur agri; his iunguntur Falerni, Caleni; dein surgunt Massici, Gaurani Surrentinique montes.* Sed si in priore loco cum libris aliis Gaurano legas, Harduini interpretatione non erit opus. Apud Athenaeum I. p. 26. Galenus: ὁ Μαρσικὸς πάνυ αὐστηρὸς, εὐστόμαχος δέ. Ita etiam h. l. Edd. primae *Marsici* habent.

Caecubi] Plinius III. sect. 9. *a Circeiis palus Pomptina est, dein flumen Vfens, supra quod Terracina oppidum — et vbi fuere Amyclae — dein locus Spelunca, lacus Fundanus Caieta portus.* Postea in Campania demum: *Hinc Setini et Caecubi protenduntur agri.* Strabo V. p. 233. oppidum Caecubium inter Caietanum sinum oppidumque Fundanum memorat. Plinius II. sect. 96. Caecubi agri insulas fluctuantes sem-

ſemper annotauit; vnde regio paludoſa ſatis intelligitur. Idem XVII. ſ. 3. *Pucina vina in ſaxo coquuntur, Caecubae vites in Pomptinis paludibus madent.* Idem XVI. ſ. 67. *licet populi vitibus placeant et Caecuba educent.* Sed ecce idem ſubito XXIII. ſ. 20. *Caecuba iam non gignuntur.* Quod interpretabimur ex loco XIV. libri ſect. 8. *Antea Caecubo erat generoſitas celeberrima in paluſtribus populetis, ſinu Amyclano, quod iam intercidit et incuria coloni locique anguſtia, magis tamen foſſa Neronis, quam a Baiano lacu Oſtiam vſque nauigabilem inchoauerat.* Martialis eiuſdem meminit XIII. Ep. 115. *Caecuba Fundanis generoſa coquuntur Amyclis, vitis et in media nata palude viret.* Galenus apud Athenaeum I. p. 27. εὐγενὴς δὲ καὶ ὁ κάικυβος, πληκτικὸς, εὔτονος, παλαῖται δὲ μετὰ ἱκανὰ ἔτη. Ὁ φανδᾶνος, εὔτονος πολύτροφος, κεφαλῆς καὶ στομάχου ἅπτεται, διὸ ἂν πολὺς ἐν συμποσίοις πίνεται. Contra idem Galenus aliis in locis ſcriptorum ſuorum Caecubum vinum affirmat non eſſe genus aliquod certum a loco natali vocatum, ſed omne vinum vetus et fuluum a diutina cubatione Caecubum dici. Cf. Cornarium ad Galen. de Compoſ. medic. p. 467.

Cap. IX. *ditauit*] Vrſinus malebat *dotauit*. vt ſupra cap. 1. 1. et cap. 8. 1.

in vniuerſum] Sang. omittit praepoſitionem.

2. *Carſeolana*] Plinius 17. ſ. 35. no. 27. *in Carſeolano* habet, vbi Brotier ex editione principe et Codd. Regiis ſcripſit *Carſulano*. Carſulanos fuiſſe ait in Vmbria ſextaque Italiae regione, vbi Carſulae, quarum maneant rudera prope *Santo Gemini*.

notae huiuſmodi] Vereor ne Iucundus et hic corruperit Columellae orationem. Bruſch. habet *Aminei vitis notas*, quae proxime abſunt a lectione L. et Sang. *vites notatas* quam vnice probo.

denas amphoras] i. e. vicenas vrnas. quem numerum nimium eſſe, nec ex pergulae commoditate explicari poſſe putabat Geſner. Itaque malebat *ſenas* vel *binas* legi.

3. *Varro*] R. R. I. 2. 7. qui Catonem ipſe laudauit.

ſexcentenas] Libri optimi *ſexcenas* vel *ſeptenas*. quam formam h. l. probauit et multis exemplis confirmauit Drakenb. ad Liuium T. V. p. 840. Eadem adfuit varietas ſupra III. 5. 3. Ita dicuntur *duceni*, *treceni*, *quadringeni* pro *ducenteni* etc.

ac modo plane] Ex lectione Sang. *palaeue* Heinſius efficiebat: *talea e longinquis*. Inepte! Mihi legendum videtur:

detur: *nuper modo ac plane.* In Brusch. est *hac mō plane — accersita.*

4. *possit is*] Ita recte Brusch. ex qua paulo antea vulgatum *paullo* mutaui.

Bucolicis] I. 23. Pontedera cum libris omitti vult *noram*; deinde legit: *vt etiam pastor.* Certe importune bis repetitur *vnde.*

5. *quadrigarum semina*] De genealogiis equorum nobilium, inprimis circensium, laudat Gesner Graeuii Praefat. ad Thesaur. Antiqq. Roman. T. IX. et Martialem III. 63. Arabicorum equorum titulos et genealogias hodie quis ignorat similes?

equarum] Exempla equarum Olympianicarum ex Herodoto VI. 103. Plinio 10. s. 83. Aeliano H. A. XI. 36. XII. 40. Pausania aliisque scriptoribus posuit Gesner, laudato etiam Scheffero de Re Vehicul. I. 12. et Wesselingio ad Diodorum IV. 15. Ceterum simili comparatione vtitur infra III. 20. 3.

deterreat] Brusch. *detereat*, et sect. 7. *tantumdem.*

6. *Baccaque vite*] Vitem hanc Gallorum *Morillon noir* interpretatur Sprenger Cult. Vinear. p. 193.

7. *situs agri*] Vt haec prioribus respondeant, malim cum Pontedera ex vestigiis varietatis lectionum ita legere: *si aut situs plagae, aut agri qualitas.*

8. *de vineis in vineas*] Inepte in his verbis tricatur Gesnerus, quasi ignorasset, vineam ab arbusto esse diuersam. Libri Polit. et Goes. *vinetis* hic et saepe alibi habent pro *vineis.* Sed nulla est vineti differentia, nec vineas plures comprehendit, quod voluit Carol. Stephanus, monente Gesnero.

9. *ex macro*] Praepositionem omittit Sangerm. Palladius III. 9. 4. *Amineae calidum statum potius quam frigidum sustinebunt. de pingui ad macrum transire non possunt, nisi stercus adiuuerit. — Sed vitem vel arborem melius erit de exili ad pinguem transferre; nam si a pingui terra ad solum exile transierint, vtiles esse non poterunt.*

specialiter] Praeclare emendabat Vrsinus *spectabitur.* Gesner specialiter et glossam vocabuli *proprie* inclusérat. Infra cap. 11. sect. 6. *Sed hoc in totum; at illud, quod vineis praecipue est idoneum, proprie considerandum.* ex quo Vrsini emendatio confirmatur.

Cap. X. *caput vitis*] Cato vitis caput vocat radicem, vel radici proximam partem trunci.

vlti-

vltimum] Vrsinus malebat *vltimam*.

2. *Amina per medullam*] Aliter philosophatur Plinius 17. f. 35. *vitium surculis et quarundam arborum, quibus fungosior intus natura est, geniculati scaporum nodi intersepiunt medullam. — Medulla siue illa vitalis anima est, ante se tendit longitudinem impellens, quamdiu nodi peruia patet fistula. Cum vero concreti ademere transitum, repercussa erumpit, ab ima sui parte, iuxta priorem nodum, alternis laterum semper inguinibus, vt dictum est in arundine et ferula; quorum dextrum ab imo intelligitur articulo, laeuum in proximo atque ita per vices. Hoc vocatur in vite gemma, cum ibi cespitem fecit. Ante vero quam faciat, in concauo oculus, et in cacumine ipso germen. Sed palmites, nepotes vuae, folia, pampini gignuntur; mirumque firmiora esse in dextra parte genita.*

3. *Sed et hae steriles*] Vulgo legebatur: *Sed et eae stirpes, quae e duro citantur, duplici ex causa probatae sunt.* vbi Gesner scripsit *Sed et hae.* qua mutatione tamen sensus non adiuuatur. Manifestum est, Columellam nunc de materia, e duro enata, loqui velle, eamque similiter, vt summa flagella, sterilem esse, demonstrare. Quare vitium primum est in verbis *probatae sunt. E duro* infra sect. 5. est *e duro trunco enatum.* Vitio medebatur Pontedera inserenda negatione *probatae non sunt.* contra vulgatam Gesner ineptissime defendebat, cum rem ipsam non intelligeret. In Curis secundis Pontedera legi volebat: *sed et hae stirpes, quae e duro, vitantur duplici ex causa.* Genuinam lectionem ex Sang. libro repraesentaui, quam antequam adstruam, pauca sunt antea monenda. Genitalia vitis loca media esse, docere conatus est Columella comparatione humani generis reliquorumque animalium, infima et summa esse sterilia, nec inseruire foecunditati. Ipsam comparationem nunc non moror; ea enim est admodum inepta et falsa philosophia nititur. Sed ex ea vera huius loci lectio pendet. Demonstrare enim nunc vult, partes infimas vitis, radicibus proximas et materiam, inde e duro enatam, similiter vt summas esse steriles. Igitur lectionem Sang. quae ita habet: *sed et hae steriles, quae duro vtuntur ac duplici ex causa robustae sunt.* ita posui, vt ex vulgata verba *quae e duro citantur* retinerem. Lectionem hanc non solum sententia ipsa totius loci, sed et alius locus infra sect. 8. firmat, vbi est: *non aliud semen frugiferum esse ducimus; nisi quod in parte genitali* (i. e. media) *fructum attulerit. Nam illud quidem quod loco sterili* (i. e. infimo) *laetum robustumque sine foetu processit, fallacem foecundi.*

cunditatis imaginem praefert, nec vllam generandi vim possidet. Quinctilii etiam in Geoponicis V. 8. malleolos e media vite praeferunt. Noster Arbor. III. 1. *optima semina habentur a lumbis, secunda ab humeris; tertia in summa vite lecta vita — pampinaria sarmenta deponi non placet, quia sterilia sunt.* Nescio, an vocabula, rusticis vsurpata de vite, vt humeros, pollices, digitos, vngues, caput et crines appellarent, induxerit Columellam, vt ex comparatione humani generis sterilitatis argumenta deducere conaretur. Lumbi certe vitium egregie huic philosophiae admodum rusticae conueniunt.

illae fertiles] summa flagella. Ceterum Vrsinus corrigebat: *quae e tenero, quod quicquid.* quam opinionem rationibus grammatici impugnauit Gesner, cum physicas ignoraret. Etiam Pontedera malebat *quae e tenero prorepunt, eo quod quicquid.* vt haec verba responderent superioribus *Sed et hae steriles, quae e duro citantur, d. ex c. robustae sunt.* Equidem viro docto assentior, cuius annotationem omiserat Ernesti.

illinc ad se tractus] Hanc posui lectionem librorum probatam ab ipso Gesnero. hinc, ab infimis sarmentis interceptus, illinc a summis flagellis attractus humor. Recte enim attrahere summa flagella dicuntur humorem, quia vitis naturaliter in sublime nititur, et naturali quadam ratione summae arborum virgae soli et ventis expositae succum ad se trahunt.

4. *vltimum flagellum*] Plinius 17. c. 24. *Vitibus ficisque media sicciora et e summa parte conceptus, ideo illinc surculi petuntur (insitioni).* Palladius III. 9. 7. *summa flagella repudiemus ac surculos, qui licet bono loco nati sint, tamen feracitate caruerunt.* vbi Crescent. elegantius: *feracitatis beneficio.*

media vite] Palladius l. c. sect. 5. *eligenda sunt sarmenta, quae pangamus, de vite media, neque de summa, neque de infima, quinque vel sex gemmarum spatio a veteri procedentia, quia non facile degenerant, quae de talibus locis transferuntur.* Ceterum Vrsinus h. l. ita emendabat, vt legeret: *siquidem loci vbertate in fructum cogitur — nec opportuna quidem parte deficit.* Partem priorem emendationis probo vnice; ita enim supra sect. 1. *id enim accidit non ingenita palmitis fertilitate, sed loci opportunitate* etc. In altera parte aberrauit vir sagacissimus. Probarem, si esset *deficerctur.* Ita enim Columella dixit altera parte defici, altera superare, et similia; sed deficere macro solo et similia dixit pro minus prouenire propter macrum solum.

5. *hu-*

5. *humeros — ea tamen quae*] Ita recte Sang. Vulgo a *praedictis — humerosos — legamus, tamen quae.* Humeros appellat de Arboribus III. 1. et XX. 1. Lumbos III. Arbor. 1. inguina vitis Plinius, brachia, pollices ipse Columella. Plinius 17. sect. 24. *certum est ab humeris arborum orientem aestiuum spectantibus surculos petendos.* Geoponica IV. 12. τινὲς δὲ καὶ τὲς ὤμὲς αὐτὲς ἐγκεντρίζεσι. de vite sermo est.

6. *inscitia seminum*] In Edd. I. B. R. et libro Goes. est *inscientia.* Ita enim liber Sang. teste Drakenb. ad Liuium T. III. p. 596.

infirmissimus et] Vulgatum *infirmissimi. nam et inutilissimus* ineptissimum esse, statim apparebat. Igitur vestigia Edd. I. B. R. secutus veriorem lectionem restitui.

7. *superponit*] Ita optimi libri pro *seponit.* Est vt graecum ὑπερτίθεσθαι pro supersedere. Aliud exemplum eius notionis ignoro.

vt et sciat] Ita cum Vrsino ex antiquis Edd. rescripsit Gesner, qui praeterea Goesiani *et quod sciat sequatur* probabat. *Acceperit* ex Goes. dedi, eamque lectionem coniectando assecutus fuerat Vrsinus.

ne pampinariam virgam] Plinius 17. c. 35. no. 3. *Serere e pampinariis sterile est, nec nisi foecundo oportet. Quae raros habet nodos infoecunda iudicatur; at densitas gemmarum fertilitatis indicium est. Quidam seri vetant nisi eos, qui florueruat surculos.*

8. *primum rationem*] Sangerm. *primo.* deinde Idem habet: *sine foetu cessit.*

9. *quaeque naribus*] Ex Sang. addidi *quaeque.* Linguam et gustum omisit, quod gustus tactu quoque censetur, monente Morgagni ad h. l. Deinceps Sang. *ne generandi quidem* habet.

10. *praedita ratione*] Hanc librorum optimorum lectionem recte vulgatae *praeditus* praeferebat cum Schoettgenio Gesner, recipere tamen non ausus. Inepte in vulgata *aeternus rerum opifex* dicitur *ratione diuina* praeditus; contra recte, quanquam satis audacter, spiritus illa elementa, quae terrenis primordiis miscentur in coitu, diuina ratione praedita dixit Columella.

quasi quibusdam] Locum elegantissimum deformem reddidit librariorum supina opera. Comparat generationis opus atque instrumenta in arcano corporis loco peractum et posita, cum sacris Bacchi et Cereris opertis seu mysteriis, vbi mystica vannus, cista, phallique similitudinem huius genera-

nerationis praebent cum silentio et obscuritate noctis. Igitur suspicor, verbis transpositis legendum esse: *quasi quibusdam secretis sacris, in arcano et operto corporis loco illa spiritus elementa cum terrenis primordiis misceret.* In Bruschiana est *com terrenis.*

12. *pecudes ac virgulta*] In Sang. libro esse *hac virgulta*, testatur Drakenb. ad Liuium T. III. p. 838. temere tamen probat eam lectionem. Deinceps Brusch. *insisteret*, et sect. 13. *oportuno.*

15. *spadones*] Isidorus XVII. 5. *spadones sunt surculi fruge carentes, ex ipsa appellatione, quod sint inhabiles fructu et sterilitate affecti.*

16. *ipsius resecis*] Sangerm. liber etiam hic *resicis* habet, teste Gronouio, et paulo antea cum Polit. *in resicem summitti.* quae scriptura multis etiam aliis in locis occurrit. Haud scio an ea vbique praeferenda sit vulgatae.

materni muneris] Palladius III. 9. 8. *Pampinarius, qui de duro nascitur, etiamsi attulerit fructus, pro frugifero non est ponendus; in suo enim loco foecundatur a matre, translatus vero tenet sterilitatis vitium, quod nascendi conditione suscepit.*

ferre condiscit] Brusch. *fere condiscit.*

17. *singulis vuis*] Palladius III. 9. 6. *sumantur autem de vite foecunda neque putemus brachia esse fertilia, quae vuas singulas aut binas producunt, sed quae multa vbertate curvantur, nam potest ferax vitis feraciores in se habere materias.* vbi verba *aut binas* omittit Codex Lugd.

videlicet quia spirat] Optimorum librorum lectionem dedi. Ita infra cap. 17. 3. *videlicet quia ipsis* etc. Mecum sentit Pontedera. In Brusch. est *quia semper est.*

18. *inculcet*] Quod Vrsinus et Morgagni coniiciendo assecuti fuerant, dedit Goesianus liber verbum pro vulgato *indulget.* Locus Virgilii est Georg. I. 192.

in totam] Vitiosa haec esse, manifestum est vnicuique. Goes. liber habet: *tota agricolatione spatione.* vbi spatium amplitudinem artis significare putabat Pontedera: *sationem* malebat Broukhus. sed vel ita vitii maxima pars remanet. Igitur suspicor legendum: *sed in totum de omni satione.*

20. *translationem — reformident*] Lego: *translatione.* Noster IV. 9. *putatio non debet secundum articulum fieri, ne reformidet oculas.* IV. 11. *non esse ferro tangendos anniculos malleolos, quoniam reformident.* ita enim optimi libri pro *quod aciem reformident.* IV. 24. 15. *illa resectio celerius ac latius emoritur, haec tardius et angustius reformidat.* IV.

33. 4.

33. 4. *quae radicibus exenta et deposita est, biennio reformidat.*

id ipsum] Brusch. omittit *id.*

sic tamen] Ita recte Sangerm. Ante *rettulimus* etiam Brusch. quae paulo post *praecipiantur.*

22. *frugiferum — nequam*] Deest verbum aliquod *fieri*, seu *fore.* Itaque suspicor verbum *fieri*, quod Edd. I. B. R. post verba *vituperandam censebant*, alieno plane loco inserunt, potius ad hunc locum pertinere. Ceterum respexit Columella ad illam sermonis romani consuetudinem, quae hominem frugi opponebat homini nequam. Recte igitur Gesner obnitebatur Pontederae emendanti: *in ipsa matre nunquam fuisset.* Catonis *nequam hostum* non pertinere ad hunc locum, recte monuit Pontedera in Curis sec. p. 468. Quid si vocabulum *frugiferum* coaluit ex *frugi fieri?* Quod postquam in *frugiferum* fuerat mutatum, librarius Codici in margine varietatem *fieri* alieno loco apposuit, quam Edd. primae post *censebant* inseruerunt.

haec et forsitan] Inutilem copulam inclusi. Deinceps *sint* est in Bruschiana.

Cap. XI. *qualitate soli*] Quaestionem hanc tractauit Theophrastus C. P. II. 5. III. 7 et 16. paucis Geoponica V. 1. Nescio vnde ducta glossa Hesychii καταρώγαα, γῆν τινα πρὸς φυτείαν ἀμπέλων εὔθετον.

3. *siluestris ager*] Palladius II. 13. *Ad pastinandum rudes agros potius eligamus vel maxime siluestres. vltima conditio est eius loci, in qua fuerunt vetusta vineta.*

4. *si necessitas*] Palladius II. 13. *Quod si necessitas coëgerit, prius multis arationibus exerceatur, vt abolitis radicibus prioris vineae et omni earum caria et squalore depulsa nouella vitis tutius possit induci.* vbi rectius Gresc. cum Polit. libro habet *eius caria.* Deinde *squalorem* dixit Palladius, quod Columella supra sect. 2. *virus.*

maritum] Plinius 17. c. 32. no. 22. *non spernunt plerique fraxinum ficumque etiam oleam, si non sit vmbrosa ramis, in maritandis vitibus.* Ficus maritas memorat etiam Theophrastus C. P. III. 15.

sicco fimo] cinere, et simili. Ita et infra V. 9. 14. vbi vide notam. Nihil igitur deest, quod suspicabatur Morgagni. In libro tamen Sang. est: *totum fimo solum fimo.* priore *fimo* subtus punctis appositis deleto.

refossae] Vulgatum *refossas* notauerat etiam Gesner. Ceterum h. l. respexit Palladius II. 10. *radices omnes et purgamen-*

gamenta maxime rubi et filicis, in summum regeri faciat. Quae cura in omni positionis genere et vbique seruanda est.

vetusto] Sangerm. *veto* Heinsius Aduers. III. p. 459. mutabat in *vieto*.

5. *pura noualia*] Palladius II. 10. *vbi autem mundae sunt nouales scrobibus pastinemus aut sulcis, sed sulcis melius erit, quia humorem in tota spatia pastinata transmittunt.*

6. *retorrida nec scabra*] Ita recte Sang. pro *et scabra*. Palladius I. 5. *Vineis quoque vtilem per haec signa cognosces: si coloris et corporis rari aliquatenus, atque resoluti est; si virgulta quae protulit laeuia nitida, procera, fœcunda sint, vt piros siluestres, prunos rubos, caeteraque huiusmodi, neque intorta, neque sterilia neque macra exilitate languentia.* Idem ibidem sect. 2. *quae protulerit, nec scabra sint nec retorrida, nec succi naturalis egentia.* vbi Crescent. cum Edd. I. B. R. habet *retorta*. Sed noster infra cap. 12. 2. *scabras et retorridas facere;* vnde vulgata huius loci lectio et *scabras* possit defendi. Plinius 17. 5. frigidam terram ostendere ait *retorride* nata. Frondem retorridam habes infra XI. 2. 87. et prata retorrida Varro I. 9. 5. Retorrescere de vinea habes supra III. 3. 4. III. 5. 1. et III. 17. 4. Sed ad Palladii locum reuertamur; vbi Vincentius recte habet: *coloris nigri et corporis rari aliquatenus.* Ita enim *pullam terram* Columellae expressit Palladius. Deinde Vinc. pro rubis nominat *tuberes*. male. Peregrina enim ista arbor erat. Ceterum bis a Palladio eadem verba repetita fuisse non puto, sed errore hoc librarii accidit, qui ex *retorridis* seu *retortis* fecit *intorta*, et ex *scabris*, *sterilia*. Denique eadem aliter repetiit Palladius II. 13. *nam locus, qui misera virgulta produxerit, vel vliginosus vel salsus vel amarus vel sticulosus et aridus reprobatur.* Geoponica V. 1. ἐπιτηδεία ἀμπέλοις γῆ ἡ μελάγγειος μὴ ἔσα πυκνὴ καὶ ἐν τῷ βάθει σύμμετρος ὕδωρ γλυκὺ ἔχουσα — πᾶσα μελάγγειος ἡ μὴ λίαν πυκνὴ μηδὲ καλαώδης ἰκμάδα δὲ ἔχουσα ἐπιτηδειοτέρα πρὸ ἀμπέλας.

totum: at illud] Ita Pontedera correxit vulgatum *totum ad illud*, ex veteribus Codicibus, vt ait. Distinctionem mutare voluerat Gesner, sed operae aberrarunt. Plinius 17. c. 3. *nec pulla, qualem habet Campania, vbique optima vitibus, aut quae tenues exhalat nebulas.* Ita notat Virgilium II. 217.

7. *tophum*] Palladius II. 13. *tofus et alia duriora, vbi gelu relaxantur et solibus, pulcherrimas vineas ferunt, refrigeratis aestate radicibus et humore detento.* Virgilius II. 214. *et tophus scaber.* vbi damnat; contra Plinius 17. c. 3. *nam tofus*

tofus ſcaber natura friabilis expetitur quoque ab auctoribus. Arenoſum tofum noſter habet infra IV. 22. et inde Palladius I. 5. 1. Puteos ſtrui iubet Palladius Aug. 9. *lapide tofacio vel ſilice.* vbi Vincentius bis *tofico* habet, Codex Lugd. et Erf. *toficio.* Plinius 36. ſ. 48. *tofus aedificiis inutilis eſt mortalitate mollitiae — exercetur halitu maris, fricatur vento et verberatur imbre. Sed cura tuentur picando parietes, quoniam et tectorii calce roditur.* Iſidorus 19. 10. *tophus aedificiis inutilis eſt, fundamentis aptus mortalitate et mollitia. Ex aeſtu enim et halitu maris fricatur et verberatur imbribus.* In Iſidoro alii legunt *mordacitate*, in Plinio vetus editio *mortali mollitia.* quam lectionem praefero. Deinceps *ex eſtur enim halitu* maris ex veſtigiis lectionis Iſidori emendari iuſſit A. Couarrubias. recte! Poſtea *quoniam et tectori calce proditur* Pintiani Codex habet, vnde Pintianus corrigebat: *tectorii calx eroditur.* Vincentius 8. 12. in Iſidoro legit *mobilitate et mollitia. Ex aeſtu enim. Carbunculum et tofi farinam* caſtanea quaere dicitur Plinio 17. ſect. 34. Idem 31. ſ. 28. in tofo aquam frigidiorem ſeruari, leueſque inde et dulces fieri et quaſi colatas purgari a ſordibus ait; idem 17. ſ. 4. margam tofaceam habet. In iuuencarum ventriculo nigricantem tofum nullo pondere reperiri ait Idem 11. ſ. 29. quem 28. ſ. 7. pumicem dicit. Vide ad Varron. I. 9. et ad Pallad. I. 10. tophum rubrum et nigrum Campaniae, album in Vmbria, Piceno et Vinetia, qui ſerra vt lignum ſecatur, nominat Vitruuius 2. 7. et ex eo Plinius 36. ſ. 48. Denique in Plinii loco de tofo Vincent. 8. 2. legit *inutilis aedificiis moroſitate quadam.* Pilas ex topho exſtructas in aquaeductuum ſubſtructione habet Frontinus de Aquaed. Albertus de vinea: *locum pinguem oliuoſum deſiderat vitis et ſi rarus ſit et poroſus nigro lapide facile putreſcente immixtus, optime prouenit; propter quod nigros lapides molles, qui tegulae vocantur, terunt et miſcent terrae. Valet etiam rubeus, ſed non ſicut niger ad fuſcitatem declinans.* Videtur *tofum* dicere; et forte ruber tofus dictus ſuit carbunculus. Germanicus Colum. interpres *Ortſtein* vertit. Munting de herba Britannica operoſe docere conatus eſt, terram tofaceam intelligi eam, quam Belgae nunc *Veenen* vocant, eiuſque ceſpites comburunt. Quam opinionem omnium minime probare poſſum.

ſolutam glarcam] Palladius II. 13. *Sed et ſoluta glarea et calculoſus ager, et mobiles lapides, ſi tamen haec omnia glebis ſe pinguibus miſcuere, et ſilex, cui terra ſuperpoſita eſt, quia frigidus eſt et humoris tenax, radices aeſtate ſitire*

non

non patitur. vbi Polit. liber cum Cresc. habet: *circum terram suppositus, quia.* Plinius 14. c. 8. et 17. c. 3. Pucina vina in saxeo colle maritimo afflatu coqui ait in paucas amphoras. Vide ad Palladium I. 6. 17.

defluentem] Palladius II. 13. *Item loca ad quae de cacuminibus terra decurrit, vel valles, quos fluminum saturabit aggestio: sed hoc in locis iis, quae gelu et nebulis infesta esse non possunt.* Exemplum Aegyptiacarum vinearum, de quibus Athenaeus I. p. 33. addunt Geoponica V. 1.

8. *alluuie*] Male *eluuie* praeferebat h. l. I. Fr. Gronov. ad Liuium T. I. p. 31. ed. Drakenb.

9. *Creta*] Palladius II. 13. *argillosa terra commoda est, argilla autem sola grauiter inimica — locus, qui misera virgulta produxerit, vel vliginosus vel salsus vel amarus vel siticulosus et aridus reprobatur! niger sabulo et rubeus vtilis est, sed cui fortis terra permista est.* Vnde apparet, Palladium in Columella legisse *viuidae terrae*, quod praeferunt etiam libri optimi, non *humidae.* Plinius 17. c. 3. *Cretam in Albensium Pompeianorum agro et argillam cunctis ad vineas generibus anteponunt, quanquam praepingues, quod excipitur in eo genere.* Scilicet sunt et vites, quae pinguem terram melius tolerant aut postulant; de quibus vide ad Palladium I. 6. 9. vnde petes et alia, ad iudicandam vitium naturam pertinentia. Plinius 17. c. 3. *Inuicem sabulum album in Ticinensi multisque in locis nigrum itemque rubrum etiam pingui terrae permixtum infoecundum est.* Vides, Plinium *pinguem* terram, vt Palladium *fortem* dicere, quam Columella *viuidam.*

carbunculosum] Plinius 17. sect. 3. *et carbunculus terra quae ita vocatur emendari vite macra putatur.* Vitruuio II. 6. *est arenae genus quod in Etruria, adusta nimium vehementia vaporis materia, procreatur.* Varro I. 9. 2. *carbunculus, id est, quae sole perferue ita fit, vt radices satorum perurat.* Palladius II. 13. *carbunculosus nisi stercoretur, macras vineas reddit.*

10. *rubrica*] Palladius II. 13. *in rubrica difficilius comprehendunt, quamuis postea nutriantur; sed hoc genus terrae inimicum est operibus, quia parum vel humore vel sole nimis madescit aut durescit.* Plinius 17. sect. 3. *nec rubrica multis probata.* Ceterum Sang. deinceps *vmentem.*

Cap. XII. *posita est, limitatio*] Libri scripti *imitatio;* sed Pol. Lipsi. et Sang. *aestimatio.* Praeterea sic est in Polit. et Lipsi. *estimatio referre terrae.* vbi *referre* ortum putabat Gesner ex *terrae.* Mihi contra videtur vera ibi latere lectio, haec

haec scilicet: *ad quam aestimatio referetur terrae vinealis.* Antiquum *imitatio* Pontedera interpretabatur: ex Graecini formula exemplum capiendum est et similitudo.

stupentes] Graecum γαρκῶν expressit.

2. *perdensam*] Hinc pullam seu μελάγγειον terram laudant Geoponica V. 1. *ἡ γὰρ τοιαύτη δεχομένη τὸν ὄμβρον ἅτε πάνυ κάτω πέμπουσα ἀπόλλυσι, ἅτε ὑπὲρ αὐτῆς ἐπιπόλαιον τὰ ὕδατα κατέχει. ἄνωθεν γὰρ κατεχόμενον τὸ ὕδωρ σήπει τὰ φυτά.*

perrumpi] Geoponica V. 2. *ἀργιλλώδης δὲ γῆ, εἰ μὴ πάνυ εἴη λεπτὴ, μηδὲ εἰς ῥαγάδας χαινομένη δέχεται τὰς λευκοφόρους ἀμπέλους.*

eandemque] Ita cum Vrsino emendaui vulgatum *eademque*, quod Gesner dictum esse defendebat pro simul, eadem qualitate, opera, ratione.

3. *exolescere*] Ita recte Edd. primae. Vulgatum *exarescere* post *siccari* ineptum erat. In libro de Arbor. V. 4. *inolescunt radices* est pro *inarescunt*. vbi libri scripti tamen habent *inalescunt*. Exolescere saepius noster dixit eo sensu. Vide Indicem.

continetur] Sang. *contineatur*.

4. *quam densior*] Palladius II. 13. *Maxime vtile solum est, quod inter omnes nimietates temperamentum tenebit, et raro propius quam denso fuerit.*

5. *Virgilio*] II. 298. Contra Plinius 17. c. 2. *Aquilone maxime gaudent, densiores ab afflatu eius laetioresque et materiae firmiores. Qua in re plerique falluntur, cum in vineis pedamenta non sint a vento eo opponenda et id tantum a septentrione seruandum.* Prior pars de omnibus arboribus ducta est ex Theophrasto C. P. II. 4. de vitibus aliunde. Ceterum Aquilonem a septentrione distinxit Plinius etiam II. sect. 46. Inter exortum solstitialem et septentrionem est Aquilo.

bonitate vini] Palladius I. 6. *Aquilo vites sibi obiectas foecundat, auster nobilitat. Ita in arbitrio nostro est, vtrum plus habeamus an melius.* Democriti rationem ita tradit Plinius II. c. 2. *Ceteri fere rationem naturae secuti in Aquilonem obuersas vites et arbores poni suasere; adoratiorem etiam fieri talem fructum Democritus putat.* Democriti nomen praefert Geopon. V. c. 4. sed omissum in Codice Gudiano chartaceo, quo sum vsus; nec omnino sententia ibi Democriti integra traditur.

6. *meridiano*] Palladius II. 13. *Plagam coeli spectare debet locis frigidis meridianam, calidis septentrionalem, tepidis*

dis orientem, si tamen austros vel euros regio non habeat inimicos; quod si hoc est vitium, melius in Aquilonem vel Fauonium vineta dirigimus. Plinius 17. c. 2. *Connexa et situs vinearum arbustorumque ratio est, quas in oras debeant spectare. Virgilius ad occasus seri damnauit; aliqui sic maluere quam in exortu. A pluribus meridiem probari aduerto; nec arbitror, perpetuum quicquam in hoc praecipi posse. Ad soli naturam, ad loci ingenium, ad coeli cuiusque mores dirigenda solertia est. In Africa meridiem vineas spectare, viti inutile, colono insalubre est, quoniam ipsa meridianae subiacet plagae: quapropter qui ibi in occasum aut septentriones conseret, optime miscebit solum caelo. Cum Virgilius occasus improbet nec de septentrione relinqui dubitatio videtur. Atqui in Cisalpina Italia magna ex parte vineis ita positis, compertum est esse fertiliores.*

Fauonio] Geoponica V. 4. μᾶλλον μέντοι τὰ ἀνατολικὰ, εἰ μὴ ἐνοχλοῖτο ὑπὸ τῆ εὔρῳ· ἐνίοτε δὲ τὰ δυτικὰ ἔσται αἱρετώτερα μᾶλλον, ὅταν μακρὰν ὄντα τῆς θαλάσσης ἐπιπνέοντα ἔχῃ τὸν ζέφυρον. Ceterum auctore Plinio II. sect. 46. Eurus ab oriente brumali est, aliis Vulturnus, a meridie auster, ab occasu aequinoctiali Fauonius.

Cap. XIII. *eius autem ratio*] Graeci pastinationem πανσκαφείαν vocant, quoniam terra in totum foditur, eamque in vite plantanda praeferunt Geoponica V. 9. 11. Palladius sensum huius loci plane peruertit libro II. 10. *pastinum fieri nunc tempus est: quod fit tribus generibus, aut terra in totum fossa aut sulcis aut scrobibus.* Solum primum genus Columella et Latini pastinum, Graeci πανσκαφείαν dicunt. Idem tamen Palladius rectius cum Columella distinxit III. 9. *Sed haec in pastinis vel sulcis ratio erit. in scrobibus vero per angulos quatuor sarmenta deponis.* Quatuor sarmenta pertinent ad rationem prouincialem infra V. cap. 5. expositam.

Scrobibus — ponuntur] Haec ex lemmate orta et spuria esse nemo non videt; igitur inclusi.

2. *perque duos pedes*] Pontedera addi volebat: *et dodrantem* ex III. 15. 2. et IV. 1. 1. sed Columella nunc alienum, non suum morem narrat. Palladius etiam aliter hunc locum legisse videri possit, nisi is in reliquis plane aberrasset. Ita vero ille II. 10. *quod si scrobes fieri placeat, faciemus tribus pedibus altas, duobus semis latas, tribus longas; siue fossoribus colantur vineta seu bubus, eadem spatia, quae inter sulcos sunt dicta, seruemus. Vltra tres vero pedes altius fodien-*

fodiendae ſcrobes non ſunt, ne laborent frigore ſarmenta, quae pangimus.

ferramenti] i. e. palae. Plinius 17. ſ. 35. no. 7. *Seritur optime in paſtinato, proxime in ſulco, nouiſſime in ſcrobe. Sulco latitudo palae ſatis eſt; ſcrobibus ternorum pedum in quamque partem. Altitudo in quocunque genere tripedalis, ideo nec vitis minor tranſferri debet, ex ſtatura etiamnum duabus gemmis. Emolliri terram minus in ſcrobe imo ſulcis ſimoque miſceri neceſſarium.* quorum pars exſtat in libro de Arboribus cap. 4. *cum ſemina depones, imam ſcrobem vel ſulcum bidentibus fodito mollemque reddito.*

aduerſis — frontibus] i. e. contrariis. Vide infra cap. 15. 2. *iuxta latera foſſarum* verſus mediam foſſarum partem recte interpretatur Geſner.

caetera coaequant] Lego *ſcrobem coaequant.* Vide infra ad cap. 16. 1. Lectio Sang. *coaequam faciunt.* vitium aliud latens arguit. Broukhouſius pro *quae* legi malebat *aeque.*

3. *totidem*] i. e. trium. Deinceps ſcripſi *colendi* pro *colenti* et diſtinctionem peſſimam mutaui, vbi erat: *ſpatio prout — vineas colenti, vel aratro vel bidente.* Mos colendi aratro, vel bidente vineam largiora vel anguſtiora interordinia poſtulat. Nunc video, mecum facere Vrſinum; inepte Geſner defendit *colenti* et ad *cuique* refert.

ſequentem — inſtituunt] Ex *ſequente* et *ſequentes* librorum optimorum effeci *ſequentem;* alterum dedit Goeſ. et Sang. Vulgo *perſequentes — inſiſtunt.* Similiter ſupra III. 10. 14. *inſiſtere* occupauerat locum alterius *inſtituere.* Sic paulo poſt eſt: *atque ita ſequentem ſulcum infodiunt.*

4. *tranſuerſis*] Plinius 17. ſ. 35. no. 8. *In colles ſulcos agere tranſuerſos melius quam paſtinare, vt defluuia palis eorum contineantur.* Idem ſupra Columella II. 4. 10. in colle, ſementi praeparando, praecipit.

5. *Auarius quidam*] Palladius II. 10. *fiunt ergo ſulci tanta longitudine, quantam deſtinaueris tabulae, latitudine pedum duorum et ſemis vel trium, ita, vt iuncti duo foſſores deſignatum linea ſpatium bidentibus perſequantur, altitudine trium vel duorum et ſemis pedum. Deinde ſi per homines vinea colenda eſt, tantum* (lego *tantundem*) *crudi ſoli relinquimus et ſic alter ſulcus imprimitur. ſi vero arandae ſunt vineae, quinque vel ſex pedum ſpatia, quae non ſunt fodienda, in medio relinquimus.* vbi vereor, ne numeri altitudinis et latitudinis pedum ſint vitioſi. De ſulco Feſtus: *Sulci appellantur — vel foſſura rectis lateribus, vbi arbores ſerantur.*

quod emissum est] *Omissum* legendum esse, recte monuit Gesner.

6. *Ac primum*] Locum ex emendatione Heinsii dedi annuentibus libris scriptis; nisi quod ille malebat *primo*, et deinceps submoueri *inde debet*. Arbustum fundum dixit Cato c. VII. Plinius 17. c. 23. *arbustam vitem*, iterumque X. c. 29. *arbustum agrum*. In Catone tamen lectionem diuersam Edd. primarum secutus sum. Eandem formam in pluribus horum Scriptorum locis intercidisse putat culpa librariorum.

ingressu] Palladius II. 13. *Sed locus qui pastinandus est, prius impedimentis et omnibus elisis liberetur arboribus, ne post calcatu assiduo terra effossa solidetur*. Idem in fine: *illud experimentis comprehendi* (*compertum* est Cresc.) *vites melius prouenire, si vel statim fossae terrae, vel non longe ante pangantur, cum tumor pastini nondum repetita soliditate subsedit. Haec quoque in faciendis sulcis et scrobibus approbaui, maxime vbi mediocris est terra*. Idem II. 10. *terra tota debet effodi, vbi ager immundus est, vt silueſtribus truncis et radicibus filicis vel herbarum noxiarum spatia liberentur*.

7. *in nutritio*] Ex Polit. inserui praepositionem, quo mollior oratio flueret. Nutritium dixit pro nutricatu, vt Seneca ad Heluidiam c. 17. vbi h. l. laudauit Lipsius Manilius III. 133. *omniaque infantum mixta nutritia turba*. Verbum *reuerberare* ita posuit Seneca de Clement. II. 5. *Omnem fortunae iram reuerberabit et ante se franget*. Hinc in libro III. de Ira c. 1. vulgatam: *vtrumne verberanda et agenda retro sit, an cedere ei debeamus* correxit: *vtrum reuerberanda:* I. M. Heusinger Emend. p. 232.

8. *campestris*] Palladius II. 13. *si campus est duobus semis pedibus pastinetur; si cliuus, tribus; collis praeruptus quatuor, ne citius terra decurrat, vallis vero duobus pedibus*. Noster Arbor. 1. *ipsum agrum, quem seminario destinaueris, planum et succosum, sat erit bipalio vertere, quod vocant rustici sestertium: ea repastinatio altitudinis habet plus sesquipede, minus tamen quam duos pedes. eiusmodi bipalio iugerum agri vertitur operis quinquaginta. Collem autem et olivosum modum iugeri, sed ne minus duobus pedibus alte, repastinabis operis sexaginta*, et reliqua, quae valde abludunt ab h. l. Multa etiam vitia insunt isti loco, vt infra docebo. Plinius 17. c. 35. no. 4. *Solum apricum et quam amplissimum* (forte aptissimum) *in seminario siue in vinea bidente pastinari debet ternos pedes alto bipalio. marra reiici quaternum pedum fermento, ita, vt in pedes binos fossa procedat*. quae quidem perquam obscura, forte etiam vitiosa sunt. Postre-

ma

ma verba rectius Brotier de latitudine fossae, quam Harduinus de altitudine interpretatur. De fermenti mensura vide ad IV. 1. 3.

ripam] Plinius 17. f. 35. no. 7. *Cliuosa altiores poscunt scrobes, praeterea puluinatis a deuexitate labris.*

vligo] Hanc Lips. libri lectionem vulgatae *scaturigo* praeferebat etiam Gesner propter locum Palladii II. 13. vbi est: *Sed ager vliginosus, qui humores altius fossus eructat, sicut Rauennatis soli, non amplius quam in pedem semis effodiatur.* Ita etiam Xenophon Oecon. c. 19. ἔτι βραχύτερον τριημιποδίε — ἔν γε τῇ ὑγρᾷ ὀρύττων βαθὺν βόθρον, ὕδωρ ἂν εὑρίσκοις, καὶ ἐκ ἂν δύναιο ἔτι ἐν ὕδατι φυτεύειν. quem locum vertit Plinius 17. f. 16. *eadem mensura graeci autores consentiunt, non altiores quino semipede esse debere nec latiores duobus pedibus, nusquam vero sesquipede minus altas, quoniam in humido solo ad vicina aquae perueniat.* Cum Xenophonte facit Theophrastus H. P. II. 7. De solo Rauennate vliginoso et ideo nebuloso vide Plinium 14. sect. 4.

9. *paulatim exaltare*] Gesner hoc ita fieri interpretatur, vt ripis decliuibus primum alueus fiat; atque hanc interpretationem adiuuat oppositum *rectis lateribus.* Hi sunt igitur gradus quibus peruenitur ad altitudinem iustam.

perpetuam fossam] Sulcum perpetuum dixit Cato 33. f. 2. Lex viaria apud Conradi Parerg. p. 373. *eam semitam perpetuo lapidibus perpetuis. integris continentem constratam recte habeto.*

post tergum] Hinc recte arguit Gesner, fieri fossionem ligonibus, cum terra retro attrahitur effossa. Hoc idem docet locus Plinii supra allatus, vbi bidente pastinari dicitur solum ternas pedes alto bipalio, marra vero reiici (post tergum) terra. Vnde apparet, bipalium, cuius in pastinatione vbique fit mentio, non esse instrumentum fossorium, sed mensuram fossionis. Deinde, cum terra post tergum componi dicatur, ex eo est manifestum, sulcum seu fossam terra emota statim compleri; vnde facilis est fraus fossorum, et exactore diligenti opus est. Ceterum *ratam* corrigebat Heinsius Aduers. I. p. 64.

10. *spatium gradus*] Gradus est altitudo terrae effossae. Vide infra ad IV. 1. 3. Postea *linea mouenda est* interpretor spatium terrae linea designatum et occupatum aequaliter fodiendum est. Nam linea quomodo moueri aliter dici potest, vt eadem latitudo in imo fossae reddatur, quae coepta est in summo? Nam initium factum est sulci ad eam statim altitudinem, quam debet habere. Quae si interpretatio

falsa fuerit, tum vocabulum *gradus* h. l. vitiosum et supervacuum esse debet.

erigi] Gesner intelligit duas fossas seu sulcos iuxta factos et ripis contingentes se; quae ripae si in eo loco, vbi se contingunt vtrinque declives fuerint, possunt fraude fossorum solum crudum seu scamna includere. Itaque ripae erigi debent, et sulcus vacuari, ne vel ripae duarum fossarum se contingentes aut sulcus medius scamna includant et deinde terra emota superingesta abscondant.

scamna omittantur] Palladius II. 10. *in qua est adhibenda diligentia ne crudum solum fraude occulta fossor includat, quam rem subinde custos virga, in qua praedictus altitudinis modus designatus est, per spatia, quae fodiuntur, exploret*, ita enim recte ibi Vincentius. Plinius 17. sect. 35. no. 4. *fossum purgari et extendi, ne crudum relinquatur, verum et exigi mensura. Male pastinatum deprehendunt, scamna inaequalia. Metienda est et ea pars, quae interiacet pulvinis.* quem locum ex hoc nostro interpretari debes. Ripas dixit noster *pulvinos*. Sed locus Columellae plus difficultatis habet, quam ex eo loco, quem ipse laudat II. 4. 3. explicari posse Gesnero vix credo. Ibi enim noster agrum, sulcis densis crebrisque proscissum, ita explorari iubet, an aequaliter et sine scamnis, inter sulcos relictis, sit motus, vt pertica per sulcos transversa inseratur, quae si sine offensione penetrauit per sulcos, nulla scamnorum suspicio esse potest. Perticae hic vsus experimentumque in pastinatione locum non habet. Igitur ex eo loco pertinet huc sola admonitio, necubi scamna omittantur et terra emota obtegantur. Quid est igitur *totum spatium crudi soli cum emota iam terra committi?* Crudum solum nullum aliud esse potest, quam quod nondum perfossum est. Hoc vero quomodo cum terra iam emota et post tergum in eadem fossa composita potest committi? Comparari debere intelligo; itaque Plinius in loco supra posito de pastinatione *fossum purgari et extendi ne crudum relinquatur*. Extendi iubet emotam terram, vt Columella motam humum post tergum *componi*. Rationem comparandi crudi soli cum emoto reperire mihi videor in eo, quod Plinius ex fossa ternum pedum marra reiici ait fermentum quaternum pedum. Scilicet terra effossa et reiecta quasi quodam fermento intumescit; ex altitudine igitur huius fermenti terrae emotae, sed post tergum fossae iterum ingestae iusta et aequali experimentum capit exactor, num terra vbique sit aequaliter fossa. Crudi scilicet soli iuxta positi et nondum emoti altitudo fermenti altitudinem compa-

ratio-

ratione definit. Sed antequam hoc fiat experimentum, statim ab initio exactor debet prouidere, vt fossarum ripae fiant erectae et latitudo data in ima fossa etiam reddatur. Quam latitudinem cum altitudine explorat, vbi primum fossa seu sulcus apertus fuit a fossore. Hodie longe melius et securius pastinando fossas ita instituunt, vt prima fossa vacuata terra emota ad latus reiiciatur, et alterius fossae iuxta vacuatae terra prima compleatur; et sic deinceps, ita, vt vltima fossa primae terra transportata complenda sit.

sect. 11. in cuius latere] i. e. e qua transuersa prominet virgula. Virgula dicitur, quidquid transuersum apponitur, velut in loco Macrobii Saturn. II. 4. vbi in rationibus pecuniariis virgula ducitur, infra summa pecuniae. Eodem sensu vestes virgatae dicuntur lineis in transuersum ductis. Gesnerus figuram literae T conuenire cum figura ciconiae censuit, atque eiusmodi formulam apposuit, deceptus ab Aldina formula, quam item vt falcem vinitoriam inuerterunt operae. Regulae enim virgula tanquam basi insistere debebat; aliter enim virgula summam ripae partem contingere non poterat. Ex hoc vero errore ortus est maior, in fabricam alteram Columellae translatus, de quo statim videbimus. Veram ciconiae figuram appositam reperies in Tabula, fini libri huius adiecta.

ciconiam] Isidori locum XX. 15. vbi tollenonem, graece κηλώνειον, ab Hispanis suis ciconiam (*ciguenna* hodie vocant) vocari ait, et Vegetii de Re milit. IV. 21. vbi tollenonis figura describitur, Gesnerus annotauerat, eiusque nominis similitudine deceptus formam falsam fossoriae huius ciconiae confirmare conatus erat. Scilicet puteorum ciconia seu tolleno in fossoria plane inuersa conspicitur.

sect. 12. decussauimus] Graece χιάζειν et χιασμὸν dicunt a figura literae X, quae simul numeri decimi romani formam exprimit, vnde decussare dicitur in stellam diducere, vt alibi Columella.

suppositae basi — normata] Regula igitur antiquae ciconiae basin dat, cui virgula insistit, et cum mediae regularum duarum decussatarum parti infixa sit, normata, seu ad perpendiculum insistit basi suae, nec situm pronum, vt antea, patitur.

transuersae — in latere, virgulae] Pessime Gesnerus *transuersae* refert ad regulam, et virgulam perpendicularem interpretatur, quasi non transuersa dicatur eadem virgula, quae est in latere regulae, seu baseos ciconiae antiquae. Hinc natus error Gesneri alter, qui figurae Aldinae, quacum

cum et nostra conuenit, regulam transuersam in media regularum decussatarum commissura, nullius plane vsus addendam censuit.

superposuimus] Ex solo Goesiano libro ita Gesnerus vulgatum *supposuimus* correxit, cui Sangerm. videtur accedere, ex quo nihil est annotatum varietatis. Et statim deinceps *superposita* libella est in libris omnibus. Gesnerus tamen aliam etiam habuit causam, cur hanc lectionem praeferret. Scilicet machinam ipsam eam, cuius figuram apposui in tabula, inuersam cruribusque in mucronem desinentibus terrae infigit vsque ad regulam transuersam, quam mediae regularum decussatarum parti addidit. Atque eo vsque dependet libella, quam antiquae ciconiae basi (in Gesneriana figura in superiorem partem translatae) seu regulae superposuit, vt per virgulam eius transuersam, secundum perpendiculum per mediam regularum decussatarum commissuram protensam cum cruribus ad mediam vsque partem atque ipsam commissuram propenderet. Contra in nostra figura machina eum obtinet situm, quo collocanda videtur in sulco; scilicet basis ciconiae, dum demittitur, simul latera fossae metitur, et cum in solo collocata est, situm eius perlibrat iudice libella a media regularum commissura ad basin vsque propendentis. Quid vero Gesnerum mouerit, vt tria machinae suae crura exacueret, et terrae infigeret sulci completi, excogitare non potui. Neque est in verbis Columellae vllum, vnde tale quid arguere liceat. Praeterea vsus machinae ita multo plus temporis et laboris exigit, quam opus est, vt crura tria ad fundum vsque infigantur fossae; deinde crura ipsa acuta facile possunt vltra solum fossae descendere in ea parte, vbi terrenum mollius fuerit solo fossae suppositum. Aldina figura recte crurium duorum imam partem planam pinxit; minus tamen recte libellam in ciconiae regula collocatam fere vsque in aequalem crurium extremae parti longitudinem propendere passa est, cum virgulta ciconiae ipsa non vltra commissuram regularum decussatarum progrediatur. Quicunque comparare figuram nostram cum Aldina et Gesneriana voluerit, nobiscum, puto, faciet; quod eo equidem magis spero futurum esse, quod cum architecturae peritissimo collega Huthio machinam omnem diligenter pariter, vt alienas eius picturas examinaui, nouamque formam eius assentiente viro doctissimo delineaui.

Cap.

Cap. XIV. *aut campestris*] Palladius III. 9. 9. *Hoc mense ac deinceps toto vere vinea ponenda est regionibus frigidis pruinosis, pinguibus campis et humidis prouinciis.* vbi recte Vincent. bis habet *pluuiosis* pro *pruinosis.* Praeterea ex Palladio etiam apparet, verba *aut campestris* esse supervacua. Satis enim in planitie vliginosa intelligitur campestris ager. Igitur inclusi.

autumno] Palladius Octobri 4. *hoc mense postremo, vbi calidi ac sicci aeris qualitas est, vbi exilis et aridus campus, vbi collis praeruptus aut macer est, vites vtilissime ponuntur.* Rationes huius consilii egregie explicant Geoponica V. 6. quibus egregie cum Columella conuenit.

in Cal. Decembres] Pontedera malebat legi: *in a. d. VII. Kalend. Decembres:* ea enim die brumalia acta et surculis deponendis finem factum fuisse. Ita dies confici XL. idque sua etiam aetate in Italia agricolas sequi. Palladius Octobri 4. mense extremo Octobri, et Nouembri 2. toto mense Novembri locis calidis et siccis poni vites tradit. Igitur vulgatam non moueo. Numeros tamen autumnalis positionis dierum excidisse concesserim viro doctissimo; hos fuisse XLVIII. colligebat.

3. *saepius translatum*] Lacunae signum, stellulam, apposuit his Gesner. Vrsinus ita haec legi volebat: *saepius translatam. posse tamen malleolum protinus.* Pontedera monet, in vetustis quibusdam Codicibus deesse *saepius.* In Curis Secundis idem *saepius* in *semen* mutabat, atque ita locum persanari posse sibi persuadebat. Ex verbis Didymi Geopon. V. 14. vbi de differentia viuiradicis et malleoli disputat, his: ἀλλὰ καὶ καλλίονα ἡ μεταφύτευσις τὸν καρπὸν ποιεῖ. Columellae locum redintegrandum censebat Niclas p. 350. Rationem non indicauit. Forte igitur sic restitues: *translatum semen meliorem edere fructum.* Reliquam viuiradicis differentiam ita tradit Didymus, vt affirmet, viuiradicem celerius adolescere, vt radicibus iam confirmatam, et altero anno, interdum etiam citius fructum afferre, cum malleolus vix tertio aut quarto anno fructum edat. De malleoli vsu vide etiam infra cap. 17.

vitem desiderat] i. e. viuiradicem, quia malleolus difficulter in densa et graui terra radices vitabit. Plinius 17. c. 35. no. 8. *solo spisso nonnisi repastinato nec nisi viuiradicem seri; tenero, soluto vel malleolum, sulco vel scrobe. — Aquoso coelo vel sicco solo malleolos serere autumno, nisi tractus ratio mutauit. Siccus enim et calidus autumno poscit seri, humidus frigidusque etiam veris exitu. In arido solo viuiradix*

quoque frustra feritur; male et in siccis malleolus, nisi post imbrem. At in riguis vel frondens vitis et vsque ad solstitium recte, vt in Hispania.

Cap. XV. *(in) emundata*] Praepositionem omittit Sangerm. recte! Ceterum aliter Plinius 17. f. 35. no. 9. *interesse medio temperamento inter binas vites oportet pedes quinos, minimum autem laeto solo pedes quaternos, tenui plurimum octonos. Vmbri et Marsi ad vicenos intermittunt arationis gratia in his, quae vocant porculeta. Pluuio et caliginoso tractu rariores poni, sicco densiores congruit.*

quo largiora] Palladius III. 9. 9. *vbi pinguis natura terrarum maiora inter vites spatia relinquemus; vbi exilis angusta.* vbi vide notam.

Haec in quincuncem] *Hac — ratione* malebat Vrsinus. Ἀμπέλων συστάδας in Aristotel. Polit. VII. c. 11. vites in quincuncem positas interpretatur recte Victorius; male Hesychius in ξυστάδες· αἱ πυκναὶ ἄμπελοι, ἄμεινον δὲ τὰς εἰκῇ μὴ κατὰ στοῖχον πεφυτευμένας ἀκύειν. Sed ecce idem: ὑστάς· ἡ δασεῖα ἄμπελος. et paulo post: ὑστάς· πλαστὰς ἀμπέλων. vbi recte Pergerus παστὰς corrigit. Est igitur pergulana vitis. Interpretes Hesychii duo posteriora vocabula non agnouerunt ex ξυστὰς orta esse.

purpura] Palladius III. 9. 10. *Lineam seruatis iis spatiis quae placuerit custodire, candidis signis, vel quibuscunque notabimus: tunc tensa per tabulam linea, in eis locis surculos vel calamos figemus, vbi vnaquaeque vitis ventura est. ita spatium totius tabulae surculis complebitur ad numerum vitium futurarum; atque is qui pancturus est proiecta circa surculos sarmenta sine vllo errore deponet.*

insuitur] Recte contra Schoettgenium emendantem *inficitur* vulgatam defendit Gesner et lineam hanc comparat cum venatoria formidine, quae pannis varii coloris et pennis insuitur, vt bestias terreat. Eandem lineam vinitores nostri vocant *die Setzschnur*. Vide Sprengeri librum p. 111.

2. *frontibus*] Infra IV. 4. 1. *vitis a media fere parte sulci prosternatur, et ad frontem eius ab imo vsque rata materies erigatur* (*exigatur* libri optimi) *calamoque applicetur. id enim praecipue obseruandum est, ne similis sit alueo scrobis, sed vt expressis angulis velut ad perpendiculum frontes eius dirigantur.*

curuatam] Palladius III. 10. *post biennium radicatas vites vel arbusculas transferas; quas cum depones in scrobe,*

ad

ad singulas materias rediges, putatis omnibus quae scabra sunt, curtatis etiam radicibus, si quas potueris inuenire vexatas. In scrobe autem ad arbustum faciendum duas radicatas vites deponis, hoc seruans, ne se in radice contingant, sed lapides quinum prope librarum medios inter vtramque constitues, et ipsas vites ad scrobis latera discreta coniunges. vbi Crescent. etiam habet *curtatis — vbseruans ne sua radice contingant.* Sed Vincentius bis habet *curatis*, Lugd. liber *curvatis.* Deinde in Palladio postremum *coniunges* est pro calamo adiunges, vt ex Columella apparet. Putabam ab initio, *curuatam* in Columella mutandum esse in *curtatam;* sed Palladii *curtatis radicibus* respondet Columellae *amputare radices.* Igitur *curuatam* verum est, et obliquas iubet deponi viuiradices, quod arguit etiam id, quod addit, a media scrobe singulas in diuersum sternendas et contrariis frontibus fossarum erigendas esse. Sed ecce locum nostri IV. 4. 1. *constitionis sola illa commodissima ratio est, quam priore tradidimus exordio, vt facta in pastinato scrobe vitis a media fere parte sulci prosternatur et ad frontem eius ab imo vsque recta materies erigatur calamoque applicetur. — nam vitis supina et veluti recumbens in alueo deposita, postea cum ablaqueatur, vulneribus obnoxia est.* Contra iterum Palladius III. 9. 12. vbi hunc locum nostrum excerpsit: *Haec in pastinis vel sulcis ratio erit. in scrobibus vero per angulos IV. sarmenta deponis — cum vero plantam vel malleolum disponimus — sarmenta ponemus obliqua et sic facilius comprehendent.* Scilicet Palladius temere, vt solet, Columellae doctrinae Graecam admiscuit. Ita enim Geoponica V. 9. *δυνατὸν δὲ καὶ ὄρθιον φυτεύειν τὸ κλῆμα, βέλτιον δὲ τὸ πλάγιον. ῥίζεται γὰρ θᾶττον.* Scilicet obliqui sarmenti plures oculi terra reconditi citius radices agunt, vti monet Xenophon Oecon. 19. vbi sarmentum supinum seu obliquum deponi iubet. Sed meminisse oportet, Graecos et Xenophontem ipsum a romanis agricolis non dissentire. Nam obliqua deponi iubent sarmenta seu malleolos; contra viuiradices rectas deponi iubet Theophrastus H. P. II. 7. *καὶ τὸ μὲν ἔχοντα ῥίζας ὀρθὰ ἐμβάλλειν, τὸ δὲ μὴ ἔχοντα ὑποβάλλειν τὸ φυτευτηρίου οἷον σπιθαμὴν ἢ μικρῷ πλεῖον. ἔνιοι δὲ κελεύουσι καὶ τῶν ὑποῤῥίζων ὑποβάλλειν* (i. e. sternere). Contra tamen Columella Arbor. III. 4. et infra cap. 18. 6. rectum malleolum seu sarmentum poni iubet; ratione ibidem addita, ne caput infimum cum plaga transuersum facile humorem admittat et computrescat. Viuiradicem vero h. l. et infra IV. 4. 1. ita deponi iubet, vt infima pars cum radicibus sternatur; itaque curuatas dixit;

sed

ſed reliquam partem ad ſcrobis latera recta erigi iubet, nè obliquae et veluti recumbentes vulnerationi foſſionis ſint obnoxiae. Atque omnino generatim de arboribus, in ſcrobe plantandis, Plinius 17. ſect. 16. *radices inflexas poni melius.* Noſter ſupra cap. 13. 2. *malleolos vtrinque iuxta latera foſſarum conſternunt, et aduerſis ſcrobium frontibus curuatos erigunt.* Theophraſtus C. P. III. 6. monet, viuiradices eſſe rectas ponendas, alias enim curuatas priores radices amittere; contra malleolos curuatos citius radices agere. Rationem cur duas viuiradices in vno ſcrobe deponi velit, Columella infra explicat IV. 2. Geoponica V. 13. ſimiliter in vineis duo ſarmenta per ſcrobes deponunt; in vitiario tamen id fieri non probant. Sarmentorum adultorum alterum tollunt, robuſtius nutriunt et alligant.

3. *tranſferre*] Bruſch. *tranſfere*, vnde deinceps *exemptam* ſubſtitui vulgato *exemtam.*

lapidibus] Noſter Arbor. 4. *in imo ſcrobe lapides circa pondo quinque ita ponito, ne vitem premant, ſed tamen iuxta radices ſint — ſpatium autem radicibus, quo repant, lapides praebent, et hieme aquam repellunt, aeſtate humorem praebent.* Accuratius Magonis ſententiam expreſſerunt Geoponica V. 9. περιθετέον τῷ φυτῷ λίθες τρεῖς ἢ τέσσαρας χειροπλήθεις, ἔιτα ἐπιχωστέον, τῷ παραμειμένῳ χώματι μετὰ κόπρε συμπατοῦντας — ἔιτα ἑτέρας ἐπιθετέον λίθες τῷ συμπατιθέντι τοῖς μεγέθεσιν ἴσας. Plinius 17. ſ. 16. de omni genere ſcrobum arboribus plantandis ſic tradit: *Teſtas aliqui lapides rotundos ſubiici malunt, qui et contineant humorem et tranſmittant, non item planos et a terreno arcere radicem exiſtimantes. Glarea ſubſtrata inter vtramque ſententiam fuerit.* Glaream aut minutos lapides in ſcrobe oleae plantandae addit noſter Arbor. 17. eſt V. 9. 9. Quae vero ex Magone repetit Columella, eadem iam olim Theophraſtus tradidit de Cauſis Pl. III. 5 et 7. vbi lapides rotundos addi in ſcrobem ait et ſupponi, vt refrigerent radices, humorem excipiant et humum radicibus reptantibus peruiam faciant; quoſdam etiam putare, ita hiemi calorem addi radicibus, addit planos lapides (πλατὺς καὶ συμφυὴς) magis nocere radicibus; rationem addit Plinius, à terreno enim arcere radices. Denique Ariſtoteles de Iuuent. c. 6. διὸ καὶ γένη τινὰ λίθων ταῖς ῥίζαις ὑποβάλλεσι καὶ ὕδωρ ἐν ἀγγείοις, ὅπως αἱ ῥίζαι ψύχωνται τῶν φυτῶν; ita caueri arborum fiderationem et vredinem ſeu σφακελισμόν. In Italia eodem conſilio cornua arietum aquae plena infodi ab agricolis, monet Victorius Var. Lect. 36. 5. In Plinio recte iam olim Dalecamp vidit legen-

legendum esse *qui haud contineant humorem et transmittant.* Nam plani lapides aquas continent, ideoque improbantur. Et Columella dixit lapides hos rotundos aquas hiemis propulsare radicibus, et transmittere. Ceterum paulo antea Brusch. *idem enim vitare* habet.

4. *Virgilius*] II. 333 seqq.

5. *vinacea*] Palladius III. 9. 12. *sed, vt asserit Columella, vinaceam stercori mistam simul sparges, et si exile solum fuerit, pinguem terram scrobi inferes vel aliunde portatam.* vbi Cresc. addit: *si vero nimis cretosa, eidem misceas sabulum.* Noster Arbor. 4. *praeterea vinaceae heminam vuae albae in nigra, vuae nigrae in alba ponito atque ita scrobem vel sulcum cum stercorata terra ad medium completo — vinaceae radices agere cogunt.* Geoponica V. 9. accuratius etiam Magonis sententiam ita referunt: συμβάλλειν χρὴ δράκα γιγάρτων (pugillum) πεφρυγμένων εἰς ἕκαστον βόθρον, εἰς μὲν τὰ μέλανα γένη γίγαρτα λευκῶν σταφυλῶν, εἰς δὲ τὰ λευκὰ μελανῶν — τὸ δὲ γίγαρτον ῥιζοβολεῖν ποιεῖ θᾶττον. Eadem vinacea, nondum expressa plantae addita, vuas praecoces facere monent IV. 5.

frigentem et humidam scrobibus] Si friget non est humida. Vitium manifestum arguunt etiam Edd. I. B. R. vbi, vt in Sang. libro, est: *vt humum scrobibus.* vnde Pontedera efficiebat: *frigentemque humum* vel *frigente humo.* Idem deinceps lectionem *tempestate* probatam interpretabatur de tempore tranquillo et temperato, quale est vernum. Equidem ex lectione *frigentem vt humum* efficio *frigente velut humo.* Geoponica V. 9. ἡ μὲν ἐν κόπρος συμβαλλομένη θάλπει καὶ στερεοῖ τὸ φυτόν — οἱ δὲ λίθοι κωλύουσιν ἐμπεσεῖν τὴν εὐρυχωρίαν, ἐν δὲ τῷ θέρει καταψύχουσι τὰς ῥίζας.

quod illa] Vrsinus malebat: *illa, quod.*

docebit] Hic excidisse quaedam videntur, vt Magonis doctrina de scrobe, triennio demum complenda, quam improbasse videtur Columella, et hinc repetens Palladius III. 10. 3. Eadem tamen cum Magone tradit noster Arbor. IV. 5. et VII. 6. vbi vide. Plinius 17. f. 35. no. 4. *Sed in gracili solo frustra* (tenerrima ingeritur terra) *nisi substrata pinguiore.*

Cap. XVI. *quam lutoso*] Palladius III. 9. 13. *cum vero plantam vel malleolum disponimus, modice humido solo, sed potius arido quam lutoso duabus gemmis supra terram relictis. sarmenta ponemus obliqua et sic facilius comprehendent.*

scro-

ſcrobibus completis coaequato. Deinceps] Hanc lectionem ex varietate Edd. veterum effeci, egregiam et veram; peſſimam lectionem poſuit Geſner. Noſter ſupra XIII. 2. *duabuſque gemmis ſupra terram eminere paſſi repoſita humo caetera coaequant.* Infra IV. 4. *ac deinde duabus gemmis ſupra exſtantibus terram coaequare; deinde malleolo inter ordines poſito, crebris foſſionibus paſtinatum reſoluere.*

vnam lineam] Ita recte ex libris ſcriptis Geſner pro *imam*, peſſime tamen interpretatus, quaſi eadem linea ſit intelligenda, in qua viuiradix eſt, et in qua malleoli praeſidiarii plantantur deinde.

2. *praebebitur*] Ita vulgatum *praebebit iter* ex optimis libris correxit Geſner. Similem rationem docet Creſcentius IV. 9. de arbuſtis: *quae quidem plantantur, vt hae, quae in ordine diſponuntur. Et hae quidem aut vndique panguntur aequaliter, aut vnum ordinem tantum ſeruant, ab alio proximo vt placet remota,* (remotum?) *ſed in his vna ſola planta in qualibet poteſt poni, in duabus videlicet aciebus; in tertia vero bonum erit vbique duas poni, quibus proximae plantae praedictae poſſint annis ſequentibus reparari. Quod ſi in quolibet loco duae ponantur, cum conualuerint, debilior auferatur, vt vna ſola remaneat.*

viuiradix obtinebit] Antiquam huius loci diſtinctionem reſtitui, quam temerario conſilio mutauerat Geſner, ita, vt legeret: *viuiradix, obtinebit — mortuae vitis. Quinque malleoli.* Quo facto omnis loci ſententia obſcurata fuit; quod longa diſputatione demonſtrare non eſt opus. Pontederam mecum ſentientem habeo. Primum malleoli vacuo ſpatio inter duas lineas vitium panguntur; deinde in eadem linea, in qua vites conſiſtunt, quinque malleoli praeſidiari collocantur per pedale ſpatium ita, vt in menſurando ſpatio, primum media pars interordinii, ſeu ſpatii vacui inter duas vites in eadem linea poſitas, deſignetur, et ab hac media interordinii parte vtrinque verſus vtramque vitem pedale ſpatium diſtinguatur bis; ita fient vtrinque quina ſpatia pedalia; per quae malleoli praeſidiarii deponendi ſunt, vt poſſint propagari in locum demortuae vitis. Ita intelligo locum, qui obſcuritatis aliquid inde traxit, quod Columella annotare omiſit interordinia quot pedum eſſe voluerit. In macra enim quinos, in mediocri ſenos, in pingui ſeptenos pedes inter ordines relinqui ſupra poſuit cap. 15. 1. Quinorum tamen pedum interordinium h. l. intelligi, perſuadent mihi quinque malleoli praeſidiarii, per ſpatium pedale inter vtramque vitem in eadem linea poſiti. Ceterum lectionem

obti-

obtinet cum Gesnero probabat etiam Pontedera. Deinde Gesner malebat nescio qua de causa legi *primusque pes;* vocabulum *medio* etiam glossam esse putabat *interordinii.* Sed interordinium vt est inter duas aut plures vites medium, sic et ipsum medium dici potest, vbi in duas aequales partes diuiditur, atque inde per aequalia interualla in quinque pedes distribuitur, vt h. l. fieri iubet Columella. Denique in calculo, quem subduxit Gesner, illud sibi sumsit senûm pedum interordinium, quod tamen vnde deduci possit, non video; deinde verba *isque pes a medio interordinio sumitur* interpretatur, pedem eum demi seu subtrahi interuallis singulis interordiniorum, quae senum pedum posuerat esse, itaque interualla interordiniorum relinqui quinum pedum. At vero si spatium pedale, per quod malleoli praesidiarii pangendi sunt, demitur ab interordinio primorum malleolorum, tum nullo modo dici possunt malleoli praesidiarii plantari in eadem linea, in qua viuiradix seu vitis obtinet locum.

Tali] Plinius 17. f. 35. no. 9. *subtilitas parcimoniae compendia inuenit, cum vinea in pastinato seritur, obiter seminarium faciendi, vt et viuiradix loco suo, et malleolus, qui transferatur, inter vites et ordines seratur. Quae ratio in iugero circiter sedecim millia viuiradicum donat.*

3. *plus quatuor millibus*] Ita vt viginti millia efficiantur malleolorum. Ita supra III. 3. 12. *Nos enim vicena millia malleolorum per vineae iugerum inter ordines pangimus; ille (Atticus) minus quatuor millibus deponit.* Haec recte monuit Gesner contra Vrsinum, emendantem: *plus quatuor et viginti millibus.*

interitu] Gesner malebat *intersitu*, interpretatus, si manu quaedam interserantur, impedimento esse, quominus inualescant herbae aliae. Quam rationem equidem non intelligo, nec video, qui tam subito de satione inter ordines Columella dicere possit, et in vinea quidem. Nam arbustum inter ordines conseri, noui. Interitum seminum in eadem disputatione dixit supra III. 3. 12. et interitu seminum necesse est veteres vites rarescere, quia propagari non potest ex seminibus in locum mortuae vitis. Monuit eadem contra Gesnerum Pontedera, in Curis secundis.

partiti] Florentinus Geoponic. IV. 12. 8. τὸ γὰρ μετὰ τὰς πρώτας ἑπτὰ ὀφθαλμὰς ἄγονον καὶ ἀχρεῖον. Didymus V. 14. 3. itidem septem oculos primos concedit sarmento, cum Quinctilius V. 8. 10. qui plane cum Columella sentiunt. Ibi est: ἀπὸ δὲ ἑνὸς κλήματος ἐκεῖνο κρεῖσσόν ἐστι τὸ μέρος εἰς φυτείαν,

τείαν, τὸ ἐζευγμένον τῷ ἑνὶ μέχρις ἑπτὰ ὀφθαλμῶν. Quae deinde ſtatim ita repetuntur: *καλὸν ἓν τὸ κλῆμα καὶ εἰς φυτείαν ἐπιτήδειον τὸ ἀπὸ τῆ ἑνὸς, τυτέστι τῆ περυσινῆ μέχρις ἑπτὰ ὀφθαλμῶν. τὸ δ' ἄλλο ἄχρηστον. ἐ καλῶς ἓν ποιῆσί τινες μακρότερα κλήματα εἰς δύο καὶ τρία μέρη τέμνοντες καὶ φυτεύοντες.* Noſter Arbor. III. 4. *virgam malleolarem non amplius quam ſex gemmarum eſſe conuenit.* Palladius III. 9. 5. ſarmenta probat *quinque vel ſex gemmarum ſpatio a veteri procedentia.*

Cap. XVII. 2. *Sagittam*] Iſidorus Orig. 17. 5. habet *a matre et quaſi proſiluit, ſeu quia acuminis tenuitate teli ſpeciem praefert.* Plinius 17. ſ. 35. no. 3. *Vitium numeroſior ſatus. Primum omnium nihil ſeritur, ex his niſi inutile, et deputatum in ſarmento. Opputatur autem quidquid proxime tulit fructum.* (Pintianus e Codice ſuo legit: *in ſarmenta. Amputatur.*) *Solebat capitulatus vtrinque e duro ſurculus ſeri, eoque argumento malleolus vocatur etiam nunc. Poſtea auelli cum ſuo calce coeptus eſt vt in fico: neque eſt aliud viuacius. Tertium genus adiectum etiamnum expeditius ſine calce, propter quod ſagittae vocantur, cum intorti panguntur: iidem cum reciſi nec intorti, trigemmes. Plures autem ex eodem ſurculo hoc modo fiunt.* Vides, Plinium diuerſum abire a Columella in eo, quod ſagittam a modo pangendi malleoli dictum fuiſſe putat. Ceterum iam olim de ſagitta ita Theophraſtus H. P. II. 1. *ὅλως γὰρ ὀλίγα τὰ ἀπὸ τῶν ἄνω μᾶλλον βλαστάνοντα καὶ γεννώμενα καθάπερ ἄμπελος ἀπὸ τῶν κλημάτων. αὕτη γὰρ ἐδ' ἀπὸ τῆς πρώρης ἀλλ' ἀπὸ τῆ κλήματος φύεται.* vbi proram Bodaeus interpretatur cacumina vitis et ſumma flagella, Niclas vero ad Geoponica p. 336. ſagittam. Plinius triplicem ſurculi ſpeciem nobis narrat. Primam et antiquiſſimam eodem modo enarrat, vt noſter ſupra cap. 6. *palmes*, inquit, *eſt, innatus prioris anni flagello, qui in ea parte, qua deciditur ex vetere ſarmento, prominens vtrinque mallei ſpeciem praebet.* Capitulum vtrinque adhaerere ex vetere ſarmento monet Plinius. Huius figuram exhibet Pontedera in Tab. II. fig. 1. Alteram ſpeciem viuiradicem nominauit Columella. Plinius ſurculum cum ſua calce non decidi, ſed auelli ait, vt in fico, idque genus eſſe viuaciſſimum. De quo clarius Plinius 17. ſ. 13. *auulſique ſtolones arboribus vixere. Quo in genere et cum perna ſua auelluntur partemque aliquam e matris quoque corpore auferunt ſecum fimbriato corpore. Hoc modo plantantur punicae coryli, mali, ſorbi, meſpili, fraxini, fici inprimiſque vites.* vbi legendum eſſe *fibrato,*

fibrato, i. e. radicato alii iam monuerunt. Theophrastus H. P. II. 7. plantas fibratas seu viuiradices etiam in vite praefert, (*φυτευτήρια ἔνριζα*) quod si vero nolis, plantam ex superiore vitis parte magis quam ex inferiore sumi iubet; adiicit propagari vitem in se ipsa (per quasilum scilicet) non posse, vt oleam, ficum, pirum et malum; denique vitem etiam palo (*ἀπὸ πασσάλου*) seri, vt oleam surculo crassiore praeacuto, malleo palum adigente in terram. Atque hic postremus locus possit adhiberi ad lectionem librorum optimorum defendendam, vbi est de altero genere malleoli: *qua nascitur materia noua, raserunt.* Nec tamen eam lectionem admittunt praecedentia: *per ipsam commissuram, qua nascitur materia noua.* Commissura enim est nodus ille, vnde noua materia prorumpit, et capitulum recte Gesner h. l. et caput imum cap. 18. sect. 6. interpretatur tumorem medium inter vetus et nouum sarmentum, vnde nouum egerminauit. Hoc capitulum angustis faucibus pastini bisurci comprehendi et deprimi iubet Columella capite sequenti. Huc etiam facit locus Plinii 17. s. 35. no. 2. *Hos ergo in surculis nodos, cum seruntur, medios secare oportet, ita ne prosiuat medulla.* Atque ita habes simul, quo defendatur vulgaris huius loci lectio, et ratio reddatur eligendi malleoli eiusmodi per ipsam commissuram resecti cum capitulo, quem Columella veteri malleolo, mallei speciem gerenti, scilicet vtrinque adhaerente capite longiori ex veteri sarmento et dura materia, praeferebat. Malleolum capitatum alterius generis sistit Tabulae II. fig. 2. Palo malleolum seu vitem nunquam Romani seuerunt, vt Graeci, et improbant eam rationem Geoponica V. 9. 10. ita enim sarmenti demittendi oculos facile excoecari, et sarmentum ipsum torqueri. Denique quod vitem in se ipso per quasillos propagari negat posse, id redarguit vsus romanus a Palladio III. 10. 6. et seqq. nominatus, vbi eam rationem in vite arbustiua docet.

3. *videlicet quia*] Ita recte Goes. et Sang. Vulgo *quae.* Ita supra cap. 10. 17. *videlicet quia sperat.*

damnauit vsus] Vide supra ad cap. 14. 3. Noster Arbor. III. 3. *semina nouella cum vetere sarmento deposita cito comprehendunt et valenter crescunt, sed celeriter senescunt; quae sine vetere sarmento panguntur, tardius conualescunt, sed tardius deficiunt.* Geoponica IV. 12. 9. *βεβαιότερον δὲ συμφυήσεται τὰ νέα κλήματα ἔχοντα περυσινῆ κλήματος μέρος.* Sed ibi de inserendo surculo sermo est. Palladius III. 9. 7. *Ad pangendum nouellus palmes debet eligi, duri in se nihil habens, et veteris sarmenti, quia hoc putrescente saepe corrumpitur.*

pitur. vbi Crescent. addit *et putrescit.* Malleolum, qualem damnauit Columella, vinitores multi Sueui probant, quorum rationes explicuit Sprenger p. 219.

Cap. XVIII. *pastinum*] Isidorus XX. 15. *Pastinum vocant agricolae ferramentum bifurcum, quo semina purgantur. Vnde etiam repastinari dictae sunt vineae veteres quae refodiuntur.* vbi alii legunt *sparguntur*, quidam *punguntur.* Sed *panguntur* vera est lectio. Ceterum locus Isidori comprobat lectionem ex libris a me restitutam. Vulgo erat: *repastinatae dictae fuere vineae.* Nunc demum video Vincentium in Spec. doctr. 12. c. 104. in Isidoro legere: *panguntur — repastinatae dicuntur.* Paliadius I. 43. *Acus, per quas in pastinis sarmenta merguntur.* Itali hodie sarmenta depangunt pastini genere, non bifurco, sed lunato infra, quod *Crucciolo* vocant, et pinxit Britannus Miller in Diction. Olitorio. Sed Tozzetti p. 66. pastinum antiquum a Tuscis vocari ait *Graccia.*

2. *vexata*] Palladius III. 9. 8. *Caput sarmenti cum deponitur; torquendum* (Cresc. *retorquendum*) *non est, nec aliquo modo vexandum, ne demersa penitus foecundiore parte, quod sterili proximum est, supra terram relinquatur. deinde quoniam ipsa tortura vexatio est: et pars ea, de qua radix futura praesumitur,* (*radix speratur* Cresc.) *iniuriae nulli subiicienda est, cum qua contendere cogatur antequam teneat.* vbi Cresc. IV. 9. habet: *subiicienda est, duae gemmae fertiles remaneant supra terram, nec demersa ponitur foecundiore parte supra eam quam est, sterili proximum relinquatur.* Igitur totum istum locum hoc ordine legendum censeo: *vexandum; quoniam ipsa tortura vexatio est; et pars quae — subiicienda est, cum qua — teneat. Deinde duae gemmae fertiles remaneant supra terram, nec demersa penitus — relinquatur.*

3. *sagittam*] Plinius 17. f. 35. no. 3. *Sagittae vocantur cum intorti panguntur.* (*malleoli.*) — *Sagittas serere minus vtile, quoniam in transferendo facile rumpitur quod intortum fuit.*

4. *sagitta — vitauerimus*] Vulgo legitur *salicto conserendo.* De salice vero praecipit Columella demum libro IV. In salice ea culturae diligentia non requiritur, nec ibi quidquam a Columella annotatum est ea de re. Quare Pontera malebat: *sarmento conserendo vitaueramus.* Cui emendationi obnititur Gesner, ita, vt putet, recepta veterum editionum et Codicum lectione *vitauerimus*, quae est etiam in

Sang.

Sang. pro vulgata *vitaueramus*, omnem vulgatae lectionis difficultatem tolli. Confitetur quidem, de ſalice nihil antea monitum fuiſſe, nec in eo ipſo loco, vbi de ſalice agitur poſtea, tale quid caueri, vt in malleolo deponendo; exiſtimabat tamen, ſalicem pro viliore quacunque ſtirpe poni. Quae eſt inepta diſputandi ratio. Debet aliquid praeceſſiſſe ad quod h. l. reſpicit Columella. Praeceſſit autem *ſagitta*, in qua cautio haec locum habuit. Igitur recte Pontedera in Curis ſecundis legi voluit *ſagitta non ſerenda*. ad quam lectionem manifeſto ducit liber Sang. vbi eſt *ſalicta conſerenda*. Praeterea teſtatur, in Edd. primis, id eſt, I. B. R. quae fere vbique cum Sangerm. conſentiunt, eſſe *ſalicta*. quod miror a Geſnero non fuiſſe annotatum. Itaque non dubitaui eam emendationem in ipſa oratione ponere.

racemarios] Geſner ex vetere Gloſſario affert, ἐπιφυλλς, *pampinus racemarius*. Quem nempe vindemiatores ſolent relinquere. Cf. Scholiaſten Ariſtoph. ad Ranas verſu 92. Epigramma Analector. T. II. p. 200. pauper Veneri dedicat: κορφυρέην ταύτην ἐπιφυλλίδα. vbi Suidas interpretatur μικρὸν βοτρύδιον. Hinc Latini racemari dicunt vuas legere poſt vindemiam. Recte Suidas cum Heſychio. Dioſcorides IV. 144. ſmilacem ferre ait καρπὸν βοτρυώδη ὡς ἐπιφυλλίδα.

5. *apertae medullae*] Hinc Plinius 17. ſect. 35. no. 2. *Hos ergo in ſurculis nodos, cum ſeruntur, medios ſecare oportet, ita ne profluat medulla.* Ceterum in Columella malim *aperta medulla.*

6. *cum conſertum*] Quod eſt in Sang. *cum ſertum* voluerunt etiam dare Edd. primae, vbi *conſertum* omiſſo *cum* legitur.

Cap. XIX. 2. *trigemmem*] Plinius 17. ſect. 35. *tertium genus adiectum etiamnum expeditius ſine calce, propter quod ſagittae vocantur, cum intorti panguntur; iidem cum reciſi nec intorti trigemmes. — Sagittas ſerere minus vtile, quoniam in tranſferendo facile rumpitur, quod intortum fuit. Seruntur pedali, non breuiores longitudine quinque ſexue nodorum. Pauciores tribus gemmis in hac menſura eſſe non poterunt.* De menſura Palladius III. 9. 9. *ſit autem menſura ſarmenti cubitus vnus.* vbi Creſc. IV. 8. monet: *mihi autem videtur* longius eſſe debere, maxime in locis decliuis, montuoſis et aridis, cum in foueis oblique panguntur. Iterum Palladius III. 10. 2. de arbuſto ita habet: *ſi vallis aut humectus eſt campus*

pus trium gemmarum (sarmentum depones) *exceptis minutis, quas habebit inferius.*

ne semina exarescant] Noster Arbor. III. 3. *semina quam recentissima terrae mandare conuenit, si tamen mora interuenerit, quo minus statim serantur, diligentissime obrui tota oportet eo loco, vnde neque pluuias neque ventos sentire possint.* Contra fit in surculis inserendis, cuius rei rationem habes in Geoponicis X. 75. Vide ibidem III. 5. 3. IV. 12. 10. Quinctilii Geoponic. V. 8. 3. *τὰ κλήματα ἐχέτω καὶ τοῦ περυσινοῦ κλήματος μέρος καὶ παραχρῆμα ἀφαιρεθέντα φυτεύεσθαι. προσφύεται γὰρ τάχιον τῇ γῇ τὸ προσφάτως τμηθὲν, ὡς ἀδιάπνευστον*, et reliqua, quae docent, quomodo mora aut longinqua transportatione interueniente sint seruanda semina. Plinius 17. f. 35. no. 3. *Inseri eodem die quo deputentur, vtilissimum. Si multo postea necesse sit serere custoditos vti praecepimus, caueri vtique, ne extra terram positi sole inarescant, ventoue aut frigore hebetentur. Qui diutius in sicco fuerint, prius quam serantur, in aqua pluribus diebus reuirescant.*

3. *silentis — placidi*] Palladius III. 9. 8. *ponendae sunt vites placidis diebus ac tepidis, curandumque ne sarmenta sole vrantur aut vento, sed vel statim ponantur, vel obruta reserventur.* qui locus non plane congruit huic nostro et alteri de Arbor. c. 3.

Cap. XX. *Sed et prouidentis*] Idem consilium dant Geoponica V. 16. Ceterum ex Sang. *et* addidi.

vredinis] A frigore igitur et pruina deriuat vredinem. Plinius 21. f. 21. *rore nimio scabiem fieri, pruina vredinem.* Sed is de ouibus loquitur. Columella VII. 3. 25. grauedinem appellat. vbi vide notam. De frigoris et caloris effectu in vites et reliquas arbores varia sunt nomina morborum. Plinius 17. f. 35. no. 4. *Proprium siderationis est sub ortu canis siccitatum vapor, cum insitae et nouellae arbores moriuntur, praecipue ficus et vitis.* Quae totidem verbis habet Theophrastus C. P. V. 10. Morbum vocat *ἀστροβολίαν*, et vites sideratas *ἀστροβλήτας*. Astrum enim, vt Latini sidus, Graeci caniculam vocabant. Cum Theophrasto sentit praeceptor Aristoteles de Iuuent. et Senectute c. 6. qui contrarium frigoris effectum morbosum appellat *σφακελισμόν*. Geoponica V. 36. vites sideratas foliis subrubentibus agnosci monent. Sphacelismo denigrari radices inprimis monet Theophrastus H. P. IV. 16. cum rami olei denigrantur, *κράδος* dicitur. De vredine gemmarum, frigore perustarum, vide infra ad IV. 9.

3. *proxi-*

3. *proximum*] Vrſinus malebat legi: *proximum. primo. tum quod* etc. recte, puto!

eatenus] Vulgatam: *eatenus velut lectarum quodam contenti ſimus tetradio* miris modis variant Edd. et libri ſcripti. Vrſinus malebat legi: *eatenus vt lectarum.* vel ita: *vel quartae, quatenus velut lectarum.* Priorem coniecturam comprobari ſcriptura Goeſiani libri *eatenus athletarum* putabat Schoettgen. *Tetradio* vulgato antea *tetartaeo* ſubſtituit Geſner ex libris ſcriptis. Mihi contra additum *velut* indicare videtur comparationem aliquam, quae tamen in vulgari lectione non apparet. Igitur probo Goeſiani lectionem. Haec quatuor genera vitium lectarum comparat cum athletarum quaternione, quibuſcum pugnet vinitor contra tempeſtates varias. Audacior paulo oratio eſt Columellae; ſed et in capite ſequenti ſaepius vltra proſaicam orationem aſſurgit. Palladius III. 9. *Praeterea non eſt vno genere vitium omne paſtinum conſerendum, ne annus iniquus generi ſpem vindemiae totius exſtinguat; (omnem excludat* Creſc.) *et ideo quatuor aut quinque eximii generis ſarmenta pangemus.* vbi Pontedera ex h. l. corrigit: *eximiorum generum.* recte! Forte aliam emendationem ſuggeret locus geminus ſupra III. 9. 5. *nos quoque pari ratione velut olympionicarum equarum ita feraciſſimarum Aminearum ſeminibus electis largae vindemiae ſpem capiamus.*

opperiri] Malim *experiri;* quod verbum poſtulat comparatio athletarum. Alia metaphora vtuntur Geoponica: *τὸ γὰρ ἐπὶ μιᾶς ὁρμῆν σφαλερόν.* quem locum peſſime verti video. Verte: *neque enim nauis vna ancora ſatis tuto firmari poteſt.* Sed opperiri defendi poteſt. Ita III. 9. 5. *feraciſſimarum ſeminibus electis largae vindemiae ſpem capiamus.*

4. *ſemitis*] Palladius l. c. *ſed maxime expediet genera tabulatim diſponi et decumanis diuidi niſi deterreat operis difficultas.* Plinius 17. c. 35. no. 7. *Vineas limitari decumano XVIII. pedum latitudinis ad contrarios vehiculorum tranſitus, aliiſque tranſuerſis limitibus denum pedum diſtingui per media iugera. Aut ſi maior modus ſit, totidem pedum cardine, quot decumano limitari. Semper vero quintannis ſemitari, hoc eſt, vt quinto quoque palo ſingulae iugo paginae includantur.* vbi veram lectionem *ſemitari* reſtituit Brotier ex libris ſcriptis, peſſime ab Harduino mutatam in *ſeminari.* Spatium quintano limite incluſum dicitur pagina, gallice *la Perchée*, vti annotauit Brotier. Semitas dixit Columella,

quos Plinius *quintanos*. Tabulas Palladius, quos Columella hortos.

decumanis] Decumanos iterum noſter dicit IV. 20. 5. XII. 43. 2. Plinius 17. 22. Feſtus: *Decumanus appellatur limes, qui fit ab ortu ſolis ad occaſum; alter ex aduerſo currens appellatur cardo.* Seruius ad Georg. I. 126. male docet diſcrimen, de quo vide Scriptores Agrimenſ. p. 14. et Salmaſium ad Solin. p. 475.

non quod ipſe potuerim] Ita ſententia poſtulante ſcripſi pro *nec quod ipſe potueram.* Vrſinus malebat: *neque id ipſe potui tamen — probarunt.* Geſnerus *potuerim* ſcribi, reliqua ſeruata ita explicatione adiuuari vult: *nec* ideo non dubito, diſtinguendas eſſe vites, *quod* (i. e. quaſi) *ipſe potuerim a meis familiaribus obtinere, vt* diſtinguerent ſemina, *aut quod quiſquam — probauerint, effecerit.*

et in his diſcernendis maxima] Ita locum ex veſtigiis varietatis optimorum librorum redintegraui. Vulgo erat: *et nonnihil diſcernendis; in quo maxima.* nulla plane ſententia.

conſectandi] Neſcio an bene habeat. Malim *vt ea conſectemur.*

commortalis] Vix feram hoc vocabulum. Sed locum Platonis nondum reperi.

6. *ſtirpe careant*] *Stirpem calleant* Pontedera emendat. Vulgatam defendebat Geſner, quaſi hoc maxime agricolae curandum ſit, vt ſtirpe vini nigri quaſi peſſima careat. Nigram vitem in Italia repudiat et ad prouincias relegat Palladius I. 6. 9. Itaque Columella hanc ſedulo eligi et removeri iubet, etſi concedit ſimul, difficillime agnoſci omnes; ideoque paucos agricolas carere nigra vite.

Cap. XXI. *ſeparatim*] Palladius III. 9. 11. *Quod ſi eſt vetus vinea, ſingulorum generum ſurculis tabulatim poterimus inſerere; et facile hoc genus colendi, quod eſt pulchrum atque vtile, conſequemur.* qui locus plane confirmat emendationem Vrſini, quam recepi. Erunt tamen, quibus magis placeat lectio librorum *ſingulos per hortos inſeramus.* Sed tum quoque corrigendum eſt *ſeparatim ſurculos.* Infra ſect. 9. *qui genera per hortos ſeparat.* Plinius 17. ſ. 35. no. 16. *Genera ſeparari ac ſingulis conſeri tractibus vtiliſſimum. Mixtura enim generum etiam in vino, non modo in muſto diſcors; aut ſi miſceantur, non alia quam pariter maturescentia iungi neceſſarium.* In Palladio Lugd. Codex cum Bruſch. habet: *Quod ſi eſt*, (vt te deterreat operis difficultas) *veteres vineas* etc.

in

in omni ratione] Ita dedi ex vestigiis Polit. lectionis pro *ad omnem rationem* quod ferri non potest.

3. *tempestiue consitum*] Recte libri optimi omittunt *consitum*. Tempestiuitas enim sationis hic nihil facit ad voluptatem spectantis, sed si tempestiue veniat spectatum varios fructus. Interim inclusi. Broukhousius leui mutatione corrigebat: *tam festiue consitum*. Ita tolerari potest *consitum*.

conueniant] Malim ex Edd. primis *conuertant* in se oculos spectatoris. Antea *respondent* ex Sangerm. annotauit Gronouius.

puerperio laeta] Non dubito veram esse Vrsini correctionem, legentis *foeta*, et deinde *foetis palmitibus* substituentis *laetis palmitibus*.

collucet] Noster X. 293. *collucent foetibus horti*. Sed nimis hic Columella poetico ingenio indulsit!

4. *Poeta*] Georg. II. 392. post verba poetae *verum* non habet quo referatur. Equidem delendum esse censeo; aut verba quaedam exciderunt. Si longior parenthesis intercessisset, compararem cum graeco δή, quod orationem antecedentibus adnectere solet. Morgagni post *verum* semicolon poni, aut ita legi volebat: *honestum: verum quocunque — accessere: in ea parte:* ita post *verum* intelligamus *est*, post *in ea* vero *enim*. Forte fuit: *honestum, verum etiam in agricolatione — quocunque* etc.

indescriptis] Opponit discretis seminibus. Vulgo male separatim *in descriptis*, de quo vitio admonuit Vrsinus, Pontedera et Gesner. Malim tamen cum Pontedera *indiscretis*, quae ab *indescriptis* diuersae et huic loco aptae sunt.

5. *eleuet*] Gesnerus malebat *leuet*. Possis etiam ex Palladio *legas* corrigere.

acorem facit] Palladius l. c. *Ita et maturitatis et floris tempora, quae in vite diuersa sunt, suis temporibus opportunius obtinere poterimus. Nec paruo constabit, si legatur maturitas cum acerbitate; dispendiosum enim vnius tempestiuam vindemiam sequi permista cruditate vitiosam, et alterius seras maturitates expectare damnificum.* Ita enim locus ille legi debet.

6. *interiectionibus*] In hac forma consentiunt libri optimi; igitur vulgatae *interiectibus* substitui, at *negligentiae* inserui indidem.

antistites] Ita artium antistites dixit XI. 1. 10.

experiri] Vulgo pessime *expedire* legebatur. Est primo quoque tempore et pretio vendere.

cum scit] Vrsinus malebat *sciet*. Eodem auctore ex optimis Edd. reposui *deputat* pro *deputet*. Deinde vulgo interpositum *non* ante *consemineis* recte earundem Edd. auctoritate confisus omisit Gesner.

7. *neque folium*] Pontedera haec de autumnali putatione dici monet, et addendum: *neque fructum*. Gesner tamen vulgatum simplex *neque* interpretatur *ne quidem*.

8. *neque enim omne*] Ita pro *omni* corrigi iussit Vrsinus, Pontederaque, atque ita fecit Gesner.

rigore vitiantur] Etsi libri optimi omnes habent: *quia sunt calidiores;* relinquendam tamen censui vulgatam propter concinnitatem orationis. His enim respondent verba: *quia contristantur aestu*. Ita enim scribendum erat, non vt vulgo legitur, *contristentur*. Rigor dicitur pro frigore, vt IX. 14. 7. *rigoris quam recentissimi aqua*. Scilicet est graecum ῥῖγος. Pontederae tamen aliter visum est de vulgato, quam cum librorum lectione ita copulari posse putat, vt legamus: *quia, nisi calidiore, vitiantur*. si scilicet verbum *vitiantur* sit antiquum, nec ab Aldo profectum.

9. *vtilitatem*] Palladius: *huic commodo adiicitur, quod pro generum diuersitate per gradus accedente vindemia minor operarum numerus eam poterit expedire, et generatim condere, ac melius parui sapores sine laetamine alterius generis vnaquaque vinâ seruare*. vbi Crescent. *puro sapore sine admixtione* alterius generis. Ex Palladio videtur h. l. legi debere *generatim* pro *separatim*. Contra rationem Columellae monuit Sprenger in Vinearum cultura p. 177. vites durioris folii ante molliorem positas excipere ventos et grandinem, et facile vicinam defendere a frigore.

nam vt quaeque] Hoc effeci ex lectione Sangerm. *nam vt quae virescere*. Vulgo *nam et quae maturescere*. Sed nunc video Heinsium Aduers. III. p. 459. laudare ex Sang. *quirescere*. In Polit. est similiter *quirescere*. vnde Heinsius efficiebat *quaeque viescere*. non improbabiliter. Similis varietas est XII. 15. sect. 1. vbi vide notam.

victus] Hoc debeo ingenio Heinsii pro *vetus*. Ita XII. 15. *ficus neque vieta nimium neque immatura legi debet*.

10. *spionicus*] Beroaldus ex antiquo *spinosus* effecerat *spionius*.

diffusa] Recte hanc Edd. primarum lectionem restituit Gesner. Reliquae *diuisa*: nullo sensu.

perpetuitati] Vrsinus vulgatum *per potus tamen nobilitantur* corrigebat: *per vetustatem* aut *perpetuitate nobil.* Vini perpetuitatem habes infra IV. 20. 1. Posteriorem Vrsini

ſini rationem probabat Geſner. Mihi contra videtur. Perpetuitate vinum vix dici poteſt nobilitari, ſed vetuſtate, ſi perpetuum ſit. Vt vero ſit perpetuum, et vetuſtate nobilitari poſſit, efficere Columella h. l. voluit ſeparando vnoquoque vitis genere, et diffundendo muſti ſapore, ne quid ſit, quod perpetuitati repugnet. Igitur aliam excogitaui lectionem, quam in oratione poſitam vides.

11. *obtinere non poſſis*] Palladius l. c. *Hoc ſi difficile videbitur, non alias ſimul conſeras, quam quae et ſapore et flore et maturitate conueniunt.* vnde ſuſpicor floris mentionem h. l. excidiſſe.

potes iam] Malim *Potes etiam.*

obumbrent] ne ſolem arceant, ſi contra meridiem ponantur. Igitur Cato etiam populos vlmoſque in ea villae parte ſeri iubet, quae ſeptentrione ſit obuerſa, ne obumbrent. Plinius 17. ſ. 18. *ficorum leuis vmbra, quamuis ſparſa; ideoque inter vineas ſeri non vetantur.* Quas arbores vineis ſeu arbuſtis interſerere liceat, diſputat Theophraſtus C. Pl. III. 15.

COMMENTARIVS

AD

LIBRVM IV. COLVMELLAE.

Cap. I. 1. *geminis materiis vnius ſeminis*] Emendationem debes Sangerm. Vulgo *gemmis diductis.* Geſner dedit *geminis;* addere ſaltim debebat ex Goeſiano *materiis.* Cap. 2. initio: *quod minore impenſa duos palos vnius ſeminis flagellis cenſent maritari.*

vtraque reprehenſio auaram] Vocem *reprehenſio* addidi ex Goeſ. et Sang. *auaram* effeci ex lectione Polit. et Sang. *abiaram.* Vulgo *ambiguam* inepte legitur.

3. *in plano*] Supra III. 13. de accliui agro: *vix iuſtum paſtinationi praebet regeſtum, niſi multo editiorem ripam quam in plano feceris.* Idem XI. 3. 5. *reſolutaque humus, quae erat autumno regeſta.* Ita et *regerere radices in ſummum* III. 11. 4. Haec loca ob oculos poſui lectori, quo rectius de vitioſa huius loci lectione iudicaret. Vulgatam diſtinctionem: *poteſt, etiamſi ager bipalio moueatur.* mutauit Geſner, ita, vt ante *etiam* diſtinctionem poneret, atque ita locum obſcurum dilucidari putauit. Reliqua ſic interpretatur: Illud contingere poteſt etiam in ſcrobe duorum pedum et ſemiſ-

ſis, ſi ager bipalio moueatur; ſic enim fermentatum ſolum, et ipſa paſtinatione ac regeſtione intumeſcens altius eſt dupondio, id eſt, duobus pedibus et ſemiſſe, relinquitque adeo tamen radiculis locum quo irrepant. Sed mihi vir doctus a ſententia loci aberraſſe videtur, errore lectionis vulgatae ſeductus. Paſtinari terram et in paſtinata ſcrobes fieri iuſſit Columella in pedes duos et ſemiſſem, in plano quidem agro. Quam ſcrobum altitudinem quidam nimis profundam cenſentes bipedanea contenti erant. Ex quibus quaerit Columella, quare tam alte paſtinare cenſeant tam humili ſcrobe contenti. Illi vero reſpondent teneram plantis terram eſſe ſubiiciendam, quae radiculas repentes recipiat. Quibus regerit Columella, ita non opus eſt paſtinato dupondii et ſemiſſis, ſi contenti eſſe velint ſcrobe bipedanea; nam in paſtinato etiam ſolo infra altitudinem dupondii et ſemiſſis ſcrobem bipedaneam deprimi poſſe ita, vt tantum tenerae humi plantae ſubiiciatur, quantum ſit ſatis, quoniam regeſta humus quaſi fermento aliquo intumeſcat. Puto itaque, poſt *bipalio* deeſſe *tam alto non* moueatur; niſi ſtatuas, bipalium ſignificare paſtinationis altitudinem ad duos pedes et ſemiſſem, quod equidem comparatis locis ſcriptorum omnibus nego. Vide ad Libr. de Arboribus cap. 1. ſect. 5. Sententia igitur eſt haec: etiam ſi ager ad altitudinem duorum et ſemis pedum non paſtinetur, potes tamen ſcrobem deprimere plus etiam dupondio et ſemiſſe in regeſto, ita, vt tenera adhuc humus ſuppoſita ſit ſemipedis altitudine deponendae plantae. Nam humus regeſta fermento intumeſcit plus quam gradus ſoli crudi. Gradum interpretatur Geſner, quantum effodi vno gradu poteſt. Videamus loca noſtri. Igitur XI. 3. 10. *ſi depreſſius paſtinetur ſolum: eiuſque abunde eſt gradum effodere tribus pedibus, vt in quatuor conſurgat regeſtum.* Vides, fermentum pedis vnius accedere tribus paſtinationibus. Ita etiam Plinius 17. ſ. 35. no. 4. alto ternos pedes bipalio paſtinationibus tribuit quaternûm pedum regeſtum. Sed gradum in loco Columellae peſſime Geſner interpretatur altitudinem ſeu profunditatem, in quantam vno niſu foſſor palum imprimit. Quod clarius apparet ex loco III 13. 10. *non ſulcum paulatim exaltare et ita ſecundo vel tertio gradu peruenire ad deſtinatam paſtinationis altitudinem; ſed protinus aequaliter linea poſita rectis lateribus perpetuam foſſam educere — tum per omne ſpatium gradus aequaliter mouenda linea eſt.* vbi manifeſto *gradus* ſignificat omnem altitudinem ſulci effoſſi. Nunc redeamus ad locum noſtrum, vbi humum regeſtam ſemper ait Columella tumidio-

diorem esse quam gradum soli crudi. quae si cum Gesnero interpreteris: humum regestam esse tumidiorem quam quantum fossor vno gradu effodere possit crudi soli, Columella non solum ineptam fermenti mensuram, sed et falsam posuerit. Igitur gradus crudi soli est altitudo crudi soli in ripis sulcorum conspicua, vnde humus est regesta. Hanc igitur semper humus regesta superat. Mensuram Columella accuratius definire omisit, quam tamen altero loco XI. 3. 10. posuit. Verba: *refusius egesta* vitiosa esse suspicor; et libri optimi habent *refusos sed egesta*. Inepte enim refusius egeri dicitur humus. Forte fuit *effossa et regesta humus*. Nam regeri debet humus in sulcum, vt appareat, tumidiorem esse quam crudum solum. Iudicent peritiores! Possis etiam *refossa* legere.

praealtum sibi] Sang. libri lectionem hanc vulgatae *sibi altum* praeferebat etiam Drakenb. ad Liuium T. II. p. 462.

4. *capiamus*] Sang. *capimus*.

5. *bipedanei*] Edd. principes *bipedancae* et sic paulo post *tripedanea* legitur sine varietate. Similiter XII. 44. 4. *factae scrobi* sine varietate est. Seruius ad Georg. II. 50. Lucanum ait contra artem foemineo genere dixisse scrobem. Idem tamen ad versum 288. Gracchi auctoritatem addit, cui inepte Ciceronis Oeconomica opponit.

cum quae — desideret] Vulgatum *cumque* Vrsinus, *desiderat* emendauit Gesner. Malim tamen ex libris optimis legere: *quando, si modo scandit — desiderat*. In libris *quando* fuit transpositum.

6. *minorem tripedanea*] Ita recte Sang. Vulgo *bipedanea*. Vrsinus verum iam olim viderat.

Caeterum illa parum prosunt] Libri optimi habent: *parum prudens agricolarum studio praecipua esse commoda*. Sed ne sic quidem locum persanatum puto. Manifestum est nouum Attici argumentum proponi et refelli. Forte fuit *prudenter* sc. praecipit. Atticus, inserto deinceps *esse*.

fatigentur] Ita recte Sang. pro *fatigantur*. Et deinceps *suspensa sint* pro *sunt* posui ex libris optimis.

si laborarent] Vulgo intersertum *non* deleri iusserunt Vrsinus, Broukhus. et Pontedera. Ex Sang. *facere* pro *facerent* annotauit Gronouius.

7. *innatantes*] Quinctilianus X. 7. 28. *innatans illa verborum facilitas in altum reducetur, sicut rustici proximas vitis radices amputant, quae illum in summum solum ducant, vt inferiores penitus descendendo firmentur*. Idem VII. 1. 415. *quibus cura in proximo est, haec velut innatantia videbunt*.

vbi

vbi recte Burmann et Gesner graecum ἐκπολάζειν compararunt.

8. *dupondii et dodrantis*] Puto fuisse *et semissis*. Nam eam altitudinem scrobium in plano esse vult Columella. Vide supra III. 15. 2. Contra in accliuibus in dupondium et dodrantem ibidem scrobem deprimi iubet. De accliui vero h. l. sermo non est. Ceterum Geoponica V. 12. quatuor pedum altitudinem in scrobibus probant ideo, quod sol vsque ad eam altitudinem modo penetret, nisi terra sit rimosa.

Cap. II. *falsissimum*] Ita libri optimi, et deinceps *est* omittunt I. B. Br. R. Lips.

viduantur] Primus ita emendauit Beroaldus vulgatam olim lectionem *induantur*.

viuiradices totidem] Quoniam experimento admonitus errorem corriget agricola, nec vna porro viuiradice ad duos palos diducta periclitabitur. Haec recte monuit Gesner.

euenit] Ita recte Goes. pro *venit* quod emendari iusserat etiam Pontedera. Paulo antea pro *viuit* Sang. *tenuit* cum Goes. vnice id probante Pontedera. Alii libri *lenit* seu *liniit*. in qua varietate quid lateat, nondum coniiciendo potui assequi; nec omnino intelligo, quid in vite nigra culpetur; etsi video, Palladium V. 6. 9. nigras vites repudiare et in prouincias relegare; et supra noster III. 20. 6. paucis agricolis contigisse ait, vt nigri vini stirpe careant, etsi sedulo eam per vindemias annuas selegerint. Igitur eandem observationem etiam h. l. accommodandam esse puto.

2. *cancellauit*] Expressit Theophrasti καρκινῶσθαι de radicum fibris multis et expansis, quod Plinius XVIII. c. 7. multis radicari fibris seu ramis interpretatus est, recte monente Scaligero ad Theophrastum p. 455.

cratem facit] Palladius I. 6. 17. *cratem facere*, id est, stratum; iterum *prati cratem* Sept. X. 4. *fauorum crates* Iunio VII. 1. baccarum alternae Nouembr. XXII. 4. Graece Theophrastus hoc fibrarum implexarum radicis stratum ταῤῥὸν et ταῤῥῶσθαι dixit. Quo non animaduerso Gesner ineptissime cratem h. l. interpretatus est. Ceterum rationem intelliges, recordatus duo vitis rura multo plus alimenti ex aere attrahere atque inspirare, quam simplex, eoque radices mirum in modum augeri, ita, vt tandem fibris minutis implicatis cratem faciant seque ipsae angant.

angitur] Palladius III. 16. *nam, vt ait Columella, cum totae stratae sunt, plurimis radicibus totius corporis fatigantur.*

3. *duo-*

3. *duobus potius feminibus*] Plinius 17. f. 35. no. 4. *nec minus quam duos furculos integi oportet, et proximam attingi terram, eodem paxillo deprimi et spissari.* Postrema verba non intelligo. Brotier interpretatur, furculos non in media fossa et vacuo spacio seri, sed terram attingere. Malim huc trahere Columellae *iuxta latera erigi scrobis.*

vtramque partem] *Vtraque parte* Sangerm.

Cap. III. *inchoato*] Edd. Iunt. G. *incohato.* Ita scilicet antiqui scribebant, non *inchoato.* Vide Gesneri Thes. L. L. Similis varietas in *cohors* et *chors*, de qua ad Varronem I. 13. Infra libro XII. c. 50. Bruschiana similiter habet *incohauimus.* Eadem XI. 2. 3. *incohabit* et sect. 38. *incohatur.* vbi nullam varietatem ex Edd. primis annotauit Gesner. In Palladio I. 6. 15. Brusch. similiter *incohetur* habet. De *cohercere* vide ad Varron. I. 17.

2. *iis colligitur*] Edd. primae *his.* Malim *hinc.*

6. *Paridium*] Libri variant inter *Papirium*, *Paririum* et *Parisium.* Possis *Pacidium* scribere; sed vtrumque nomen hic positum aliunde ignoro.

eo libro — scripsit] Haec verba omittit Sang. liber.

nuptum] Hanc Sang. lectionem pro *nuptui* probauit et illustrauit Drakenb. ad Liuium T. I. p. 201. In Iustino 43. c. 3. pro *nuptum* tradere. Vincentii Spec. histor. III. c. 111. habet *nuptui.*

Cap. IV. *scrobe, vites*] Intermedium *tota* in vulgatis libris damnatum a Pontedera et libris optimis omisi. Totam enim vitem sterni vetat noster cap. 2. 2. et libro III. 15. 2. vbi haec eadem ad verbum exstant, vocabulum *tota* recte omissum est.

recta — exigatur] Ita ex libris optimis pro *erigatur* scribere iussit Pontedera, interpretatus recta extrahatur, in summum perducatur; etsi supra III. 15. et infra IV. 16. f. 21. *erigere* sine varietate legitur.

angulis] Palladius II. 10. *Latera scrobibus aequaliter incisa sint, ne obliqua vitis saucietur alte nitentibus ferramentis cum fossor incumbet.* Vulgatum h. l. *scrobs* emendaui ex Sangerm. Alueatos vitibus sulcos facit Cato c. 43. 1. Contra Plinius 17. f. 35. no. 7. *scrobes qui longiores sunt, vt vites binas accipiant ex diuerso, alui vocabantur.* Sed is diuersa notione dixit alueum. Vinitores Sueui scrobes alueatos probant. Vide Sprengerum p. 252. Ceterum Sang. etiam hic *derigantur* habet.

2. *ex-*

2. *exaltare fortius*] Cum libris duobus *fortius* omitti aut *altius* legi maluit Pontedera. Neutrum probo, ob locum Palladii paulo antea positum. Orbem ablaqueationis recte Gesner defendit contra Vrsinum emendantem: *scrobem.* comparato loco nostri V. 9. 17. vbi est *altis gyris ablaqueari oleas.* Ita scilicet expressit graecum γυρὸς, γυρῶσαι φυτὰ, quod de ablaqueatione arborum et lacusculis in circulum effossis dici recte monuit Gesner.

3. *optime et viuiradices*] Ita ex libris scribi voluit etiam Pontedera. Vulgo *malleoli et viuiradices.*

simul ac tenera] Ita libri optimi. Vulgo *si mollis ac tenera.* Plinius 17. c. 35. no. 4. *surculi seruntur et in scrobe et in sulco longiore, super quos tenerrima ingeritur terra.* Pontedera tamen malebat legi: *si mollis simul ac tenera.*

Cap. V. *Calendis Martiis*] Palladius Martio 7. *hoc mense nouella vinea incipiat puluerari, quod nunc ac deinceps per omnes Calendas vsque ad Octobres faciendum est, non solum propter herbas, sed ne tenera adhuc semina solidata terra constringat. Graminum radices, quae plurimum vitibus nocent, exstirpandae sunt.* Vbi vides, *puluerari* dixisse Palladium simpliciter pro *fodi minute*, vt puluis excitetur. Cato cap. 43. semel in mense sulcos sarrire iubet.

eliguntur] Heinsius ad Virgilium I. p. 342. laudatum nescio ex qua editione *eligentur* mutabat in *exigentur.*

Cap. VI. *superuacua*] Palladius Maio 2. *nunc consideremus nouellae vitis sarmenta, quae protulit, et ei pauca et solida relinquamus et adminiculis firmemus, donec brachia prolata durescant. non autem amplius resectae et pullulanti viticulae quam duae vel tres materiae relinquantur, et alligentur propter iniuriam venti. Ideo autem tres materias dixi debere dimitti, ne dissipantibus ventis nulla remaneat, si in primordio reliqueris pauciores.* Vitis perfectae et adultae κλάσιν καὶ βλαστολογίαν, i. e. pampinationem Graecis vsitatam copiose enarrat Theophrastus C. P. III. 19. 20. 21. Pampinationem ita definit Varro I. 31. *vites pampinari, sed a sciente. nam id, quam putare maius, neque in arbusto, sed in vinea fieri. Pampinare est ex sarmento coles, qui nati sunt, de iis, qui plurimum valent, primum ac secundum, nonnunquam etiam tertium relinquere, reliquos decerpere, ne relictis colibus sarmentum nequeat ministrare succum.* Ab arbusto pampinationem videtur Varro excludere, ex antiquo scilicet romanorum agricolarum more. In ipsa vinea nouella quidem

dem pampinatio peragit, quae deinde putatio in perfecta et vetere. Noſtri pampinationem tribus vocabulis explicant; vnde patet, latiſſime ſenſum huius vocabuli patere. Vocant ſcilicet *Verbrechen* (alii *Geitzen, Zwicken*) deinde *ausbrechen*, i. e. nepotes praecipue defringere, quos Sueui vocant *Aberzaehne, Eberzaehne, Afterzaehne;* quidam etiam in hac opera ſimul folia detrahunt viti, tertiam operam appellant *verhauen, überhauen, abgipfeln*, i. e. decacuminare. Haec ſingula pampinationis opera accuratiſſime explicuit Sprenger in Cult. Vinear. p. 296 — 307.

3. *ſequentis anni iugum*] Recte Geſner emendabat *ſequenti anno*, aut intelligi debere monebat, ordinaria cultura ſequenti demum anno ad iugum adiungi vitem.

4. *craſſitudine conualeſcant*] Geoponica V. 3. de vitiario: τὰς δὲ καλεμένας προοφθαλμίδας καὶ τὸ περισσὸν τῆς αὐξηθέντος ἀφαιρεῖσθω, ἵνα εἰς πάχος τὴν αὔξησιν λάβῃ· τῇ δὲ χειρὶ τὴν ἀφαίρεσιν χρὴ ποιεῖσθαι μὴ σιδήρῳ. ναρκᾶν γὰρ τὴν νεαρὰν ἄμπελον ποιεῖ ἡ τοῦ σιδήρου θίξις. vbi Varronis locum I. 31. 2. poſuit Niclas: *In vitiario primitus cum exit vitis tota reſecari ſolet, vt firmiore ſarmento e terra exeat, atque in pariendis colibus vires habeat maiores.*

5. *nepotem*] Vide notam ad cap. 24. ſ. 18.

Cap. VII. *tempeſtiuitas*] Palladius Maio 2. *Hoc menſe pampinari conuenit. ſed tunc eſt opportuna pampinatio, cum teneri rami digitis ſtringentibus crepabunt ſine difficultate carpentis. haec res vuas efficit pinguiores et maturitati conſulit ſolis admiſſu.* De pampinationis tempore iterum infra cap. 27 et 28. Ceterum incluſum *ea* deeſſe in Sangerm. teſtatur Gronouius.

ſi reuellere coneris] Haec veluti ſuperuacua et ſpuria deleri voluit Vrſinus, incluſit Geſner.

2. *inareſcit*] Vrſinum, *increſcit* legentem, recte Geſner refellit. Reſeces ſunt, qui alibi pollices. Ceterum a verbis *ſed aeſtiuis* nouum exorditur caput Bruſchiana.

paulum a matre recidendi] Hanc vulgarem lectionem nec ſuſpectam quiſque adhuc habuit, nec qui interpretaretur, repertus a me eſt. Scio quid ſit recidere a matre; ſed quid ſit paulum recidere a matre, ignoro. Certe latine non dicitur ita, quod locus et ſententia poſtulat, prope a corpore matris palmitem nouum eſſe recidendum inſtar reſicis. Igitur ad Edd. primas regreſſus verae lectionis veſtigia haec reperi: *adhiberi neceſſe eſt, id paulum ab ipſa matre recidendum eſt.* Scilicet parua cum mutatione, omiſſo tamen pronomine

nomine inutili *id*, legendum esse putaui *necesse est*, *paulum a matre recedendum est*. Reliqua emendatione non habent opus, potius interpretatione sunt adiuuanda. Videlicet palmites recisi parua a corpore matris distantia instar resecum habebunt, itaque veluti reseces relinquuntur. Similem corruptelam in eodem verbo indicabo ex cap. VI. s. 2. *nam siue prope truncum defigitur palus pedali tamen spatio recedendum est*. vbi Edd. primae cum Sang. *recidendus est* exhibent perquam inepte. Non dubitaui igitur antiquam lectionem restituere, incluso tamen pronomine. Infra cap. 8. sect. 2. *recedere ab ipso codice instar vnius digiti spatio conueniet* dedit Gesner, vbi libri omnes *recidere* exhibebant inepte scriptum. Cap. XI. s. 3. *cum a terra recideris* male est in Edd. primis et Sang. cum esse deberet *ad terram*, quod ipse Columella antea dixerat *solo tenus*.

palmites] Recte hanc antiquam lectionem reuocauit Gesner. Vulgo *palmitis*.

3. *anniculo*] Ita ex libris pro *adminiculo* et deinceps *bimo* pro *bino* scripsit Gesner. In vulgata *adminiculo* Pontedera volebat addi *si in eo velimus adminiculo vti*. Geoponica V. 3. de vitiario: τινὲς δὲ τῷ δευτέρῳ ἔτει ἢ τῷ τρίτῳ μεταφυτεύουσιν. ἔστιν γὰρ γενναιότερα τὰ φυτὰ τριετῆ μεταφυτευθέντα. Trimam eximit vitem Cato c. 47.

Cap. VIII. *quos iure maxime*] Hanc librorum optimorum lectionem vulgatae: *quos in re rustica maxime* praefert necum Pontedera.

Post idus] Palladius Octobri 5. *post Idus Octobris ablaqueanda est omnis nouella vinea, seu in pastino, seu in scrobibus aut sulcis, vt amputentur radices superuacuae, quas produxit aestate; quae si conualuerint, inferiores radices faciunt interire, et ita remanebit vitis in summitate suspensa; quae res eam frigori obnoxiam faciet et calori. Sed hae radiculae non ad siccum debent recidi, ne aut plures inde nascantur, aut noua plaga corpori vitis impressa, vi secuturi algoris vratur. recidemus autem relicto digiti spatio: etsi placida ibi hiems est, apertas relinquemus radices: si violenta ante Decembres Idus operiemus: si praefrigida, aliquantum columbini stercoris sub ipsa hieme circa viticularum vestigia largiemur, quod contra frigus nimium Columella dicit toto faciendum esse quinquennio.* vbi magnam lectionis varietatem ex Crescentio et Vincentio apposui, quam comparabis, etsi nihil inde ad crisin nostri loci pertinere videtur.

aesti-

aestiuas] Nostri vocant *Tagwurzeln, Thauwurzeln.* In locis tamen humidis, vbi radices altius penetrare nequeunt, radiculas has relinquendas esse et potius in latitudinem explicandas recte monent Geoponica V. 21. Cf. ad Caton. c. 61. et nostrum XI. 2. 19.

2. *adleuanda plaga*] non propius codicem adradendam esse dixit Arbor. c. 5. f. 3. In reliquis scilicet arboribus vsque ad truncum putationem adhibemus et plagam laeuigamus; contra fieri iubet in radicibus praecidendis Columella. Itaque malim transpositis verbis legere: *minime applicandum ferramentum ipsi matri, minimeque adleuanda plaga est.* Sangerm. liber verba *ablaqueanda* (pro *adleuanda*) et *applicandum* permutauit loco.

si iuxta truncum] Hinc patet, in Palladio legi debere: *sed hae radiculae non ad truncum debent recidi.* vbi pro *sicum* vulgato Vincentius *situm* alibi *surcum* habet. Crescentius *stipitem.*

recedere] Ita cum Vrsino scripsit Gesner. Palladius: *recidemus autem relicto digiti spatio.* Ita infra IV. 16. 2. *pedali spatio recedendum est.* Colum. Arbor. V. *ne codicem laedas, sed potius instar digiti vnius a matre relinquas et ita radicem reseces.*

3. *coaequandi*] Ita ex libris scripsi pro *aequandi.* Palladius *operiemus* dixit. Noster Arb. 5. *ante aequinoctium vernum, quod est octauo Cal. April. ablaqueationem adaequato.* Coaequare scrobem dixit Palladius III. 10. 3. quod Columella Arbor. VII. 6. complere, vbi Magonis de scrobe complenda traditur sententia.

radicibus superfundes] *sub ipsa hieme circa viticularum vestigia largiemur.* Palladius. Noster Arbor. c. 5. *Peracta ablaqueatione ante brumam tertio quoque anno macerati stercoris, ne minus sextarios binos ad radices vitium posuisse conveniet, praeterquam columbinum, quo si quid amplius quam heminam posueris, viti nocebit.* vnde apparet *senos sestarios* h. l. esse redigendos ad *binos.* Sed ecce nostrum XI. 2. 87. *vineis ablaqueatis columbinum stercus ad singulas vites, quod sit instar vnius sextarii, vel vrinae hominis congios, vel alterius generis quaternos sextarios stercoris infundere.* Ceterum miraberis mecum a Gesnero h. l. *sestarios* alibi in *sextarios* mutatos. Ita supra cap. 1. f. 2. *duricie* dedit cum Victorio, is reliquis locis *duritie.*

4. *eius operis labor*] Inclusi *eius operis* quia hanc Sang. lectionem a Gronouio relatam reperi: *Operis dum vitis convalescat, vbi vero truncus adoleuerit fere triennio labor inter-*

mittendus esset. Aliter tamen Ernestiana Collatio. Scilicet spurium vocabulum primum in margine positum deinde in alienum locum illatum est.

Cap. IX. *transuersa cicatrix*] Palladius III. 12. 6. *plaga non iuxta gemmam, sed aliquanto superius fiat et auertatur a gemma propter lacrimam defluentem.* Plinius 17. c. 35. no. 19. *plagam omnem obliquam fieri, vt facile decidant imbres, et ad terram verti quam leuissima cicatrice acie falcis exacta, plagaque conlaeuata. Recidi autem semper inter duas gemmas, ne sit vulnus oculis in recisa parte.* vbi rectius vetus Codex *ne sit vulneratus oculus.* Idem sect. 37. no. 7. *Vitibus praeter vermiculationem et sideratione morbus peculiaris articulatio, tribus de causis: vna vi tempestatum germinibus ablatis, altera, vt notauit Theophrastus, in supinum excisis, tertia culturae imperitia laesis. Omnes enim earum iniuriae in articulis sentiuntur.* Quae Theophrastus IV. 16. ὅταν ὑπὸ πνευμάτων βλαστοκοπηθῇ ἢ ὅταν τῇ ἐργασίᾳ συμπάθῃ ἢ τρίτον ὑπτία τμηθῇ. Deinde Plinius de simili malo: *aegrotant et cum alsere laesis vredine attonsarum oculis. et calore hoc euenit intempestiuo, quoniam omnia modo constant certoque temperamento.* Quae sic Theophrastus l. c. ἔνια δὲ καὶ ῥιγώσαντα νοσεῖ καθάπερ ἡ ἄμπελος· ἀμβλῶνται γὰρ οἱ ὀφθαλμοὶ τῆς πρωτοτόμου (vitis mature putatae) καὶ πάλιν ὑποθερμανθέντα. ζητεῖ γὰρ καὶ τούτων τὴν συμμετρίαν ὥσπερ τῆς τροφῆς. Est ergo haec vredo, cum in vite vere primo putata oculi insequente gelu postea vero solis ardore coecantur. Articulatio vero fit, cum supina putatione, quam Columella transuersam dicit, humor consistens articulum putrescere facit. σιμοτομεῖν Geoponic. V. 17. 6. non est oblique putare, sed angustè, si locus vitio caret. Nomen morbi τραγῶν, quod habet Theophrastus, Plinius articulationem interpretatus est, ab initio mihi videbatur vitiosum, quod Aristoteles τραγῶν hircire ait vites, cum foliis et palmitibus luxuriant. Nunc vero aliter sentio, postquam legi in Polluce VII. 152. et X. 101. in vite dici ἐπιτράγες θυμάλωπας. Hoc posterius vocabulum carbones semiustos significat. Videtur igitur τράγος dici morbus seu τραγῶν vites cum frigore adustis gemmis fructiferis foliis et palmitibus sterilibus luxuriant. Etymologicum magnum ἐπιφυλλίδας interpretatur ἐπιτράγες τὰ πρὸς τὰς βότρυς. Videntur igitur folia dici, quae locum gemmarum fructiferarum adustarum frigore occupant, ἐπιφυλλίδας. Furunculum Latini, teste Celso V. 28. 8. dicunt tuberculum acutum cum inflammatione; huic similis gemma,

vnde

vnde germen sine fructu prorumpit, dicitur in vite; nam gemma fructifera amplior et minus acuta est. Forte igitur tales gemmas et inde prorumpentia germina Graeci θυμάλωπας, ἐπιτράγους et ἐπιφυλλίδας dixere.

depluens] Ita recte libri optimi pro *defluens*. Palladius I. 6. 9. *omnis incisura sarmenti auertatur a gemma ne eam stilla, quae fluere consueuit, extinguat.*

caecat] Eadem metaphora satis argute vsus est Palladius I. 6. 11. Graecum ἐκτυφλῶν Geoponic. V. 22. comparauit Gesner. Sed antiquiores Graeci agricolae ἀμβλύνειν de vitis oculo caecato proprie dicebant, teste Hesychio h. v.

Cap. X. *nisi si*] Sangerm. liber si omittit. Deinceps idem omittere dicitur *sunt*; nescio post *in valida* an post *quo (sunt) posita.*

3. *verna*] Ita scribi voluit etiam Morgagni, addicentibus libris. Palladius III. 12. 7. *pars vinearum quae septentrionem spectat, verno putetur, alia pars aduersa clementioribus plagis, recidatur autumno.* Ceterum in Gesneriana verba *nam vbi — eligenda est* exciderant, restituta a me ex Brusch. et Aldina.

Cap. XI. *quoniam reformident*] Ita libri optimi pro *quod aciem reformident.* Vsum loquendi docebit Index. Geoponica V. 3. vbi malleoli in vitiario cura traditur, eandem opinionem ita tradunt: ναρκᾶν γὰρ τὴν νεαρὰν ἄμπελον ποιεῖ ἡ τοῦ σιδήρου θίξις. Quinctilianus II. 4. 11. *Quod etiam rusticis notum est, qui frondibus teneris non putant adhibendam esse falcem quia reformidare ferrum videntur et cicatricem nondum pati posse.*

timuerunt] Virgilii locus Georg. II. 362. Catonis cap. 33. 2. quibus adde Varronem I. 31. *Ideo in vitiario primitus cum exit vitis, tota resecari solet, vt firmiore sarmento e terra exeat et in pariendis colibus vires habeat maiores.* Veterem rationem sequitur Plinius VI. cap. 22. *viuiradix posita in vinea post annum resecatur vsque ad terram, vt vnus tantum emineat oculus, adminiculo iuxta affixo et fimo addito. Simili modo et secundo anno recidittur viresque concipit et intra se pascit suffecturas oneri; alias festinatione pariendi gracilis atque eiuncida, ni cohibeatur castigatione tali, in foetum exeat tota.*

2. *formare*] Male Vrsinus corrigebat *firmare*, recte monente Gesnero. Palladius Febr. 15. *nouellam vitem Colu-*

mella dicit a primo anno ad vnam materiam esse formandam, nec recidendam totam, sicut Italiae consuetudo est, anno secundo expleto, quia vel intereant vites in totum recisae, vel infoecunda sarmenta producant, quae amputato capite velut pampinaria de duro coguntur exire: quare iuxta ipsam commissuram veteris sarmenti vnam vel duas gemmas relinquendas: quod est merito in viticula fortiore seruandum, et sane excipiendam calamis nouellam, vel exiguis palis, vt tertio anno robustiores possit accipere.

silueſcere] Cato apud Ciceronem de Senectute cap. 15. *ferro amputans coercet ars agricolarum ne silueſcat ſarmentis et in omnes partes nimia fundatur.* Vide ad Caton. cap. 33. 2.

rationi contrarium] Addidi ex Goesiano vocabulum, quod pluribus in locis Columella omisit.

3. *ad terram*] i. e. solo tenus, vt antea dixit. Male igitur *a terra* Edd. primae cum Sang. Nec omnino dici possunt malleoli recidi vel decidi a terra, sed a duro, a radicibus reciduntur. Vide ad cap. 7. sect. 2.

4. *adnodato pollice*] Ex Sang. libro hanc lectionem annotauerat Gronouius. Vulgo *annotato*, quod non miror vulgares Interpretes omisisse, cum verba magis quam culturam vitis in legendo et explicando Columella sequerentur. Quid sit adnodare pollicem vel resecem in putanda vite, satis iam ex superioribus constabit lectori.

supra] Ita recte Iucundus vulgatam *iuxta* correxit; et in Polit. libro est super. In antiquis vinitoribus reprehendebat antea Columella hoc ipsum, quod malleoli superficiem solo tenus iuxta ipsum articulum recidebant; ipse igitur *supra* articulum resecat, duabus aut vna gemma relicta. Ceterum *relinquamus* legi deinceps debere, recte admonuit Vrsinus.

Cap. XII. *de vepribus hastilia*] Ita egregie Sang. pro *vetera deponemus hastilia.* Plinius 17. s. 35. no. 27. *gracilitate singulorum* (vitium) *firmata circumligatis hastilibus.* Virgilius Georg. II. 358. de vinea: *tum laeues calamos et rasae hastilia virgae fraxineasque aptare sudes furcasque valentes, viribus eniti quarum et contemnere ventos adsuescant, summasque sequi tabulata per vlmos.*

2. *paulum infra*] Sang. *palum infra.*

in vnam partem] Restitui lectionem antiquam. Vulgata *imam* contraria est sententiae Columellae; is enim statim subiicit: *idque iugum intra quartum pedem conuenit allevari.*

vari. Ita enim altitudo iugi definita est, quae non conuenit cum ima parte ordinis. Sed *vnam* partem ordinis dixit, quod iugum simplex dicere volebat, seu canterium. Noster V. cap. 4. sect. 1. *quae pedaminibus adnixae singulis iugis imponuntur, eas rustici canteriatas appellant.* Varro I. 8. iugationem directam vocat, cui compluuiatam opponit, seu iugatam in longitudinem et latitudinem. Canterius igitur in vnam partem ordinis dirigitur, in quatuor compluuiatum iugum.

intra quartum pedum] At cap. 14. sequitur de malleolis: *Iis, vt dixi, canterius propius a terra quam vitibus ordinariis submittendus est: neque enim editior esse debet pedali altitudine.* Numerus igitur pedum mihi suspectus est de vitio in hoc nostro loco.

corroboret] De varietate lectionis vide infra ad V. 5. 6. Ceterum prima capitis sequentis verba recte cum Vrsino distinxit Gesner.

Cap. XIII. *qui adnectit*] Haec verba cum Vrsino spuria censuit et inclusit Gesner.

2. *desectus iuncus*] Pontedera malebat *delectus*, quoniam non quoduis iunci in paludibus crescentis genus vtile sit vinculo. De vario vinculorum genere vide et infra ad cap. 31. s. 1. Plinius 17. s. 35. no. 26. *Quin imo etiam quibus salices superfunt, molliore hoc vinculo facere malunt, herbaque, Siculi quam vocant ampelodesmon: Graecia vero vniuersa iunco, cypero vlua.* Siculam herbam sub nomine arundinis ampelodesmi descripsit et pinxit in tab. XII. Fasciculi II. Plantarum rariorum Neapolitani regni anno 1788. editi Dom. Cyrilli. Ex ea hodie in Sicilia cribra, retia funesque nectunt, vitibusque eandem alligandis adhibent.

Cap. XIV. *Iis, vt dixi*] Ita legendum esse pro *Is* monuit Gesner.

vt sit quem] Vulgo *quo.* Deinceps I. B. Br. R. *capulis suis prolixius illigent, nec ventis.* Sangerm. solum *nec ventis* habet. Sed Polit. *capreolis suis causa proleissius inligent, nec ventis.* vbi in varietate mira scriptura latet vocis *capulis* varietas *capreolis.* Varronis Etymologia I. 31. s. 4. a capiundo ducta capreoli manifeste ducit ad *capulum*, quem sequior aetas mutauit in *capreolum.* Fuit igitur h. l. olim scriptum *capulis suis* (in aliis *capreolis suis*) *illigent.* Inepte Iucundus edidit *quo — pampini se capreolis illigent suis.* Ex

Sang. laudat Gronouius ſcripturam hanc: *quem t. a. p. capreolis ſuis illigent, nec.*

Cap. XV. 1. *nec mox vineam tum*] Recte Vrſinus emendabat: *mox vinetum ſubſeri.*

2. *mergi genus*] Palladius Febr. 16. *mergum dicimus, quoties velut arcus ſupra terram relinquitur, alia parte vitis infoſſa.* Geoponica IV. 3. vocant ἐμβροχάδα mergum. Sed eadem V. 18. ἀπώρυγα vocant, et tertio anno tranſferunt mergum.

exarcucitat] Infra cap. 20. 3. *curuatura iuxta vinculum materiam exprimit.* et cap. 24. 13. infra *vinculum deflexarum materias exprimes.*

3. *inſecatur*] Ita et Plinius loco deinde laudando. Hunc morem Bithyniae etiam agricolis fuiſſe teſtatur Didymus Geoponic. IV. 3. alii praeſecabant totum mergum altero anno.

Bima] Palladius III. 18. *mergi vero poſt biennium reciduntur in ea parte, quae ſupra eſt, et in loco iuſtas vites relinquunt. Sed vt agricolae aſſerunt poſt biennium ſi recidas, plerumque infirmas habent radices et repente ſimul pereunt.* vbi poſt *biennium* inſere ex h. l. *vere.* Idem Nouembri 2. *ante Idus nunc mergus, hoc eſt, propaginis curuatura poſt triennium, quam preſſa fuerat, recidetur a vite.* vbi legendum eſt *biennium.* Plinius 17. ſ. 35. no. 23. de propagatione in arbuſto: *Poſt annum propago inciditur ad medullam, vt paulatim radicibus ſuis aſſueſcat; caulis a capite ad duas gemmas reciditur; tertio totus mergus abſcinditur reponiturque altius in terram, ne ex reciſo frondeat. Tolli viuiradix a vindemia protinus debet.* Denique hunc noſtrum locum expreſſit Palladius Octobri 6. *hoc tempore idcirco locis, quibus dixi, propagatio melior eſt, quia firmandis radicibus vitis incumbit, cum proferendi palmitis eam cura non permouet.*

ad imum ſolum] ſcilicet ſcrobiculi; opponitur ſummae terrae.

Cap. XVI. 2. *pedali*] Plinius 17. ſ. 35. no. 19. *Pedamentum quidam inter duas vites* (medio interordinio noſter) *vtilius putant ſtatui: et facilius ablaqueantur ita — in quadripartita quam proximum oneri adminiculum eſſe debet, ne tamen impedimentum ſentiat ablaqueatio, cubito abeſſe non amplius.*

3. *Aqui-*

3. *Aquilonum*] Varro I. 26. *in omni vinea diligenter obseruant, vt ridica vitis ad septentrionem versus figatur.* Contra Plinius 17. f. 2. cuius locum supra posui ad III. 12. 5. Palladius Martio 7. *Palus maioribus vitibus solidus, minoribus ponatur exilis. Propter vmbrae molestiam statuatur ab Aquilone et plaga frigida, spatio quatuor digitorum vel semipedis remotus a vite, vt possit ab omni parte circumfodi.* vbi Vincentius bis habet *violentiam* pro molestiam. Igitur etiam ex Palladio, vt ex loco Plinii supra posito suspiceris quaedam in hoc Columellae loco esse vitiosa; nisi vterque sua aliunde duxerit, quod tamen in vitium cultura non fecisse videtur Palladius. Geoponica V. 22. ἔστω δὲ μὴ λεπτοτέρα καλάμα τῶ γενναιοτάτα, ὅπως μηδὲ βαρύνοι μήτε σκιάζοι τὸ φυτόν. et palum probant decorticatum, propter insectorum insidentium rimas corticis noxam.

propius truncum] Ita vulgatam *truncus cum radica* monente Vrsino et confirmante libro Polit. emendauit Gesner. Eidem Vrsino paruit Gesner *pandantur* mutans in *pandentur.*

4. *cuius vnus palmes*] Infra Arbor. c. 5. *tertio anno vitem inquam formam voles, componito. Si iugatam eris facturus, vnam materiam submittito, ita, vt duas gemmas, quae sunt proximae a terra, falce acuta radas — deinde tres sequentes relinquas.* vbi Pontedera ex Edd. primis legi malebat *ima* et hoc nostro in loco similiter *imus.* Sed de nostro loco falsus esse videtur vir doctus; et de altero testatur locus Geoponic. V. 22. nihil esse mutandum; ibi enim eadem traduntur.

Cap. XVII. *arundines — iugantur*] Recte monuit Gesner, non iugari arundines, sed vites. Igitur legi malebat *arundine* vel *arundinibus.*

2. *neque enim*] Gesner monet legendum potius esse *neque vero.*

canibus ferisque] An legendum *ventis ferisque* ex cap. 20. 4. aut *vulpibus ferisque* sc. aliis ex Varrone I. 8? Vitium animaduertit etiam Gesner. Sed ecce Crescentius IV. 17. In quibusdam etiam locis nimias hominum et canum patiuntur insidias, quas diligenter die noctuque maturitatis tempore custodiri oportet etc. vbi plantari iubet species vitium sapore vuarum ingratas veluti *gnii arestam* et *gmaronum*, quas idem cap. 4. Gmarestam et *gimnaremum* vocat addens: et haec *non comeditur vua ab auibus vel canibus nec libenter ab hominibus* etc. Ipse etiam in vinea, quam ab aestate

ſtate ſoleo habitare, canem vinitoris depraedantem ſaepe vidi vuas.

quinquennii] Plinius 17. ſ. 35. no. 10. *ſaluberrima in iugo arundo connexa faſciculis, durat quinis annis.*

3. *patimur*] Praefero librorum quorundam lectionem *patiamur*, etſi vulgata poteſt defendi.

4. *ſtellam*] De ſtellata ſeu quadrata forma vide infra ad cap. 26. ſ. 3.

5. *citra iugum*] Ita recte Vrſinus, pro *circa* ſcribi voluit. Vide infra cap. 24. ſ. 11. Item cap. 21. *vt caput trunci pedali fere ſpatio ſit inferius iugo, quaterniſque brachiis, dividatur in totidem partes.*

per brachia emiſſum] Vulgatum *tenerum* ex libris optimis correxi. Deinde interpunctionem poſt *emiſſum* vulgo poſitam ſuſtuli et poſt *teneri eſt* poſui. Sententia eſt haec: vt quicquid e capite enatum eſt teneri, in modum brachiorum emittatur, prouocetur et diuidatur in totidem partes. In Lipſ. eſt: *emiſi vmbras hiemiſſimi prouocetur.* Forte *vmbrae* natae ſunt ex *humeris*, vt altero etiam loco infra V. 10. 7. Sexenni etiam viti putationem volunt Geoponica V. 22. ita adhiberi, vt viti pro viribus tres aut quatuor humeri (ὦμοι) relinquantur et ſingulis palmitibus adiungantur pali, quos ὠμοχάρακας appellant.

palmites ſubmittantur] In Pol. eſt *palmae.* Quare ſi mecum ex Lipſ. legeris *per humeros et brachia emiſſum provocetur — ne plures palmae* etc. Columella in metaphora permanebit. A Palma enim palmites ducti ſunt.

praedicta aetas laeto ſolo] Palladius Febr. 15. *nam quadrima nouella, vbi laetum ſolum eſt, tres materias merito nutrire cogetur.* Mihi vulgatum h. l. *truncoque* vitioſum eſſe videtur, aut ſuperuacuum.

6. *diſtinetur*] Libri optimi *diſtenditur.* Ita VI. 19. 3. *corpus temonibus diſtentum obligatur.* Sed praefero librorum ſcriptorum optimorum lectionem; etſi infra cap. 21. 2. in ſimili fere re: *quae ſupra hunc modum materiis diſtenditur.*

7. *vno iugo*] Plinius 17. ſ. 35. no. 19. *Pedamentum quidam inter duas vites vtilius putant ſtatui: et facilius ablaqueantur ita meliuſque eſt vni iugae vineae, ſi tamen et ipſi iugo ſint vires, nec flatu infeſta regio. In quadripartita quam proximum oneri adminiculum eſſe debet; ne tamen impedimentum ſentiat ablaqueatio, cubito abeſſe non amplius: ablaqueari autem prius, quam putari iubent.*

8. *pam-*

8. *pampini iungantur*] Vrsinus legi voluit *iniugentur*. Infra cap. 21. 2. *est singulis brachiis licebit bina iniungere flagella*. vbi antea erat *iungere*. Malim itaque etiam h. l. *iniungantur*. Paulo antea etiam pro *adiungentur* Edd. I. B. R. *adiungantur* habent.

pluuiis] Ex libris optimis addidi vocabulum, suadente etiam Pontedera, vt siccis pluuiae regiones opponantur.

Cap. XVIII. *saluberrimas*] Antiquam lectionem monente etiam Pontedera restituit Gesner. Respexit Columella sententiam Lybici hominis ap. Aristot. Oeconom. I. 6. *πολὺ κόπρος ἀρίστη; τὰ τῆ δεσπότη ἴχνη.*

2. *sarcientibus*] Vrsino admonente vulgatum *sarrientibus* correxit Gesner.

Cap. XIX. *quatenus — leuandum sit*] Haec ex glossa orta esse suspicabatur Vrsinus.

annorum longum] Palladius I. 6. 10. *Vitis, quae ad iugum colitur, per aetates ad hoc perducenda est, vt locis molestioribus quatuor pedibus a terra, placidioribus vero septem summitas eius insurgat.*

2. *placidioresque*] Ita ex Lips. emendarunt Schoettgen et Gesner, approbante Palladio. Vulgo *humidioresque*.

euocari] Vitium vulgatae senserat etiam Schoettgen; recte igitur *euagari* mutari voluit in id verbum, quod posui, monstrante Pol. veram lectionem. Palladius III. 12. *in locis laetis et clementioribus altius vitem licebit expandere*. Sed male is vsus est verbo *expandere*. Ceterum etiam hic Palladii locus lectionem *placidioresque* firmat.

3. *accliuis*] Palladius: *in exilibus aut aestuosis aut decliuibus aut procellosis humilior est habenda.*

Cap. XX. 2. *alliduntur*] Ita ex libris optimis dedit Gesner pro *alligantur*, et comparauit locum Plinii 26. s. 22. *vbi alluit vnda*. Ante Gelenium enim legebatur ibi *allidit vnda*. In definitione litoris Aquiliana apud Ciceronem Topic. c. 7. et Quinctil. V. 14. 34. *litus est qua fluctus eludit* meliores Codices habere monet *allidit* vel *elidit*. In Cicerone de N. D. II. 39. malebat etiam Gesner: *mare terram appetens litoribus allidit* vel *elidit*, quam quod editur *cludit*. Denique annotat in editione Isidori 1472 et 1489. Libro IV. 8. legi: *dictum litus quia fluctu eliditur, vel quod aqua alluitur Cicero in Topicis: litus est aqua, quam fluctus eludit.*

ſalebris] Beroaldus malebat *ſalebra*, Vrſinus *ſalebrae retardant.*

3. *quod proximum iugo*] Vitium in ſtructura verborum vidit etiam Geſner, et emendabat legendo *quo*. Sed ne ſic quidem locus ſanus erit. Quid enim ligatum eſſe dicitur? Vitis. Igitur debebat eſſe *ligata*. Vbi deinceps ligata fuit vitis? in ſummo palo. Quaeritur nunc, ex quo loco vitis brachia ſint in iugum appoſitum diducenda, poſtquam ipſum corpus ſummo palo fuit alligatum. Quod quaerimus, latet in vitioſis verbis. Edd. primae habent *proximum iugo lignum*, quod Iucundus inepte in *ligatum* mutauit. In ſummo enim palo vitis ligatur; brachia ab eo loco diducenda ſunt, qua proximum iugum attingunt, igitur inferiore vitis parte. Caput vitis citra iugum pedali ſpatio compeſcere iubet ſupra cap. 17. ſect. 5. et cap. 21. *vt caput trunci pedali fere ſpatio ſit inferius iugo, quaterniſque brachiis diuidatur in totidem partes.* Ita etiam noſter cap. 24. ſ. 11. Quare h. l. malim: *ex eo loco, qui proximus iugo eſt, ligata brachia diſponuntur in diuerſas partes.*

curuantur] Vitium loci arguit mira lectionis varietas. Hoc in aperto eſt, Aldinam lectionem praeferendam eſſe, hac fere ratione ordinatam: *curuantur; atque id, quod a vinculo dependet iugo.* Palmites enim antequam deorſum curuentur, alligandae ſunt in iugo. Deinceps malim: *rurſus curuatura infra vinculum materiem exprimit.* Noſter infra cap. 24. ſ. 13. *vbi palmas ligaueris et in terram ſpectantes deflexeris, infra vinculum materies exprimes.* Plinius 17. ſ. 35. no. 13. *Palmes duas treſue gemmas ſub iugo habere debet, ex quibus materia naſcatur: tunc per iugum mergi alligarique — vinculo nox adſtrictus a tertia gemma alligari; quoniam et ſic coercetur impetus materiae, denſioreſque citra pampini exſultant; cacumen religari vetant. Natura haec eſt: deiecta pars aut praeligata fructum dat, plurimumque ipſa curuatura. Quod citra eſt, materiem mittit, offenſante, credo, ſpiritu, et illa, quam diximus medulla. Quae ita emicuerit materia, fructum dabit anno ſequente.* Ita recte Brotier dedit ex Codd. et editione principe, vbi Harduinus dederat *crebro ſpiritu.*

Cap. XXI. *haec brachia — ſubmitti*] Debebat eſſe *His brachiis — ſingulos palmites ſubmitti.* Nam brachia ipſa diriguntur, eiſque deinde palmites *ſubmittuntur, dimittuntur, immittuntur, iniunguntur.*

2. *iniungere*] Palladius III. 12. *locis pinguibus ſingulis brachiis vitium bina flagella dimitte — plus quam octo palmites*

tes habere non debet. ad quem locum, in reliquis verbis mire vitiosum, vide notam.

admodum nimia] Forte excidit vocabulum aliquod inter *admodum* et *nimia.*

3. *pergulae*] Proprie dicebatur pars aedium proiecta in viam, vbi magistrorum scholae publicae erant. Vide praeter Gesneri Thes. L. L. Valesii Emendat. p. 56. Hinc vitis pergulana dicitur.

praefracta] Vulgatum *perfracta* correxi. Saepius in his libris hae duae voces permutatae reperiuntur.

pollicem] Breuiorem materiam ita resectam in spem futuri anni furunculum appellabant. Vocabulo eodem de vlmo putanda arbustiua vsus est noster V. 6. sect. 16. *in frondatione cauendum ne aut prolixiores pollices fiant, qui ex amputatis virgis relinquuntur, aut rursus ita alleuentur, vt truncus ipse laedatur.* Simile aliquid faciunt vinitores Sueui et Rhenani, qui vitis sarmenta in arcus curuare solent. Sarmenta enim alia in arcum submittuntur longiora; praeterea palmites alii submittuntur et resecantur in variam longitudinem, quibus vti possint sequentibus annis in arcum, aut plane resecare. Eiusmodi palmites praesidiarios longiores, qui plus quam 4 gemmas habent, vocant *Kunkel*, i. e. colum, alii *Flaschenträger*, i. e. lageniforum; cui quatuor aut tres gemmas relinquunt, appellant *Hinterzapfen*, vel *Zapfen*, i. e. conum, quasi epistomium; breuissimum vnius aut duarum gemmarum vocant, *Stift*, *Steft*, i. e. ligulam vel cauillam (*cheville*). Omnes vero eiusmodi reseces palmites communi nomine complectuntur *Schnitte*, i. e. sectiones, seu *Zapfen.* Vide Sprengeri Cult. Vinear. p. 332.

vetusti brachii] Vrsinus malebat: *vetusta brachia.* Sed recte vulgatam defendit Gesner.

pullulascit] Qui infra sect. 5. Cap. XXII. reliquit *repullescant* Victorius, nescio qui h. l. damnare potuerit antiquum *pullescit.* Iterum cap. XXIV. s. 4. est *sobolem repullescentem.*

Cap. XXII. *si tamen palus*] Ita vulgatam *sub iugum mitti. Si autem* (vel *tamen*) *palus trunco est applicitus, is a vite submouetur* correxit et distinxit Gesner. In Sangerm. est: *si iam palus.*

3. *exesa*] Palladius Febr. 16. *sed vetus et exesa vinea, cuius duramenta longe processerunt, vt Columella dicit, mergis melius reparabitur, quam si infossione totius corporis obruatur quod agricolis certum est displicere.* Ceterum Theophra-

phraſtus H. P. IV. 15. memorat rationem vineae veteris reſtituendae, quam h. l. ponam, etſi ſatis eam non intelligo ὅταν ἤδη δοκῇ καταφέρεσθαι (cum incipit degenerare) κλήματά τε ἐπιβάλλειν, (ſarmenta immitti debere) καὶ καρπῶσθαι ἐνιαυτόν. et fructum vnius anni percipiendum,) μετὰ δὲ ταῦτα κατασκάψαντα ἐπὶ θάτερα τῆς ἀμπέλε περικαθῆραι πάσας τὰς ῥίζας. (Deinde alteram vitis partem (alterum crus) defodere, radicibus omnibus purgatis.) εἶτ' ἐμπλῆσαι φρυγάνων καὶ ἐπαμήσασθαι τὴν γῆν. (deinde virgultis ingeſtis (ſcrobi puto) terram adaggerare.) τέτῳ μὲν ἓν τῷ ἔτει κακῶς φέρειν σφόδρα, τῷ δ' ὕστερον βέλτιον. τῷ δὲ τρίτῳ καὶ τετάρτῳ καθίστασθαι καὶ φέρειν πολλὰς καὶ καλάς. ὥστε μηδὲν διαφέρειν ἢ ὅτι ἤκμαζεν. (Illo quidem anno male admodum ferre aiunt; altero melius; tertio et quarto conualeſcere, ferreque multas et bonas vuas, vt non alio modo ſe habeat, quam cum vigebat.) Deinde cum iterum langueſcere incipit, partem alteram ſuffodiendam et ſimiliter curandam eſſe, atque ita ſemper durare affirmant. Id autem decimo quoque anno fieri debere; ita non opus eſſe vitem recidere, ſed eoſdem caudices per multas hominum aetates durare. Videtur omnino Theophraſtus vitis arbuſtiuae ſternendae atque ita renovandae rationem docere, quam Galli hodieque frequentant, et in Germania reuocauit Gaupp. Vide Sprengerum p. 203 et 419.

vitis poſſit] Palladius Nov. 3. *vinea vetus quae in iugo eſt, ſi robuſta et integro trunco ſit, ablaqueata fimo ſatietur, et anguſtius putata inter quartum et tertium pedem a terra viridiſſima parte corticis acuto ferramenti mucrone feriatur, ac foſſa frequentius incitetur. Nam, ſicut aſſerit Columella, ex eo loco germen plerumque producit, et veniente vere fundit materiam, qua vitis reparetur antiqua.* vbi Creſcent. recte habet *intra quartum* quod et h. l. reſtituere malim.

4. *abnodatus*] Varietas eadem eſt infra cap. 24. ſ. 18. *adnodari*, *annodari* et *abnodari* libri offerunt.

5. *ſupra quartum*] Palladius Martio 7. 3. *vineas veteres nunc aliqui a terra altius truncant, ſtudentes reparationi. ſed vitioſum eſt; nam plerumque vaſtior plaga ſole putreſcit et roribus. Quare hoc genere reparetur. Prius ablaqueabitur altius, donec eius nodus appareat; deinde infra terram ſupra nodum recidatur, vt operta de frigore et ſole nihil timeat. Hoc faciendum, ſi optimi generis vitis ſit, et alte poſita; alioquin generoſis melius erit inſerenda ſarmentis.* vbi poſtrema ſunt repetita ex libro de Arbor. VI. ſect. 4.

7. *la-*

7. *labantes*] Ita dedit Gesner; ego malim *natantes*. Arbor. cap. 6. *veterem vineam si in summo radices habebit, resecare nolito; alioquin etiam nouella vinea, quae ex resectione renata fuerit, vim inutilem habebit, prima parte terrae natantibus radicibus. quamobrem neque fructum vberem percipies, et nihilominus celeriter consenescet.*

atquae] Ita cum Pontedera scripsit Gesner pro *atque*. Quod deinceps idem ediderat *eae deficient*, minus necessaria mihi videbatur emendatio. Itaque veterem lectionem restitui. Videntur tamen quaedam excidisse, quod suspicor ex loco de Arboribus supra posito.

8. *sterilitas terrae*] Ita emendandum esse h. l. vidit Vrsinus. Vulgo erat: *sterilitas, terra salsa vel amara, vligo*. Recte comparauit vir doctus locum II. 9. *solet autem salsam nonnunquam et amaram vliginem vomere terra*. Similiter III. 1. salsum et amarum terrae humorem radicibus noxium memorat.

vallis, arenosus] Ita h. l. correxi adiuuantibus libris optimis ex Palladii loco I. 5. *in terris quaerenda foecunditas: ne alba et nuda sit gleba, ne macer sabulo sine admistione terreni, ne creta sola, ne arenae squalentes, ne ieiuna glarea, ne aurosi pulueris lapidosa macies, ne salsa vel amara, ne vliginosa terra, ne tofus arenosus atque ieiunus, ne vallis nimis opaca et solida, sed gleba putris* etc. vbi Crescentius habet *squalida* pro *solida*, probante Pontedera Columella XII. 50. 13. a ventis auersum; a sole XII. 44. ab amoribus XI. 1. 14. contubernio XII. 1. 2. dixit, et Gesneri Index h. l. laudat *sole auersus*, quod restitui malim. admissario adscendenti se auertere est VI. 37. 10.

9. *Illa rursus mali*] Eadem de Arboribus c. 6. s. 5.

Cap. XXIII. *mitis*] Verba *mitis ac temperata*, vt superflua deleri volebat Vrlinus. Plinius 17. s. 35. no. 19. *Protinus hanc a vindemia, vbi coeli tepor indulget, adoriuntur. Sed hoc fieri nunquam debet ratione naturae ante Aquilae exortum — immo vero Fauonio, quoniam anceps culpa sit praeproperae festinationis. Si saucias recenti medicina mordeat quaedam hiemis ruminatio, certum est gemmas earum frigore hebetari plagasque findi, et coeli vitio exuri oculos lacryma destillante. Nam gelu fragiles fieri, quis nescit. Operarum ista computatio est in latifundiis, non legitima naturae festinatio. Quo maturius putantur aptis diebus, ea plus materiae fundunt; quo serius. eo fructum vberiorem. Quare macras prius conueniat putare, validas nouissime.* vbi male editio

tio romana et aliae *in latifundiis vero:* quod temere probavit Pintianus. Palladius I. 6. *Vitem si maturius putes, plura sarmenta, si serius, fructus plurimos consequeris.* Eadem de putatione autumnali et verna promittunt Geoponica III. 14.

2. *Idus Februar.*] Palladius III. 12. *hoc mense locis frigidis aliquatenus et temperatis vitium iusta putatio est. Sed vbi multae sunt vineae, diuidantur; et pars earum quae septentrionem respiciet, verno putetur; alia pars aduersa clementioribus plagis recidatur autumno.*

Cap. XXIV. *Quandoque*] Ita hic et supra II. 10. 16. pro *quandocunque* habet cum alia Sangerm. liber, vt testatur Drakenb. ad Liuium T. I. p. 131. In collatione edita ab Ernestio varietas haec h. l. omissa fuit.

tria] Palladius I. 6. 3. *in vitibus putandis tria consideranda sunt, fructuum spes, successura materies, locus qui servet ac reuocet.*

2. *in partibus vitium*] Lectionem quam ex Sang. dedi, probauit etiam Pontedera.

inarescere] Ex mira librorum inprimis Sang. varietate Heinsius Aduers. III. p. 395. efficiebat *fructum immucescere*, vel ex vulgata corrigit *marcessere* vel *inacessere.* Verum non cogitabat vir sagacissimus, caloribus vuas nec acescere nec mucescere, sed frigore vel potius humore, vel humida soli conditione. Igitur aliud quid latere videtur in illa varietate felicioribus ingeniis.

5. *Crura ipsa*] Palladius III. 12. *Circa crus quidquid nascitur amputandum est, si non desideret vinea reuocari.* vbi Cresc. *vitis renouari.* Vincentius etiam *renouari.* Noster infra sect. 14. *vt sic recisa vitis ac renouata intra iugum contineatur.* vbi libri alii *reuocata.* Nostro in loco praefero *renouari.*

trunci pars] Palladius: *quod si truncus vitis sole aut pluuiis aut noxiis animalibus est cauatus, purgamus quidquid est mortuum, plagasque eas amurca linimus et terra: quod proderit aduersum praedicta.* vbi Vincentius habet *amurca, alumine et terra replemus.* Pro *secta* in Pol. est *senecta*, in Lips. *euecta;* vnde Pontedera malebat legi *senecta* vel *solis.* Gesner *enecta.*

viridi cortice] Ineptissime Iucundus *codice* posuit. Codex est ima trunci pars terrae plerumque immersa. At Columella nunc post pedes de cruribus vitis loquitur. Deinde in ipso trunco pars aliqua esse debet, vnde cicatricem abduci

duci vult Columella, quae eſt cortex viridis ſub vetere ſecto et exeſo latens. Supra etiam cap. 22. ſ. 3. viridiſſima corticis parte trunci germen elicit per factum vulnus.

6. *Neque eſt difficile*] Haec verba mihi ſpuria videbantur et ex alieno loco huc immigraſſe. Quae enim difficultas eſſe poteſt in iis, quae deinceps memorat Columella? et ſi eſſet aliqua difficultas, tamen omitti omnino non poſſunt in hoc opere. Igitur continuabis ſuperiora: *ducat cicatricem: mox alleuatas plagas — linere.*

coaleſcit] quid? litura? at hoc ineptum! Igitur plaga, vulnus excidit. Vitium arguit etiam ſequens *fructum viridem* quem in *truncum* mutari voluit Geſner. At non truncus totus, ſed cortex trunci viridis ſeruari debet. Vides igitur, totum hunc locum mire vitioſum eſſe.

Cortex] Palladius: *cortex etiam reciſus et pendens a vite tollatur: quae res minorem faecem reddit in vino.*

muſcus] Palladius: *muſcus radatur vbicunque repertus.*

7. *ima parte*] Sang. *crate* Heinſius interpretabatur de parte, vbi vitis diuaricari incipit. Sed fortaſſe voluit *imo crure.*

in duro] Palladius: *Sed plagae, quas in duro vitis accipiet, obliquae et rotundae eſſe debebunt.*

coaleſcunt] Ita pro *conualeſcunt* ex libris ſcribi voluit etiam Pontedera.

contorta] Palladius III. 12. *auferenda ſunt lata, intorta debilia malis locis nata ſarmenta.* vbi libri variant inter *lenta* et *laeta.* Idem paulo poſt: *Deciſis, ſicut ſupra dixi, male natis omnibus et veteribus, nouellos et fructuarios ſerua.* Vides, etiam Palladium *recta* omiſiſſe; igitur auctoribus libris optimis incluſi. Sed *lata*, nec rotunda, πλατύτερον κλῆμα tolli iubent etiam Geopon. V. 8. 2. Quae ſint lata ſarmenta docui ex Pontedera in Tabulae tertiae interpretatione.

arida et vetera] Palladius: *Vngues etiam cuſtodum ſiccos et annotinos recide et omnia quae vetera vel ſcabra reperies.* Legit ergo *ſiccos et annotinos*, deinde *ſcabra* pro *arida.* Ceterum diuerſa notione σκορόδων ὄνυχας dixit Aetius, quos Galenus nucleos. De roſarum vnguibus vide ad Palladii VI. 13.

quatuor pedum] Palladius: *illae quae altius coluntur, vt in iugo vel pergula, vbi quatuor pedibus ſupra terram levatae fieterint, quaterna brachia habeant.*

7. *ſpectent decuſſati*] Vitioſa haec eſſe cenſeo et ſic corrigenda: *decuſſata iugo quatuor coeli partes.* Infra V. c. 5. ſect.

sect. 9. debrachiata vite: *in quatuor brachia diuidere, ita, ut omnem partem coeli singula aspiciant.* supra cap. 21. *quaternisque brachiis diuidatur in totidem partes.*

singulis vel] Vulgo deest *singulis.* Goes. *singulas.* Palladius: *Si macra vitis erit, in singulis brachiis singula flagella dimittimus: si pinguis, bina.* qui locus comprobat lectionem Lips. *pinguior* pro vulgato *plenior.* Pinguitudinem focanei habet idem Palladius III. 12. 2.

9. *meminisse*] Palladius: *sed prouidendum, ne in vna parte sint sarmenta, quae seruas; quod cum fit, vitis, tanquam si fulgure tangatur, arescit.*

humor assumitur] Recte Abr. Gronouius corrigit *absumitur.* Deinceps *pulgere* pro *fulgure* liber Polit. Fulgeratorem Ionem annotauit Gesneri Thes. L. L. A φλὸξ est *fulx, fulgis, fulger, fulgor, fulgur* et antiqua scriptura *pulger, pulgor, pulgur.* Sic ex graeco πλέκω antiqui *plectere* deinde *flectere* dicebant. *Plexum* et *plectere* in Columella seruauit liber Polit. et Sangerm.

10. *Focaneus*] Palladius III. 12. *Focaneus etiam, qui inter duo brachia mediis nascitur, debet abradi: qui si pinguitudine sua brachium quodcunque proximum debilitauerit, illi deciso ipse succedat.* Vides igitur pro *adnodare* Palladium dixisse *adradere.*

11. *pede infra*] Ita recte Gesner scripsit ex libris pro *pendens.* Ita supra IV. 17. 5. *putatoris est pedali fere spatio citra iugum vitem compescere* et cap. 21. Pro *constituito* ex varietate libri Pol. et Sang. efficio *constituitur.*

proximas duro] Palladius: *relinquenda sunt sarmenta neque circa durum, neque in summo; quia haec velut pampinaria minus afferunt, illa vitem nimietate fructus onerant, et longius ducunt. Quare in medio loco seruanda sunt, quae tuemur.*

12. *medio in brachio*] Sang. *mediae in brachio,* annotante Gronouio.

13. *idemque custos*] Quoniam in P. et Sang. libris deinceps est *debent,* Gronouius suspicabatur h. l. legendum esse *itemque custos.* Sed vide supra cap. 21. s. 3.

14. *compluuia*] Vide infra ad cap. 26. s. 3.

15. *et gelicidiis*] Malim *a gelicidiis,* et sic laudat h. l. Index Gesnerianus.

sed nec vngulis] Ita Edd. I. B. R. etsi *vngulae* in iis legitur. In Lips. est: *ne vngulis simili.* Sang. liber omittit quidem. Modum medium inter plagam nimis oblongam et nimis angustam improbare videtur, etsi vngulae similitudinem

nem non ſatis intelligo. An plagam planam et obliquam voluit ſignificare? Plagam reſupinam et pronam ipſe deinceps Columella ſect. 16. interpretatur deuexam poſt gemmam reſectionem. Plaga oblonga et obliqua latius emoritur, quam rotunda et fere plana. Sic ſupra c. 7. ſ. 2. *vulnus latius inareſcit.* Plagam obliquam, (id eſt, deuexam, pronam,) et rotundam citius coaleſcere affirmat hoc ipſo capite ſect. 7. Rotundae igitur credo opponi oblongam, ſagittae ſimilem.

poſt gemmam] Palladius III. 12. *plaga non iuxta gemmam, ſed aliquanto ſuperius fiat, et auertatur a gemma, propter lacrymam defluentem.*

17. *Si reſecis*] Ex Sang. *reſicis* annotauit Gronouius; quam formam ſaepius indidem attuli.

anguſtiſſime praeciſus] Supra ſect. 5. *crura ipſa truncique circumſpiciendi ſunt, ne aut pampinarius palmes internatus aut verrucae ſimilis furunculus relinquatur: niſi ſi iugo ſuperiecta vitis deſiderabit ab inferiore parte reuocari.* Et cap. 22. 4. *plerumque germen de cicatrice procedit, quod ſiue longius proſiluerit, in flagellum ſubmittitur, ſiue breuius, in pollicem, ſiue admodum exiguum, in furunculum: is ex quolibet vel minimo capillamento fieri poteſt. Nam vbi vnius aut alterius folii pampinus prorepſit e duro, dummodo ad maturitatem perueniat, ſequente vere ſi non adnodatus neque adraſus eſt, vehementem fundit materiam: quae cum conualuit, et quaſi brachium fecit, licet tunc ſuperuacatam partem duramenti recidere, et ita reliquam iugo ſubiicere.* Denique infra V. 5. 18. *iacenti viti breuiores materiae debent ſubmitti, reſeces quoque anguſtius in modum furunculorum relinqui.* Accedat nunc Plinius 17. ſ. 35. no. 13. *Relinquitur ſub iugo et qui vocatur cuſtos. Hic eſt nouellus palmes, non longior tribus gemmis, proximo anno materiam daturus, ſi vitis luxurioſa ſe conſumſerit. Et alius iuxta eum, verrucae magnitudine, qui furunculus appellatur, ſi forte cuſtos fallat.* Haec vero loca comparaui, vt de emendatione Pontederae iudicarem, qui *praeſectus* mutari voluit in *percitus;* quoniam in Polit. libro eſt *perciſus.* Sed *perfrigidus, praefrigidus* et ſimilia vocabula in libris ſcriptis ſaepe permutantur. Igitur haec talis varietas vitium non arguit. Deinde Pontedera furunculum interpretatur gemmam, eamque praecidi negat. Sed fallitur vir eruditiſſimus. Eſt germen breuiſſimum vnius vel duorum foliorum, quod ſubmitti vel recidi poteſt, et a breuitate verrucae reciſum habet nomen furunculi, vt pol-

lex a longitudine pollicis. Miror talia viro botanices inprimis gnaro excidisse!

fructuarium remittamus] Libri Pol. et Sang. recte *fructum* praeferunt. Sed et sequens *remittamus* videtur esse vitiosum. Nusquam enim hoc verbo Columella vsus reperitur, sed immittere et summittere dicere solet. Quid si in *fructuarium* syllaba extrema pertinet ad *submittamus?*

nepotibus] Inter folium et sarmentum natos nepotes Sueui vocant *Eberzähne*, *Afterzähne*.

magnopere] In Sang. esse *magno opere* hic et III. 10. monet Drakenb. ad Liuium T. I. p. 611.

18. *duro prominet*] Antecedens et sequens *procedere* satis docet *progerminat* esse legendum.

a latere gemmam] Scilicet plurimae arbores et frutices gemmas, id est, rudimenta fructuum et foliorum sequentis anni inter folium et surculum, aut iuxta assidentem habent; paucae in summitate annotinorum foliorum, veluti populi. Audi etiam Albertum de Vegetab. p. 458. *est vitis proprium quod botrum semper ex opposito pampini emittit, et aliquando loco botri facit ancham, eo quod ancha est velut botrus incompletus, ad quem cum natura deficit complendo, conuertit ipsum ad vsum manuum tenentium vitem onustam. — Sola vitis profert ex opposito aut botri aut anchae pampinum suum — ancha plus habet de sapore vini quam alia pars praeter vuam.*

21. *imperandum*] Palladius I. 6. 4. *post bonam vindemiam strictius, post exiguam latius puta.* vbi Vincentius cum duobus libris scriptis *largius* habet. Graeci dicunt *μακροτομεῖν* et *βραχυτομεῖν*.

curuatur acies] Graecis ferrum dicitur *διπλοῦσθαι*, duplicari, et hinc *διπλόη* vitium ferri mollis, annotante Timaeo in Glossis Platonicis, cuius locum explicui in Analectis ad histor. rei metallicae Veterum.

22. *praefringatur*] Ex Sang. *praefingatur* annotauit Gronouius.

Cap. XXV. *vinitoriae figura*] Eadem est quae falcis illius, qua vinitores Sueuici palos circumcidunt et exacuunt, *Pfahlhappe* vocant, monente Sprenger in Cultura Vitium p. 122. Ceterum figuram falcis in multis editionibus propositam verbis Columellae non conuenire, recte monuit Morgagni. Securim enim forma trianguli apponunt. Aldina securim rostro non superponit, sed supponit. Iuntinam igitur figuram solam veram esse censet Morgagni. Verum Aldina

dina figura, cuius Iucundus architectus fuit, bene habet, nisi quod operarum errore inuersa fuit, quod lectori, quamvis leuiter attendenti animum, statim sit manifestum. Ab ea Iuntina, quam repetiit Gesnerus, eo differt, quod securis nimis prope affidet mucroni, nec aciem a capulo ad rostrum rectam gerit, neutra deinde mucronem pronum, sed rectum posuit; Gesneriana denique securis formam non semilunatam habet, sed semilunam cauam. Igitur figuram aliam apposui Tabulae I. Fig. VI.

eiusque velut apex] Refertur eius ad falcem, non ad postremam securim, a quo remotus apex primam cultri partem occupat.

Cap. XXVI. *olea*] Lips. *oleumgetum*. Sang. *oleagotum*. Vinearum causa seruntur et caeduntur robur, esculus, castanea, fraxinus, cupressus, laurus, olea, populus; ex quibus arboribus quae lateat in corrupta lectione, exputent alii.

tertium locum] *Alterum locum* recte corrigit Pontedera. Palus enim non est diuersus a pedamine terete. Ridica est palus vngulosus ex ligno fisso.

suber] Veteres dixerunt *suberies* pro *suber*, teste Festo, et ex eo Isidoro 17. 1. Vincent. Sp. nat. 12. 105. Ex graeco ὕφαρ factum latinum nomen suspicor. Contra ex eo dictum censet Isidorus, quod fructus sit suum cibus, quasi *subedies*.

lauru] Geoponica XI. 3. καὶ εἰς φραγμὸς ἀμπέλων ἐπιτήδειόν ἐστιν. Alias ipsa arbor vitem laedit, auctore Theophrasto H. P. IV. 20. et Plinio 17. 24. De cupresso satis ad Catonem et Varronem dixi. Laurum cum inaruit trunco, recisam etiam laetius fructicare ait Plinius 16. sect. 56. et sect. 90.

probabiles vsu statuminis. Haec] Hanc Goesiani lectionem merito probabat Gesner, recipere tamen non ausus. Pro *sambuci* Polit. liber *sabuci*, vt in Plinius 17. c. 35. no. 10. vbi cum iunipero nominatur sabucus, laburnum et cypressus. An fuit olim h. l. laburnum pro lauro? In Plinio tamen Codex Chifflet. habet *alburno*. Nunc video Heinsium ad Virgilium I. p. 121. ex Sang. libro laudare: *silueſtres abvius atque etiam sabuci probabiles vsu statum iis*. vnde ipse efficiebat eandem lectionem, quam posui, nisi quod deinceps malebat: *haec horumque — dedolandae acuendaeque*. In Collatione Ernestiana ponitur ex Sang. *ab vuis atque sambuci*.

acuendaeque] Ex libris optimis inserui cum Heinsio. Plinius l. c. *pali e iunipero — laburno, sabuco*. *Reliquorum*

generum ſudes omnibus: annis reciduntur. vbi Dalecamp. emend. *et reliquorum generum ſudes, quae omnibus.* De pino Columellae dubito, quam etiam Polit. liber omiſit; in lectione *ab vuis* vel *ab vius* forte latet *arbutus* vel *laburnum.* Ex Sang. *abuius* annotauit etiam Gronouius.

2. *proceritatem*] Hanc ex libris optimis ſubſtitui *ſinceritati.* Nam ſi conuerti debent, opus eſt proceritate iuſta; etſi ſinceritatem defendi poſſe video ex ſequenti: *quae vel carioſa ſunt.*

nouo, ſarturae] Ita liber Polit. et *nouo* pro *noua* legendum eſſe vidit Broukhuſius. Sartura eſt vetus iugum, quod ſartura renouatur. Vulgata *noua ſartura* ineptiſſima erat.

3. *ſub ſtella*] Supra IV. 17. 4. vitem in ſtellam diuidere, decuſſare et diducere dixit, eandemque formam ſect. 7. ibidem cum quadrato agmine comparat; cum camera comparat eam formam, vbi pampini prorepentes vndique iunguntur, et iugum in omnem partem porrectum terram obvmbrat. Locus eſt elegans Manilii V. 238. *et te, Bacche, tuas nubentem iunget ad vlmos, diſponetue iugis, Amitatus fronde choreas, robore vel proprio fidentem in brachia ducet, teque tibi credet: Semeleue a matre reſectum adiunget palis, ſegetemque interſeret vuis, quaeque alia innumeri cultus eſt forma per orbem pro regione colet.* Ita correxit Bentley; ſed ex vulgata *ſemper quin*, vel vt libri ſcripti habent *qui matre* lege *ſemperque a matre reſectum* vel *ſtirpemque a matre reſectam.*

diremtaeque] ſc. interueniente pertica. Quare vulgatum *directaeque* ex libris correxi.

compluuia] eadem ſupra dixit c. 24. ſ. 14. compluuiatam iugationem Varro I. 8. 2. vbi vide notam.

4. *quae nondum*] Plinius 17. ſ. 35. no. 13. *Palmes duas treſue gemmas ſub iugo habere debet, ex quibus materia naſcatur. tunc per iugum mergi alligarique, vt ſuſtineatur iugo non pendeat. Vinculo mox a tertia gemma adſtrictus alligari: quoniam et ſic coercetur impetus materiae denſioreſque citra pampini exſultant: cacumen religari vetant.* Ceterum monente Pontedera Geſner vulgatam antea lectionem *quae nihil* permutauerat cum antiqua Edd. primarum *quae modo.* Sed ſententia eam lectionem reſpuit, igitur poſui, quod offerunt etſi vitiatum Polit. liber et Sang. vbi exſtat *mundo.*

innixa] Si firmitatem ſpectauit, haec erit probanda lectio; ſed quoniam cum *dependeat* iungitur, malim ex Edd. primis *innexa.*

ſuſpen-

suspendant] Ex lectione optimorum librorum *suspendeat* effeci *suspendant*, substituique vulgato *suppendeat*.

quae vineae] Vocabulum *vinea* spurium censeo; quae respicit ad *palmam*.

Cap. XXVII. *Calamentis*] Gesner vulgatum *calametis* interpretatur fragmina calamorum et arundinum. Inepte, cum sarmentis iungantur. Intelliguntur partes siccae vitis; igitur calamenta dicuntur ab antiquo *cala*, quod lignum aridum, focaneum significabat. Lucilius: *scinde puer calam, vt caleas*. Graecum est *κᾶλον*, lignum a *κάειν* ardendo dictum. Palladius Febr. 15. *statim post putationem sarmenta decisa a vineis et rubi et impedimentum fossoris omne tollatur*. Vnde alii forte veriorem eruent lectionem. Cato 50. *vbi vineam deputaueris aceruum lignorum virgarumque facito*.

lutosa] Plinius 17. c. 22. Vide ad librum de Arboribus c. 12.

incientibus] Ita mecum Pontedera emendat vulgatum *incipientibus*. Plinius 17. cap. 22. *Plerique aestate tota post singulos rores, confodi iubent vineam: alii vetant gemmantem: decuti enim oculos tractuque intrantium deteri: et ob id arcendum procul omne quidem pecus, sed maxime lanatum, quoniam facillime auferat gemmas. Inimicos et pubescente vua rastros*. vbi Vincentius habet *germinantem — tactu*.

2. *magis pampinatio*] De Arboribus cap. 11. *vineam quam bene putare, tam diligenter pampinare vtile est. nam et materiae, quae fructum habent, melius conualescunt, et putatio sequentis anni expeditior, tum etiam vitis minus cicatricosa fit: quoniam quod viride et tenerum decerpitur, protinus conualescit. super haec quoque melius vuae maturescunt*. quae sunt minus integra.

4. *binos*] Ex vetere Codice Vrsinus emendat *binas*.

5. *frondem superuacuam*] Infra: *quidquid superuacui enatum fuerit, tollito*. Meminisse oportet etiam hic frondem Columellae esse virgam, germen frondosum; ne quis putet pampinationem esse, cum frons decerpitur vitis. Pampinatio *coles, pampinos, palmas, palmites, sarmenta* detrahit superuacua. Graeci *κλαδεύειν* et *βλαστολογεῖν* dixerunt. Attici *κλᾶν, κλᾶσαι*, quoniam germina defringebantur. Sed de pampinatione dixi supra ad cap. 6.

aliquam foetus] Geoponica III. 11. 4. vitibus nouellis feracibusque partem etiam fructus auferre iubent, ne palmites graciliores et vuae inutiles fiant.

6. *requiescere*] Malim addito verbo ex Edd. primis legere: *religatam quiescere ac refici par erit.* Sic enim eadem vitis deposito fructu solet religari, vt requiescat.

confringere] Ex Edd. primis malim *defringere;* nam confringitur, quod in vite relinquitur, defringitur, quod demitur simul.

cacumina] Infra: *cacumina virgarum, ne luxurientur, demutilato.* Reliqua deinceps ex libris cum Pontedera correxi. Vulgo male *e dura parte aut a trunco surgentes.* Nam dura pars est truncus, aut brachia; primum docet de trunco; deinde de brachiis.

inter brachia] Infra: *quod in cacumine aut in brachiis natum erit, decerpito, duntaxat quae vuam non habebunt.* Plinius 17. c. 22. *in pampinatione non hos detrahere pampinos, qui cum vua sint; id enim vuas supplantat, praeterquam in nouella vinea. Inutiles iudicantur in latere nati, non ab oculo: quippe etiam vua, quae nascatur e duro, rigescente, ut nisi ferro detrahi non possit.*

Cap. XXVIII. *quam florem*] Infra Arbor. c. 11. *ante dies decem quam vinea florere incipit, pampinatam habeto.* Plinius 17. cap. 22. *pampinatio verna in confesso est, ab Idibus Maiis intra dies X. vtique antequam florere incipiat, et eam debere infra iugum fieri. De sequenti variant sententiae. Cum defloruerit, aliqui pampinandam putant, alii sub ipsa maturitate.* Palladius Maio 2. *tunc est opportuna pampinatio, cum teneri rami digitis stringentibus crepabunt sine difficultate carpentis.* De altera pampinatione Palladius Aug. 3. Pampinationem docent Geoponica III. 11. 4. V. 28 et 29.

pubescentem] Diuersa igitur a flore pubertas vitis. Pubescentes vineas dixit etiam supra IV. 3. 2. Scilicet florem vitis Theophrastus H. P. I. 21. χνοώδη, i. e. lanuginosum esse monuit. Sed eam pubem non voluit intelligi Columella, sed metaphorice vuas adolescentes dixit. Ita Plinius 17. c. 23. *inimicos et pubescente vua rastros,* et cap. 9. *sunt qui puluere quoque ali vuas putent, pubescentesque puluerent.* vbi Theophrastus II. 8. habet: τρέφειν δὲ δοκεῖ καὶ ὁ κονιορτὸς καὶ θάλλειν ποιεῖν οἷον τὸν βότρυν. vbi ipse deinde Philosophus variantem se vuam (περκάζοντα) dixit et à nigrescente distinxit. Bene monuit de hoc vsu loquendi Bodaeus p. 134. Sed debebat addere, Latinos hac in locutione imitatos esse graecos scriptores, qui ficum, variantem se, ὀργῶσαν, oleam βρύσαν; vuam ἡβῶσαν dixere, auctore Polluce I. 237. Ficum σῦκον ὀργῶν habet Theophrastus. In Theophrasto H. P. III. 6.

iterum

iterum Plinius βότρυν περκάζοντα vertit vuam pubescentem XIII. c. 22.

tum et — puluerationibus] Haec verba omittit Sang. Vide mihi locum Arbor. 12. de tertia fossura: *post meridiem fodito, pulueremque excitato. ea res et a sole et a nebula maxime vuam defendit.* et in fine capitis: *quanto saepius foderis, tanto vberiorem fructum reperies.* Ita et Plinius 17. c. 22. *fossione pulueren excitatum contra soles nebulasque prodesse.* Noster XI. 2. 60. *frigidioribus regionibus puluerationem faciunt, quam vocant rustici occationem, cum omnis gleba in vineis refringitur, et resoluitur in pulueren.* Plinius 17. f. 5. *sunt qui puluere quoque vuas ali iudicent pubescentesque pulucrent, et vitium arborumque radicibus aspergant. Quod certum est Narbonensi prouinciae et vindemias certius sic eo coqui, quia plus puluis ibi quam sol confert.* vbi Vincentius habet *citius sicco coqui.* Plures etiam libri *citius* habent; lectio a Pintiano prolata sic habet *quod certum est Narbonensis prouinciae et vindemias certius sic coqui, plusque puluis ibi quam sol confert.* vbi si *citius* legeris pro *certius*, habebis sinceram Plinii lectionem. Palladius Martio 7. *omnibus mensibus vult puluerari nouellam vineam, non solum propter herbas, sed ne tenera adhuc semina solidata terra constringat.* Idem Iulio 1. *nunc et nouellae vites mane et vespere iam calore deposito effodi debent, et auerso gramine puluerari.* vbi Cresc. habet: *effodi et omni herba et gramine diligenter exstirpato radicitus.* Vides igitur, Palladium puluerationem dixisse simpliciter pro occatione. Theophrastus H. P. II. 8. τρέφειν δὲ δοκεῖ καὶ ὁ κονιορτὸς ἔνια καὶ θάλλειν ποιεῖν οἷον τὸν βότρυν. διὸ καὶ ὑποκονιῶσι πολλάκις — τὴν δὲ ἄμπελον ἔ φασι δεῖν ἢ ὑποκονιῶν ἢ ὅλως ἅπτεσθαι περκάζοντος τοῦ βότρυος (i. e. variante vua) ἀλλ' εἴπερ, ὅταν ἀπομελανθῇ. οἱ δὲ τὸ ὅλον μηδὲ τότε, πλὴν ὅσον ὑποτίλαι τὴν βοτάνην. Ex quibus omnibus locis apparet, de fossura et puluerations non satis constitisse inter auctores, quo tempore sit adhibenda quemque vsum habeat ad ipsas vuas augendas. Hoc nostro in loco manifestum est, puluerationem dici simpliciter pro occatione. Sed ex Theophrasto C. P. III. 21. disco, tertiam fossionem vitium dici puluerationem ὑποκόνισιν, adolescente fructu, reliquas duas σκαπάνην, σκαπητόν. Atque eundem loquendi vsum videntur etiam scriptores latini secuti fuisse.

2. *tribus fossuris*] Accuratius haec Plinius 17. c. 22. ex Graecino: *Satisque esse vineam ter anno confodi; ab aequinoctio verno; ad vergiliarum exortum et canis ortum, nigrescente acino. Quidam ita determinant: veterem semel a vin-*

vindemia ante brumam, cum alii ablaqueare et stercorare satis putent. Iterum ab Idibus Aprilis, antequam concipiat, hoc est, in VI. Idus Maias. Deinde prius quam florere incipiat, et cum defloruerit et variante se vua. vbi Vincentius habet *canis ortu et nigrescente acino.* Palladius V. 2. *Aprili ante Idus vineas fodi iubet locis frigidissimis.*

surculo] Omnem arborem ex surculo surgentem intelligi monet Pontedera. Ex loco Plinii paulo antea posito suspicor, Atticum et Celsum doctrinam Theophrasti accuratius expressisse, cuius locus dignus est quem huc apponam C. P. III. 21. Germina defringenda esse ait (βλαστολογεῖν) statim cum vitis fructum ostendere coeperit; deinde fodere vitem statim, dum fructus et germina noua crescere nituntur. Postea iterum germina defringere, antequam vitis floreat, oportere; interim enim cirrhos seu clauiculos crescere, dum acina fuerint formata. Cum vitis defloruit, tum cirrhos non amplius crescere, acina vero formari et adolescere. Mediam fossionem iusto tempore cum pampinatione inprimis esse reddendam viti, et maturam; vitem enim tunc incitari ad incrementum fructuum hornotinorum, et germinum eorum, quibus futuri anni fructus parturit. Fossione igitur altera incitatam, bene concipere fructum. Gemmas agere futuri fructus vsque ad caniculae ortum; postea sole exsiccante incrementum gemmarum et conceptus consistere et absolui. Abhinc enim fructum perfici; nisi si qua vitis in locis opacis et humidis posita solem diutius ferat et germinationem longius continuet. Puluerationem (seu tertiam fossionem) admouendam esse, cum vua variari coeperit, et antequam maturentur; alias motum vitium, ad maturandas vuas incitatarum, fossione intempestiua auocari. Ideo nec herbas quidem euellendas esse per id tempus. Vides igitur, in tribus fossuris plane cum Theophrasto sentire Atticum, deinde etiam in tribus vitis motibus, quos Graecus ὁρμὰς, ὁρμᾶν dixit. Idem H. P. III. 6. τρεῖς ὁρμὰς εἶναι καὶ τρεῖς ἀφιέναι βλαστὲς ait in δρυΐ, ἐλάτῃ et πεύκῃ; postea c. 7. αἱ δὲ βλαστήσεις ἐπὶ κυνὶ καὶ ἀρκτέρῳ γινόμεναι μετὰ τὴν ἐαρινὴν σχεδὸν κοιναὶ πάντων, εὔδηλοι δὲ μᾶλλον ἐν τοῖς ἡμέροις καὶ τούτων μάλιστα συκῇ καὶ ἀμπέλῳ καὶ ῥοιᾷ.

Cap. XXIX. *Atticus*] Vnde Plinius XVII. f. 25. *Vitibus inserendis tempus dedere ab aequinoctio autumnali ad germinationis initia.*

sarmenti silentis] i. e. gemma nondum incitata. Ita silentem florem libro XI. multis in locis dixit. Graece sunt

κλή-

κλήματα μεμυκότα. Scilicet surculorum gemmae debent esse clausae et silentes, arboris contra inserendae ad partum incitatae. Praeterea recrastinari sarmenta iubent Geoponica X. 75. addita ratione. Vulgatam *sarmentis alendis* recte correxit Gesner.

2. *maior cura*] Pontedera ad minorem numerum referri putans curam etiam minorem emendari volebat: *minor cura*. Sed in minore numero maior cura adhiberi atque ita variis negligentiae vitiis mederi potest.

2. *contrarium*] Forte fuit: *est etiam sibi contrarium*.

4. *Atque idem*] Recte Broukh. emendauit *Atqui*. Deinceps recte Gesner monuit legi debere, *quod tamen totius*. Possis etiam: *quod cum totius*.

5. *silentem a ventis*] In libro de Arbor. c. 8. *optimi generis sarmenta fructuaria, tum cum gemmas agere incipient, vento Austro a matre praecidito. Sarmentum, quod inseris, de summa vite sit, rotundum, bonis crebrisque nodis. tres deinde nodos integerrimos relinquito, infra tertiam gemmam ex vtraque parte*, et reliqua quae deinceps ponemus. Inserere austro flante iubet Theophrastus de Causis III. 5. et Geoponica X. 75. Contra Cato 41. austrum cauet. vbi vide.

6. *teretem*] Palladius Martio 1. *surculi inserendi sint solidi, rotundi, gemmis spissis et pluribus oculati*. Ceterum fungosam viti medullam seu potius naturam interius esse ait Plinius 17. sect. 35. Theophrastus H. P. I. c. 9. viti fico ferulae medullam carnosam (σαρκώδη) dixit. Hoc loco fungosa dicitur in vitio; sed Edd. primae *rugosae* habent, quam scripturam veriorem putabant, sed postea vidi Geoponicorum V. 8. κλῆμα πλατύτερον καὶ ναρθηκῶδες, quod improbetur, recte comparari ibi cum h. l. fungosa medulla a Niclasio.

recidere surculum] Plinius 17. c. 25. *vt gemmascere incipiens legatur calamus, nec plus quam binis ab insito eminet oculis*.

ne proceriorem] Liber Sang. cum Edd. primis multo breuius sic: *vt tempestatis ventos immobilis pati possit*. Quam tamen scripturam recipere dubitaui ob locum Palladii Martio 1. vbi de eadem re: *tegumento quoque surculum aliquo a ventis et a sole defendi ne hi quatiant, hic adurat*. Quanquam fateor, longitudinem surculi parum referre ad periculum, quod illis timendum ab imbribus. Igitur praefero alteram lectionem.

8. *et infra*] Palladius Martio 1. *aliqui infra terram semipedis spatio effossae viti surculos inserunt et beneficio con-*

gestionis accumulant, vt hoc quoque nouis sarmentis praeter nutricis alimenta subueniat. Nonnulli circa terras melius asserunt inserendum, quia in altiori difficilius comprehendunt. Seneca Epist. 112. *Itaque solemus supra terram praecidere, vt, si non responderit, tentari possit secunda fortuna, et iterum repetita infra terram inseratur.*

enodis] Geoponica IV. 12. sect. 4. in alto inserere iubent, vbi capitis vitis laeuitas vetat infra terram id facere διὰ τὸ ἐν βάθει εἶναι λειότητα. Scilicet vbique nodus desideratur, qui fissuram, longius procedentem, impediat atque alliget, vt ait ipse Columella. Palladius Martio VII. 3. vbi vineas reparare docet: *prius ablaqueabitur altius donec eius nodus appareat; deinde infra terram supra modum recidatur, vt operta de frigore et sole nil timeat.* vbi pessime nodum radices interpretatus est Gesner in Indice. Nodi sunt, qui alibi internodia in frumento genicula et nodi a nostro II. 12. 10. dicuntur, quorum naturam ita explicat Plinius 17. sect. 35. *Vitium surculis et quarundam arborum, quibus fungosior intus natura est, geniculati scaporum nodi intersepiunt medullam. Ferulae ipsae breues et ad summa breuiores, articulis vtique duobus internodia includunt. Medulla, siue illa vitalis anima est, ante se tendit longitudinem impellens, quamdiu nodi peruia patet fistula. Cum vero concreti ademere transitum, repercussa erumpit ab ima sui parte iuxta priorem nodum, alternis laterum semper inguinibus, vt dictum est in arundine et ferula; quorum dextrum ab imo intelligitur articulo, laeuum in proximo, atque ita per vices. Hoc vocatur in vite gemma, cum ita cespitem fecit. Ante vero, quam faciat, in concauo oculus, et in cacumine ipso germen. Sic palmites, nepotes, vuae, folia pampini gignuntur; mirumque firmiora esse in dextra parte genita.* Addit obseruationem, quam miror a Columella neglectam: *Hos ergo in surculis nodos cum seruntur, medios secare oportet, ita ne profluat medulla.* vbi Vincentius *quando seruntur siue inseruntur* habet scriptum. De insitione loqui Plinium arguit vocabulum *surculi* additum; et Geoponica IV. 12. s. 9. de insitione vitis: βεβαιότερον δὲ συμφυήσεται τὰ νέα κλήματα ἔχοντα περυσινοῦ κλήματος μέρος. vbi pars veteris sarmenti adhaerens ad nodum referenda est. In malleolo pangendo Columella III. 17. 3. hunc morem ab antiquis adhibitum memorat et damnat. Ceterum in Plinii loco *Fistulae ipsae breues* recte corrigebat Dalecampius.

adobruitur] Edd. primae *obruitur*. Polit. *adruitur*. In Varrone I. 35. est *terra adruenda*. In Columella II. 11. 10.

10. pro *adobruunt* Pol. et Sangerm. Codd. *adruunt* ſcriptum habent.

vt calamo non abſimilis — coagmentet fiſſuram] Multum diuque in hoc loco extricando laboraui, neſcio an fruſtra. Interpretes enim tacuerunt. Surculus calamo non abſimilis temperatur; cui calamo? Non eidem, qui poſtea inſeritur viti; eſſet enim inepta tautologia et ſine ſenſu. Surculus fortaſſe dicitur nunc, qui cunei vicem gerit et fiſſuram aperit in reliquarum arborum inſitione. Cf. Columella V. cap. 11. ſect. 7. Sed vitium materia longe diuerſa et mollior non deſiderat cuneum iſtum, ſed potius vinculum ſupra nodum; qui fiſſuram, ſcalpro factam, alliget. Inepta igitur vel ob hanc cauſam lectio Lipſ. libri, qui *augmentet fiſſuram* habet. Verum antequam de ſignificatione verbi *coagmentare* videamus, explicandum eſt, quis calamus ſit is, quem Columella nominat, ex cuius ſimilitudine pendet vſus ſurculi ad eam temperati. Succurrit locus Geopon. IV. 12. in hac ipſa inſitione vitium ita tradens: *τὸ δὲ ἐντιθέμενον κλῆμα μέχρι μήκους δύο ἢ ἥμισυ δακτύλων ἐκ τοῦ ἑνὸς μέρους ξέειν χρή, ὥσπερ ὁρῶμεν τοὺς γλυφομένους καλάμους ἐν οἷς γράφομεν. ὥστε ἀπὸ ἑνὸς μέρους τὴν ἐντεριώνην φαίνεσθαι ἀσινῆ, κατὰ δὲ τὸ ἕτερον τὸν φλοιόν.* Calamus igitur ſcriptorius intelligitur, aut potius vocabulum excidiſſe videtur aliquod, quo ſignificarat Columella calami iſtius ſimilitudinem. Statim enim calamus ſequitur pro ſurculo vitis dictus. At quomodo ſurculus ad calami ſcriptorii inſtar vno ex latere deraſus fiſſuram dici poteſt *coagmentare*, id eſt, coniungere fiſſae vitis partem vtramque? Infra ſect. 19. eſt ſurculum inſitum *contingere debere vtrinque fiſſuram*, cortice nempe ſurculi coniuncto cum cortice vitis. et ſect. 17. eſt: *ſi modo tam mediocris eſt craſſitudo trunci, vt incrementum inſiti* (ſurculi) *plagam poſſit contingere.* In primis Edd. legitur *abſimilis vt coagmentet.* In Sang. libro monſtroſa exſtat lectio: *abſimilis eſt purgamentum habens ad fiſſuram.* in qua non dubito veram latere abſconditam et vitiatam; ſed eam equidem peruidere non poſſum.

9. *non amplius tribus digitis debet alleuari*] Inſitionem eandem liber de Arbor. c. 8. in quibuſdam aliter, certe quaedam accuratius docet: *tres deinde nodos integerrimos relinquito: infra tertiam gemmam ex vtraque parte duorum digitorum ſpatium in modum cunei tenuiſſimo ſcalpello acuito, ita, ne medullam laedas — ſurculos in fiſſuram demittito eatenus qua adraſi ſunt, ita, vt cortex ſurculi corticem vitis aequaliter contingat.* Palladius Martio 1. *tres tamen oculi in inſitione*

ne sufficient. Radendum est ergo sarmentum ad mensuram digitorum duorum, vt ab vna parte sit cortex. Aliqui non patiuntur nudare medullam, sed leuiter radunt, vt incisura sensim possit in acumen exire et vt corticata pars cortici nouae matris aptetur. Palladius igitur aliunde sua quam ex Columella duxit, nam corticem *ab vna parte* relinquit; liber de Arboribus vtrumque latus vsque ad medullam adradit; hic vero Columella in altero latere paulo vltra corticem destringit surculum. Geoponica cum Palladio faciunt. Cato cap. 41. s. 2. surculos praeacutos artit, et medullam cum medulla componit. Nunc videamus, quomodo Columellae conueniat cum se ipso. Primum *alleuari* iubet calamum non amplius tribus digitis, vt sit parte ea qua raditur leuis; deinde rasuram nominat eamque ex vtroque latere deducit inaequaliter. Inepte igitur *alleuatur* surculus antea quam raditur. Sed vitium latens arguit Pol. et Sang. lectio: *Calamus vt rarior amplius*, vel vt ex Sang. laudauit Grouonius: *Calamus aut rarior.* Vnde efficio: *Calamus adradi non ampl. tr. debet.* omisso deinceps *alleuari*, quod accessit, postquam *adradi non* fuerat monstrose vitiatum. Sequitur vulgo: *aequaliter ex ea parte, qua raditur, vt sit leuis.* quam lectionem ipse adeo Gesnerus ineptiarum condemnauit cum Pontedera, quem secutus scripturam Edd. primarum restitui. Sequentia difficultatem aliam habent: Rasura male distringi dicitur vltra corticem paulo. Quid si fuit: *paulum vltra corticem?*

transluceat, nequit plaga] Ex vitiosa Edd. primarum Pol. et Sang. lectione: *ne quid patiatur coalescere* effeci veram hanc scripturam. Desideratur enim in vulgata vocabulum, quod quia ex vitio Edd. primarum elicere non potuit Iucundus, omittere plane *patiatur* maluit. Ceterum Plinius 17. s. 24. nimis breuiter: *ne fissura in nodo fiat; repudiat quippe aduenam inhospitalis duritia; vt in parte nitidissima; ne longior multo tribus digitis, ne obliqua, ne translucens. — Spei fauet medulla calami commissurae, si in matre ligni corticisque iungatur. id enim satius, quam foris cortici aequari.* Geoponica l. c. *καταθεστέον δὲ τὸ κλῆμα μέχρι παντὸς τοῦ ἐξεσμένου, ὥστε μὴ διαχαίνειν τὸ μεταξὺ τοῦ πρέμνου καὶ τοῦ κλήματος.* Ceterum ad loci pertinet intellectum monere, obscure esse traditam surculi apparandi disciplinam a Columella. Distinguenda sunt quatuor in surculo latera; quorum duo vtrinque ad medullam vsque adraduntur rasura obliqua, ita, vt tertium latus crassius relinquatur, extrorsum cortice trunci cortici aequandum; quartum paulum vltra corticem siccum abraditur, crassiori contrarium; idque tum fit inprimis

cum

cum duo ſurculi trunco inſeruntur, vt fit in Geopon. IV. 12. ſect. 1. Surculus ita inſeritur, vt craſſius latus extrorſum trunco arcte immiſſum collocetur, infraque appoſitum apicem veluti roſtrum calami ſcriptorii fiſſurae infimae inſinuet; latus tenuius introrſum vertitur, alteriuſque ſurculi, ſi duo ſimul inſeruntur trunco, lateri tenuiori oppoſitum gerit. Ideo autem paulo vltra corticem abraditur, ne cortex ſiccus plagae moram inferat, quominus bene coaleſcat. Reliqua duo ſurculi latera oblique et aequaliter vſque ad medullam adraduntur, vt in reliquarum arborum ſurculis, qui trunco fiſſo inſeruntur. Quibus haec interpretatio non ſatis fecerit lectoribus, illos moneo, vt a vinitore aut hortulano ſibi figuram ſurculi, inſitioni parati, petant commonſtratam.

10. *Vinculi*] De Arbor. c. 8. *quicquid inſerueris vimine vel vlmi libro diligenter ligato, atque luto ſubacto paleato oblinito plagam et alligato ne aqua ventuſue penetrare poſſit: deinde ſupra lutum muſcum imponito et ita religato: ea res praebet humorem nec mareſcere ſinit.*

adactis] Plinius 17. ſ. 24. *Incolume cuneo adactum vtiliſſime adſtringitur.* vbi vulgo erat *incolumi cuneo*, praeterea Vincent. *adſtringit.* Inepte interpretatur haec Harduinus. Lego ex h. l. *Vinculum cuneo adacto vtiliſſime adſtringitur.* Forte etiam *arundineo* addendum.

Sed antiquiſſimum] Pro his aliam poſuit cautelam libro de Arboribus c. 8. *Infra inſitionem et alligaturam falce acuta leuiter vitem vulnerato ex vtraque parte, vt ex his potius plagis humor defluat, quam ex inſitione ipſa abundet. nocet enim nimius humor, nec patitur ſurculos inſertos comprehendere.* Eandem habet Plinius 17. ſ. 25. *vlmeo vimine alligatus binaque circumcideretur acie a duabus partibus, vt inde potius diſtillaret mucor, qui maxime vites infeſtat.*

11. *caluitium*] Eadem ſimilitudine Sueui vinearum loca vitibus orba dicunt *Platten* teſte Sprengero p. 401.

ſubmittitur in propagines. Autumnus] Haec ita editiones quaedam et legebant et diſtinguebant: *ſumitur in propagines autumnus. deinde.* quae vitioſa eſſe nemo non videt. Igitur Pontedera emendabat haec ita: *ſumitur in propagines alumnus, deinde.* Verum ita ſequentia *falcem — admouet — cuſtoditur* vitioſa ſuperſunt, quae quomodo eſſent corrigenda non dixit Pontedera. Igitur recte ex libro Goeſiano Geſnerus *ſubmittitur* recepit, et antiquarum Editionum diſtinctionem reſtituit. In libro Sang. eſt *ſubmittuntur*, quae lectio et ipſa bona eſt, et refertur ad nepotes. Hanc probatam cum reliquis ita connecti volebat Heinſius ad Ouidii Heroid. IV.

IV. 111. *Pampinus cum excreuit — submittuntur in propagines autumnas.* Deinde sequentia, ne vitiosa superessent, ita emendabat: *deinde — admoue — custodiatur.* Contra Gesneri rationem Pontedera in Curis secundis monuit, autumno maturos palmites non posse putari, quando insita in hiemem differunt maturitatem et ver exspectare iubent. Quod vero addit ex cap. 23. Columellae argumentum, vbi circa Idus Octobres putari iubet sarmenta, cum iustam maturitatem ceperint, vereor, vt id contra Gesneri emendationem valeat. Contra eandem egregie comprobare mihi videtur. In ratione Pontederae tempus putandi plane omittitur, quod fieri non debebat ab accurato insitionis magistro. Igitur Pontedera subiratus Gesnero aberrasse per iniquitatem videtur a vero.

e duro.] Excidisse quaedam suspicor ex verbis *vbi nulla desideratur propago.* et paulo antea: *nisi si propter penuriam et caluitium loci submittitur in propagines.* Hanc enim alteram conditionem, vbi desideratur propago, non attigit, vti debebat. At infra sect. 17. rediit ad hanc insitionem alieno loco post terebrationem, vbi verba, in quibus interpretandis interpretes hucusque frustra laborarunt, huc retrahenda sunt: *Neque est vlla eius propagandi necessitas, si modo tam mediocris est crassitudo trunci, vt incrementum insiti plagam possit contegere; nisi tamen* et quae sequuntur vsque ad finem capitis. vbi vide notam.

13. *superficies*] i. e. truncus, supra surculum exstans. Sic supra cap. 11. 1 et 2. De Arborib. 10. 2. et Plinius 17. c. 24. *aufertur terra aequaliter superficies, laeuigatur falce truncus.*

14. *alienigenis surculis*] Vulgatam *vt totus truncus alieni generis viti seruiat* inepte esse a Iucundo fictam, docet ipsa varietas lectionis, quam tamen non recte annotauerat ex Edd. primis Gesnerus, ita, vt putares ibi exstare: *vt vlceratus surculus truncus alieni generis viti seruiat*, cum in B. Br. R. sit scriptum: *vt alieni generis viti vlceratus surculus seruiat.* Hinc mihi quidem fit probabile, in Sang. non esse *alienigenis surculis*, quam lectionem inde retulit Ernesti, sed *vt totus surculus.* quam scripturam annotauit ita Gronovius, vt pro *truncus* in Sang. esse *surculus* tantum admoneret. Quicquid sit, lectionem eam posui, quae ferri et intelligi potest, dum verior ex antiquarum Edd. lectione eruatur. Deinceps ex Sangerm. *cum inolescat* annotauit Gronovius.

16. *com-*

16. *commenti*] Palladius III. 17. *Quartum genus Columella sic retulit. Gallica terebra vsque ad medullam arborem perforandam, plaga interius leuiter inclinata. ibi educta omni scobe vitem vel ramum ad modum foraminis impressi delibratum, succidum tamen et humentem stricte imprimi, vna aut duabus gemmis foris relictis. tunc argilla et musco locum diligenter operiri. ita et vites in vlmo inseri posse commissas.* Noster de Arborib. c. 8. *Quibusdam antiquorum terebrari vitem placet, atque ita leuiter adrasos surculos demitti; sed nos meliore ratione hoc idem fecimus. nam antiqua terebra scobem facit, et propter hoc vrit eam partem, quam perforat. perustantem perraro* (libri optimi *praeusta autem pars raro*) *vnquam comprehendit surculos. Nos rursus terebram, quam Gallicam dicimus, huic insitioni aptauimus: ea excauat* (libri *exsiccat*) *nec vrit, quia non scobem, sed ramenta facit. Itaque cauatum foramen cum purgauimus, vndique adrasos surculos inserimus atque ita circumlinimus. Talis insitio facillime conualescit.* Vides, in his duobus locis Columellae nullam fieri mentionem plagae seu foraminis interius leuiter inclinati, nec vlmum vite insitam memorari. Quare mancos censere debemus vulgatos libros, eo quidem magis, quod Cato etiam, vbi hoc genus describit, cap. 41. oblique terebrari vitem iubet, vt medulla surculi medullam vitis contingere possit. Plinius 17. sect. 25. *nostra aetas correxit, vt Gallica vteretur terebra, quae excauat, nec vrit, quoniam adustio omnis hebetat.* Gallicam terebram in eadem re nominant Geoponica IV. 13. Crescentius, qui eandem rationem VIII. c. 6. docuit, Palladium sequi non videtur magis quam Columellam. Is igitur vitem ita ait inseri cerasso, vel alii cuiuis arbori iuxta positae. Sed idem IV. 11. Inseritur autem in arbore vlmi et forsan in quibusdam aliis, secundum Columellam, vt truncus arboris gallica vsque ad medullam perforetur terebra, vbique affigatur surculus vitis etc.

17. *Igitur secundum*] Haec vsque ad *neque est vlla necessitas* ex libro de Arboribus cap. 8. huc in locum alienum translata esse, vt lacunam explerent, vel hic eadem de causa conficta, vt ibi, censet Pontedera. Barbara enim esse et falsa, quae de discrimine vuarum tradantur; neque quemquam hoc discrimen seruare pro discrimine terrarum. nam in vliginosis locis melius nigras vuas seri, quam albas; quippe albam propter teneritudinem facile putrescere, in siccis locis vtrasque. Ergo his verbis omissis locum ita concinnat ex libro de Arbor. *itaque cauatum foramen cum purgauimus, vndique adrasos surculos inserimus, atque ita circumlinimus. Talis*

Talis insitio facillime coalescit, neque est vlla eius propagandi necessitas. Facile lector quilibet agnoscet, verba haec ab huius loci sententia plane aliena esse; igitur inclusi. Vnde translata sint huc et in librum de Arboribus, atque an vera sint, alia est disputatio. Gesnerus haec putabat esse contraria iis, quae supra III. 1. 4. docentur; verum ibi nihil est de insitione, aut de differentia albarum nigrarumque vuarum, quanquam ad illum locum olim pertinuisse suspicor. Vide ad VIII. 1. sect. 5.

nulla eius] Gesner *eius* cum Edd. primis omitti volebat; sententiam interpretatus: vbi insitione res transigi possit, propagatione, quippe laboriosiore, non opus esse. Sed Pontedera in Curis sec. retinet *eius*, interpretatus: quoniam insita propagantur, quae imbecillitatem ostendunt, aut quae tarde et difficulter coalescunt.

insiti] Ex Goesiano *insita* Broukhus. efficiebat *insitam* probante Schoettgen. Sed de totius loci huius sententia quaeritur. Quam sic coniectura assecutus ex loci vitiis explicauit Gesner: Moderatus docere voluit, quando opus sit duos surculos viti recisae imponere. Non opus est, vbi truncum non nimis crassum incremento vnius surculi insiti contegi posse et breui coalescere, spes est; opus contra est duobus in vno trunco seminibus, vbi is vastior est, quam vt coire breui tempore totus cum imposito vno sarmento queat, aut vbi, demortuo in vicinia capite, opus est illud propagine suppleri: Igitur rediisse Columella dicendus est ad priorem inserendi rationem, cum terebrationem tradidisset. Sed veram tandem difficillimi loci explicationem mihi reperisse videor, comparata sectione 12. vbi post verba *ne quid radatur e dauo.* inserenda sunt omnia, quae hic leguntur ad finem capitis. Ibi enim desideratur ratio altera, vbi surculus alter, ex insito scilicet subnatus, propagandus est in loci caluitium, quam hic traditam videmus alieno loco. Igitur seruato pronomine *eius* recte omnia illuc transposita procedent verba: *Neque est vlla eius propagandi necessitas.*

incrementum insiti — contingere] Ita recte cum Br. Sang. cum vulgatum *contegere* plane sit ineptum, quasi incrementum insiti sit: vitis insita crescens. Contra insiti surculi magnitudo talis esse debet, vt vtrinque insitus contingat fissuram, vt est supra sect. 9. Quod ex antiqua lectione *insita* coniiciebat Broukh. *insitam*, plane est a loci sententia alienum, quanquam Schoettgenio non improbatum. Ceterum hic addere lubet ex Plinio genus insitionis omissum a Columella. Ille igitur XVII. c. 16. vbi de emplastratione:

Qui-

Quidam huic generi miscuere fissuram in vitibus, exempta cortici tessella, surculo a latere plano adigendo. Idem paulo post: *Vitis non recipit emplastra, nec quibus tenuis ac caducis rimosusque cortex.* Quem modum Harduinus interpretatur sic: *vites inseruere gemina ratione, primum fisso corticē in tessellae modum, quae emplastratio est; et praeterea terebrato trunci latere, insertoque surculo.* Quae sunt oppido inepta! Nec rectius Dalecampius: *Vites inserunt et ramo simul fisso et emplastro.* Emplastrum enim vitis non recipit. Igitur praeter fissuram vitis trunci insitionemque quidam simul gemmam vel palmitem nouellum cum corticis tessella et ligni exciderunt, vitique alienigenae per sinum aequalem imposuerunt. Tessellam ligni corticisque palmiti adhaerentem surculum planum vocare videtur Plinius.

Cap. XXX. *vitis rationem*] Libri quidam *rustici*, Goes. *vitici.* Malim *vinitoris* aut *vineaticam rationem.*

dotes] Eleganter. Vitis enim maritatur vlmis iuncta; alligatur vimine, palatur pertica, iugatur arundine.

hiberno] Hanc vocem spuriam censuit esse Vrsinus: forte quia hibernum tempus otiosissimum esse putabat. At iniquissimum hibernum tempus conuehendae huic materiae videtur, quoniam tunc ea maxime opus est praeparata; per hiemem enim vitis colitur, pedatur, iugaturque.

2. *Quare radices viminales*] Ineptissime radices viminales dicuntur, vbi debebant nominari *salices viminales.* Libri scripti obscura verae lectionis vestigia habent; manifestiora paulo deinceps, vbi legitur in iis: *sunt licet viminalium.* vbi legendum est: *Salicum viminalium.* Vimen enim pro ipsa salice dicitur infra; viminalia pro salicibus dicta non memini legere. Quod deinde in Brusch. et Aldina reperi *salices viminales* sine haesitatione restitui.

sufficere possunt] Ex lectione librorum scriptorum suspicor legendum esse: *Salicum viminalium Atticus putat singula iugera sufficere posse.*

3. *salicto destinatum solum*] Haec verba auctoritate Broukhusii et Pontederae confisus inclusserat veluti spuria Gesnerus; equidem cum Edd. I. B. R. et libris scriptis inserui *pastinare*, et reliqua cum antecedentibus copulari. Ita nihil abundat, aut glossae suspicionem mouebit.

4. *tria*] Plinius XVI. c. 68. *salicis plura genera. Hanque et in proceritatem magnam emittunt iugis vinearum perticas, pariuntque balteo corticis vincula: et aliae virgas saquasis ad vincturas lentitiae. Aliae praetenues viminibus texen-*

texendis spectabili subtilitate; rursus aliae firmiores corbibus, ac plurimae agricolarum supellectili: candidiores ablato cortice lenique tractatu, vilioribus vasis, quam vt e corio fiant: atque etiam supinarum in delicias cathedrarum aptissimae. Caedua salici fertilitas, densior tonsura, ex breui pugno verius quam ramo: non, vt remur, in nouissimis curanda arbore. Nullius quippe tutior est reditus, minorisue impendii, aut tempestatum securior. vbi in libris scriptis aliquot est *melioribus vasis.* Vincentius habet *mollioribus* et deinceps in *deliciis.* Pergit Plinius: *Finditur graeca rubens: candidior Amerina, sed paulo fragilior, ideo solido ligat nexu. In Asia tria genera obseruant; nigram vtiliorem viminibus; candidam agricolarum vsibus; tertiam, quae breuissima est, helicem vocant. Apud nos quoque multi totidem generibus nomina imponunt; vimineam vocant, eandemque purpuream. Alteram nitelinam a colore, quae sit tenuior; tertiam gallicam, quae sit tenuissima.* vbi recte Vincentius legit *viminalem;* idem habet *vitellinam* pro *nitelinam*, a colore vitelli oui. Theophrastus H. P. III. 13. nigram cortice nigro et purpureo virgas ad opera vitilia vtiliores habere ait, albam cortice albo densiores virgas praebere; Arcades salicem appellare helicem. — Pro *praecipue* malim *praecipua.* Graecam salicem Matthiolus angustifoliam purpuream seu nigram Botanicorum, contra *Bradley* p. 296. eam interpretatur, quae Britannis audit *Dutch Willow;* gallicam eandem viminalem esse ait, quae Theophrasto corticem nigrum habere dicitur; tertiam Sabinam vel Amerinam esse Botanicorum Salicem aquaticam humilem, *the common Osier*, quae apud Lugdunenses Galliae hodieque *Amerine* audiat. Seruius ad Georg. I. 265. *genus salicis dispari colore a caetera salice. nam est rubra et ad connectendum aptior, quia praeter morum lenta est; quae nunc quoque amerina a rusticis dicitur.* Amerinae corbulae Cato XI.

Plenitudinis] Sangerm. *planitudinis.* Plinius XVII. c. 32. *Principatum in iis, (quae propter alias seruntur, ac vineas maxime, caedua ligno,) obtinent salices, quarum sacio fit loco madido, tamen refosso duos pedes et semipedem, talea sesquipedali, vel pertica, quae vtilior, quo plenior. Intervallo esse debent pedes seni. Trimae pedibus binis a terra putatione coercentur, vt se in latitudinem fundant, ac sine scalis tondeantur. Salix enim foecundior est, quo terrae propior. Has quoque omnibus annis confodi iubent mense Aprili. Haec est viminalium cultura. Perticalis et virga et talea seritur, fossura eadem. Perticas ex ea caedi iustum est quarto fere anno.*

anno. Et eae autem senescentium propagine resarciunt locum, pertica immersa ac post annum recisa. Salicis viminalis iugera singula sufficiunt XXV. vineae iugeribus. Quae quidem Plinius ex ipso Attico paulo integriora traduxisse videtur, in aliis librarii errorem suspicari licet. Ceterum alii ex libris scriptis Plinii legunt: *configi iubent mense Aprili.* Vincentius habet *confodi vel configi.* Pro verbo *resarciunt* Vincentius habet *praesarciunt*, quod ex libris scriptis et editione principe restituit Brotier, nescio quam bene. De arundineto verbum sarcire infra ex Palladio afferam, vbi vulgo male sarrire legitur. Geoponica X. 3. ἀπὸ δὲ πλάδων καὶ πασσάλε μόνον φυτεύεται (ἀδύνατον δὲ ἐκ παρασπάδων διὰ τὸ μηδὲ παραβάλλειν ἐκ τῶν ῥιζῶν μοσχεύματά) ταῦτα· ἄμπελος, ἰτέα, πύξος, κύτισος. Eadem XI. 13. φυτεύεται φευρεαρίῳ μηνὶ ἐκ πορύνης καὶ πασσαλίσκων. Denique III. 6. ante Idus Februarii καλαμῶνας καὶ ἰτεῶνας circumfodi eadem iubent.

excedat] Ita ex vestigiis libri Polit. emendaui vulgatum *excedant.* refertur enim ad plenitudinem.

ad solidum] Gesnerus interpretabatur eo vsque imprimenda cacumina, dum solum aequent; nullaque adeo eorum sit superficies. Equidem *ad solidum* ita dici vix credo; igitur malo interpretari, dum ad solum durum perueniat pertica. Solidum ita opponitur resoluto et molli solo.

7. mergi] Quam restitui lectionem confirmat etiam Plinii locus, qui tamen male ad perticalem haec transtulit.

Cap. XXXI. *Perarida*] Columella Arbor. 29. *Salicem et genistam crescente luna vere circa Calendas Martias seritō. Salix humida loca desiderat genista etiam sicca, vtraque tamen circa vineam opportune seruntur, quoniam palmitibus idonea praebent vinculo.* vbi recte Pontedera emendabat *genista autem sicca.*

genistam] Plinius iterum XXIV. sect. 40. *Genista quoque vinculi vsum praestat.* Dubitat is an haec sit, quam Graeci auctores spartum appellauerint; sed de Asia testatur Galenus Simpl. Medic. Facult. VIII. sparto vites alligari. Genistae plantas obrui iubet Februario Palladius 33. Ad spartii genus Linnaeanum pertinet haec genista. Altinates genistas vt hastilibus aptas nominat Grotius Cyneg. 130. sed illae plane diuersae esse videntur.

defertur bima viuiradix] Id est, transfertur. Gesnerus tamen malebat *differtur.* Viuiradicem in sparto vix intelligo, proprie quidem dictam, vtique si bima postulatur. Arborum viuiradices noui, sed neque in iis aetas certa ad

plantandum definiri solet. Spartium vero ad frutices humiles seu potius virgulta pertinet. Quare cum libris scriptis duobus malim *radix* legere; nisi forte radices cum ipso frutice exemtae et diuisae dicuntur viuiradices. Hodie Galliae quaedam partes spartium iunceum Linnaei in locis peraridis ad vsum vestimentorum serunt, plantamque trimam demetunt. Spartium Hispanicum Botanicorum intelligi monuit etiam *Bradley* p. 295.

rubo] Plinius XVI. sect. 69. *siquidem et genistae et populi et vlmi et sanguinei frutices, et betulae et arundo fissa et arundinum folia, vt in Liguria, et vitis ipsa, et recisis aculeis rubi alligant et intorta corylus.* Vide supra cap. 13.

2. *exherbatur*] De ipsa pertica mihi durum videtur verbum. Ager exherbatur Colum. XI. 3. 11. Videant doctiores num quod aliud verbum lateat in vulgato corruptum. Ceterum Sang. *crebrequa* habet, teste Gronouio.

longitudinem ramorum] Vocabulum *ramorum* cum libris scriptis duobus omitti vult Pontedera; ramum enim esse arboris latitudinem. Cui equidem assentior; hinc inclusi. Sed in Brusch. transpositum legitur vocabulum id post *latitudinem*, quem eundem forte ordinem habuerunt libri scripti antea memorati.

Cap. XXXII. *Arundo*] Plinius XVII. sect. 33. *arundo etiamnum dilutiore, quam haec, solo gaudet. Seritur bulbo radicis, quem alii oculum vocant, dodrantali scrobe, interuallo duum pedum et semipedis, reficiturque ex sese vetere arundineto exstirpato; quod vtilius repertum, quam castrare sicut antea. Namque inter se radices serpunt mutuoque concursu nentur. Tempus conserendi antequam oculi arundinum intumescant, ante Calendas Martias. Crescit ad brumam vsque, desinitque, cum durescere incipit. Hoc signum tempestiuam habet caesuram. Et hanc autem quoties et vineam fodiendum putant. Seritur et transuersa, non alte terra condita; erumpuntque e singulis oculis totidem plantae. Seritur et deplantata pedali sulco binis obrutis gemmis, vt tertius nodus terram attingat, prono cacumine, ne rores concipiat. Caeditur decrescente luna. Vineis anno siccata vtilior, quam viridis.* Cannam ab arundine distinguit Columella, eandem fecit Palladius; disponit enim circa vites Februar. II. et de cannetis ponendis ad vsum vineae tradit ibid. cap. 23. Cato VI. 3. *arundinetum hoc modo serito: bipalio vertito, ibi oculos arundinis pedes ternos alium ab alio serito. Ibi corrudam serito, vnde asparagi fiant. Nam conuenit arundinetum cum corruda,*

da, eo quod foditur et inceditur et vmbram per tempus habet. Salicem graecam circum arundinetum serito, vti fiet, qui vineam alliges. Inepte vulgo haec in cap. 47. initio posita leguntur: *arundinem sic serito: ternos pedes oculos disponito.* quae plane sunt eiicienda, vt alii iam monuerunt. Catonis locum repetiit Varro I. 24. et Plinius XVI. s. 67. Geoponica III. 53. docent arundines (καλάμας) gaudere locis apricis, ali ventis, plantari optime bulbis, transuersam etiam stratam facile germinare; sterni altitudine digitorum trium aut quatuor, ita, vt vnus alterue oculus exstet. Quae contra recta plantetur, duo genicula habeat, oportere, et ad 12 digitorum profunditatem plantetur. Tempus plantationis esse vere, quoniam a glacie facile laedantur et frigore; ideo locis frigidis circa autumnum esse plantandam. Eodem anno caedi post brumam; eo enim vsque crescere. Denique addunt fumo exsiccatas arundines commendari a quibusdam ad vineam, quoniam insectum viti noxium ἴτα non generent, vtpote ex putrescentibus arundinibus enasci creditum. Eadem Geoponica III. 2. calamos plantari iubent Februario antequam germinent; cap. 3. Martio etiam mense plantari iubent, vtique ante aequinoctium. In loco Plinii Vincentius habet *dulciore — solo — duorum pedum et semis — discursu coecantur.* Postrema haec lectio optima et vera est. In libris scriptis reperit Harduinus *decursu necantur*, ex quo emendabat: *decussu necantur.* Quod vero vineis siccatam anno vtiliorem ait esse quam viridem Plinius, ex Geoponicorum loco allato interpretandum de insectorum noxa cavenda, nisi forte *fumo* pro *anno* legendum fuerit. Palladius Febr. 23. *Tempore hoc canneta ponenda sunt factis breuissimis scrobibus, et oculis cannarum per singulas scrobes obrutis, qui semipedis spatio inter se distare debebunt. Si calidae et siccae prouinciae studemus, valles humidas vel irriguas opus est deputare cannetis; si frigida regio est, locis mediis instituantur, sed succo villarum subditis. Inter haec asparagorum etiam semina spargere possumus, vt mista nascantur, quia et asparagi colunturet incenduntur eo more quo cannae. Sed si sunt antiqua cameta, hoc tempore sarrientur, recisis quae in radice purganda sunt, id est, putribus, male porrectis et si qua gignendi oculos non habebunt.* Vides, pro *corruda* Palladium dixisse semina asparagi et repetiisse asparagorum hanc mixtionem cum arundine ex Catone, vnde et Varro et Plinius; omisit tamen nescio qua de causa Columella. Praeterea ex Palladio, Varrone et Plinio cognoscitur, verba in Catonis loco haec: *et vmbram per tempus habet:* spuria aut aliun-

aliunde temere illuc translata esse; quod viderunt etiam alii. Postea interuallum semipedis inter bulbos nimis angustum est, forte vitio scripturae. Deinde pro *sarrientur* Crescentius habet *sarcientur*, quod fortasse melius quam illud vocabulum. Ceterum Palladius alium auctorem secutus est quam Columellam, Catoni propior; Columella Atticum videtur exscripsisse, vnde Plinius quaedam accuratius paulo posuit. De arundineto incenso, quo laetius renascatur, iterum Plinius ex Catone c. 161. libro XIX. sect. 42. et XVII. sect. 47. Inulam vt arundinem oculis ex radice excisis seri ait XIX. sect. 29. Palladius Febr. 24. *Seritur inula oculis, sicut calami.* Arundinem non nisi impendente pluuia seri iubent quidam apud Plinium XVIII. sect. 78. Colum. Arbor. c. 29. *arundo optime seritur quas alii bulbos, alii oculos vocant. simulatque terram bipalio repastinaueris radicem arundinis acuta falce praesectam impendenti pluuia disponito.* — Ceterum e *pastinato* reposui probante Pontedera pro *pastinatur.*

Seritur bulbus] Alterum *seritur* omittit Sang. liber. Colum. Arbor. 29. *Sunt qui arundines integras sternant, quoniam ex omnibus nodis strata arundo emittit. Sed fere hoc genus euanidam exilemque et humilem arundinem affert: melior itaque satio ea est, quam prius demonstrauimus. Placet autem omnibus annis, simulac arundinem cecideris locum alte et aequaliter confodere atque ita rigare.* Theophrastus H. P. II. 2. *φύεται δέ τις καὶ κάλαμος ἐάν τις διατέμνῃ τὰς ἠλακάτας πλαγίας ἢ καὶ κατακρύψῃ κόπρῳ καὶ γῇ.* vbi quas ille *ἠλακάτας* Columella calamos appellat. Rationem vineae arundine iugandae docet Varro I. 8. 4. vbi vide. Arundo Maracias intelligitur. Vide ad V. 4.

3. *densatum est*] radicibus et calamis. Theophrastus H. P. II. 12. arundinem characiam nasci ait *ἐν τοῖς κώμυσι*; ita vero appellari, vbi densata et radicibus implexa arundo fuerit terrae bonitate et pinguedine.

4. *disrarari — castrationem*] Edd. I. B. R. *durari.* Ita infra V. 6. 36. pro *diradiare* eaedem habent *durare.* Pro *castrationem* eaedem cum Sangerm. libro habent *stipationem*, ex quo efficere liceret stirpationem, si aeuo Columellae familiaris fuisset hic vsus verbi pro exstirpatione. Ex sequiore aeuo exempla habet Cangius.

quatenus calami] i. e. quia, vt saepe apud Tacitum et Plinium. Quod cum ignoraret librarius Codicis Lips. scriptor, corrupit lectionem vulgatam. Ceterum intelligi Botanicorum arundinem donacem, Britannorum suorum *Spanish Reed* monet *Bradley* Survey p. 294. Graecam harundinem

dinem hanc dixit Vitruuius, eique paluſtrem tenuem, minus rigidam et longam oppoſuit, quam Columella degenerem et cannam vocauit. Cf. ad Pallad. I. 13. In Vegetio ſcriptum legitur ſaepe *quatinus*; atque ita pro quoniam ſcribi voluerunt cum Feſto grammatici veteres. Cf. Drakenborch ad Liuium II. 55. 9. Similis varietas eſt in *protinus* et *protenus*. Dixerunt etiam *protinam* et *protinis*.

5. *compeſcitur — obriguit*] Vulgatum *obrigant* emendari iuſſit Vrſinus et Morgagni, quibus obſecutus eſt Geſnerus. Pro *compeſcitur* in edit. I. B. R. eſt *conficitur*. Forte voluit *conciditur*. Ita tamen Columella compeſcere vmbras IV. 27. ramos ferro compeſcere V. 6. 11. dixit.

incendunt] Theophraſtus H. P. IV. 12. ἅπας δὲ πάλαμος εὔζωος, καὶ τεμνόμενος καὶ ἐπικαιόμενος κυλίων βλαστάνει.

Cap. XXXIII. *Caſtanea*] Plinius XVII. c. 34. *caſtanea pedamentis omnibus praefertur facilitate tractatus, perdurandi peruicacia, regerminatione caedua vel ſalice laetior. Quaerit ſolum facile, nec tamen arenoſum: maximeque ſabulum humidum aut carbunculum vel toſi etiam farinam, quamlibet opaco ſeptentrionalique et praefrigido ſitu vel etiam decliui. Recuſat eadem glaream, rubricam, cretam omnemque terrae foecunditatem. Seri nuce diximus; ſed niſi e maximis, non prouenit, nec niſi quinis aceruatim poſitis. Perfringi debet ſolum ſupra ex Nouembri menſe in Februarium, quo ſolutae ſponte cadunt ex arbore atque ſubnaſcuntur. Interualla ſint pedalia, vndique ſulco dodrantali. Ex hoc ſeminario tranſferuntur in aliud, bipedali interuallo, plus biennio. Sunt et propagines, nulli quidem faciliores. Nudata enim radice tota in ſulco proſternitur; tum ex cacumine ſupra terram relicto renaſcitur, et alia a radice. Sed tranſlata neſcit hoſpitari, pauetque nouitatem. Biennio fere poſtea proſilit. Ideo nubibus potius quam viuiradicibus plantaria caedua implentur. Cultura non alia quam ſupra dictis, fodiendis ſupputandiſque per biennium ſequens: de cetero ipſa ſe colit vmbra ſtolones ſuperuacuos enecante. Caeditur intra ſeptimum annum. Sufficiunt pedamenta iugeri vnius vicenis vinearum iugeribus, quando etiam ea bifida ſtirpe fiunt, durantque vltra alteram ſiluae ſuae caeſuram*, vbi Harduinus vulgatum *nec non arenoſum*, quod et Vincentius habet, ex libris ſcriptis emendavit. Idem *glaream* ex Palladio poſuit pro vulgato *gallicam*. Altero tamen loco, XIII. cap. 6, Vincentius habet: *nec tamen arenoſum*. Deinde in Plinio lego: *bifida ex ſtirpe fiunt*.

et antea ex Columella distingue: *pauetque nouitatem biennio fere; postea prosilit.* Reliqua verba deinceps interpretabor.

post quinquennium] Plinius: *caeditur intra septimum annum.* Scilicet bima transplantatur; deinde post quinquennium caeditur. Nisi Plinius aberrauit exscribens Atticum.

atque in palum] Scripturam Pol. et Sang. *neque in palum* probat Pontedera, nullo alio argumento comprobans nisi loco Columellae, vbi est: *genus fissilis adminiculi manet diutius quam teres palus.* Sed ecce Plinius: *Sufficiunt pedamenta iugeri — quando etiam ea bifida* (lego *ex bifida*) *stirpe fiunt, durantque vltra alteram siluae suae caesuram.* Igitur Pontederae assensus vulgatum *atque in palum* correxi.

tum in] Vulgatum *eius enim in* ab Aldo proditum suadente etiam Pontedera correxi, vt rationes rectius ederet Columella plures, ob quas Castaneam probaret. Causa enim prioris laudis non continetur iis quas subiunxit Columella; itaque vulgatum *eius enim* est etiam ineptum.

pullam terram] Palladius Nouembri c. 7. *amant solum molle et solutum, non tamen arenosum. in sabulone proueniunt, sed humecto. nigra terra illis apta est, et carbunculus, et tophus diligenter infractus. in spisso agro et rubrica vix provenit: in argilla et glarea non potest nasci. diligit caeli statum frigidum, sed et tepidum non recusat, si humor assenserit. delectatur cliuis et opacis regionibus ac maxime in septentrionem versis.* Geoponica longe aliter II. 8. δρύες καὶ καστανέαι ἐν τοῖς συνεχῶς κατομβριζομένοις τόποις κατατιθέσθωσαν. Eadem III. 3. Martio castaneam serunt talea maxime in locis humectis et frigidis; etiam Decembri castaneta (καστανεῶνας) plantari, docent cap. 15.

2. *in ordinem semipedalibus*] Plinius: *Interualla sint pedalia.* Palladius: *pastinari ergo locus debebit, qui huic destinatur arbusto, altitudine pedis vnius et semis vel duorum, vel totus aut sulcis in ordinem destinatis, aut certe aratris resolui hinc inde findentibus: qui fimo satiatus ac redactus in puluerem castanearum semen accipiat non amplius pedis dodrante demersum. Vnicuique semini propter notam surculus debet affigi. ipsa semina singulis locis simul terna vel quina ponantur, et inter se quatuor pedum spatio separentur.* vbi Crescentius habet *deputatur — terra aratris — quatuor vel trium pedum spatio separata.* Vides, spatia variare Palladium, qui sua aliunde transtulit quam ex Columella. Ex Attico transtulit Plinius, et quaedam forte errore suo variauit. Sed

Colu-

Columella nunc castaneam in vsum vinearum, Palladius ob fructum nucum serit!

3. *semina stilauerint*] Recte ita Gesnerus emendari voluit vulgatum *stillauerint*, surculum tenuem interpretatus. Ita Columella XI. 11. 79. *arbusculas ficorum in seminariis putari et in singulos stilos* (i. e. caules) *redigi* iubet. Iterum V. 10. 27. *semina amygdalarum ad vnum stilum rediguntur.* Ita etiam de Arboribus c. II. 5. 2. Semina ergo h. l. germina, plantae sunt. Supra autem *spissius semen* de nuce est. De radice simplice stilum dixit Columella V. 10. 13. qualem nucum genus omne gerit. An igitur de radice intelligendum? Dodrantalem stilum in cupressi translatione dixit Plinius 17. s. 14.

etiam bima] Haec ita Plinius: *Ex hoc seminario transferuntur in aliud bipedali interuallo plus biennio.* Palladius: *Quibus transferre placuerit, bimas plantas transferre debebunt. Locus tamen deductoria liquoris accipiat, ne humor insidens limo germen exstinguat.*

caluescunt] Cato cap. 33. *vinea a vite calua.*

4. *radicibus*] Ita recte libri. Vulgo *radicitus.* Pontedera putabat, nihil referre, vtram lectionem praeferas, probabat tamen esse *radicibus* vt antiquiorem. Palladius: *Cui placet, potest castaneae in propaginem ducere ima virgulta, quae in radice nascuntur. Idem paulo antea: Castanea seritur et plantis, quae sponte nascuntur et semine; sed quae plantis seritur ita aegra est, vt biennio de eius vita saepe dubitemus. Serenda est igitur ipsis castaneis, hoc est, seminibus suis mense Nouembri et Decembri, item Februario. Pertica* h. l. igitur eodem modo dicitur, vt supra cap. 30. 4. *perticae cacuminum.* Plinius: *Sunt et propagines, nulli quidem faciliores; nudata enim radice tota in sulco prosternitur; tum ex cacumine supra terram relicto renascitur et alia ab radice.* quae quidem verba aut ineptissime sunt ex Attico translata, aut errore librarii vitiata. Nihil enim sani inest illis: *nudata radice tota in sulco prosternitur.* Contra Damogeron Geoponic. X. 63. ἀσφαλέστερος δὲ ὁ διὰ τῶν φυτῶν· μετὰ γὰρ δύο ἔτη καρποφορήσει. addunt gaudere terra arenosa et locis frigidis; nuce et viuiradice, (ἐνρίζων, παραστάδων αὐτορίζων,) praeterea clauis (σκυταλῶν) et ramis, velut oleam, ab aequinoctio seri; nucem poni parte acuminata sursum spectante.

cuius summae] Notam numeri, quam libri Goes. et Sangerm. habent, etiam Victorii Codd. exhibuisse, monui ad Varronem I. 10. 2. et miror, eam a Victorio et Gesnero vulgari fuisse posthabitam.

5. *quercus — deciditur*] Theophraſtus H. P. II. 2. vbi de cupreſſo caedua, de quercu, δρυΐ, addit: *οἱ δὲ καὶ ἐπ' αὐτῆ τῆ στελέχας κοπέντας βλαστάνειν.*

Poſitioniſque] Recte omittunt libri ſcripti; igitur incluſi. Geſnerus malebat *putationiſque* legi, inepte; de putatione enim ſtatim deinceps ſubiicit. Poſitionis ratio longe alia in vite quam in caſtanea. Palladius: *nouum caſtanetum circumfodi debet aſſidue menſe Martio et Septembri. Incrementum maius acquirit, ſi putationibus adiuuetur.* Ita enim locus ille ex Creſcentio diſtinguendus eſt. Plinius: *cultura non alia, quam ſupra dictis fodiendis ſupputandiſque per biennium ſequens.*

quercus] Inter caeduas arbores quercum nominari non memini. Sed de aeſculo Plinius l. c. *Eſculus ſimiliter prouenit, caeſura, triennio ſenior, minus moroſa naſci. In quacunque terra ſeritur, naſcitur e balano, ſed non niſi eſculi, ſcrobe dodrantali, interuallis duorum pedum; ſeritur leuiter quater anno. Hoc pedamentum minime putreſcit, caeſumque maxime fruticat.* vbi legendum puto *foditur leuiter, quater anno.* nam vulgatam ineptiſſime interpretatur Harduinus. Ad glandiferas arbores pertinet eſculus, Ioui dicata, hinc quercum dixit Columella. Palladius Novembr. c. 15. *aeſculus aedificiis et ridicis apta materies.*

dumoſi glareoſique] Ex Palladii loco ſupra allato ſuſpicor, olim h. l. fuiſſe *cretoſi* aut *argilloſi glareoſique.* Nam *dumoſi* vix locum habet, etſi aliquatenus naturam terrae indicant dumi; ſatius tamen erat ipſam terrae naturam proprio vocabulo deſignare. Quod in Edd. I. B. R. eſt *cliuoſi* vix ſanum eſt.

COMMENTARIVS
AD
LIBRVM V. COLVMELLAE.

Hic incipere Sangermannenſem Codicem alterum variorum Scriptorum et inter eos Columellae Excerpta continentem et vetere ſcriptura exaratum, monuit Abr. Gronovius. Exordium capit is a verbis ſect. 4. *Quoniam familiariter,*

2. *indagantem*] Vrſini emendationem firmarunt libri ſcripti. Vulgo *indaganter.*

M. Trebellius] Vitellii Syriae praefidis A. V. 789. memorat M. Trebellium Tacitus Ann. VI. 41. neſcio an eundem.

4. *cum*

4. *cum eo*] Expressum ex graeco ἐφ' ᾧ, ἐφ' ᾧτε. Vtitur formula etiam Cicero ad Attic. VI. 1. VII. 13. Liuius VIII. 14. et frequentissime Celsus, monente etiam Gesneri Thes. L. L.

5. *vt ait M. Varro*] Hodie in Varrone nihil tale legitur; vnde arguere lacunam istius loci licet. Isidorus Orig. XV. 15. *actus est minimus latitudine pedum quatuor, latitudine pedum quatuor, longitudine centum sexaginta.* Sed Boethius de Geometria p. 1520. ed. Basil. *Actus minimus quatuor tantum pedibus in latitudine, et CXX. pedibus in longitudine protenditur.* Et sic etiam Frontinus Goesii p. 30.

Clima] Isidorus: *climata quoque vndique versum habent sexaginta pedes.*

Actus quadratus] Isidorus: *finitur pedibus centum viginti. Hunc Betici arapennem dicunt ab arando scilicet. Actus duplicatus iugerum facit, et ab eo, quod est iunctum, iugeri nomen accepit. Iugerum autem constat longitudine pedum ducentorum XL. latitudine centum viginti. Actum prouinciae Beticae rustici agrum vocant. Porcam iidem Betici triginta pedum latitudine et octoginta latitudine definiunt.* Monuit etiam Schoettgen, Anonymum de Limitibus p. 291. ex eodem Isidoro numerum porcae pedum in longitudine ponere LXXX. quem ipse probat cum Gesnero. Librarios de numero dubitasse arguit varietas lectionis. Gerbertus in Geometria edita a Pezio Anecdot. Vol. III. P. II. p. 12. *porca actus quadratus qui et agripennus seu aripennus.* et p. 14. *Porca pedes constratos habet 2400.* Itaque etiam hic locus confirmat lectionem a me receptam. De reliqua loci Isidori varietate tacent Interpretes. Arapennemis Baeticis attribuit; vbi Interpretes ex legibus Gothicis *aripennem* posuerunt, et ex Glossario: *Arpendia*, πλέθρα. *Aruipendium*, σχοῖνος γεωμετρικός. Gerbertus in Geometria p. 14. *Actus quadratus qui et agripennus seu aripennes dicitur — habet pedes constratos 14400. Iugerum seu iuger seu iugum, quod iunctis duobus aripennis confit — habet pedes constratos 18800.* vbi scribi debet 28800.

acnuam] In Isidori editione Parisiensi 1601. editum lego *agrum*, in margine annotatur *agnum*. Sed in notis Ioannes Grialus Codices Gothicos ait habere *agnam* in Isidoro, Interpretem autem Chacon in vtroque Varronis et Columellae loco in Cod. vet. scriptum legisse *acnam*. Dixi de vocabulo ad Varronem. Addo nunc locum ex Codice Marciano de mensuris apud N. Schow in Hesychio restituto p. 648. ἔχει δὲ ἡ ἄρουρα τῷ μέτρῳ τῶ καλάμῳ τῷ ἔχοντι πήχεις

στ' καὶ δίμοιρον, ὃ καλεῖται παρὰ γεωμέτρῃς ἕκατονταν κ' ἐπὶ κε' πλέθρα — τὸ δὲ πλέθρον κ' ἐπὶ κ' ἑκατόνας ἔχει τῷ μέτρῳ τῷ καλάμῳ ὅπερ παρὰ Παλαιστίνοις καὶ Ἄραψιν σατᾶιον καλεῖται.

candetum] Isidorus addit post *centum pedum* haec: *quasi centetum.* vbi alii libri *centenum* habent. Pergit: *in agrestibus — quod aratores candecum vocant.* Sed in notis Parisiensis monetur, omnes Isidori Codd. in posteriore loco habere *candetum*, et verba notae sic praescripta leguntur: *quadratum iustum candetum vocant.* sed in margine textus ex aliis libris laudatur *quadratos iustum candetum.* quam lectionem memorauit Godofredus; et Anonymus Goesianus de Limitibus p. 291. ex Isidoro habet: *quadratorum iustum candetum vocant.* vnde Schoettgen h. l. etiam legi malebat: *quod aratores iustum candetum.* Contra monet Gesner, aliam vocem rusticorum requiri, si *candetum* fuerit Gallorum elegantiorum vsu tritum. Verum omnino verba *quod — nominant* spuria censuit Pontedera, cuius de sententia inclusit Gesner. Ceterum de *arepenni*, vnde Gallicum *arpent*, vide Cangii Glossarium. A candeto repetiit Camdenus Britannicum *Cantroed*, seu *Cantredum*, quod centum villas complectitur; de quo vide Cangium sub voce *Cantredus.* Ceterum Sang. vterque *Gandetum.*

viginti octo] Si actus quadratus vndique finitur pedibus 120, qui in se multiplicati faciunt pedes quadratos 14400. actus duo iuncti efficere debent 28800.

stadium] Isidorus: *porro stadialis ager habet — cuius mensura octies computata miliare facit, quod constat quinque millibus pedum.* Vides, Isidorum additum a nobis vocabulum *mensura* confirmare.

7. *sed mox*] Isidorus ita: *sed postea duplicata est, nomenque pristinum retinuit. In numeri enim centuriae multiplicatae sunt, nomen mutare non potuerunt.* vnde suspicor, vocem *numero*, quam Edd. primae supra post *ducentorum* inserunt, ad h. l. pertinere, atque olim lectum fuisse *duplicata numero nomen tamen retinuit.*

a centum iugeribus] Quidni potius a totidem *herediis*, quae Varronis ratio est I. 10. 3. Gesner, cuius et seqq. sunt annotationes.

8. *iugerum habet*] Commentarii instar ad hunc locum esse poterit, quam subiiciemus tabellam; e qua porro de lectionis Commelinianae, quam hic seruamus, integritate iudicare licet. Eodem modo totum hunc locum edidit ὁ πάνυ Gronouius P. V. 3. 11. p. 199 sq. Tanto minus opus fuit,

fuit, corruptos culpa librariorum numeros, et monstra varietatum cum lectoris nausea apponere. Porro *scripulum* retinuimus, non quo non melius putemus *scriptulum*, (Gr. γράμμα vid. Ind.) quod nec in Chrestomathia Pliniana dissimulauimus: sed quia videtur, quod eodem loco diximus, non sola librariorum culpa hanc vocem ab origine sua et etymo detorsisse. Sed ecce tibi tabellam

Scrip.	Pedes.	Pars iugeri, id est, assis.
½	50	576
1	100	288 (scripulum)
2	200	144
4	400	72 sextula
6	600	48 sicilicus
12	1200	24 semiuncia
24	2400	12 vncia
48	4800	6 sextans
72	7200	4 quadrans
96	9600	3 triens
120	12000	$3\frac{1}{12}$ ($\frac{1}{12}$) quincunx
144	14400	2 semis
168	16800	$2\frac{1}{12}$ ($\frac{1}{12}$) septunx
192	19200	$\frac{2}{3}$ — bes
216	21600	$\frac{3}{4}$ — dodrans
240	24000	$\frac{4}{5}$ et $\frac{1}{2}$ ($\frac{10}{12}$) dextans
264	26400	$\frac{5}{6}$ et $\frac{1}{4}$ ($\frac{11}{12}$) deunx
288	28800	— — — as

10. *pars duodecima duo millia*] Scribatur: Pars duodecima *pedes* vel *p.* nam Iensonius p. 11. CCCC. Ponted. 2.

11. *pars tertia et vna duodecima*] Scribi iubet *vna* Cl. Pontedera, hic et paulo post semel atque iterum ideo credo, vt intelligatur, *vna* aduerbium esse, non casum rectum, ad *pars* relatum: quod nobis quoque, fateamur enim, ita videbatur. *G.*

Cap. III. 2. Obseruandum, schemata quae plane omittit Lipsi. in primis editionibus et Mediceo codice numeris modo Romanis vtcunque dispositis, neque his satis emendatis constare, e. g. primum schema tale est in editis

C C
C X C in Mediceo [X]
C

Vnde illud certe discimus, millenarii notam saepe omissam, et minori tantum numero expressam, vbi res ipsa satis indicaret

caret scilicet, de millibus sermonem esse. Etiam hoc semel obseruasse iuuerit, quod hic notauit Politianus, in codicibus antiquis pro numerali D saepe occurrere A. vid. ad Colum. IV. 33. 4. Denique integriores et saniores numeros esse in Mediceo apparet, in monstrosis licet figuris: vt veram lectionem hic proponi, vel sic illius testimonio appareat. *G.*

iugeri trientem et sextulam] Haec iam componere cum laterculo nostro, et ipsa contentione bene se habere vtrinque numeros, licet intelligere. Haec talia porro ostendunt, quam saepe vsus fuerit patribus familias diuisionis assis, et quam apposite Horatius A. P. 325 sq. *Romani pueri longis rationibus assem Discunt in partes centum diducere. dicat Filius Albini, si de quincunce remota est Vncia, quid superat? poteras dixisse, triens. eu! Rem poteris seruare tuam. redit vncia, quid fit? Semis etc.* Ceterum figuris, quae auctoris antea verbis interponebantur, commodiorem spero hic locum adsignauimus. Sit ergo

Quadrati agri forma



3. *Iugeri forma*



4. *longus pedes C.*] Habet hanc speciem vel problema, si lubet, etiam Goesianus mensor p. 313. Sed vel obscure, vel parum accurate loquuntur. Longitudo non intelligenda est *eb* vel *fd*, haec enim non est perpendicularis cum *ef* et *bd*: sed intelligenda *ab* vel *cd*: quo facto vera erit computatio; facile probanda, si resoluas aream in duo triangula et vnum oblongum etc. Sed apparet etiam ex aliis, parum accu-

habet ad ſagittam vt 16 ad 4. hinc neque demonſtrari poſſe. Certius proinde fuerit in triangula reſoluere aream, dum ad minutias ſubſeciuas veniatur. *G.*

quinta et viceſima parte minus] Παχυλῶς indicat rationem. Dimidium enim ſcripulum iugeri ſunt pedes 50. cuius $\frac{1}{25}$ ſunt 2. ſed tota haec ratio, vti diximus, claudicat. *G.*

Minoris ſemicirculo agri forma



10. *ſi fuerit ſex angulorum*] Reſoluit in VI. triangula aequilatera, et toties repetit rationem ſ. 5. propoſitam, vbi etiam, quid de illa cenſendum ſit, dictum eſt. Etiam hic eadem tradit menſor Goeſianus. p. 315. *G.*

Hexagoni agri forma



Cap. III. 2. *ſemina inter quinos pedes*] Quae ſequuntur ſchemata in editis a Iuntarum inde diligentia, (ſuperiores enim et MSS. illo leniocinio carent) ea nulli rei proſunt: tamen non omittenda cenſui, ne quis imperitus etiam aliquid hic omiſſum eſſe cauſſari queat. Studui tamen, vt aliquantum accuratiora eſſent. *G.* Noſtri vero lectores non inuiti iis carebunt. Addam hoc loco quae Geſner ad menſurarum rationem a Columella propoſitam examinandam et iudicandam poſuit poſt librum hunc quintum, ab Hambergero pleraque omnia accepta. Sunt autem verba ipſius Geſneri haec:

Quaesieram, pro amicitiae nostrae iure, ex Celeberrimo Hambergero, I. An solutio a Columella V. 2. 5. proposita demonstrari possit? II. An ea transferri possit ad triangula alia aequilatera? Ad haec ille ista, quae inuidere lectoribus nolui, quamuis ipse quaestiones meae confessionem habeant, in erudito illo puluere minus me, quam vellem versatum: et ipse non scripserit eo consilio, vt cum omnibus communicarentur.

Huius quaestionis nulla datur solutio, quia assertum, (quod nempe $\frac{1}{3}$ atque $\frac{1}{10}$ □i lateris Δli aequilateri, vel, quod eodem redit, $\frac{10}{30} + \frac{3}{30} = \frac{13}{30}$ eiusdem □i sint areae trianguli aequales) non nisi vero est proximum.

Hoc vt demonstrem, praesuppono, quod, si quantum sub signo radicali multiplicandum sit cum alio quanto absque signo radicali, hoc prius ad □i dignitatem euehi debeat, et dein, multiplicatione quantorum facta, productum sub signo scribendum sit radicali: v. g. sit $\sqrt{9} = 3$ multiplicanda per 4, aut ita scribendum $4\sqrt{9}$ aut 4 ad dignitatem □i euehendum, et 9 multiplicatum per 16, $= 144$ sub signo radicali ponendum et erit $\sqrt{144} = 12 = 3.4$.

Sit iam Latus Δli aequilateri $= a$, erit □ eiusdem aa, et huius pars tertia atque decima $= \frac{1}{3}aa + \frac{1}{10}aa =$ (ex hypoth.) areae trianguli.

Quaeramus hanc aream Δli methodo demonstratiua hinc assumamus eiusdem dati trianguli dimidium



cde, erit $ce = a$, □$ce = aa$, $de = \frac{1}{2}a$, □$de = \frac{1}{4}aa$ ego per theor. Pythag. □$cd = aa - \frac{1}{4}aa$ hinc $cd = \sqrt{aa - \frac{1}{4}aa}$, quod si igitur haec linea cd tanquam perpendiculum per dimidiam basin $de = \frac{1}{2}a$ multiplicatur, prodit area Δi $\frac{1}{2}a\sqrt{aa - \frac{1}{4}aa} = \sqrt{\frac{1}{4}a^4 - \frac{1}{16}a^4}$ (si nempe, vi praesuppositi, $\frac{1}{2}a$ euehitur ad □i dignitatem et dein $\frac{1}{4}aa$ multiplicatur cum quanto sub signo radicali $aa - \frac{1}{4}aa$, et productum sub signo radicali ponitur.) Cum vero, si diuersae denominationes ad eandem reducuntur, modo dictum factum $\frac{1}{4}a^4 - \frac{1}{16}a^4 = \frac{4}{16}a^4 - \frac{1}{16}a^4 = \frac{3}{16}a^4$ erit etiam $\sqrt{\frac{1}{4}a^4 - \frac{1}{16}a^4} = \sqrt{\frac{3}{16}a^4}$.

Quod

Quod ſi ergo reſolutio Columellae in rigore geometrico daret aream Δli, foret $\frac{1}{3}aa + \frac{1}{10}aa = \sqrt{\frac{3}{10}a^4}$ hinc horum quantorum quoque $\square$a forent aequalia, i. e.

$$\begin{array}{l} \frac{1}{3}aa + \frac{1}{10}aa \\ \frac{1}{3}aa + \frac{1}{10}aa \\ \hline + \frac{1}{30}a^4 + \frac{1}{100}a^4 \\ \frac{1}{9}a^4 + \frac{1}{30}a^4 \\ \hline \end{array} \qquad \frac{1}{9}a^4 + \frac{1}{15}a^4 + \frac{1}{100}a^4 \text{ foret} = \frac{3}{10}a^4$$

$\frac{1}{9}a^4 + \frac{1}{15}a^4 + \frac{1}{100}a^4$ reducantur hae fractiones ad eandem determinationem, dabunt hoc $\square = \frac{1500}{13500}a^4 + \frac{900}{13500}a^4 + \frac{135}{13500}a^4$ colligantur hae fractiones in vnam ſummam et erit $\square = \frac{2535}{13500}a^4 = \square o \sqrt{\frac{3}{10}a^4} = \frac{3}{10}a^4$ ergo, cum fractiones ſint rationes, ſi fractiones ſunt aequales, erunt etiam rationes aequales; rationes $=$les dant proportionem, in qualibet proportione geometrica factum extremorum eſt $=$le facto mediorum: Hinc ſi $2535 : 13500 = 3 : 16$ foret factum ex 2535 in $16 = 40560 = 40500$, i. e. facto ex 13500 in 3. Cum igitur iſtud, quod ex hypotheſi fluit, ſit falſum, erit etiam ipſa hypotheſis falſa.

De ſecunda ergo quaeſtione patet, demonſtrationem prioris problematis, quia non datur, ad alia triangula non aequilatera tranſferri non poſſe. Tametſi vero demonſtratio vniuerſalis dari non poſſit, ipſum tamen problema facillime vniuerſale euadit. nam cum Δ praeſupponatur aequilaterum et vnum latus ſit datum, omnia latera data erunt, et ſic ſpeciale Columellae problema ad omnia Δla applicatum tale erit.

Datis tribus lateribus Δli cuiuſcunque inuenire aream

Reſolutio haec eſt:

1) A dimidio ſummae trium laterum ſubtrahantur latera ſingula.

2) Idem dimidium multiplicetur per vnam differentiam inventam.

3) Hoc factum multiplicetur per alteram differentiam inventam.

4) Hoc factum multiplicetur per tertiam differentiam inventam.

5) Ex hoc facto extrahatur radix.

Haec erit area deſiderata.

Sit v. g. cuius latera 3. 4. 5. erit ſumma = 12, dimidium ſummae = 6, differentia inter hoc dimidium et quodlibet latus

6	6	6
3	4	5
= 3	2	1

multiplicetur 6 per 1, factum = 6 per 2; hoc factum = 12 per 3 ex hoc facto = 36 extrahatur radix = 6 quae eſt area deſiderata.

Huius ſolutionis demonſtrationem Algebraico-geometricam ſi ſcire cupis, dabo.

Nolebam fatigare virum eruditiſſimum, cum iſta non parentur Geometris: Sed interrogaui, quod magis ad rem meam tum pertinebat, I. An demonſtrari poſſent, quae habet Columella V. 2. 7? II. Itemque ea, quae habet idem V. 2. 8? et III. quae docet V. 2. 9? Reſponſum tuli eiuſmodi.

Reſponſio ad quaeſtionem primam:

a) Area circuli oritur, ſi peripheria in quartam partem diametri, vel integra diameter in peripheriae quartam partem ducitur.

b) Quadratum diametri oritur, ſi diameter per diametrum multiplicatur.

c) Sunt ergo □ diametri, atque area circuli facta ex diametro atque ex peripheriae quarta parte in diametrum, i. e. ſunt facta ex duobus numeris multiplicatis per eundem tertium: Talia vero facta ſunt vti numeri dati.

d) Ergo etiam □ diametri erit ad aream circuli, vti diameter ad peripheriae quartam partem, ſiue, cum dupla ſint vti ſimpla, vt duplum diametri ad duplum quartae partis peripheriae, i. e. ſemiperipheriam.

Ad quaeſtionem ſecundam:

Dimidia ſunt vti integra. ergo etiam factum ex ſemidiametro in diametrum, i. e. dimidium diametri quadratum erit ad dimidiam circuli aream, vt totum □ ad totam aream, i. e. vt duplum diametri ad dimidium peripheriae.

Non

Non ſolo Autorem, qui tales reſolutiones dedit. Video quidem B. Sturmium in Mathefis compendiariae Tabul. Geometr. 2da dixiſſe eſſe □ diametri ad aream circuli ſecundum Archimedem vt 14 ad 11. ſed dubito an ipſe viderit, 14 eſſe duplum diametri et 11 dimidium peripheriae: hinc an ſciuerit □um diametri eſſe ad circuli aream vti duplum diametri ad dimidium peripheriae.

Tertium problema Columellae agit, (niſi me omnia fallunt) de inuenienda ſegmenti circuli magnitudine: ſed Columellae reſolutio nullibi dat veram magnitudinem, niſi in iſto ſpeciali caſu, vbi chorda habet 16 ſagitta vero 4 partes, hinc nec demonſtrari poteſt.

Hucuſque Geſner.

Cap. IV. *Prouincialium*] Haec genera enarrauit accuratius Varro I. 8. vbi Plinii notitias adſcripſi. Sed quaedam accuratius Varro, alia Columella tradidit.

circum munitae] Male Sang. *circum vinctae*. Deligatum enim ſtatim addit auctor. Palladius III. 11. *Aliud genus eſt, in quo cannis pluribus circa diſpoſitis ipſa vitis per cannas ſarmentis ligatis in orbiculos flectitur*. Cap. ſequenti noſter ſect. 15. eandem vitem ita notat: *quae materiis ſubmiſſis arundinum ſtatuminibus per orbem connectitur*. Quomodo arundines in terra figantur, docet Varro I. 8.

characatas] Geoponicis V. 27. palum vel ridicam generatim χάρακα (τὴν) vocant, et pedare χαρακῶν. Sed arundinum ſtatumen peculiariter Graeci χάρακα dixiſſe videntur; ita enim arundinem craſſiorem firmioremque characiam dici refert Plinius 16. ſect. 66. et ante eum Theophraſtus H. P. IV. 12.

2. *ſtratarum*] Quales eſſe in Hiſpania teſtatur Varro I. 8.

exterarum] Ita recte libri optimi pro *exteruarum*. Ita infra IX. 9. 5. *exteras gentes* dixit.

id eſt etiam] Ita ex tribus libris optimis reſcribi voluit etiam Pontedera. Vulgo *quod etiam* vitioſe. Broukhuſius malebat *aut etiam*. Virgilii locus eſt II. 184.

3. *cum — poſſit*] Vulgo *quoniam — poteſt*. Emendabat Geſner *quanquam*. In Sang. eſt *cum* quod fere vbique cum *quoniam* permutatum reperimus in his libris; ergo dedi *poſſit* etiam pro *poteſt*.

minorem operam deſiderat] Non deſiderat quidem, ſed admittit. Vide igitur, num lectio vulgaris ſit ſana.

Cap. V. *solutiore terra*] Ita pro *terrae* legendum esse viderat Pontedera et Gesner.

praeferuida] Ita scripsi pro *perferuida;* quae duo vocabula fere semper in his libris fuere permutata. Deinde bis *scrobis* dedi pro *scrobs.* Altero quidem in loco libros optimos consentientes habeo.

4. *Mago*] Palladius III. 10. 3. *Mago asserit, scrobem non primo anno esse complendam, sed subinde coaequandam: quae res vitem faciet altius fundare radices. sed hoc aridis prouinciis forte conueniet: humidis autem sata putrefient recepto humore, nisi statim terra cumuletur.* Geoponica V. 26. monent in partibus Orientis et Lybia scrobes per hiemem apertos relinqui; in regionibus autem humidis esse coaequandos monent.

deorsum agere radices] Noster Arbor. IV. 5. *triennio deinde paulatim scrobem vel sulcum vsque in summum completo; sed vites consuescent radices deorsum agere.* Ita etiam cap. 7. sect. 6. Poterat noster Theophrastum nominare, cuius hoc est consilium C. P. II. 5. ὅπως ῥιζωθῇ τὰ κάτω πρότερον. εἰ δὲ μὴ, φέρονται πρὸς τὸ ἄνω. τρέφει γὰρ καὶ αὔξει πανθ' ὁ ἥλιος καὶ ὁ ἀὴρ etc. Scilicet terra tenera superposita radiculas sursum euocabit, easque frigori et calori obnoxias faciet; contra in aperto scrobe radices succum infimi scrobes exquirent, adeoque minus deinde timebunt a sole et frigore.

5. *deposita, sed cum*] Ita ex Polit. dedit Gesner; Sangerm. *sed cum seminatim.* Reliqui habent *et cum.* Sed sententia et locus Palladii postulat, vt legamus *deposita statim, et cum semina comprehenderint, post aequinoctium.* Respondet hoc *statim* praecedenti *protinus.*

6. *corroborata fuerint*] In libris optimis est? *corroborauerint.* In Sang. *comprobauerunt* omisso deinceps *nihil.* Ita supra IV. 12. 12. *dum se vinea corroboret.* vbi Polit. similiter habet liber: *comprobaret.*

7. *notandum item*] Exhibui librorum, inprimis Sang. scripturam. Vulgo pessime *notandum itaque et diligenter — esse, et — regio, et quid.* Locus Virgilii est I. 53.

8. *nisi adminiculum*] Plinius 17. c. 35. no. 15. *si per se vitis ordinabitur sine pedamento, qualecunque initio adminiculum desiderabit, dum stare condiscat et recta surgere. Cetera a primordio eadem. Diuidi autem putatione pollices aequali examine vndique, ne praegrauet fructus parte aliqua; obiter idem deprimens prohibebit in excelsum emicare. Huic vineae trium pedum altitudo excelsior nutat: ceteris a quinto, dum ne excedat hominis longitudinem iustam.* vbi Dalecamp emendabat:

dabat: *altera parte: quos vinitor indidem vel itidem.* Noster Arbor. cap. 5. *Si autem vitem in se consistere voles, sicuti arbori brachia submitti patieris, et dabis operam, vt in orbem quam rotundissime formetur. Nam — minus etiam laborat, cum vndique velut aequilibrio stabilita in se requiescit. Sat erit autem cum primo brachia submittuntur, singulas gemmas singulis sarmentis relinqui. ne protinus onere grauetur. Post hanc putationem lectis sarmentis, bidentibus alte et aequaliter vineam fodito.* Palladius III. 11. *optimum genus prouincialium vinearum est, vbi vitis velut arbuscula stat breui crure fundata. Haec primo calamo inuatur, donec solidetur; sed altior sesquipede esse non debet; vbi robusta fuerit, sola consistet.* Vides, in altitudine diuersum abire Plinium. Sed eandem mensuram in hoc genere, ni fallor, habet Crescentius IV. 13. Pergamenses, inquit, faciunt stipitem magis depressum, videlicet trium pedum et ramos ibi natos etiam plures eleuant in altum formantes arbusculam vitiferam ad modum campanae inuersae, in cuius medio super stipite moratur, qui putat vitem et arborem, et ipsam vitem circum circa expandit, faciens palmites omnes foras stare vndique decliues.

9. *singula aspiciant*] Quod fieri voluisse auctorem, adeoque fieri posse nego; igitur *singula* vel spurium est vocabulum, vel alieno loco positum. Deinceps Brusch. *summittuntur.*

10. *exilitas vitis*] Palladius III. 14. vites quas prouinciali more velut arbusculas stare dixi, *si instituere velis, ramos a quatuor partibus his relinques, et in eis brachiis sarmenta pro vitis stabilitate seruabis.* Ita enim recte Codex Erford. pro *possibilitate* habet, vt ex loco nostri de Arbor. 5. apparet, quem supra posui.

14. *pampinandi*] Infra XI. 2. 61. *Augusto mense multi etiam, si pluuius est status coeli, sicut suburbana regione Italiae, pampinis vitem spoliant, vt percoqui fructus possint, nec putrescere imbribus. At e contrario locis validioribus, vt modo nominatis prouincias (Baetica et Africa) circa vindemiam adumbrantur vel stramentis vel aliis tegumentis vuae, ne ventis aut caloribus exarescant.* Geoponica V. 29. humido coeli statu diebus triginta ante vindemiam folia a lateribus detrahi iubent, accedente vero pluuia autumnali etiam summa folia auferri. In regionibus siccis et ardentibus aliquos munire et tegere vuas φρυγάνοις καὶ ἀκάνθοις. Vides, iterum h. l. frondes esse virgulta frondosa seu foliis obsita. Geoponico-

nicorum locum conuertit Palladius Septembr. 18. quem de pampinatione vide etiam Aug. 3.

16. *tegetibus*] Ita pro *tegentibus* emendauit Beroaldus. Palladius I. 6. 4. *Locis calidis siccis apricis pampinandum non est, cum magis vitis optet operiri. Et vbi vineas vulturnus exurit aut flatus aliquis regioni inimicus, vitem tegamus straminibus vel aliunde quaesitis.* Paulo antea *illustribus disciplinis* mihi displicet; nec puto illustres bene dici disciplinas aliquas. Postea Brusch. *cum plerunque* habet. Pro *adumbrabat* malim *obumbrabat.*

Vulturnum] Vide supra ad III. 12. 6. et XI. 2. 65. Circium Gallaeciae, Sucronensem Hispaniae assignat Suetonius Tranquillus apud Isidorum de natura rerum cap. 37. Apuli proprie a Volturno flumine flantem ventum Volturnum vocabant, teste Liuio et Floro II. 6. qui eurum ab oriente semper quasi ad constitutum flantem vocat; hinc nomen a colonis in Baeticam translatum fuisse suspicabatur Ducker ad Florum.

vni iugo] Ita recte libri pro *vno.* Probat hanc nostram lectionem Pontedera. Intelligitur canteriata vitis, quae pedaminibus adnixae singulis iugis imponitur, vt est supra cap. 4.

per orbem connectitur] Palladius III. 14. *Vites autem quae cannis in orbem coguntur* (Polit. *stringuntur*) *sic putentur, quemadmodum eae, quae nituntur ridicis aut palis.*

16. *Candoscoos*] Gesner monuit, Auctorem libri Mémoires pour l'histoire naturelle de Languedoc, (*Astruc*) p. 463. docere, *Cand* s. *Cowand* esse propaginem, *socco* s. *soucro* caput vitis. Idem in Indice laudauerit Car. Stephani Praedium rusticum p. 312. Scilicet supra V. 1. 6. *candetum* Gallorum habuimus; id est, spatium agri pedum centum aut centum et quinquaginta. Vide Cangii Glossarium in *Cantredus* et *Candetum.* Vetus vocabulum Gallicum in variis nominibus Britannicis originem suam demonstrat. Ex *socco* ortum gallicum *souche.*

quoniam quidem] Gesner malebat *quandoquidem.*

17. *solam eam*] Palladius III. 14. *illae vero quae sine adminiculo iacent, quod pro sola indigentia faciendum est, vel necessitate prouinciae, primo anno duas gemmas, deinde plures habebunt. Sed huius generis vinea strictius est putanda.* Idem III. 11. *vltimae positionis vitis est, quae per terram proiecta discumbit. Hae omnes et scrobibus ponuntur et sulcis.*

vnus submittitur] Plinius 17. s. 35. no. 15. *Iis quoque quae sparguntur in terra, breues ad nitendum cannas circumdant,*

dant, ſcrobibus per ambitum factis, ne vagi palmites inter ſe pugnent occurſantes, maiorque pars terrarum ita ſupinam in tellure vindemiam metit. — Ibi ergo iuxta terram comprimi debet vitis, eodem modo et tempore nutrita radice, quo in iugata vinea, vt ſemper pollices tantum relinquantur, fertili ſolo cum tribus gemmis, graciliore quinis, praeſtatque multos eſſe quam longos. Quae de natura ſoli diximus, tanto potentiora ſentiuntur, quanto propior fuerit vua terrae. vbi praeclare vidit Pintianus, legi debere *binis* pro *quinis*. Ita enim noſter Arbor. 10. generatim: *in agro craſſo validaque vinea plures gemmas et palmas relinquito, in exili pauciores.* Deinde pro *cannis* recte Brotier librorum omnium lectionem *caueas* reſtituit.

18. *reſeces quoque*] Sang. libri lectionem hanc annotauit Gronouius: *reciſis quoque anguſtiis in modum furunculorum relictis.* Etiam Polit. liber *relictis*, ſed Goeſ. *reſices* habet rectius, ex quo *reſicis* ſcripto et in *reciſis* mutato, deinde mox *anguſtius* et *relinqui* vitiari coeperunt a librariis.

Cap. VI. *ſatis*] De eodem argumento ita Plinius 17. ſ. 35. no. 22. *Sequitur arbuſti ratio mirum in modum damnata a Saſerna patre filioque, celebrata Scrofae, vetuſtiſſimis poſt Catonem peritiſſimiſque, ac ne a Scrofa quidem niſi Italiae conceſſa: cum tam longo iudicetur aeuo, nobilia vina non niſi in arbuſtis gigni. — Hac ratione et arbores eliguntur. Prima omnium vlmus, excepta propter nimiam frondem atinia.* vbi ineptiſſime Harduinus eumque ſecutus Brotier vitioſam librorum quorundam lectionem *religantur* poſuit. Atiniam fruſtra excipit Plinius, quam deinde proprio veluti nomine maritam vlmum dixit, vt ad ſectionem 9. docebitur. Vincentius habet: *prima omnium vlmus propter nimiam frondem excipit.* Pergit Plinius: *deinde populus nigra, eadem de cauſa minus denſa folio. Non ſpernunt plerique et fraxinum, ficumque, etiam oleam, ſi non ſit vmbroſa ramis.* De locis, arboribus et arbuſtiuae viti aptis, ita Geopon. V. 2. *τὰς δὲ δενδρίτιδας ἀμπέλας ἐν τῇ πεδιάδι καὶ κοίλῃ καὶ ὁμαλῇ ἐπιτηδειότερον φυτεύειν — ἐν δὲ τῇ πεδιάδι καὶ ὁμαλῇ, καὶ ἰκμάδα ἐχούσῃ τὰς δενδρίτιδας δεῖ φυτεύειν, καὶ μάλιστα ἐν τοῖς θερμοτέροις τόποις, ὅπου μὴ πάνυ ὄντες οἱ ἄνεμοι σφοδροὶ ἐπὶ τῶν δένδρων ἀωρεμένας αὐτὰς ἠρέμα διακινέοντες τρέφουσιν. ἐν γὰρ τοῖς ψυχρεινοῖς τόποις σφοδροὶ ὄντες τὰς δενδρίτιδας βλάπτουσι.*

Atinia] In libro de Arboribus cap. 16. *vlmus autem quam Atiniam vocant ruſtici, generoſiſſima eſt et laetiſſima, multamque frondem habet. eaque maxime ſerenda eſt locis pin-*

guibus, vel etiam mediocribus. Plinius 16. sect. 29. de vlmo: *Graeci duo eius genera nouere: montuosam quae sit amplior: campestrem, quae fruticosa. Italia Atinias vocat excelsissimas, et ex iis siccanas praefert, quae non sint riguae. Alterum genus Gallicas; tertium nostrates, densiore folio et ab eodem pediculo numerosiore. Quartum siluestre. Atiniae non ferunt samaram. ita vocatur vlmi semen; omnesque radicum plantis proueniunt: reliquae semine.* Alios auctores sequi videtur Plinius quam Columella, et samaram appellat, quam noster sameram; vter rectius, ignoratur. Vlmum vtramque nominat Cato cap. 17. in antiqua et vera lectione. Arbustum seu vitis arbustiua graece dicitur ἀναδενδρὰς, Gallis *Hautains*; similes etiam sunt, quas Sueui *Kammertsen* vocant, magis etiam, quas Rheni accolae et Moeni colunt, de quibus vide Sprengerum p. 355.

arboribus] i. e. vitibus arbustiuis. Sic et Cato c. 32.

in vicem] Forte ex altero loco *eius* addi debebat.

Atinia] Plinium male a Gallica distinxisse Gallicam, et a nostrate siluestrem, monuit etiam *Bradley* p. 346. addens, Atiniam esse Theophrasti montosam, vernaculam vero Theophrasti campestrem vlmum. Hanc postremam Britanni *Witch Hazle* vocant. Geoponica IV. 1. inter arbusta nominant vlmum, populum vtramque, fraxinum et acer, et generatim monent, omnes eas arbores viti arbustiuae conuenire, quaecunque radicem simplicem aut contractas habeant, nec densa foliorum coma vitem obumbrent. Cato arbustum habere in agro suburbano eique vitem amineam maiorem minoremque cum Apicia copulare iubet cap. VII.

vlmorum seminarium] Palladius III. 10. 4. *Sed arbusta, qui faciet, plantas arborum de his generibus ponat, si agro suppetit abundantia, populo vlmo: fraxino in montanis et asperis, in quibus vlmus minus laeta est. Has etiam Columella dicit seminario debere nutriri. Mihi videtur, quod nulla prouincia est, quae non ex his, quamcunque sponte producat, plantas etiam maiores de locis quibuscunque translatas, vel eorum generum truncos radicatos hoc tempore circa scrobem vitis oportere constitui.*

et sterilis] Vrsinus malebat legi *etiam sterilis.* et deinceps *nemo eam serit.*

3. *affert*] Pontedera praeferebat lectionem *afferes.*

4. *alere*] De Arboribus cap. 16. *vitem maxime opulus alit, deinde vlmus, deinde fraxinus. — Sed si aspera et siticulosa loca arboribus obserenda erunt, neque opulus neque vlmus tam idoneae sunt quam orni; eae siluestres fraxini sunt,*

paulo

paulo latioribus tamen foliis quam ceterae fraxini, nec deteriorem frondem quam vlmi praestant. Caprae quidem et oues libentius etiam hanc frondem appetunt. Videtur itaque intelligi fraxini species, a Linnaeo omissa, rotundifolia dicta C. Bauhino, Hallero et Millero. Cf. Sestini Epist. Siculas T. I. p. 219. versionis germanicae.

5. *populus*] In libro de arboribus cap. 16. eadem est varietas lectionis inter populum et opulum fluctuans. *Opulus*, inquit, *quoniam frondem non idoneam habet, a plerisque improbatur.* Plinius loco supra laudato: *Prima omnium vlmus, excepta propter nimiam frondem atinia; deinde populus nigra eadem de causa folio.* quae non solum doctrinae Columellae aduersantur, sed et verbis hiulca sunt et vitiosa. Quid enim? si vlmus Atinia propter nimiam frondem excipitur, quomodo populus nigra, minus densa folio, eadem tamen de causa eligitur an excipitur? At vero frondem legebant pecorique obiiciebant; eamque vlmus atinia eximiam, populus contra et raram et minus idoneam pecori praebebat. Igitur propter nimiam aut raram frondem non repudiantur arbores; ea enim legitur in pabulum pecoris, nec adeo viti potest nocere. Igitur locus Plinii corruptus est. Quare eum ita emendo. *Prima omnium vlmus atinia propter eximiam frondem excipit; deinde populus eadem de causa; nigra minus densa folio.* Populum albam vineae causa seri tradit Plinius XVII. sect. 32. caecuba educare, vitibus amicam XVI. sect. 67. candidae populo folium numerosius esse idem asserit sect. 35. Atque ex his constare puto, recte nos vulgo positam h. l. *opulum* mutasse in *populum.* De opulo enim sequenti demum capite tradet Columella, vbi simul arboris notam indicat. Cum populi raram frondem improbat Columella, nigram vult intelligi; et fortasse fuit olim scriptum *Populus nigra, quia raram neque idoneam frondem.* Populus enim vbi simpliciter nominatur, alba intelligi debet.

et vitem] Haec noster ex Varrone I. 15. vbi vide notam.

populi — cacuminibus] Plinius XVII. sect. 32. *Vineae causa populus alba seritur bipedaneo pastinata, talea sesquipedali, biduo siccata, palmipede interuallo, terra superiniecta duorum cubitorum crassitudine.* Ex semine tamen, vt vlmos etiam prouenire cum Columella fatetur ipse Plinius sect. 15. *Populis eadem ratio semine, qua vlmos serendi: transferendi quoque e seminariis eadem et siluis.* vbi Harduinus inepte suspicatur, legendum esse *opulis.* Veterum rationem seruant hodie

hodieque Tusci, teste Tozzetti in Itiner. T. II. p. 15. vers. germ. iidem vsum frondium ad pabulum pecorum frequentant. Vide Caton. c. 5. et Columella VI. 3. 6.

6. *rubicundi coloris*] Plinius XVII. sect. 15. *vlmorum, priusquam foliis vestiantur, samara colligenda est circa Martias Calendas, cum flauescere incipit. Deinde biduo in vmbra siccata serenda, densa in refracto, terra super minutatim cribrata, crassitudine quae in cupressis. Pluuiae si non adiuuent, rigandum. Deferendae ex arearum venis post annum in vlmaria, interuallo pedali in quamque partem.* Vides, Plinium biduo in vmbra siccare samaram, quam Columella in sole siccari iubet compluribus diebus; deinde interuallum plantarum pedale facit, Columella sesquipedale. Vulgo praeterea in Plinio legitur *differendae*, quod mutauit Harduinus. Pintianus in Codice reperit *densa in are facta; terra super minuta incribrata.* non male, si legas *area facta.* Sed praeterea ibi legendum est: *ex arearum puluinis.* Crescentius II. 27. de vlmo: *maturitatis fructuum tempore colligantur et sole siccentur semina, et in seminario mense Ianuario vel Februario sata, vt planta nutriantur, vt sequenti vel tertio anno ipsarum* (plantarum) *copia facile habeatur.*

7. *ipsa semina*] Ita h. l. correxi, suadente libro Sang. vbi in vulgata: *ipsis seminibus, quae proculcata erunt, noxam capient* omittitur verbum *erunt.* Pontedera malebat *ex ipsis seminibus quae proculcata erunt.* Sed debebat esse *proculcata fuerint.* Vulgatum inepte defendebat Gesner. In libro de Arboribus XI. 3. *ne qui prosequuntur herbas, semina proculcare cogantur.* Praeterea in Sang. deesse ab initio commatis *nam* annotauit Gronouius.

8. *saepius quam*] Pontedera ex lectione *seminus quam* efficiebat *cominus*, i. e. e propinquo, ne altius aqua delapsa noceat. Sed ita sequens *quam* non habet, quo referatur. Igitur *saepius* recepi pro *potius.* Quanquam addit Pontedera, Tertullianum ostendere, cominus apud veteres comparandi vim habuisse.

oblitas fimo] Clauas etiam et taleas arborum inprimis vtiliter depangi oblitas seu tectas fimo bubulo expertus testatur *Bradley* Survey p. 289.

9. *autumni tempore*] Plinius XVII. sect. 15. *maritas vlmos autumno serere vtilius, quia carent semine: nam eae e plantis seruntur. In arbustum quinquennes sub Vrbe transferunt, aut, vt quibusdam placet, quae vicenum pedum esse coeperunt. Sulco qui nouenarius dicitur, altitudine pedum trium, pari latitudine, et eo amplius, circa positas, pedes terni vndique*

que ex solido adaggerantur. Arulas id vocant in Campania. Interualla ex loci natura sumuntur. Rariores serendas in campestribus conuenit. Vlmum Atiniam nullum fructum, ne semen quidem ferre refert XVI. sect. 45. A radice brachiatam vlmum esse ait sect. 53.

biennio] Hoc praeceptum in omni genere arborum inprimis probat *Bradley* Survey p. 348.

10. *ternum pedum*] De Arborib. 16. *igitur qui arbustum constituere volent, ante annum quam deponant arbores scrobes faciant quatuor pedum quoquouersus. deinde circa Calendas Martias in eandem scrobem vlmum* etc. vbi ex varietate librorum *quoquo annum* legendum suspicor *ternum pedum quoquouersus.* Sulcum hunc nouenarium vocat Plinius.

roscido] Palladius III. 13. *In solo rosido* (recte Vincent. *roscido*) *et nebuloso rami arcoris uitiferae in orientem et occidentem putatione dirigantur, vt latera vacua solis radiis membra totius vitis ostendant.* qui locus egregie Columellam illustrat, vbi tamen de putatione non est sermo, nisi ea vox excidit. Hinc explico verba Plinii de eadem re: *meridianum solem spectare palmae debent, rami a proiectu digitorum modo subrigi, tonsili in his tenuium quoque virgultorum barba, ne obumbrent.* In populo similiter palmam dixit XIV. sect. 2. *In vite aliter palmo dicitur.* Geoponica IV. 1. ἀνατετάσθω-σαν δὲ οἱ κλάδοι κατὰ τὸ δυνατὸν εἰς ἀνατολὴν καὶ δύσιν. sine vlla regionis nebulosae mentione. Ibi vulgo male ἀνατολὰς legitur, et male locum interpretatur Niclas.

frumentis] Geoponica IV. 1. alternis annis arbustum obseri posse tradunt; Plinius 17. f. 35. no. 22. arbusti rationem hac peculiari dote praestare ait, quod in eodem solo seri fruges et vitibus ipsis prosit.

11. *inter quadraginta*] Ita recte Sang. liber. De Arboribus c. 16. *Arbustum inter quadragenos pedes dispositum esse conuenit: sic enim et ipsae arbores et appositae vites melius conualescent, fructumque meliorem dabunt. Segetes etiam, quae in ea erunt, minus vmbra laborabunt.* Plinius XVII. sect. 35. no. 22. *interuallum iustum arborum, si aretur solum quadrageni pedes in terga frontemque, in latera viceni. Si non aretur, hoc in omnes partes.* vbi corrige ex Columella: *frontemque et latera. Viceni, si non aretur; hoc in omnes partes.*

vbi nihil seritur] nec vmbra arborum segeti subiectae nocere potest. Igitur pessime haec verba veluti spuria inclusserat et damnauerat Gesner. Palladius III. 10. 5. *sed si ager frumentarius fuerit, vbi arbusta disponis, quadragenos pedes inter*

inter arbores relinque, vt seri possit; in exili autem vicenos. Geoponica IV. 1. in designandis ordinum interuallis vix sana esse possunt: ἐχέτωσαν δὲ οἱ στίχοι διαστήματα ὡς πήχεις ιε' (15) — καὶ δένδρα δὲ μεταξὺ καρποφορῶντα ὀλιγόρριζα δέχεσθαι δύναται. Huic vero interuallo quindecim pedum nullo modo licebit arbores alias fructiferas interponere. Igitur numerus a librariis corruptus videtur esse, quamuis credere velis, tabulata arbustorum graeca non tam lata fuisse quam romana.

truncosque] Non intelligo, quos *truncos* dicat Columella.

ne superior] Palladius III. 13. *ita formandi sunt rami arborum vitiscrarum, ne alter sub alterius linea dirigatur.* Ceterum huius arbusti Italici rationem imagine expressam habes a Pontedera in Tabula XXXVII. Antiq. p. 523. quam inde repetitam posui, interpretationemque eius ad finem harum annotationum seposui.

12. *biennio*] De Arboribus cap. 16. *Arborem quam deposueris, saepius circumfodito, quo celerius adolescat: et citra triennium ferro ne tetigeris.* Plinius XVII. sect. 35. no. 22. *Ante tricesimum sextum mensem attingi falce vetantur.* At supra noster s. 11. *cum adolescere incipient falce formandae.* Falce autem formari non possunt in tabulata nisi putentur et ferro tangantur. Sed nec sequens membrum: *si vlmus exiguum incrementum recipit:* satis intelligo. *Recipit* in Edd. primis omissum est ab Aldo additum. Columella *cepit* solet dicere. Verum illa de falce et tabulatis per πρόληψιν dicta licet interpretari; et verbis *si vlmus — cepit* (ita enim legendum censeo) opponuntur ista sect. 14. *Quae vlmus a positione bene prouenerit.*

librum demittat] Librum remittere dixit XI. 2. 37 et 41. et paulo antea radicem *delibrari.*

stirpem dodrantalem] Pontedera *stipitem* legi malebat hic, et sect. 13 et 14. Sed ita etiam Plinius 19. sect. 23. *fruticem rubi quam vastissimum recidere duum digitorum relicta stirpe.* Postea Brusch. *vt supra eum* habet.

correctus] Vulgatum *correptus* ita emendauit Gesnerus. Corrigere h. l. est ramum transuersum erigere.

13. *arboridoneum*] Lectionem Edd. primarum *arborideum* Beroaldus interpretatur *ramum qui alitur, vt arborescat* adscripto cap. 4. huius libri. Igitur frustra locum quaesiverat Gesner. Editiones scilicet primae caput hoc quartum fecerunt numero atque ordine. *idoneus ramus* est h. l. iuxta

quem

quem cacumen praeciditur, quique ipſe ſurſum porrigitur ſtirpi trunci alligatus.

14. *Poſt annum aut biennium*] De Arboribus 16. *Completis ſex et triginta menſibus ad recipiendam vitem formabis et ſuperuacuos ramos amputabis, alterna brachia in modum ſcalarum relinquens, alterniſque annis putabis.* Ita enim recte ibi Sangerm. cum vulgo deeſſet verbum *putabis.* Ex quo loco ſimul apparet, poſt annum aut biennium h. l. intelligi debere de *quarto* et *quinto* anno. Nam poſt biennium demum ferro tangitur. Poſt tertium igitur formatur in tabulatum. Plinius XVII. ſ. 35. no. 22. *alterna ſeruantur brachia, alternis putantur annis, ſexto anno maritantur.*

15. *formare*] Plinius XVII. ſ. 35. no. 22. *vlmus detruncata a medio in ramorum ſcamna digeritur, nulla fere XX. pedum altiore arbore. Tabulata earum ab octauo pede altitudinis dilatantur in collibus ſicciſque agris, a XII. in campeſtribus et humidis. Meridianum ſolum ſpectare palmae debent; rami a proiectu digitorum modo ſubrigi tonſili in his tenuium quoque virgultorum barba, ne obumbrent.* vbi rectius in editione principe et Codice Regio 2. legitur *detruncata media.*

loco pingui] Palladius III. 13. *ſed loco pingui vlmus a terra octo pedibus, gracili vero ſeptem ſine ramo relinquenda eſt.*

vel in aruo] Legendum puto *ſed in aruo.* Geoponica IV. 1. ἐν μὲν ἓν τῇ εὐγείῳ συγχωρεῖν δεῖ ὑψῶσθαι, καθὼς προείρηται, τὰ τοιαῦτα δένδρα. ἐν δὲ τῇ λεπτογείῳ ἀπὸ ποδῶν ὀκτὼ ἐκκύπτειν, ἵνα μὴ πᾶσα ἡ δύναμις τῆς γῆς εἰς τὰ δένδρα ἀναλίσκηται.

16. *iiſdem lineis*] Palladius III. 13. *ita formandi ſunt rami arborum vitiferarum, ne alter ſub alterius linea dirigatur.*

pollices] Vide ad IV. cap. 21. ſ. 3.

17. *eandem diſponere*] Ita ſcribi voluit pro vulgato *eadem* Pontedera. Malim tamen ex libris ſcriptis *eam.* Paulo antea vulgatum *ante* poſt *non ſolum* ſuadente Pontedera deleuimus, et deinceps *nimia* pro *aemula* poſuimus. Circumfodere et mediocriter ſtercorare arborem iubent Geoponica IV. 1.

frondis — adſtringere] Poſſis ſuſpicari, legendum *ſtringere*, quia frons ſtringitur. Sed h. l. frons de virgis frondoſis dicitur, et ſectione antecedente dicuntur in frondatione amputari virgae. Igitur frons ſeu virga frondoſa ne vmbra foliorum noceat, ferro aut plane amputatur, aut ſucci-

ditur.

ditur. Ita enim *astringere* interpretandum censeo. Male Gesnerus h. l. explicauerat in Indice. Frondes similiter noster de virgis frondosis dixit IX. 14. 14. Tenuium virgultorum barbam tonsilem dixit Plinius loco supra laudato.

Propter terram] Geoponica IV. 1. ὅπως ἐκεῖνο τὸ μέρος τῦ δένδρυ ἐπιμελῶς κλαδεύηται, καὶ πᾶν ἀφαιρῆται τὸ κατὰ τῆς ῥίζης, ἵνα μηδὲν ἐπισκέπῃ τὴν ῥίζαν. radicem intellige vitis. Lectionem Goes. libri *posterram* e duobus vocabulis *post arram* coaluisse, sed et haec corrupta esse censet Pontedera. Rem, inquit, puto me tenere. Rustici solent arbores perforare, qua finis est erosioni, vt excauetur vsque ad medullam, *deturque exitus humori.* Ita enim mecum ex libris scriptis legit in Columella. Sed de erosione vlmi non videtur loqui; alias dixisset: *cum vetustatem senserit.* nec tum ipsa arbor hac cura seruari debet, vt puto, quam vitibus adiunctis consuli, vt humor deducatur ab arbore vetusta ramosa et frondosa ex pluuiis conceptus. Verum ita non opus erat arborem vsque ad medullam excauari, quod arguit vitium arboris deduci ita debere. Igitur accedo opinioni Pontederae, etsi insolens mihi accidit phrasis *vetustatem adipisci* pro *senio vitiari.* Forte liber Goes. voluit *iuxta terram.* Denique lucem video. Vlmis humorem saliuosum tribuit Plinius XVI. s. 72. Idem XVII. s. 43. *et vlmis detrahitur succus inutilis supra terram foratis vsque ad medullam in senecta, aut cum alimento nimio abundare sentiuntur.* ex hoc igitur loco *propter terram* scripsi pro vulgato *propter ramum.* De eo humore Plinius XXIV. sect. 33. *humor quoque e medulla, vti diximus, castratae arboris effluens, capillum reddit capiti illitus, defluente/que continet.*

18. *onus iam non sufferet*] Vulgatam *nouam sufferet si vetustam.* ineptissime defendebat Gesnerus. Rectius Pontedera emendabat *eam non sufferet* aut *noxam sufferet.* Cum Broukhusio legi volebat Schoettgen *onus tum non sufferet. si vetustate.* Nicol. Heinsius ad Ouidii Metamorph. XIV. 666. ex libro Sangerm. affert hanc varietatem: *onus iam non sufferet, si vetustate.* vnde ipse legebat: *onus nupta non sufferet. Si vetustae.* Paulo aliter varietatem istius Codices annotavit Ernesti. Ibi enim legitur: *onus nam non — vetuste.* Posui lectionem eam, quae mihi maxime probabilis esse videbatur. Emendationem repetiit Heinsius ad Velleium p. 116. ed. Burm. Plinius XVII. s. 35. no. 22. *maritare nisi validas inimicum, enecante veloci vitium incremento.* Septimius Serenus, poeta, in Wernsdorfii Poet. Lat. minor. T. II. p. 279. *quando Flagella iugas, ita iuga vitis et vlmus vti simul*

eant,

eant, nam nisi sint paribus fruticibus, vmbra necat teneras amincas.

viuiradici] Plinius XVII. sect. 35. no. 23. *in arbusto e praedictis sola viuiradicum ratio, item propaginum, et haec gemina.* Geoponica IV. 1. Vites longas et robustas inprimis viuiradices iubent in arbusto serere. Alios monent ex seminario viuiradices transferre, alios vitem bene robustam expurgatam cum radicibus et sua terra disponere in arbusto. Cato cap. 47. *vbi trima erit vitis, eximito. Si pecus pascetur, vbi vitem serere voles, ter prius resecato, quam ad arborem ponas. vbi V. nodos veteres habebit, tum ad arborem ponito.*

latus pedum] De Arboribus c. 16. *Sexto anno, si iam firma videbitur, maritabis hoc modo. Ab ipso arboris crure pedale spatium intermittito; deinde sulcum in quatuor pedes longum, in tres altum, in dupondium et semissem latum cum feceris, patiere minime duobus mensibus eum tempestatibus verberari.* Plinius XVII. s. 35. no. 22. *Serere* (vitem) *tripedaneo scrobe necessarium distantes inter se arboremque singulis pedibus.* sed idem no. 23. *vitis in arbusto quatuor pedes in longo constat; omni sulco tres lato, alto duos cum semipede.*

sesquipedali] Palladius: *in scrobe vero vitis ab arbore sua sesquipedis spatio distare debebit, nam vitis multum subiecta arbori incremento arboris opprimetur.* vbi elegantet Crescentius: *nam arbori nimis proxima vitis aut ipsius opprimet incrementum aut opprimetur ab ea.* Geoponica IV. 1. sect. 7. ἀποτίθεται ἡ ἄμπελος. ἀπὸ διάστήματος τοῦ δένδρου, πηχῶν τριῶν φύτευσον. — πρόσαγε τῷ δένδρῳ, ἐκ διαστήματος ποδὸς τῆς τοῦ δένδρου ῥίζης.

19. *vernum — aequinoctium*] De Arboribus cap. 16. *Tum demum circa Calendas Martias vitem de seminario ne minorem quidem decem pedum sternito et adminiculato arboriqué iungito. eam proximo anno ne putaueris. tertio vero ad vnam virgam redigito, paucasque gemmas relinquito, ne antequam incaluerit, in altitudinem repat.*

binae] Contra Plinius XVII. s. 35. no. 22. *Singulis denas saepe adnutriunt vites, damnato agricola minus ternis.* cuius loci vitium apertum non vidit tamen Harduinus.

rorulentae] Plinius XVII. s. 35. no. 24. *neque roscidam seri, neque a septentrionis flatu. Vites aquilonem spectare debent, ipsae palmites autem earum meridiem.*

hanc obseruationem] Habet eam Theophrastus II. 7. Virgilius II. 265. et tamen Plinius 17. s. 16. contemsit, quia Cato omiserat.

consueuerunt] Etiam in Sang. esse *consuerunt*, monet et probat Drakenb. ad Liuium T. I. p. 1048

20. *autumni tempore* Plinius XVII. c. 35. no. 23. *tolli viuiradix a vindemia protinus debet.*

21. *Sed eae*] Malim *illae* scilicet vlmi, arbores.

stercorata — certe subacta] Ita legendum esse, recte iam vidit Gesnerus. Eandem cautionem vide infra in olea plantanda V. 9. 9. et Arbor. 17. 2. vbi vide notas.

vltimo scrobe] i. e. vltima et remotissima ab arbore scrobis parte, vt Gesner. Verum ita non poterit commode vitis pars exstans ad arborem erigi. Igitur alter scrobis finis erit intelligendus. Scrobis enim iam sesquipede ab arbore distabat, et deinceps per pedum sex vel quinque longitudinem excurrebat. Deponere quod est h. l. de Arbor. c. 16. est sternere, vt III. 15. et IV. 2.

caueis emuniri] Palladius: *Caueis etiam munienda est aduersum pecoris appetentis iniurias et arbori suae protinus alliganda.* In Geoponicis IV. 1. c. 7. haec de viuiradice in scrobe deposita sequuntur: *εἶτα ἐπειδὰν καλῶς κατάσχῃ, ὡς ἱκανὴν γενέσθαι προσενωθῆναι τῷ δένδρῳ, τοῦτο δὲ ἐκ τῆς παχύτητος δείκνυται, καταστορέσας ἅπασαν καὶ ἐγχώσας πρόσαγε τῷ δένδρῳ, ἐκ διαστήματος ποδὸς τῆς τοῦ δένδρου ῥίζης, ἐάσας τὸ κλῆμα λοιπὸν ἐλεύθερον καὶ ὅσος δυνατὸν ὀφθαλμὸς περιλειφθῆναι, ὃς πάντας τῷ ὄνυχι ἀφελὼν τύφλε, ἵνα ὁ ἐν τῷ ἄκρῳ βλαστὸς εἰς ἢ δεύτερος περιλειφθεὶς εὐθαλέστερος αὐξήσῃ, αὐξήσαντα δὲ τοῦτον λοιπὸν ἠρέμα τῷ δένδρῳ προσάγειν καὶ πρὸς ἀνάπαυσιν προσήκει.* quae videtur expressisse noster Arbor. c. 16. sect. 3.

22. *proxima putatione*] i. e. proximo anno, vt est de Arbor. c. 16.

coronae] Plinius XVII. sect. 35. §. 25. *non est festinandum ad putationem nouellae, sed primo in circulos materies colligenda, nec nisi validae putatio admouenda: seriore fere anno ad fructum arbusta vite quam iugata. Sunt, qui omnino putari vetent, priusquam arborum longitudinem aequauerit. Prima falce sex pedes a terra recidatur, flagello infra relicto et nasci coacto incuruatione materiae.* vbi Vincentius *colliganda* habet. De formatione vitis arbustiuae haec habet Theophrastus C. P. III. 18. *τὴν δ' ἄμπελον ἄγειν δεῖ κύκλῳ περ τὸν πυθμένα. πανταχόθεν γὰρ ὁμαλῆς ἴσης καλλίων καὶ εὐκαρπότερα. τοῦτο δὲ ἐ χαλεπὸν, ἐάν τις καταλίπῃ μὴ τὰ κάλλιστ' ὡρμηκότα τῶν κλημάτων, ἀλλὰ τὰ ἄριστα πεφυκότα πρὸς τὴν ἀχωγήν· ἀρκεῖ γὰρ εἷς ὀφθαλμὸς ἀπολειφθεὶς εἰς τὸ δένδρον. ἐὰν δέ τις ἀπορῇ, καὶ τοῦτο διὰ τὸ τὴν ἄμπελον ἐχ ὡρμηκέναι*

κένῳ κατὰ τὸ αὐτὸ, τῶν λειφθέντων κλημάτων τὰς ἐντὸς ὀφθαλμὰς ἀφελεῖν ὅπως εἰς τὰς ἔξω ῥέουσα ἡ τροφὴ σχίσῃ τὴν ἄμπελον. Diuerso modo arbustum instituunt Geoponica IV. 1.

quarum validissimam] De Arboribus c. 16. *deinde vbi amplum incrementum habuerit, per omnia arboris tabulata disponito materias, ita tamen, ne vitem oneres, sed certa et robustissima flagella submittas.*

23. *tertiam gemmam*] Palladius III. 13. *Vitis quae in arbore collocatur, Prima eius materia ad secundam vel tertiam gemmam praecidatur; deinde omnibus annis aliquid per ramos crescere subinde patiemur, vnam materiam semper ad cacumen arboris dirigentes.* Ex quo loco correxi vulgatam huius loci scripturam: *disponetur omnibus annis. alioquin in superius* etc. in qua Vrsinus *annis* mutari volebat in *ramis*. Consentit Plinius XVII. sect. 35. §. 25. *Tres ei gemmae non amplius deputato supersint. Ex his emissi palmites proximo anno imis ingerantur scamnis, ac per singulos annos ad superiora scandant, relicto semper duramento in singulis tabulatis et emissario vno, qui subeat vsque quo placuerit.* Male ergo Gesner interpretatur verba *cum primum* quasi dicta pro *quam primum apprehenderint.*

24. *vberiorem*] Palladius: *sed qui fructum volunt maximum materias plures per ramos submittant; qui vinum melius, sarmenta in cacumen extendunt.* ex quo loco vulgatam huius loci lectionem *amputati committantur* emendauit Gesner. *Dimitti* dixit Columella infra sect. 31. vbi libri meliores *immitti* habent. Vides, palmitem idem significare, quod sarmentum, et ramulos, idem quod nepotes. Plinius 17. sect. 35. no. 22. *cum tam longo iudicetur aeuo nobilia vina non nisi in arbustis gigni, et in his quoque laudatiora summis, sicut vberiora imis; adeo excelsitate proficitur.*

materia sedebit] Ita Goes. et Sang. Vulgatum *materiae se deuectae in* Gesnerus cum Broukhusio mutauit in *materia se dabit* pessime interpretatus. Nostrum probauit etiam Pontedera, interpretatusque est de palmitibus, qui inferiore loco nati sunt. Geoponica IV. 1. arbusta Bithynica altitudinem pedum sexaginta attingere narrant, eoque melius vinum, inprimis amineum, ferre.

25. *plenioribus ramis*] Palladius: *fortioribus ramis arborum plures materiae, debilioribus imponendae sunt pauciores.*

imponi non oportet] Vulgatam: *tum oportet, tum vires — interdum enim* vitiosam esse suspicatus est Vrsinus;

ſanare conatus eſt Pontedera, quo praeeunte Geſnerus optimam emendandi loci viam ingreſſus aſſenſum meum impetrauit. Torus imus tunc additur, recte etiam Geſnero monente, cum arbor ramis truncata vitem amplecti et retinere ſtantem non poteſt; aut cum vitis luxuries conſtricto trunco compeſcenda eſt.

26. *putationis*] Palladius: *Putandi autem ratio talis eſt, vt et vetera ſarmenta, quibus primi anni fructus pependit, omnia recidantur, et noua circumciſis capreolis et ramulis inutilibus dimittantur.* Cuius loci auctoritate motus Pontedera tolli iubet verba *qui ex his nati ſunt, amputatis.* Plinius XVII. ſect. 35. no. 25. *De cetero putatione omni flagella, quae proxime tulerunt, recidantur: noua circumciſis vndique capreolis ſpargantur in tabulatis. Vernacula putatio deiectis per ramos vitium crinibus circumueſtit arborem, crineſque ipſos vuis: gallica in traduces porrigitur: aemiliae viae in ridicas atiniarum ambitu, frondem earum fugiens.* Ita enim recte h. l. poſuit Brotier, cum ineptiſſime Harduinus edidiſſet *radices atiniarum.* Geoponica aliter IV. 1. ἐν τῇ κλαδείᾳ μακροτομεῖν ὡς καταλιμπάνεσθαι τὰ κλήματα ἐκ ἐλάττω τηχῶν δύο. Praecipitum palmitum mentionem nullam faciunt, ſed ita pergunt: ὡς τὰ καρποφορῶντα μέρη μετεωρίζεσθαι καὶ ὑπὸ τῶν ἀνέμων δονεῖσθαι. Scilicet verſio latina hic *partes fructum ferentes ſublimes* commemorat, quas debebat palmites pendentes ſeu praecipites interpretari.

proximi — medii] Ita recte Geſner et Pontedera emendarunt vulgatum *proximis — mediis.*

minimum vitem] Ita vulgatum *nimium vitemque* emendauit Geſner, et in Sang. eſt *minimum.* Ita non opus eſt cum Pontedera legere: *fructum affert vitemque exhaurit atque extenuat; proximus minimum.*

27. *reſolui*] De Arbor. 16. *itaque omnibus annis conuenit ſubſequi putationem, ita, vt tori renouentur, et vitis per idoneos ramos diſponatur.* Plinius XVII. c. 35. no. 26. *liberatam quoque vinculo per aliquot dies vagari et inconditam ſpargi — ob id protinus a vindemia putari, et laſſas etiamnum fructu edito, improbatur. Putatae rurſus alligentur alio loco: namque orbitam vinculi ſentiunt vexatione non dubia.*

refrigerantur] Palladius: *ſed prouidendum eſt, omnibus annis vitem reſolui ac religari, quia refrigeratur.* Geoponica IV. 1. monent, Bithynos alia ratione conſulere viti: μεταξὺ τῆς ἀμπέλου καὶ τοῦ δένδρου σφῆμα ἐμβάλλουσιν, ἔτω δὲ διαστήσαντες ἐν τῷ δένδρῳ τὴν ἄμπελον, χώρημα αὐτὴν ἔχειν

ποιοῦσι

τοῖσι πρὸς ἀνάπαυσιν. vbi vocabulum χώρημα videtur esse vitiosum vel barbarae graecitatis.

vimine praecidatur] Palladius III. 13. *palmites ad arborem non duro vimine ligentur, ne eos vinculum recidat aut atterat.* Idem IV. 7. *nouellam vitem mollibus vinculis alligemus, quia eam teneram vincula duriora praecidunt.* vnde priorem locum emendabis. Plinius XVII. f. 35. no. 26. *est quorundam imperitia sub ramo vitem vinculo suspendendi, suffocante iniuria, contineri debet vimine, non arctari.*

28. *supra tertiam*] Vulgo est *ternam.* In Edd. primis *tergemma,* quasi voluerint *tergemina.* Inepta est Broukhusii coniectura *mite alleuatum* corrigentis.

ea fructu] Ita ex vestigiis lectionis Sangerm. *ex fructu* correxi. Vulgo *ea* deest. Palladius III. 13. *Hoc autem noveris, quia palmes, quod extra ligaturam pendens habuerit, fructu induet; quod infra ligaturam materiae sequentis anni deputabit.* quem locum ibi corrigam. Recte vero vulgatum h. l. *sequente anno* Gesner corrigi iussit ita, vt feci.

29. *duo genera*] Plinius XVII. f. 35. no. 13. *sic duo genera palmitum. Quod e duro exit, materiamque in proximum annum promittit, pampinarium vocatur; at vbi supra cicatricem est, fructuarium. Alterum ex anniculo palmite, semperque fructuarium.*

protinus creat] Omissum in libro Goesii, Pol. Sang. *creat* Pontedera omitti aut addito fructum adiuuari volebat. Recte! Equidem tamen aliam huius loci emendandi rationem reperisse mihi videor, eamque commodiorem, quam iidem Codices subministrant. Omittunt scilicet *creat;* at paulo antea *palmitem* Polit. atque Edd. primae *palmitem procreat.* quam eandem lectionem fuisse suspicor in libro Politiani. Quae quid aliud arguit, nisi olim fuisse: *quod ex anniculo* (scilicet *prouenit,*) *quod quia protinus procreat, fructuarium appellant.* Saepe autem Columella verbo *procreare* absque foetu vel fructu addito, absolute vtitur in sequentibus libris de re pecuaria.

in vinea] Omissum in libris optimis atque inepte abvndans glossema inclusi suadente Pontedera; deinde vulgatum *palmitis* cum eodem correxi.

31. *pampinarium immitti*] Hunc optimorum librorum lectionem probabat etiam Gesner. Vide ad Varronem I. 31.

33. *hornotinis*] Libri scripti *annotinis.* Eadem est varietas in libro de Arbor. 30. 1. Ceterum recte monet Gesner *in duro* esse intelligendum in duro vitis alligantur; nec

ea verba esse cum *enati* iungenda. Sic sect. 35. *quod de novello nascitur et in tenero alligatum dependet.*

36. *disrarare*] Vulgatum *diradiare* nihil aliud nisi prius diducere in ramos significat, et est ab Aldo; cum Edd. primae habeant *durare*, quod Pontedera probabat, interpretatus: in brachia, quae hinc duramenta vocantur, distribuere, et diductam sic vitem confirmare. Verum nec hoc verbum satisfacit consilio Columellae, quod clarius apparet ex oppositione, vbi queritur, multos palmites submitti, vnde postea plures pampini nascantur multaque fronde florem vuamque obumbrent et perdant. Igitur minores numero palmites submittere nunc suadet, plures intercidere, *certosque vinearios coles praecipitare.* (Ita enim recte Lipf. Goef. et Bruschiana pro *caeterosque*, probante etiam Pontedera.) Itaque nullum verbum aptius h. l. est quam *disrarare.* Heinsius etiam Aduerf. III. p. 399. ex Sangerm. libro *dirrare* laudatum mutabat in *diuaricare* aut *dirarare.* Verbum *diuaricare* restituit idem nostro cap. VII. 3. Sylburgius in Indice Commelinae monuit, Veterem Editionem h. l. habere *disrarare.* Quae sit ea Editio, nescio aeque atque Gesnerus. Contra in loco nostri IV. 32. 4. *hoc potest intercidi et disrarari.* Edd. primae *durari*, P. Goef. *dirarari*, Lipf. *disarari* habent; vnde apparet, quam facile verbum *disrarari* potuerit cum *durari* confundi a librariis, et quam aptum h. l. sit *disrarare.* In reliqua huius loci emendatione consentientem habeo Pontederam. Similiter Plinius 17. c. 23. dixit draconem vitis in populi palmam perduci inde in subrectos ramorum digitos flagella dispergi. Traduces arbusti Gallici diuersi sunt.

37. *densum*] Palladius III. 13. *Agendum vt vitis spissa non sit in arbore et deficientibus primis arboribus substituendae sunt aliae.*

vitem queat] Supra sect. 1. senio aut tempestate afflictam submoueat et in vicem nouellam *soleolem substituat.* vbi Pontedera *sobolem* interpretatur arborem; itaque etiam h. l. *vitem* mutabat in *stirpem* vel *item*, de arbore seu vlmo similiter interpretatus. Contra Gesner corrigebat: *restituere* (scilicet *arborem*) *vitemque. nec eam* (*vitem*) *viuiradice frequentare, sed ex proximo.* Ad nouam enim vlmum nouam etiam vitem applicandam esse, doceri a nostro sect. 18. Sed in hac correctione male vitis, quae periit, frequentari. Vinea tamen vetus recte dicitur. De vitioso *queat* tollendo consentiunt Pontedera et Gesner, quod ille ex glossa marginali ortum putabat. In Curis secundis Pontedera *vitem* cum Lipf. Codice omittit et in reliqua emendatione cum Gesnero

nero ſentit. Omnino de arbore ipſa loqui Columellam, manifeſtum eſt, cui veteri ſubſtituitur nouella, quae frequentatur deinde vite ex proximo propagata. Igitur verba *vitem queat* incluſi. Draconem propagari docet Plinius 17. ſ. 35. no. 24. quem locum in interpretatione Iconum cum Pontedera corrigemus.

Cap. VII. *Rumpotinum*] Arbuſtum hoc gallicum a *rumpis* dictum, hoc vero ex graeco ῥομφεὺς lorum ait Pontedera. Quia, inquit, huiuſmodi arbuſta per traduces, hinc inde demiſſas, connectuntur; vnde Plinius ex graeca origine etiam *funeta* dicit appellari. Rumpos nominat Varro I. 8. *vbi ex arboribus in arbores traductis vitibus vinea fit: quos traduces quidam rumpos appellant.* Idem ibidem de vineis iugatis ita: *iugorum genera fere quatuor, pertica, arundo, reſtes, vites. — reſtes vt in Brundiſino. — Primum genus maxime quaerit ſalicta, ſecundum arundineta, tertium iunceta, aut eius generis rem aliquam. Quartum arbuſta, vbi traduces poſſint fieri vitium, vt Mediolanenſes faciunt in arboribus, quas vocant opulos.* Plinius XVII. ſect. 35. §. 6. *iugum fit pertica aut arundine aut crine funiculoue, vt in Hiſpania Brunduſiiue.* Ibid. §. 10. *cum breuiores palmites ſarmenta iunguntur inter ſe funium modo, ex hoc arcus funeta dicuntur.* Ex his locis conficitur, funeta dici potuiſſe aeque bene vites, iunco ſeu reſte, vt Brunduſii, et ſarmento iugatas, vt Mediolani et in Gallia. Pro *opulo* Edd. I. B. R. in Varrone etiam male *populum* nominant. Opulus ipſa an nomen a Gallis habuerit cum ipſis rumpis dubitari poteſt, ſi ſcilicet a graeco deriuare volueris cum Pontedera. Sed audiamus Plinium XIV. ſect. 3. *Rumbotinus vocatur et alio nomine populus arbor Italiae Padum tranſgreſſis, cuius tabulata in orbem patula replent, puroque perducto dracone in palmam eius, inde in ſubrectos ramorum digitos flagella diſpergunt. Eaedem modici hominis altitudine adminiculatae ſudibus horrent vineamque faciunt.* vbi conſtanter Codices populum tenent; contra ex libro Regio 2. Brotier poſuit *Rumpotinus*, et Columella opulum cum Harduino interpretatur *acer campeſtre* minus C. Bauhini. Plinius iterum XXIV. ſect. 112. *Rumbotinum arborem demonſtrauimus inter arbuſta. Iuxta hanc viduam vite naſcitur herba, quam Galli rhodoram vocant.* vbi Brotier ex eodem libro poſuit *Rumpotinum.* Ceterum etiam poſtremus hic locus docet, gallicum eſſe vocabulum *rumporum* et *rumbotini.* Difficultatem auget locus Vegetii III. 25. *radices populi quae graece appellatur rhamnos, nam eſt fuſcior*

et nabellula. vbi liber Sambuci *fuſcior et nouellula*, omiſſo verbo *graece* quod deeſt etiam in Gothano, qui habet *rampnus* quod manifeſto vitiatum eſt ex *rumpotinus.* Vides igitur, populum nigram dici rumpotinum. Forte latet Gallicum *Rompeis*, id eſt, ager noualis; de quo vocabulo vide Cangium ſub voce *rumpere.* Ceterum Gallici arbuſti imaginem in editione Lipſienſi poſuit Pontedera, quam hic repetitam conſule.

corno ſimilis] De lectione dubitatur. Opulum plerique interpretantur acer campeſtre minus Bauhini; cui nec lectio *corno* nec altera *cerro* conuenit. Nam cerrus eſt inter glandiferas arbores. Relinquitur igitur, vt ex veſtigiis lectionum *aceri* legamus. Rem fere conficit locus Plinii 16. ſect. 51. vbi inter ligna criſpae materiae laudatur *acer, palma, populus.* et ſect. 76. no. 3. nominata carpino et populo addit: *Haec et criſpa aceris modo, ſi vlla materies eſſet idonea ramis ſaepe deputatis: caſtratio illa eſt, adimitque vires.* Vnde intelligis, arborem eſſe criſpae materiae, cuius rami ſaepe deputabantur. Quae quidem in populum non cadunt; quare Harduinus *opulum* in Plinio legi voluit. Recte! Ita vero apparet, aceri ſimilem eſſe opulum. Contra Pontedera verba *ea eſt arbor corno ſimilis* delenda cenſebat, opulum interpretatus Bauhini acer minus et campeſtre. Vulgo in Italia audire *Oppio* ait; ſed miror eundem cap. VI. probare potuiſſe opulum, vbi equidem populum repoſuiſſe mihi rectius videor. Rumpotineta in Italia *Tirella* hodie vocari, monet Pontedera Epiſt. p. 529.

carpinus] Carpinum atram nominat Cato 32. vtiliſſimam fabricis ait Palladius Nov. XV. 3. carpinea manubria habet Columella XI. 2. 92. Carpinum eſſe σφένδαμνον ſeu acer zygium Graecorum cum Vitruuio II. 9. ponit Plinius XVI. ſ. 26. facibus familiariſſimam carpinum et corylum facit Plinius XVI. ſ. 30. Idem XVII. ſect. 35. no. 22. *Tranſpadana Italia praeter ſupradictas (arbores) corno, populo, tilia, acere, orno, carpino, quercu arbuſtat agros; Venetia ſalice, propter vliginem ſoli.* vbi *opulo* pro *populo* eſt legendum.

niſi in aquoſis] Creſcentius vbi locum Palladii III. cap. 13. ſect. 4. tranſcripſit: *vlmo opulo, ſalice, populo, fraxino, ceraſo, nuce, pruno et ſimilibus, ſed ſalice et populo in locis humidis vti poſſumus.* quae non ſunt in Palladio.

vlmus] Scilicet Atinia ſeu Gallica. Vide locum Plinii poſitum ſupra ad ſect. 26.

2. rum-

2. *rumpotinetum*] Plinius XVII. sect. 35. §. 26. *traduces gallica cultura bini vtrinque lateribus, si pars quadrageno distet spatio, quaterni, si viceno, inter se obuii miscentur alliganturque vna conciliati virgultorum comitatu obiter rigorati qua deficiant; aut si breuitas non patiatur ipsorum, adalligato protenduntur in viduam arborem iunco. Traducem bimum praecidere solebant. Oneratis enim vetustate melius donare tempus, vt transilem faciant, si largiatur crassitudo, alias vtile toros draconis futuri pasci.*

siccis et cliuosis] Palladius III. 13. s. 3. *in loco cliuoso humilius rami arborum seruandi sunt, in plano et vliginoso altius.*

ne vmbrent] Nescio num verbum sanum an in *obumbret* sit mutandum. Plinius XVII. sect. 35. no. 22. *rami a proiectu digitorum modo subrigi, tonsili in his tenuium quoque virgultorum barba, ne obumbrent.* Noster cap. 6. sect. 17. *quicquid frondis enatum fuerit alternis annis amputare — ne nimia vmbra viti noceat.*

3. *curentur — ramos diducantur*] Vulgatam *curetur — ramis deducatur* ita corrigendum esse, monit Morgagni. Vrsinus *in ramos diducatur* malebat. Heinsius Aduers. III. p. 399. ea h. l. posuit *vitis — deponatur — diligentia diuaricetur — in ramos diducatur.* Quam egregiam coniecturam firmat sectio 36.

vt noui] Edd. L. B. R. cum Lips. *vt non noui.* Ex Sang. *vt non vita traduces* laudat et *vt nouitii trad.* corrigit Heinsius. Recte, puto.

connectantur] Librorum etiam Sangerm. *committantur*, vt elegantius probabat Heinsius.

4. *reditus docet*] Ex lectione vetustarum Edd. Gesnerus efficiebat: *dicta docent* pro vulgato *cultus.* Nos sequimur aperta vestigia verae lectionis in libris scriptis exstantis cum Pontedera.

Cap. VIII. 2. *fere altero*] Vide ad Varronem I. 55. 3.

non induit] sc. fructu. Cap. seq. sect. 11. *quae alternis annis fructu induantur.* Monuit Schoettgen.

3. *genera*] Ex h. l. Palladius III. 18. 4. *Olearum genus numerosum est, et plurium vocabulorum, sicut Pausia, Orchis, Radius, Sergia, Licinia, Cominia et ceterae, quas nominare non attinet. Pausia tamen oleum quod reddit, dum viride est, optimum est, sed cito vetustate corrumpitur. Optimum Licinia dat, plurimum Sergia. Sed de his haec generaliter praecepisse sufficiet, maiores baccas cibo, minores oleo profuturas.*

vbi Vincentius habet *Orcas* — *Comenia*. Ex lectione *cito vetustate corrumpitur* forte explicare licet varietatem in libris scriptis Columellae, vbi est *in annum* vel *inani rumpitur Culminiam* sine varietate habet Columella XII. 49 et 52. nisi quod in posteriore loco Edd. I. B. R. *culminam* habent. *Pausiam* libri variant h. l. et alibi; eandem enim *posiam* vocant, vetusta literarum permutatione ex pronunciatione orta. Quam noster baccam iucundissimam, eandem Virgilius II. 86. amaram dixit. In Virgilio *amata* praeferebat Burmann, vt cum Columella conciliaret poetam. Orchis dicitur a rotunditate testiculorum; ὄρχις enim testis dicitur. Hinc male *orchites* in Plinio et alibi scriptum legitur nomen. Virgilius aliique *orchades* dixerunt. Sed audiamus Plinius 15. s. 4. *Differuntur vero etiam in Martium mensem callosae, contra humorem pugnaces, ob idque minimae Licinia, Cominia, Contia, Sergia, quam Sabini regiam vocant, non ante Favonii afflatum nigrescentes, siue est a. d. VI. Idus Februarii, tunc arbitrantur eas maturescere: et quoniam probatissimum ex iis fiat oleum, accedere etiam ratio paruitati videtur.* vbi Vincentius omissa *Contia* habet *Commenia*. Codex Chifflettianus *Cuminia*. Orchadem (quae scriptura ratior est,) et μυρτίνην nominat Nicander Alexiph. 87. vbi Scholia murteae baccam breuem esse aiunt.

Orchis] Esse eam quae hodie in peninsula Salentina Hispanica vocatur, censet Presta Memoria su i Saggi di Olio p. 43. qui eam pinxit in tabulae fig. 4. Regiam putat esse, quae Monopoli vocatur *Permezana*. ibid. et in secundo libro p. LXVII. vbi p. LXXIV. suspicatur Algianam esse, quae hodie dicitur *Vsciana*, leuissima nominis similitudine motus. Lectionem Sang. *Orcis* memorauit Heinsius ad Virgilium I. p. 289.

Cercitis] Vulgatum *circites* ita recte corrigi iussit Pontedera et Morgagni cum Sylburgio, monens, latine *radium* dici. Graece κερκὶς est radius textrinarum, a cuius figura oblonga atque vtrinque acuta genus oleae dicitur. In Florentino Codice vetusto esse *sercitis*, monet Pontedera. Plinius 15. s. 1. *principatum obtinuit in oleo Italia — maxime agro Venafrano eiusque parte quae Licinianum fundit oleum; vnde et Liciniae gloria praecipua oliuae. Vnguenta hanc palmam dedere, accommodato ipsis odore, dedit et palatum — de cetero baccas Liciniae nulla auis appetit.*

4. *corrumpitur*] Lectionem Goes. *in annum rumpitur*. Pontedera probatam interpretatur deprauatur. Malim equidem *intra annum corrumpitur*.

Regiae]

Regiae] Régia eſt Graecorum phaulia, vt docebo infra ad XII. 53. Sabini tamen etiam Sergiam vocabant regiam, teſte Plinio 15. ſ. 4. Phaulia ſeu regia maxima carne, nucleo parui et pauci olei eſt. Ceterum lectionem eam, quam ex lectione Goeſ. et Sang. effeci, confirmat locus de Arboribus c. 17. quem ex optimis libris ita legendum eſſe demonſtrabo: *Optima eſt oleo Liciniana, pauſia ſecunda oleo, eſcae orchis ſunt et regiae radii. non ſine ſpecie neque oleo neque eſui tam gratae ſunt.* Plinius 15. ſ. 4. *prima ab autumno colligitur vitio operae non naturae, pauſia, cui plurimum carnis; mox orchites cui olei; poſt radius. Has enim ocyſſime occupatas, quia ſunt tenerrimae, amurca cogit decidere.* vbi Codex Toletanus *poſt regias* habet. Paulo poſt Plinius: *Purpureae ſunt et in iis, vt vuis, in nigrum colorem tranſeuntibus, pauſiae,* vbi Codex Toletanus recte *poſiis* habet. Vincentius habet: *Primum ergo ab initio autumni colligitur opere non natura poſia, mox orchites, quae abundant oleo poſt radios. Nam quia ſunt tenerrimae, has cito quidem occupat aeſtas et amurca cogit decidere.* In altero vero loco: *tranſeuntes poſiae.* Simili fere ratione locum noſtrum emendauit Pontedera.

olea maior] Vulgo his ante poſitam copulam *et* deleri iuſſit Vrſinus, quod fecit Geſner approbante Palladio.

5. *ſexageſimum*] In Goeſ. et Sangerm. *centeſimum eſt*, Theophr. H. P. 6. 2. de olea: ἐδ' ἐκείνη δοκεῖ τριακοσίων σταδίων ἀπὸ θαλάσσης ἐπάνω φύεσθαι. Plinius 15. ſect. 1. *Oleam Theophraſtus negauit niſi intra XL. millia paſſuum a mari naſci.* Idem 21. ſ. 31. *tunc oleam non putabant gigni niſi intra trecenta ſtadia a mari.* Quod ſi cum Plinio 2. c. 23. paſſus centum viginti quinque ſtadio tribuas, trecenta ſtadia efficient 48,012 paſſus. Itaque Bodaeus ad Theophraſt. p. 316. eumque ſecutus Harduinus in Columella malebant legi *vltra miliarium quadrageſimum.* Quoniam libri optimi omittunt *miliarium* et poſtea *centeſimum* habent, ſuſpicor olim fuiſſe ſcriptum h. l. *vltra ſtadium tricenteſimum.*

6. *cui glarea*] Plinius 17. ſ. 3. *glareoſum oleis ſolum aptiſſimum in Venafrano, pinguiſſimum in Baetica.* Palladius III. 18. *terram cui miſta ſit glarea, aut cretam ſabulonis coniunctione (admixtione* Creſcent.) *reſolutam, aut pinguem ſabulonem,* (Creſc. *pingue ſabulum*) *aut terram naturae denſioris et humidae* (viuidae Creſc. cum duobus Codd. Vincent. alibi *tumidae* alibi *viuidae*). *Creta figuli omnino repudianda eſt et vliginoſa et in qua ſemper humor aſſiſtit* (Creſc. *exiſtit*) *et ſabulo macer, et nuda glarea. quamuis enim comprehendat,*

non

non conualescit. (Vincent. *non tamen.*) *Locis aestuosis Septentrionali colle, frigidis meridiano gaudet, mediis, cliuis delectatur; neque imum locum neque arduum patitur, magis modicos cliuos diligit, sicut est regio Sabina vel Baetica.* vbi verba *mediis, cliuis delectatur* hodie non leguntur in Columella. Theophrastus C. P. II. 5. ἡ σπιλὰς καὶ ἔτι μᾶλλον ἡ λευκάργιλλος ἐλαιοφόρος. ἰκμάδα τε γὰρ ἔχει καὶ πνεῦμα πολύ. δεῖται δὲ καὶ ἀμφοῖν. Geopon. IX. 4. ἡ ὑγροτέρα γῆ εὐθαλεστέρας καὶ λιπαρωτέρας φέρει τὰς ἐλαίας. δι' ἣν αἰτίαν ταύτην προκριτέον τὴν γῆν. Columella Arbor. 17. 1. olea humidis campis et pinguibus laetas frondes sine fructu affert. Scilicet humidi campi sunt oppositi vuidis, vt nimia humiditate abundantes.

creta] Palladius *figuli* addit, et pro *scaturiginosa* habet *vliginosa* — *assissit.* Ita vbi cum Vitruuio 8. 1. Palladius Aug. 8. cretam simpliciter nominat, ibi Plinius 31. s. 28. cretam figularem ponit. Argillam vocari cretam figularem, monet Colum. III. 11. 9. et Palladius I. 34. 4. Argillam pinguem pro creta figulari pingui dixit Plinius 17. s. 3. De argilla consentit Bernard p. 213. Λευκάργιλλος quae sit, patet ex Theophrasti loco paulo antea posito; cui addo Geopon. V. 26. vbi λευκαργίλλῳ γῇ addere iubent bubulum stercus; ita enim eam natura imbecillem pinguedine et dulcedine stercoris iuuari. Eadem IX. 4. secundo loco λευκάργιλλον, tertio σκληράργιλλον ad oleas commendant. Denique II. 27. parietes luto illitos deinceps inducunt intus et extus τῇ λεγομένῃ λευκαργίλλῳ γῇ. Ceterum Sang. *et in quam scatur.*

7. *conualescit*] In glareosa *(graveleuse)* terra nunquam iustam magnitudinem assequi oleam monet, qui terrarum genera accurate persequitur, Bernard p. 212.

etiam excisa] De excisa dicam ad librum de Arbor. c. 17. de stante vide Varronem I. 16. 6. Palladius III. 18. *potest seri et vbi arbutus steterat aut ilex. nam cerrus et aesculus excisa radices noxias relinquit, quarum virus oleam necat.* vbi Vincentius habet *cedrus excisa* omissa aesculo; alibi habet, *cerasus eruta et excisa.* Polit. liber habet *cedrus etiam excisa.* Sed quercum defendit locus Plinii, quem posui ad librum de Arbor. c. 17. Ceterum vanam esse hanc veterum opinionem, docet Bernard p. 263. Larua scarabaei nasicornis Linn. non solum oleae et quercus, sed plurium etiam arborum radices ad truncum exedit, non tam insigni noxa; praeterea bostrychus ramos debiles aut siccos perforat; byrrhus taranio alburno ramulorum victitat; larua scolyti

lyti ſcarabaeoidis ramorum vulneribus elicit ſuccum, colore, odore et guſtu mannae deſtillantem. Hoc eſſe elaeomeli, ex Syria olim allatum in medicinae vſum, teſte Plinio XV. c. 7. et XXIII. c. 4. ex Dioſcoride I. 37. recte monet Bernard p. 273. Oleomellam vocat ex Dioſcoride Iſidorus Origin. XVII. 7. Idem Dioſcorides I. 137. duplicem oleaſtri lacrymam, gummi ſimilem, in medico vſu memorat, quam ex oleis Calabriae et Prouinciae collectam memorat Bernard p. 274. eandem paulo accuratius deſcripſit *Preſta* in priore de Olea libro.

Cap. IX. *foſſa*] Geoponica IX. 6. *τειχίον ἢ φραγμὸν*, maceriam aut ſepem circumdant. Pro *aditus* libri habent *traditus*, forte *tranſitus* voluerunt dare. De terra nigra ſeu pulla vide ad Catonem c. 45.

fermentari ſinito] Libri ſcripti monſtra lectionum habent, ex quibus Pontedera effingebat: *pecori detur*, *inferatur*. *Ramos* etc. Sed vulgatam ſatis defendit locus Palladii III. 18. *in fermento terrae foſſae defigantur*. de olea.

2. *hoc eſt manubrii craſſ.*] Haec verba veluti gloſſam temere incluſerat Geſner. Palladius Mart. X. 1. *ramus cubitalis inciſus manubrii craſſitudine et capite vtroque acuta falce laeuigatus* etc. Trimas taleas ſeri iubet Cato c. 45.

feraciſſimis] Ita ſcribi iuſſit Pontedera approbante Vrſino. Vulgatam *feraciſſimos* defendit Geſner, ſed inepte. Ita enim ſcribi debuerat: *et feraciſſimos*. Nec licet eo tempore, quo demuntur rami, ſingulorum feracitatem agnoſcere in gemmis. Geoponica IX. 7. taleas ſumi iubent *ἀπὸ δένδρων νέων καὶ κατ' ἐνιαυτὸν καρποφόρων, τὸ πάχος ἔχοντα στελέχους ἢ παχύτερα, λεῖά τε καὶ ὀρθά.* vbi miror Nicolaſium in verſione poſuiſſe manubrii craſſitudinem, nec tamen admonuiſſe, eſſe legendum *στειλεοῦ*; ita enim manubrium graece dicitur. Taleas manum implere vult Plinius XVII. ſect. 28.

recentiſſimas] Geoponica IX. 11. *δεῖ τὰ φυτὰ παραυτίκα ἀφελόντας φυτεύειν ἐν νοτίαις ἡμέραις.*

quam qua ſerra] Ita recte ſcripſit Geſner, approbante Sangerm.

varam feceris] In verbi *vara* ſenſu aberrauit Pontedera. Bene Geſner interpretatur perticam furcillatam, cui imponitur ramus deſecandus, ſtramine aut foeno antea munitae. Simili ſed geminata furcilla vtuntur operarii, qui ligna diſſecant ſerra. Varis retia ſuſpendit Lucanus IV. 439. arietes Vitruuius X. 19. docente Geſnero in Theſ. L. L. Seneca Epiſt.

Epist. 86. *alter ponendi oliueti modus hic fuit. Ramos fortes nec corticis duri, quale esse nouellarum arborum solent, eodem genere deposuit. Hi paulo tardius surgunt, sed cum tanquam a planta processerint, nihil habent in se aut horridum aut triste.*

3. *sesquipedales*] Palladius III. 18. 6. *Si prouincia indiget oliuetis et non est vnde planta sumatur, seminarium faciundum est, id est, tabula effosa, sicut superius dixi, vt ibi, sicut Columella dicit, rami incisi serra in modum sesquipedalem deponantur, inde post quinquennium poterit valida planta transferri, et locis frigidis Februario plantari.* Vulgatum h. l. *sesquipedales* correxi. Cato c. 45. pedales, Varro I. 40. 5. circiter pedales taleas facit.

in arbore steterat] Ita etiam Cato c. 45. *si ita seueris, vt prius steterit talea, melius viuet.* et cap. 46.

parte ima] Ex mira Codd. varietate efficio: *ita pariter rectus et cacumine* etc. Nam ima parte non spectat ramus terram, sed tangit et perforat. Imo ex Sang. malim *ita porrecta et* etc.

inuersa] In malo punica Palladius Mart. X. *curandum ne virgulta inuersa deponas.* Sed ibi legendum esse, vt ex Theophrasto C. P. II. 11. docuit Niclas ad Geoponica X. 3. p. 698. inuersam etiam fici, citri et myrti taleam poni iubent Geoponica X. 45. 11. X. 8. 2. XI. 7. 5. In menta Columella XI. 8. 37. et Plinius 19. s. 47. Salix vel inuerso surculo seritur apud Plinium 17. s. 13. Oleae taleam inuertere vetant etiam Geoponica IX. 5. 8. et XI. 11. 11. Rationem hanc edunt Geoponica IX. 11. in olea: *βασανιῶμεν γὰρ τὸ φυτὸν κατὰ κορυφὴν φυτεύοντες.*

validius conualuerit] Ineptam tautologiam Columellae nemo facile imputabit. Puto fuisse *et quamuis etiam conualuerit.* aut potius: *etsi etiam comprehenderit, sterilis* etc. In Sangerm. est *sterilis — esse*, teste Gronouio. vnde gravius vlcus latere suspicor.

talearum capita] Probo lectionem *palorum capita — totos eos.* Capita oleaginea dixit Cato c. 43. Geoponica IX. 5. *χριέσθω δὲ τὰ κατώτερα τῆς ὄρπηκος βολβίτῳ τέφρᾳ μεμιγμένῳ.*

immergeri] Lego *immergi.* Paulo antea fuit: *si inversa mergatur.* De punicae claua Palladius Mart. X. *ramus cubitalis — scrobi velut obliquus immergitur, prius tamen porcino stercore et in capite et in parte quae ima est, oblinatur.* Pontedera ex lectione librorum effingebat: *inhumari;* atque ita Plinium dixisse *taleas inhumare.* Locus Plinii est

17.

17. f. 30. no. 3. *non inhumare taleas aut ſiccare* (i. e. *ſecare* monente Ponted.) *prius quam ſerantur, vtilius repertum.* vbi Chifflet. Codex habet *infumare.* In Pintiano Codice et Regio 2. eſt *infumare*, quod reſtituit Plinio ſuo Brotier. Sed vereor, vt vel iſta vera ſit lectio. Totas plantas aliquando immergi monent Geoponica IX. 11. addunt, quae totae mergantur, non opus habere cautione ea, quam obſeruare oporteat in iis, quae terra eminent, vt iiſdem coeli cardinibus opponantur, quibus ſteterant in matre. Eadem c. 5. ſect. 7. ἐνθήσομεν αὐτὰ τῇ γῇ ὡς ὑπερέχειν τέσσαρας δακτύλους καὶ ἐνταῦθα τὸν βόθρον φιαλώσαντας πρὸς ὑποδοχὴν τῶν ὄμβρων. παραπήξομεν δὲ κάλαμον πρὸς τὸ τὰς σπάθας ἐπιγινώσκειν τὴν ὄψιν τοῦ φυτοῦ. Vnde vitium huius loci arguere licet, vbi totae taleae humo immerguntur, obſeruata tamen poſitione ea, qua fuerant antea in arbore. Sed haec poſitio quo pertineat, antea docui, et in loco Geoponic. poſt ὑπερέχειν intelligere oportet τὴν γῆν. At Cato cap. 45. *Supra terram ne plus quatuor digitos tranſuerſos emineant.* vbi vide notam.

4. *muniantur*] Hoc ex varietate *vniantur* recte effecit Geſner pro vulgato *humantur*, quod eieci. Deinceps malebat Geſner *hi ſunto.* Recte! aut lege *ſint.* Surculos cuiuſlibet arboris iuxta apponi iubet.

5. *quidam melius*] Palladius III. 18. *Scio pleroſque, quod facilius atque vtilius eſt, radices olearum, quae in ſiluis plerumque ſunt, aut in locis deſertis, in cubitalem menſuram reciſas, aut in ſeminario ſi placuerit, aut in oliueto ſolere diſponere, et admiſtione ſtercoris adiuuare. Quare proueniet, vt ex vnius arboris radicibus numeroſa planta naſcatur.* Vnde apparet, multa vitia huic loco haeſiſſe, quae praeteriit ingenium Pontederae; Geſneri vero diligentia ſanare non potuit. Quod enim vulgatum: *et chorda diſponere* interpretatur: *funiculi extenti ope dirigere lineam oculorum ſeu ſeminum* admodum ineptum eſt, nec ex verbis extundi poteſt. Nec habuit quid *oculis* faceret. Sed Palladius docet, radices ſilueſtrium olearum diſponi in ſeminario, vel oliueti, vt ex radicum oculis numeroſa planta naſcatur. Igitur recte Iuntina *ex radicum oculis ſilueſtrium olearum hortulos excolere.* Contra vitioſe et minus integre Editiones aliquae: *exiſtimant oculis excolere;* etſi ita etiam liber Lipſ. Goeſ. et Sang. habent ſcriptum. Reliquae Edd. ſic: *exiſtimant hortulis excolere.* Hoc vnum mihi diſplicet in ea lectione, quam vnice probo, quod hortulos nominat auctor, vbi ſeminarium, aream, vel, vt Palladius, tabulas debebat. Sed potuit hortum

tum pro seminario dicere oliuarum; vt vineam in hortos distinguit IV. 18. ex lectione *hortulos excolere* orta est altera, quam habent Codices Goes. et Sang. praeterea Edd. I. B. R. vbi scilicet *hortulos* omittitur; in illis enim scriptum est: *oculis excolere et chorda simili ratione disponere.* Equidem lectionem eam restitui, quam Iuntina obtulit, confirmatam deinde auctoritate Palladii. Vitii originem monstrat lectio Edd. I. B. R. Br. vbi est *oculis excolere chorda* omisso *et*, quod vulgo interponitur. Scilicet hortum antiqui etiam villam dicebant, teste Festo; vnde suspicor, a graeco χόρτος non solum *chortem* seu *cortem* vel *cohortem* ductam fuisse, sed ipsum adeo *hortum*, quem alii *chortum* scribebant, quanquam Varronem aliosque aliter sentire scio de origine vocabuli hortus. Oleas aliqui in radicibus inserunt, et vbi comprehenderint, cum aliqua parte radicis auellunt et transferunt more plantarum, referente Palladio Aprili 2. ex Geoponicis IX. 16. vbi est: εἰς αὐτὰς τὰς ῥίζας τὰς προκυπτούσας ἐπικεντρίζουσι. quam tamen rationem inserendi hodie difficillimam etiam in reliquis arboribus esse, artifices profitentur; nisi quod in vitibus eam frequentant Sueui. Sed ad radicum oculos redeo. Intelligit Columella Syrorum vocabulo dicta gorphia, ξύλα κοπέντα ἀπὸ τῶν κατωτάτω ῥιζῶν, taleas, ex infimis radicibus desectas, quas in seminario a quibusdam plantari monent Geoponica IX. 5. vbi miror, nihil de hac ratione annotasse Niclasium. Eam in Gallia renouauit Marchio *des Pennes*, vbi gorphia dicuntur *souquets* vel *des yeux*, quia radicum pars eligitur ea, quae gemmam habet. Vide Bernardi Disp. de Olea p. 178. et ad Catonis cap. 45. Sed nunc demum video Pontederam Antiqq. p. 468. corrigere h. l. *oculis extollere*, id est, *oculis subiicere non totas depressas, vt sine indicibus colantur.* Quam viri docti rationem probarem, nisi veriorem suggessisset Palladii imitatio. Pontederae locum omiserat Ernesti. Artificium ipsum Victorius in libro Italico de cultura olearum experimentis suis confirmatum exposuit; sed ante editum eius librum eandem rationem seminarii olearii iam diu celebratam fuisse in Calabriae vlterioris regione *Territorio di Seminara* monet illustr. Grimaldi *Memoria sull' antico Frantojo* p. 12. qui eandem enarrauit in libro *Instruzzioni sulla nuova manifattura dell' olio*, editionis secundae. Itali oculos hos *uóvoli* vocant.

rastris excoli] Crescentius IV. 19. Coluntur autem, vt in singulis mensibus nouellae pastinentur, cum vero adoleuerint, ter in aestate vel bis ad minus fodi eas oportet, et omnibus herbis circum nascentibus liberari.

siccia

ficcis minimique] Ita etiam praecipit Cato c. 61. Vide ad Librum de Arbor. c. 17.

7. *quaternum pedum*] Colum. Arb. 17. *oportet scrobem oleae quoquouersus pedes quaternos patere.*

anno ante] Idem consilium addita ratione habent Geoponica IX. 6. et ipse olim Theophrast. C. P. III. 5. vt terra sole et frigore percocta et fermentata laxior et mollior efficiatur. Curam hanc ad terram densam refert Bernard p. 203.

atque virgis iniectis] Hoc effeci ex lectione Sangerm. *virgis insectis.* Ita Columella Arbor. 19. 2. *postea scrobes stramentis completo et incendito.* et infra c. 10. 3. *postea stramentis incensis calefacito.* Geoponica IX. 6. πρὸ δύο μηνῶν ἢ ἑνὸς τὸ ἐλάχιστον Φρύγανα καὶ κάλαμον καὶ ὅσα εὔφλεκτα ἐγκατακαύσομεν τοῖς βόθροις ἐπὶ πολλὰς ἡμέρας. At Gronouius ex Sang. posuit: *stramentis rectis atque virgis insectis inc. scrobes.* Sequentia etiam verba interpolasse Aldum Codd. scriptura docet.

frumentario solo] Palladius: *Si frumentarius ager est, quem conserimus oliueto, quadragenis inter se pedibus distent, si macer, vicenis quinis. Melius faciemus, si ordines in Fauonium dirigamus.* vnde apparet, recte h. l. emendasse Vrsinum veterem lectionem *quidem et vicenum.* Deinde Palladius verba: *sexagenum pedum* legisse hic non videtur, sed quadragenum solum. Itaque verba *in alteram partem atque in alteram* interpretari oportet quoquouersus. At vero supra in arbusto V. 7. 3. si frumentum non inseritur, in vtramque partem viginti pedum spatia interueniunt, at si segetibus indulgetur, in alteram partem quadraginta pedes, in alteram viginti relinquuntur. Idem Palladius l. c. sect. 2. de plantis radicatis in pastino positis: *Sint a se discretae pedibus quindecim vel viginti.* vbi Crescentius habet *viginti quinque pedibus*, et in priori recte habet scriptum: *frumentarius ager est et pinguis.* Aliter Cato cap. 6. Noster Arbor. 17. *oleam decet inter sexagenos pedes disponi, vt spatium in latitudinem crescendi habeat. nam quae in proceritatem extenduntur, evanidae fiunt, parumque fructus ferunt.* Plinius 17. c. 19. *Non alia maior in Baetica arbor; in Africa vero, fides penes auctores erit, milliarias vocari multas narrant a pondere olei quod ferant annuo prouentu. Ideo LXXV. pedes Mago intervallo dedit vndique: aut in macro solo aut duro ac ventoso, cum minimum XLV. Baetica quidem vberrimas messes inter oleas metit. Illam inscientiam pudendam esse conueniet adultas interlucare iusto plus, et in senectutem praecipitare, aut*

totas excidere — multo iam, vt praestet laxitate delinquere. Praeclarum praeceptum, cuius vsum hodieque multi ignorant, qui temere interlucantes oleas in altum niti et eiuncidas fieri cogunt, atque ita ramis inferioribus sterilescere. Vide Bernard p. 206 seqq. Geoponica IX. 6. oliueti segetibus simul seruientis interstitia pedum quinquaginta assignant scrobibus.

8. *perflata*] Ita recte Lips. et Sang. atque hoc voluit legi Vrsinus pro vulgato *proflatu*. De fauonio consentit Cato cap. 6. Sed nunc malo quod ex Sang. annotauit Gronouius *perflata*.

explantes] Monstrosam optimorum Codicum lectionem ita ex Edd. I. B. R. interpretor, vt legendum esse censeam: *antequam plantandas arbusculas effodias solo, rubrica* etc. Explantare longe diuersa notione vsurpare solet Columella IV. 29. 11. IV. 14. 1. XI. 2. 38. IV. 24. 4. IV. 27. 6. Diuersum etiam *deplantare* Varronis I. 40. 4. et I. 43. Plinii 17. sect. 33. Noster Arbor. 17. de eadem re sic: *omnes arbusculas, antequam transferantur rubrica notare conuenit.* Ipsam regulam cum Gallo Du Hamel contemnit Bernard p. 197. Ceterum ex Sang. non *solet*, vt Ernesti, sed *soleo* annotauit Gronouius.

pala qua eximitur] Vulgatam *pilae quae eximitur* Gesner interpretatur cespitem spatio pedali in circuitu arboris relictum. Sed praeclare is vidit, praestare cum libris optimis legere *qua eximitur* et *pila* mutare in *pala*. Quod feci. Eodem deinceps auctore legendum erat *palam commouere*. Sed posui *pala commouere* sc. arbusculam, quo facilius virgae subiici et innecti possint. Ferratum palae robur, qua terra versetur, habet Colum. X. 45. Hac circum arbusculam terra inciditur, eademque virgae connexae in foramina detruduntur, vt viminibus innecti possint cespiti effodiendo. Cum terra sua radices eximere iubet Cato c. 61. modum autem docet cap. 28. vbi vide.

9. *imum fodere*] Abundat *imum* inepte, eiusque loco libri optimi *copia* habent. Corrigo *scrobis confodere*. Cato 129. terram minute confodere dixit.

ordei semina] Palladius III. 18. *in fermento terrae fossae defigantur; locum palo ante deprimente, ordei grana subteriaciantur.* vbi *fermentum* est ex nostri sect. 1. Grana ordei subiiciuntur, vt in Italia hodieque mulierculas in deponendis caryophyllis, lychnidis et leucoii surculis milium aut panicum spargere refert Pontedera. Ceterum optimi libri ordei grana omittunt, et sic verba continuant: *et ita* (sc. terram)

terram) *seminibus substernere.* Hordeum suspicor non integrum, sed tostum intelligi, auctore Theophrasto C. P. V. 6. *τῷ δὲ σελίνῳ περιορύξαντες κάτω μέχρι τῶν ῥιζῶν καχρύδιον περιβάλλοντες καὶ ἄνωθεν τὴν γῆν. αἴτιον δὲ ὅτι τὴν τροφὴν ἅπασαν αὐτὰ λαμβάνουσι καὶ ἐ διαδιδόασιν εἰς τὰς βλαστὰς, περιζομένης δὲ πλείων ἡ αὔξησις.* vbi vulgo est *καχρύλιον περιλαμβάνοντες — ἐ διδόασιν.* Aristoteles Problem. XX. 8. *διὰ τί σελίνου ἐάν τις περιορύξας μέχρι κάτω πρὸς τὰς ῥίζας παραβάλῃ τῶν καγχρυδίων εἶτα ἄνωθεν τὴν γῆν καὶ ὅτως ἄρδῃ παμμεγέθεις γίνονται αἱ ῥίζαι; ἢ διότι τὸ καγχρύδιον θερμὸν ὂν καὶ σομφὸν κατέχει μὲν σύνοικον τὴν τροφὴν καὶ ἐ προΐεται ἄνω. πάττει δὲ θερμὸν ὂν ὥστε πολλὴν τὴν αὔξησιν γίνεσθαι.* Vnde apparet, in Theophrasto *αὐτὰ* respicere non ad radices, sed ad *κάγχρυδας*, igitur legendum esse *καγχρύδων*, vt in Aristotele *καγχρυδίων*; grana enim hordei tosti nutrimentum omne contractum vndique retinent, nec sursum dimittunt; vnde maior radicis apii incrementum. Reliqua loci Theophrastei vitia correxit et vulgatum in Aristotele *παραβάλῃ* in *περιβάλῃ* mutauit H. Stephanus in Thes. G. L. IV. p. 1183. vbi egregie admonuit, in Geoponicis XII. 25. *μέγιστον ἔσται τὸ σέλινον, εἰ περιορύξας αὐτῷ πᾶς ῥίζας ἄχυρα περιβάλλοις καὶ ἀρδεύσῃς*; male legi *ἄχυρα* pro *κάχρυς* vel *καχχρύδια*. Admonitionem viri docti ignorauit et vitium non animadvertit auperus interpres Niclas. Plantis vitium luxuriantibus (*ὑβριστικοῖς*) interserere in seminario iubet hordeum et fabam C. P. III. 20. *φυταῖς δ' ἔσι τοῖς τοιούτοις καὶ ἐπισπείρειν ἐπὶ τὸ ἐνθηρὰ δεῖ κριθὰς καὶ κυάμους. ἐπειδὴ ταῦτα ξηραντικώτατα πάντων.* vbi *ἄνθηρα* lege.

glarea] Palladius: *Cum deponentur in scrobes sicuti constituantur quaternis pedibus fossas; glarea etiam, vbi lapides defuerint, misceatur et stercus.* Columella Arbor. 17. *oportet in imum scrobem lapidem glareamque abiicere, deinde super terram quatuor digitorum inlicere — et terras quae in scrobem reponitur, stercora immiscere.* Stercus terrae admiscent etiam Geoponica IX. 15. De lapidum et glareae vsu vide supra ad III. 15. 3. Stercore abstinere iubet, inprimis calido, Bernard p. 214. nisi rigentur simul plantae; itaque fuliginem praefert, quae humorem allicit retinetque. Ceterum vides, Columellam operis ordinem diversum ponere altero in loco, forte rectiorem.

circumcidenda] Quid sit latera scrobis circumcidere, Interpretes non docuerunt, nec equidem intelligo. In altero loco arbusculam in medio scrobe collocandam rectam esse monet, deinde adminiculo addito firmandam. Quae

vtraque operis pars an in vulgata lectione lateat vitiata a librariis, iudicabunt alii; equidem dubito. Contra suspicor *circumcalcanda esse latera scrobis* vel potius *codicis*, quod in planta vlmi fieri iubet noster V. 6. sect. 8 et 21.

10. *planta non conuenit*] Si non licet cum sua terra plantam transferre. Haec sententia loci esse debet, vt praeclare vidit Pontedera; nihil vidit Gesner. Verba sana omnia praestare equidem nolim.

omni fronde] Palladius sect. 1. *si ponuntur in pastino, radicatae plantae decisis capitibus et brachiis et in truncum redactae vsque ad mensuram cubiti vnius et palmi in fermento terrae fossae defigantur; locum palo antea deprimente, ordei grana subteriaciantur et amputetur iis quicquid putridi inuentum fuerit aut arentis: et tunc capita amputata luto velentur et musco, vlmeis vinculis vel tenacibus quibuscunque constricta. Sed maximum beneficium est, vt proficiant incremento, si rubrica partes notentur, quibus obuersae steterant, et contra eas simili ratione ponantur.* Frons a Columella saepe ponitur pro virgulto frondoso. De eadem re noster XI. 2. 42. mense Maio: *hoc eodem mense in pastinato seminario nouissima positio est olearis taleae, eamque oportet, cum panxeris fimo et cinere mistis oblinere et superponere muscum, ne sole findatur.* vnde patet h. l. musci mentionem excidisse. Deinceps pro *fimoque* libri optimi *coenoque* habent; quod defendi potest ex Palladii *luto;* sed altero in loco Columellae est similiter *fimo* sine varietate. Muscum circumdari radicibus olearum iubet Plinius 17. sect. 30. no. 3. nescio an eodem consilio Cato cap. 28. *arbores crassiores digitis 5. quae erunt, eas praecisas serito oblinitoque fimo summas et foliis alligato.*

Truncus] Vitium vulgatae arguit varietas lectionis, vnde Pontedera efficiebat: *truncus autem magis aptus is est.* Equidem puto, fuisse olim: *Satis autem maturas est, qui brachii* etc. In vocabulo enim *maturis* consentiunt Codices tres iique optimi. Ita Cato c. 45. de plantis oleariis: *taleae vbi trimae sunt, tum denique maturae sunt, vbi liber sese vertet.*

exiguum] Palladius: *si clausus locus est, modice supra terram quae ponuntur emineant; si pecora formidantur, altiores trunci esse debebunt. In siccis vero prouinciis cum pluviae desunt, et rigare conueniet.* Altiorem truncum minus laete frondere, confirmat Bernard p. 197.

11. *rigandae*] Eandem rigandi conditionem ponunt Geoponica IX. 10. Arbor adulta rigua aut irrigata peius oleum et minus reddit, auctore Theophrasto C. P. VI. 11. 4. et Plinio XV. c. 2. Crescent. V. 19. non vult autem haec arbor

arbor rigari fontibus vel riuis, eo quod talis aqua grauis est et cito fluit a radice deorsum, sed potius pluuiis gaudet, quae aqua vaporosa est, et statim fumat ad radices ipsius. In terra sabulosa, glareosa et granitosa rigandas primo anno plantas esse monet Bernard p. 211.

surculari] Palladius Nouembri 4. *est vtilis olearum putatio, si loci patitur disciplina, vt decisis cacuminibus rami fluentes per latera prona fundantur.* (Cresc. ibi habet: *vt per latera quantum poterit diffundantur.*) *Quod si regio insolens et incustodita contigerit, agendum prius toto arboris corpore ab inferiore parte purgato, vt altitudine animalium supergressa, modus transscendatur iniuriae et arbor iam spatio suo tuta curetur.* Humiliorem oleam fieri iubent etiam Geoponica IX. 9. quo sit feracior.

altitudinem bouis] Laudo ingenium Gesneri, quod coniectando assecutum est veram huius lectionem. Vulgo enim *scrobis* legitur. *Surculare* recte interpretatur surculos auferre superfluos, vt simplex stilus seu stipes ad eam altitudinem submittatur, quae bouis tactum et noxam, a carpendo timendam, superet. Deinde demum rami submittuntur. Surculare dicitur, vt pampinare a pampinis, ruscare a rusco, recte monente Gesnero. Non dubitaui hanc egregiam emendationem ponere in ipsa oratione, postquam a Palladio comprobatam reperi, qui communem cum Columella auctorem exscripsit. Ecce denique Seneca Epist. 86. de oliueto vetusto transferendo: *Magnarum arborum truncos circumcisis ramis et ad vnum redactis pedem, cum scapo suo transtulit Aegialus, amputatis radicibus, relicto tantum capite ipso, ex quo illae pependerint. Hoc fimo finitum in scrobem demisit, deinde terram non aggessit tantum, sed calcauit et pressit. — Parum autem arboris, antequam obruat, radit. ex omni enim materia quae nudata est, vt ait, exeunt radices nouae. Non plures autem super terram eminere debet truncus, quam tres aut quatuor pedes; statim enim ab imo vestietur, nec magna pars quemadmodum in oliuetis veteribus arida et retorrida erit.*

offendat, optimum] Vulgo punctum erat positum post *offendat*. Sed cauea munitur planta, ne bos offendens aliquam corporis partem praefringat aut stringat plantam. Ceterum Heinsius ad Virgilium III. p. 26. ex Sangerm. malebat *circumuenire*, cuius vsus exempla alia dabit Index; idem corrigebat *consitas plantas*, ne scriptor tam elegans idem vocabulum repetiisse videatur.

12. *coliculum agit*] Varro I. 41. *oleae semen cum sit nucleus, quod ex eo tardius enascebatur colis, quam e taleis, ideo potius in seminariis taleas, quas dixi, serimus.* Hoc loco intelligi puto germina ramorum seu surculos, anno eo quo nascuntur, nullum fructum edentes.

bis anno arari] Palladius III. 18. 2. *Omnis subinde circa eas herba vellatur, et quoties se imber infuderit, breuissimis ac frequentissimis fossionibus solicitentur; et subinde ducta a trunco terra atque permista in aliquanto altiores cumulos congeratur.* Crescentius V. *cum vero adoleuerint, ter in aestate vel bis ad minus fodi eas oportet, et omnibus herbis circum nascentibus liberari.* Forte h. l. legendum est *arari debet, aut bidentibus — circumfodi.* Crassas et ramosas oleae radices tribuit Plinius 16. s. 56. ex Theophrasti H. P. I. 9. Sed vide notam ad Catonem c. 61.

post solstitium] Ante et versus hibernum solstitium laborant multis in locis morbo eo, quem Theophrastus H. P. IV. 17. καυθμὸν vocat; cum folia multa, aut arbor tota advritur. Vredinem vocauit Plinius 17. s. 37. no. 8. vbi ventum Atabulum in Apulia causam morbi esse ait circa brumam. Itali hodie morbum vocant *Brusca*, teste Presta in altero libro p. 97. Plinius cum Theophrasto de hoc morbo: *signum est reuiuiscendi, si folia amisere — nonnunquam folia inarescunt, eademque reuiuiscunt:* quod monitum, male a Plinio ad plures arbores relatum, de olea confirmat experientia teste Bernard p. 217.

13. *Incilia*] Nominat etiam Cato 155. 1. *in monte fossas inciles plures habere oportet — incilia aperire, aquam diducere in vias.* Simile est, eiusdem certe vsus, mortarium, quod fieri iubet Palladius IV. 8. 1. phialam vocant Geoponica IX. 10. τάτε κύκλῳ τῆς περιχώσεως φιαλῆν, πρὸς τὴν τῶν ὀμβρίων ὑδάτων ὑποδοχήν. προσφέρειν δὲ ταύτην τὴν θεραπείαν χρὴ τοῖς ὑπὸ κύνα καύμασιν. accuratius haec incilia describit noster Arbor. c. 10. s. 4. vbi vide.

deducant. Omnis] Palladius XI. 8. *Hoc tempore ablaquendae sunt arbores oleae prouinciis siccioribus ac tepidis,* (Cresc. *aridis aut tepidis locis,*) *ita, vt eis a superiore parte humor possit induci. Omnem sobolem conuelli Columella praecipit: mihi autem videtur paucas dimitti semper ac solidas, ex quibus vel* (omitt. Crescent.) *in vetustate matris loco delectus* (Cresc. *noua*) *succedat: vel melius nutrita et aggestae terrae beneficio, et iam suas habens radices ad oliuetum faciendum sine cura seminarii transferatur arbuscula.* Plinius 17. sect. 30. no. 3. *circumfodi autem omnibus annis a solstitio duum cubitorum*

torum scrobe pedali altitudine. Stolones omnes detrahi iubent Geoponica etiam IX. 9.

imo stirpe] Ita ex libris optimis dedit Gesner pro *vno.* Ita etiam in libro Sangerm. esse testatur Drakenb. ad Liuium T. II. p. 668. qui ex Virgilii Aeneid. XII. 208. *imo de stirpe recisum* laudat, quem locum Columellam respexisse putabat. Vide et Burmannum ad Quinctil. Instit. I. 6. p. 72. Etiam Cato 40. 2. stirpem praecisum dixit, sed tunc stipitem, truncum significat, vt apud Nostrum V. 6. 12. 13 et 14. Femininus sexus simpliciter plantam et fruticem significare mihi videtur.

fimo pabulandae] Vulgo interfertum *vel* recte delet Goes. liber et Sang. In vulgata deesse *amurca* putabat Pontedera. Plinius 17. f. 30. no. 3. *stercorari tertio anno.* Geoponica IX. 15. *παρὰ δύο ἢ τρία ἔτη.* sed stercus vetant ipsis radicibus ingerere, sed paulo longius a trunco, ne radices adurantur, vt in vite monent V. 26. 5.

tamen segetibus] Vitium manifestum est. Gesner malebat: *Atque si eadem — tantum segetibus.* Equidem ante *tamen* inserendum puto *si*, ita, vt reliquis seruatis legam: *si tamen segetibus* (intersatis oleae) *prospiciemus.*

14. *At si — seruiens*] Ex emendatione Vrsini edidit Gesner *seruieris.* Vulgo erat *Ac si — seruaueris.* In libris Goesiano et Sang. est *seruari.* vnde Pontedera h. l. ita constituebat: *arboribus*, (sc. prospicietur) *satis seruari singulis — sex libras — modios — congium.* Atque ita habere ait Palladium. At vero Palladius ex h. l. laudat *sufficient.* Vnde plana et certa est emendatio: *arboribus, satisfacient singulis.* Ita enim loquitur noster in eadem tractatione XI. 2. 29. Deesse vero verbum *sufficient* vel *satisfacient* sequentia satis manifesto demonstrant; in vulgata autem *satae* arbores satis inepte dicuntur. Igitur eodem iure, quo Gesnerus posuerat *seruieris* pro *seruaueris*, et mihi licere putabam lectionem probam, et, nisi fallor, veram, obscurae et vitiosae substituere, atque interpunctionem mendosam corrigere.

stercoris sicci] Palladius XI. 8. *nunc si suppetit, intermisso triennio stercoranda sunt oliueta locis maxime frigidis.* (*et exilibus* addit Crescent.) *Caprini stercoris sex librae vni arbori vel cineris modii singuli sufficient.* vnde h. l. *vel* inserendum esse monuit Pontedera, qui praeterea *cineris* restitui volebat pro *stercoris sicci.* Sed ita noster III. 11. 4. *deinde totum solum sicco fimo, aut si id non est alterius generis quam recentissimo stercorari.* Ecce nunc tibi Columellam XI. 2. 87. *tum etiam* (Nouembri) *conuenit oleas ablaqueare, et si sunt*

parum fructuosae, vel cacuminibus retorridae frondis, magnis arboribus quaternos modios stercoris caprini circumspergere, in caeteris autem pro magnitudine portionem seruare. Quae vitio carere non puto. Geoponica III. 15. Decembri iubent oleis inualidis addere κόπρῳ αἰγείας τὸ ἀρκῶν aut amurcae cotylas viginti.

insulsae congius sufficient] Quae hic post *singuli* vulgo sequuntur: *vel amurcae in singulis congius* etc. omisit Palladius, ex quo verbum *sufficient* addidi. Quod cum non advertisset vitium Gesner, pessime edidit: *vel amurcae in singulis congius (Stercus) autumno debet iniici.* inclusa voce *stercus*, quasi ea e margine locum in alienum irrepserit. Cetera correxi ex loco multo accuratiore infra XI. 2. 29. *oleis laborantibus circum radices amurcam quae salem non habeat nunc (vere nempe) conueniet infundere; maximis sex congii mediocribus arboribus vrnae satisfacient; caeteris aestimanda erit portio,* quae repetiit Palladius Martio 8. Vnde malim h. l. *congii sex sufficient.* Scilicet ex scriptura *congi VI.* ortum est *congius.* Sed de toto h. l. iam disputaui ad Catonem c. 36 et 93. vnde sua Columella duxit.

Amurca valentibus] Plura huic loco vitia inhaerere puto. Primum legendum puto *minus valentibus*, quia statim vermium mentio fit; etiamsi Columella XI. 2. 29. oleas aliquanto laetiores fieri dicat amurca insulsa affusa, quamuis nihil vitii habeant. Igitur inprimis vitiosis et laborantibus, vt ibidem ait, amurca est infundenda; et quidem vere, cum ablaqueatur. Ita enim diserte Columella l. c. et ex eo Palladius Martio 8. etsi Palladius ex nostro hoc loco, sectione scilicet 16. amurcam infundendam docet etiam Octobri c. 8. Desiderare videtur veris mentionem additus stercori iniiciendo autumnus. Verum possit etiam vulgata ferri, propter verba: *nam per hiemem necantur.* Et stercori iniiciendo autumnum definiit autumnum, quoniam primum nominauerat; voluit tamen eundem autumnum etiam in amurca infundenda intelligi; et quidem insulsa. Nam supra pro verbis: *amurcae in singulis congius* legendum esse docui: *amurcae insulsae congius.* De vermibus, oleae noxiis, vidimus ad capitis praecedentis sectionem 7.

15. *musco*] Palladius XI. 8. *muscus tamen semper radatur arboribus, et putantur, sicut Columella dicit, octo annorum aetate transacta. Videtur mihi vnoquoque anno ficca et infructuosa cum aliqua debilitate nascentia debere recidi.* Omni anno vere putat oleas Cato cap. 44. muscum oleae rubrum deradi iubet cap. 6. sect. 2. Palladio assentiri se profitetur

tetur Crescentius. Omni anno post fructum collectum Theophrastus C. P. III. 10. et Geoponica IX. 13. putari volunt oleas. Accuratius Geoponica IX. 9. tradunt de putatione.

raseris] Noster XI. 2. 41. mense Maio: *vbi praegelidum et pluuium coelum est, oleae putantur et emuscantur, caeterum tepidis regionibus duobus temporibus anni facere istud oportebit.* Plinius 17. s. 45. oleis alternam tonsuram adhibet, omnes vero arbores nisi vere non radi, id est, emuscari. Idem, sect. 30. no. 3. *Vetus oliuetum ab aequinoctio verno intra Vergiliarum exortum interradi alternis annis melius inuentum.* vbi Harduinus et Brotier interpretantur *interradi*, intercidere, confisi loco altero libri XV. sect. 2. vbi est *verumtamen et tondentur cum et vites, atque etiam interradi gaudent oleae.* vbi manifestum discrimen non animadvertit Harduinus, sed attulit locum Columellae Arbor. cap. XIX. 3. vbi *interuellere* reponendum esse docuit Pontedera. Cf. ad Caton. c. 50. s. 2. Caeterum ex Sangerm. *eareseris* annotauit Gronouius; prius *ea* ex Polit. libro posuit etiam Gesnerus; itaque malim legere *eraseris.*

fructuarii] Fertilissimas oleas non in lateribus, sed in summo fructum ferre monent Geopon. IX. 2. Hinc noster supra initio *ramos nouellos* plantari iussit; Geopon. IX. 5. ἀπὸ τῶν ὀρπήκων καὶ νέων κλάδων sumi iubent plantas.

taleam oleastri] Palladius: *quod si fructus arbor laeta non afferet* (Cresc. *fert*) *terebretur gallica terebra vsque ad medullam foramine impresso, cui oleastri informis talea vehementer, arctetur, et ablaqueatae arbori amurca infusa vel vetus vrina fundatur. Hoc enim velut coitu steriles arbores vberantur, quas tamen durante malitia oportebit inserere.* Vnde apparet, vitium h. l. haesisse. In libro Polit. est *talem oleastri partem.* In Sang. *taleam oleastri parte dimitti* Edd. I. B. R. similiter habent *dimitti.* Quod si Palladii paraphrasin compares, vbi est *vehementer arctetur*, vel vt Cresc. habet: *vehementer immittitur*, facilis est emendatio: *taleam oleastri arcte immittis.* quam non dubitaui substituere vulgatae *oleastri demitti.* In Palladio vocabulum *informis* mutandum esse videtur in *viridis.* etsi nunc video h. l. Columellae ex Sang. libro Gronouium annotasse informem viridem taleam. Idem remedium ex Geoponicis IX. 10. paulo aliter memorauit Palladius Martio 8. *Oleam sterilem terebra gallica perforabis, tunc duos frugiferae arboris ab australi parte ramos eiusdem magnitudinis tollis et stricte in foramen vtrumque coniicies, et abscisso eo quod superabit, luto paleato curabis obtulere. Sed si sine fruge luxuriant, oleastri palum, vel lapidem vel pini*

vel quercinos palos radicibus eius infige. in Crescentio editio antiqua mea habet *arcetur* omisso *vehementer.* Vide ad Caton. c. 44. Ceterum putationem accuratius tradunt Geopon. IX. 9. διαπαθαίρειν δεῖ τὰ ξηρὰ τὰ ἐκ τῆς μέσης ἵνα ἔχῃ ἀναπνοὰς, καὶ τὰς ἀλλήλοις ἐπικειμένας κλῶνας ἀφαιρεῖν καὶ ἀρωμότητας προνοεῖν, καὶ τὰς καμπύλας περικόπτειν; accuratissime omnium Theophr. C. P. 3. 2. qui aridos ramos steriles et luxuriantes recidi vult, deinde densos nimium et implicatos inuicem seu ex medio natos, solemque et ventum arcentes. Vide etiam Caton. c. 44.

16. *fertilior exstat*] Lege duce Palladio *exuberat.*

Sed sic haec] Vulgatae *Sed et sine ablaqueatione* vitium arguit primum lectionis varietas, indicat ablaqueationis mentio antea non facta, conuincit denique Palladii locus, ex hoc nostra ductus: *et ablaqueatae arbori amurca insulsa vel vetus vrina fundatur.* vnde patet hoc remedium ad eandem arborem aegram pertinere, quae fuerit antea talea immissa foramini curata. In Pol. et Sang. libro est *Sed si haec* vnde *Sed sic haec* effeci; ex Palladio *infusa* addidi, quod verbum ob similitudinem vocabuli *insulsa* exciderat. Miror de vitio tacuisse Interpretes.

vt tantundem] Ita recte liber Goes. pro vulgato *ni tantundem.* Pontedera malebat *si tantundem.* Ita noster VI. 4. loquitur. Vide ad Caton. cap. 36 et 93.

17. *negare*] Ita legendum esse, viderat etiam Vrsinus. Vulgo erat *necare.*

calcis] Plinius 17. f. 6. *nuper repertum oleas gaudere maxime cinere e calcariis fornacibus.*

18. *contristabitur*] Noster Arbor. 17. *Si in olea vnus ramus aliquanto caeteris laetior est, nisi eum recideris, arbor tota fiet retorrida.* Palladius I. 6. 5. *ramus laetus viridis et sterilis in media olea abscindendus est, velut totius arboris inimicus.* qui h. l. *media* additum legisse videtur. Geopon. IX. 9. siccos mediae arboris ramos expurgari volunt, curuosque et μάλιστα τὰς ὑπερμήκεις καὶ ὅσοι λίαν εἰς ὕψος αὔξονται φύσει ἀφορωτέρας ὄντας. Cum Geoponicis plane facit Theophr. C. P. II. 3. qui damnat etiam ὅσα τὴν ἔκφυσιν ἐκ τῶν μέσων ἔχει. Addere hic lubet quae Albertus Vegetab. p. 449. de olea obseruauit: *Ex stipite multos per circulum ramos emittit frequenter et ex ramis virgas plurimas ordinate habens nodos quosdam in loco emissionis radiorum, et in loco virgarum quasi semper emittit duo folia, quae purgamenta sunt aquei humoris — propter quod dicit Rabbi Moyses eam pullulare ad modum candelabri — dum floret spargit odorem suum longe,*

longe, et hic flos vt frequenter habet duo folia et est albus respersus quadam citrinitate — radices cum infigit in terram, iuxta quamlibet furcationem radicum habet duo additamenta alba ad similitudinem foliorum, nisi quod sunt magis spissa et magis pinguia, et illa adduntur radici et desiciunt in substantiam eius, et ideo versus imum. videntur folia et versus sursum videntur radices. Reliqua transcripsit Crescentius.

Cap. X. *maceriis*] In libro de Arbor. cap. 18. *circummunito maceria aut fossa, ita, vt non solum — sed ne homini quidem transitus sit.* Ex librorum varietate suspicor h. l. olim fuisse: *circumuenire maceriis vel sepe vel fossa praecipio, nec solum — transitum negare.*

si saepius] Vrsinus malebat *prius* ex altero loco, sed et ibi libri optimi praeferunt *saepius*.

hominis manu praefracta] Ita h. l. Lips. et in altero loco libri optimi pro vulgato *perfracta*. Illud maluit etiam Vrsinus et Pontedera, qui testatur in Codice Caesenate esse quod praeferunt libri optimi *detracta*. Palladius III. 19. *sed seruabis, ne cacumina aut manu fracta aut erosa non crescant.*

2. *vtile est*] Infra *vtilius*, sed Edd. I. B. R. *vtilis*, quae ex nostra lectione corrupta est. Ibidem rectius omittitur *etiam*. Ibidem *imbecillae a valentioribus premantur*. sed nostram lectionem libri scripti et ibi restituunt. Deinde ibi pro *quia* est *quae*, sed Polit. liber ibi *qua* habet. Palladius: *vnumquemque ordinem suo generi deputabis, ne infirmae a valentioribus opprimantur.*

etiam arboribus] Infra: *eadem quoque*. Palladius l. c. *nam pomis eadem conuenit terra quae vitibus.*

seminare voles] Infra: *pomaria disponere voles*. vbi libri optimi *poma*.

pluuiisque] Infra *pluuiaque*. quam formam et h. l. praefero, vt legatur *pluuiisque*. Broukhusius malebat *pruinisque* ex libro V. 9. 7. non male. Sed obstat etiam Plinii auctoritas infra ponenda.

3. *serere voles*] Infra *ponere voles*. Ex lectione librorum *prohibes, peribis, proibis* Broukhus. efficiebat *properabis*. Pontedera *peribis* antiquè dictum putabat pro properabis, et in Plinio 21. de croco *pereundo* pro obeundo.

laetiores] Infra *eo laetiores erant vberioresque fructus*. Vnde et h. l. malim: *eo laeteriores erunt*. Ita enim Palladius: *scrobes autem maiores facies, vt materiae prosit et fructui.* vbi alii libri *pro sit — fructibus.*

4. *scro-*

4. *ſcrobis — ſit imus ſummo patentior*] Infra *Scrobs clibano ſimilis eſſe debet, imus quam ſummus patentior*, vbi Sang. cum libris optimis *Scrobis — ſimilis eſt, imus.* Eandem fere lectionem etiam h. l. ex libris optimis dedi. Plinius 17. ſect. 16. *praefodere ſcrobes ante, ſi fieri poſſit, tanto prius, donec pingui ceſpite obducantur. Mago ante annum iubet, vt ſolem pluuiaſque combibant, aut ſi id conditio largita non ſit, ignes in medio fieri ante menſes duos, nec niſi poſt imbres in his ſeri. Altitudinem eorum in argilloſo aut duro ſolo trium cubitorum eſſe in quamcunque partem; in pronis palmo amplius, et vbique caminata foſſura ore compreſſiore ſint. nigra vero terra duo cubita et palmum quadratis angulis.* vbi ex Codice Pintiani legendum *in mediis.* Magoni praeiuit Theophraſtus H. P. II. 7.

os penetret] Infra: *os terrae admittant.* Sed libri meliores *teneant* vel *tentarit* ibi praeferunt duobus iſtis vocabulis *terrae admittant.* Sine dubio voluerunt et ibi *penetret* dare. Ita ſentit etiam Pontedera.

etiam vt — a pluuiis non abluatur] Infra *tum etiam — pluuiis non abluitur.* Sed et ibi Polit. liber habet *abluatur.*

5. *nec infra*] Altero in loco: *neque infra quicquam — nec ſic ipſae — niſi eas interraſeris.* vbi libri ſcripti ſimiliter habent *neque infra quid — niſi interuolſeris.* Sed h. l. Edd. I. B. R. habent *interraſeris.* Recte docuit Pontedera, diuerſum eſſe interradere, id eſt, muſcum lichenemque deſtringere, et ſi quid in materia vel ſiccum vel carioſum reperitur, ſcalpro eximere. Et tamen apud Catonem c. 52. reperio: *et in vinea ficos ſubradito alte, ne eas vitis ſcandat,* vbi tamen Edd. ante Victorium habent *ſuccidito.* Quod Columella XI. 2. 41. dixit oleae putantur et emuſcantur, idem Plinius 18. ſ. 67. no. 2. *oleas interradere.*

tricenos] Tot probauit Palladius l. c.

6. *non minus*] Infra: *lege ne minus craſſa — eſt bidentis.* Vnde malim etiam h. l. *ne minus.* Ita enim ſolet noſter loqui.

comprehendent] Infra: *comprehendunt. Semina ſi ex arboribus ſumes, de iis potiſſimum ſumito, quae omnibus — vberes ferunt fructus.* Vnde etiam h. l. malim *potiſſimum* pro *quaque*, quod interim incluſi ex auctoritate librorum optimorum. Deinde *ex arboribus ramos ſumes* legendum eſſe, recte monuit Pontedera, fruſtra et inepte vulgatam defendente Geſnero. Poſtea *vberes* pro *vberiores* reſtitui ex libris optimis. Verae lectionis *ex arboribus ramos ſumes* veſtigium ſeruauit Sang. qui habet *de iis quae quotannis.*

eligito

eligito ab humeris] Vulgatam huius loci lectionem multis vitiis obsitum ex librorum varietate comparato altero loco correxi. Ita vero infra: *obseruabis autem ab humeris, qui sunt contra solem orientem, vt eosdem decerpas.* vbi recte Vrsinus *eadem* emendat; praecessit enim *semina*. Sed idem inepte *humeris* mutat in *ramis*. Plinius 17. cap. 14. *certumque est ab humeris arborum orientem aestiuum spectantibus surculos petendos.* Ita patet origo corruptelae in vulgata huius loci lectione hac: *ac illos magis, qui sunt contra solem, quam qui vmbris ramis aut plantis continentur.* Ab humeris semina legere iubet etiam in vitibus III. 10. 5. et Arbor. 3. 1. Noster infra V. 11. 3. semina insitioni legi vult *de ramulis anniculis, qui solis ortum spectabunt.* Ex humeris his effecit librarius vulgatum *vmbris*, quod tamen omittunt Edd. I. B. R. Deinde pro *quam qui* Polit. habet *quam quae*. Postea tres libri optimi habent: *ab illa qui sunt contra solem.* Etiam ante haec positum verbum *eligito* omittunt Edd. I. B. R. cum libro Lips. et Sangerm. Apparet igitur, legendum esse h. l. ita, vt eum posui. Vulgatum *vmbris* Vrsinus mutabat in *vmbrosis ramis aut plantis.* Ineptissime defendit Gesner. Post haec lacunae signum ponendum fuisset. Deerant enim, quae ex libro de Arboribus inserui, sed inclusa. Deesse quaedam senserat etiam Pontedera, sed locum non persanauit. Attamen nunc video, annotationem eius egregiam in Antiqq. positam ab Ernestio nostro temere et pessimo exemplo omissam esse; cuius argumentum hic excerptum dabo. Primum igitur verba: *incrementum eius futurum quod et ceteris, quas seueris, arboribus* fallitatis crimine damnata, ex librorum vestigiis sic corrigit: *incrementum maius fore, quam caeteris, senties.* Deinde verba *arbor insita fructuosior est, quam quae insita non est, id est, quam quae ramis aut plantis ponitur*, tradere ait praeceptum falsum et confessis experimentis contrarium. Oleam enim, vitem, ficum et poma ramis aut plantis, aut malleolis, aut propaginibus, aut virgis, aut surculis, aut stolonibus sata, cum sint foecundi seminis partus, maternam indolem retinere et generositatem, nec vllibi a Columella tradi eorum infoecunditatem insitione emendandam esse. Itaque verba huius nostri loci: *quam qui vmbris ramis aut plantis continentur* comparata cum loco libri de Arbor. ita ducta librorum corrigit: *qui ramis — ponentur.* deinde ea cum reliquis connexa ita in ordinem suum redigit: *Obseruabis autem ab humeris, qui sunt contra solem orientem, vt eadem* (semina) *decerpas potius, quam quae ramis aut plantis ponuntur*, i. e. con-

continentur. Hanc ait veram et experimentis congruam fuisse sententiam Columellae, eandemque voluisse addit excerpere Palladium, sed a librariis locum esse vitiatum. Haec igitur verba III. 19. *Sed vt Columella dicit, feraciores sunt, quae seminibus, hoc est, nucibus suis, quam quae plantis ponuntur aut ramis.* ita corrigenda esse censet, vt cum libro Polit. omittantur verba: *hoc est nucibus suis.* deinde *seminibus* mutat in *inseruntur.* Vel ita tamen ex vitioso Columellae loco vitiosam sententiam fuisse a Palladio translatam affirmat. Quod mihi contra videtur. Certe Columellae sententiam de insitione ad feracitatem conferente posuit etiam Plinius 17. sect. 26. *inserere firmissimum et foecundius quam serere.* Itaque Columellae errorem suum relinquendum esse censui, nec verba tam violenter separanda. Membrum vero illud *incrementum citius fuerit — seueris.* rectius mihi constituisse videor quam Pontedera. Palladius sententiam hanc repetiit breuiter III. 19. plantas statues radicatas, quod est melius. Error tamen Columellae in hac re nullus est, sed de arboribus loquitur semine satis, quas et tardiores proventu et degenerantes insito restituendas censet Plinius 17. sect. 10. ex Theophrasto H. P. II. 3.

quam quae ramis aut plantis ponetur] Hae sunt reliquiae verborum, quae in libris omnibus excidérunt. Vulgo erat h. l. *quam qui vmbris, ramis aut plantis continentur.* Sed *vmbris* ex *humeris* corruptum recte h. l. omittunt Edd. I. B. R. Pro *qui* recte Polit. *quae.* et pro *continentur* J. B. R. cum Goes. *conentur.* quod ex *ponentur* vitiatum fuisse vidit etiam Pontedera. In libro de Arboribus vulgo legebatur: *quam quae cum ramis aut plantis ponitur.* Sed recte ibi *cum* omittunt I. B. R.

7. *nota quibus ventis*] Ex Edd. I. B. R. Pontedera legi maluit: *notabis ventos quibus antea steterant, vt iisdem constitui possint.* vel: *nota vt ventis quibus antea steterant, constitui possint.* In libro de Arbor. est: *rubrica vel alia qualibet re signata, vt iisdem ventis, quibus antea steterunt, constituas eas. curamque adhibeto, vt ab superiore et siccione et exiliore, in planiorem, humidiorem pinguiorem agrum transferas.* Palladius: *plantas similiter notabimus, vt ipsis quibus steterant cardinibus apponamus. De clivo sicco et exili in planum pinguiem et humidum transferemus.* Vides, Palladium alterius loci scripturam expressisse. Quae verior huius loci nostri sit emendatio, difficile est dicere. Ceterum eandem de cardinibus plantarum notandis observationem habes apud Theophr. H. P. II. 7. et supra V. 9. 8. et V. 6. 20.

manus

manus admoueto] Goes. et Sang. *adhibeto*. in quo vestigium latet verae lectiones *curam adhibeto*, quae exstat in altero loco, vt monuit etiam Pontedera; qui *postea* ex *post* ortum putabat. Vrsini medela *post ita manus admoueto* vitium ipsum ne tangit quidem.

trifurcam] quasi plantam praecesserit. Altero loco est *trifurca* sc. semina. Sed et deinceps in nostro loco I. B. R. habent *exstent* quasi semina praecesserint. Ecce ex Sangerm. Gronouius annotat: *Trifurcamina maxime — extent*. Fuit igitur olim scriptum etiam h. l. *trifurca semina*.

quoniam — computrescent] Haec verba omittunt I. B. R. Lips. et in libro de Arb. desunt. vbi est: *nam ita vermibus interimuntur*. vbi Pol. et Sang. similiter *interibunt* habent, et pro *ita* I. B. R. *vt* habent, in quo *aut* latere videtur, vestigiumque lacunae. Palladius: *si truncos ponere volueris, supra terram prope tribus pedibus erigantur. vbi duas in vna scrobe plantas deponis, cauendum est, ne se contingant; nam vermibus interibunt*. Ita vides, Palladium verba haec cum Edd. primis damnare etiam. Plinius 17. sect. 14. *interuallo sesquipedum seri: nam si inter se contingant, praeter alia vitia etiam verminosa fiunt*.

8. *fasciculos sarmentorum*] Theophrastus Caus. Pl. III. 5. οἱ δὲ πληματίδας ὑποτιθέασιν, οἱ δὲ κέραμον παρακατορύττουσιν, οἱ δὲ ξύλον κᾶν ἡμιπαχὲς, εἶτ' ἐξαίρεσι ὅπως ἔχῃ τροφὴν ἀεὶ τὰ φυτὰ, διϊκμαζομένης τῆς γῆς καὶ συῤῥεόντων τῶν ὑδάτων. Idem consilium in oleis dant Geoponica IX. 11. similia IV. 2. X. 85. 1. In libro de Arbor. est: *dextra ac sinistra singulis vsque*. sed Edd. I. B. R. S. omisso *ac* habent *sinis quae vsque* vel *sinis quo vsque*. Voluerunt *sinistraque vsque*. recte etiam monente Pontedera.

sumministrare] Liber Goes. et Sang. *sumministres*, vt legitur in libro de Arbor.

ac semina cum] Infra: *aut radicata semina*. Sed Edd. I. B. R. L. Sang. *semina radicibus* habent.

Calendas et] Haec verba omittunt Edd. I. B. R. Lips. Sang. et liber de Arbor.

9. *arbores deponito*] Infra: *taleas et ramos vere antequam germinare arbores incipiant, deponito*. Vides, etiam h. l. quaedam excidisse, quod monuit etiam Pontedera, qui *primo* ortum putabat ex verbis *taleas et ramos*. Quid si *taleas et* latere suspicer in verbis paulo antea loco alieno insertis: *Calendas est?* In medicina Broukhusii legentis *alteras* sc. plantas sine radicibus acquiescebat Gesner. Interim distinctionem vulgarem correxi. In Polit. lectione

ramos

ramos vere, anteq. latere censebat Pontedera in Curis sec. Recte!

tinea] Vermes Palladius dixit loco postea laudando. Est phalaenae genus semina ficorum siccarum exedens cum tinea ea, quae et oliuarum nucleos exedit, picta et descripta a Bernardo Mémoire sur le figuier p. 196.—200. Propter hanc tineam ficos Graeci et Romani in furno siccabant; nec aliud remedium huius noxae excogitauit Bernard. Palladius praeterea vermes e fico vncinis aereis tollere iubet, intelligens eos de quibus Plinius 17. c. 14. *quae adnasci solent cochleae, peculiaria vitia ficorum.* Est cocci genus pictum et descriptum a Bernardo p. 167. maxime noxium ficis, quarum ramis adnascitur et foliis, cum genere aliquo Chermes, de quo idem p. 192. vocans *la psylle.* In ipso ligno ficorum habitant laruae bostrychi, scolyti, lepturae et cerambycis, quae genera descripsit Bernard. Formicae sequuntur inprimis coccum.

demittito] Infra: *obruito.* Palladius IV. 10. 39. *ne vermes patiatur, ramum terebinthi vel lentisci taleam cum plantis fici cacumine ponemus inuerso.* Plinius 17. sect. 44. *vexant et tineae semina ficorum, contra quas remedium in eodem scrobe defodere taleam lentisci inuersa parte quae fuerit a cacumine.*

saxeta] Quod h. l. vnus Goesianus liber, id in altero loco Pol. Lipf. et Sang. offerunt pro *saxosa.* Idem vocabulum ex Ciceronis Agraria II. c. 25. habent Lexica. Palladius IV. 10. *prouenit et petrosis atque asperis.*

eiusmodi arbor] Infra: *agro — amplos et idoneos.* quem locum ex nostro corrigebat Pontedera. Ceterum de scrobe conuenit cum nostro etiam Theophrastus C. P. III. 5. oleae et fico, radices in summo fluctantes habenti, non tam altos scrobes fieri debere, vt reliquis. Palladius tamen *scrobes altas* fico dat et interualla maiora, nisi ibi *amplas* sit scribendum. Sed potius in frigida regione scrobem altum praeferre, ne radices frigore perurantur, in summo natantes.

10. *sed pro differentia*] Infra: *tamen vno modo, sed dispari differentia agri, seruntur.* vbi optimi libri habent *sed dispro differentia agri pari loco seruetur,* vnde mecum Pontedera efficit: *sed pro differentia agri dispari loco seruntur.* quam lectionem etiam h. l. restitui volebat vir egregius. Palladius: *omnibus aequa cultura est, illa distantia est, quod in caricis melius alba seruatur: in locis nimis frigidis praecaques ficus seramus, quae cito veniant, vt ante imbres genus*

hoc

hoc possit occurrere, calidis vero et aestuosis eas quae sero maturant.

frigidis et autumni — aquosis]. Ita Goes. recte scriptum habet, vt est infra de Arbor. Vulgatam contra Pontederam nobiscum sentientem inepte defendit Gesner. Praecoques et aquosis locis gaudere ait Theophrastus. Laconicas et λευκομφαλίας, praecoces vocant προδρόμας. Praeceptum ipsum repetiit Bernard Mémoire sur le figuier p. 120.

grossulos] Infra: *cum grossuli minuti erunt; fructum decutito, iterum alterum edet fructum et in hiemem seram differet maturitatem.* vbi Sang. similiter habet: *ita alterum.* Palladius: *si maturam ficum vis serotinam facere, incipientes grossos decute, cum illis fabae fuerit magnitudo.* Male ergo h. l. emendabat Vrsinus legendo: *cum grossulis priorem fructum.* Ceterum in Sang. esse *decutit, ita* annotauit Gronovius. Patet igitur quomodo ex *decutito* vitiato factum sit *decutit ita*, in aliis vero liberis propter similitudinem verbi *decutito* sequens *ita* exciderit.

agere coeperit ficus] Ita recte altero loco scribitur; contra hic vitiose erat: *coeperint, ficus, rubricam.* Altero in loco I. B. R. plane omittunt vocem *ficus.* non male. Palladius: *Cum folia incipiunt producere fici, vt fructum multum et pinguem ferant in principio germinis cacumina summa decutimus, vel illud tantum cacumen, quod ex arboris medietate prodit.*

amurca] In altero etiam loco Polit. liber *amulga* Sang. *amurga* habent scriptum, propius ad originem graecam. Ἀμόργη enim dicitur ab ἀμέργειν oliuam premere, exprimere. Ceterum Palladius contra vermes ficorum arborum sic tradit eadem: *alii amurcam, alii veterem vrinam ablaqueatis radicibus miscent.*

11. *fartum*] Infra: *et fartum fici speciosius et plenius.* vbi Sangerm. *fartum*, alii *fructum.* In Plinio 28. sect. 29. *intestina et fartum eorum* ex Codd. posuit Harduinus, et voluit idem ex suis poni I. Fr. Gronouius pro vulgato *fimum.* Chiffl. *falsum* alii ap. Gronov. *partem.* Plinius 17. sect. 44. *vberrimas autem ficus rubrica amurca diluta et cum fimo infusa radicibus frondere incipientium facit. quoniam frumenta plurima habeant. Caprificorum laudantur maxime nigrae et in petrosis: caprificatio ipsa post imbrem.* Ita enim egregie vidit iam olim Pintianus verba *quoniam habeant* esse collocanda, quae vulgo post verba *in petrosis* de caprifico dicta leguntur. Vitium non attigit Harduinus, nec Brotier; vterque frumenta interpretatus grana. De quibus Plinius 15.

ſ. 21. *maturis frumenta intus.* Grana ea ſemina ſici floreſque continere nouimus; ſed ea non pertinent ad commendationem fructus ipſius, niſi tumorem ficorum ſimpliciter laudari velis a Plinio et Columella. Pintianus in priore etiam Plinii loco reponi volebat ex Columella *farcta.* Hoc vnum opponi poſſit huic emendationi, quod fructus caprifici ſumebantur ad caprificationem. Quo igitur pleniores erant frumentis ſeu granis, eo plures culices in iis nati hoſpitabantur, qui poſtea euolantes fici fructus perforabant maturabantque, partim etiam ſemina maſcula et foeminea florum deportata ſecum intra fructus miſcebant, adeoque foecunditatem arborum adiuuabant. Theophraſtus κεγχραμίδας appellat, quae Plinius frumenta.

Liuianae] Inter ficorum genera romana Liuiana, Chia, Chalcidica et Africana ex Herodoti Lycii de ficis libro memorat Athenaeus III. p. 75. *Rhodias et Tiburtinas nigras et praecoces* eſſe ait Plinius 15. ſ. 19. Forte in lectione Sang. *Tibernae* pro *hibernae* latent *Tiberinae* ſeu *Tiburtinae. Liuias* et *Pompeias* ab auctoribus nomen habere tradit; hibernas quibuſdam prouinciis, velut in Moeſia, artis non naturae eſſe monet Plinius; quo magis amplector lectionem Sang. Quanquam et Cato cap. 8. hibernas cum aliis generibus ponit, et ex eo Plinius. Hae videntur eſſe quae aliis ſerotinae, graece κοδώνεια ſeu χειμερινὰ, Latinis *duricoriae,* quae Neapolitanis audire ait *Porta cotinorarole.* De topiis nemo alius ſcriptorum veterum meminit, igitur Pontedera malebat *Chiae* legi. Pro *ſulcis* ex Lipſ. lectione *falcae* vel *falce* Schoettg. efficiebat *Faliſcae.* Sed harum nullus meminit ſcriptor. Pontedera *mariſcae* ſubſtituebat. Lectionem *Salcae* vnde laudet ex h. l. Bodaeus ad Theophr. p. 383. ignoro. Oleam ſiculam fructu nigro ſubſphaerico, per medium ſulcato, memorat Seſtini T. I. p. 230. Siculi vocant *Nuciddara.* Videant peritiores, an eam Columella intelligi voluerit. Omnino accuratius de generibus ficorum dicam ad X. verſ. 414 ſeqq.

biferae] Fici aliae groſſos ſolum ferunt (ὀλύνθας) ficos vero (σῦκα) maturas nunquam; veluti quae groſſos albas ferunt edules; aliae et groſſos nigras, et ficos ferunt, tam edules, quam inutiles. Groſſos ſemper infra folium (graece θρῖον) ferunt, ficos ante vel ſupra folium, vt biferae fici. Praecoces ficos ferunt leucomphalios et Laconica ficus. Haec Theophraſtus C. P. V. 1. In hoc loco vocem *floſculi* vitii ſuſpectam habuit etiam Geſner. Florem enim ſici veteres ſcriptores ignorarunt; eius vicem ἔρινον, i. e. groſſum

gerere

gerere ait Theophrastus. Sub nostro coelo paucae fici fructus cacuminum hornotinorum maturant; igitur grossorum maturitatem praecipue exspectamus et curamus; vti monet Miller in Dictionario olitorio. Theophrastus cum amentis et iulis nucum comparat τὰ πρόπτωτα ἐρίνεα H. P. III. 6. vbi Scaliger monet, Italos eiusmodi grossos vocare *florones* et *botas*. Vnde possit cuidam probari Gesneri opinio in Indice ponentis: *An ficus primum erumpentis cyma:* quanquam verbis plane alienis a re. In Galloprouincia ficus praecoces *Flous*, i. e. flores audire testatur Garidel p. 175.

12. *Nucem graecam*] Hanc appellat Cato cap. 8. 2. Quae vero h. l. Columella de nuce graeca tradit, eadem de amygdalo, sed accuratius ex Magone et Martiali Palladius II. 15. Columella infra IX. 4. 3. inter arbores nominat *amygdalas;* et in hoc ipso capite §. 20. *amygdala* arbor nominatur. Sic etiam XI. 96. Sed de Arboribus c. 25. amygdala si parum feracia erunt; cum contra libro V. 10. 20. legatur rectius amygdala si parum ferax erit. Loco vltimo XII. 54. 2. vbi legitur *nucleos pineos et amygdalum* Codd. et Edd. plurimae *amylum* habent. Hinc igitur conficitur de arbore dixisse Columellam *amygdalam*, de fructu *nucem graecam*. Palladius *amygdalum* arborem et nucem seu fructum appellat illam foemineo, hunc masculo sexu. An Catoni amygdala fuerit nota, dubitatum sua aetate refert Plinius, quod nuces graecae etiam in iuglandium genere sint et dicantur. Sed Macrobius affirmat, intelligi amygdalas, easdemque esse etiam Thasias nuces. Recte vero Herodianus apud Athenaeum II. p. 52. dictas esse ait ἀμυγδαλὰς παρὰ τὸ ἐν τῇ καλυφῇ τῇ μετὰ τὸ ἔξω χλωρὸν ἀμυχὰς ἔχειν πολλάς. Ita enim etiam Linnaeus generis caracterem ait esse *drupam nuce poris perforata*. Vide ad Nicandri Alexiph. vers. 108.

serito] Infra de Arboribus est: *serito Arcturi signo vel circa Calend. Februar.* Palladius II. 15. amygdalus seritur Ianuario et Februario, item locis calidis Octobri et Nouembri. Itaque Pontedera ex altero loco huc etiam retrahit verba: *Arcturi signo etc.* et Arcturi ortum, qui est XV. Calendas Octobres, interpretatur ex Columella XI. 2. Ita etiam interpretatur libro X. 413. verba: *At grauis Arcturi subsidere parturit arbos.* Alter enim Arcturi exortus ad 9 Calend. Martias prima nocte, vt ait noster, ficus maturos fructus non edunt.

quia prima] Ita recte libri duo praestantissimi pro *quae prima*, quae lectio et altero in loco sine varietate reperitur. Palladius II. 15. de amygdalo: *amant agrum durum siccum*

calculosum, coelum calidissimum, quia mature florere consueuerunt.

diuersis] Alibi: *diuersis natura eiusmodi si posueris nucem. protinus putrescet.*

frondebit] Alibi *nascetur.* Palladius II. 15. *amygdala ipsa — pridie mulsa aqua, ita, vt ne nimis maceremus ne germen extinguat ex multo melle mordacitas.*

13. *et anceps*] Alibi haec integriora habet insertis: *parsque acutior inferior fit, quia inde radices mittit.* vbi tamen Pontedera haec monet Epist. 67. Hoc verum esse non potest; nam ex acutiore stilus nascitur, ex obtusa radix. Itaque legendum: *parsque obtusior inferior fit.* sed id vitium antiquissimum est. nam eo deceptus Palladius scribit nucum cacumina esse deprimenda. Haec ille. Palladius amygdali sationem et culturam ex Magone et Martiali multo copiosius et accuratius tradidit quam Columella. Is primum II. 15. 2. de amygdalo tradit, *obruemus amygdala, ita, vt cacumina figamus in terra spatio inter se binorum pedum separata.* Etiam perficorum ossa (quae sunt de genere amygdalae) poni iubet cacumine, deorsum verso, Palladius Nov. VII. 1. Damogeron in Geoponicis X. 63. nux, inquit, amygdala seruntur cacumine depresso, contra vero castanea. σπείρεται δὲ τὰ κάστανα ἐχ' ὁμοίως τῇ ἀμυγδαλῇ καὶ τῇ καρύᾳ, ἀλλὰ τὸ μέιωρον (partem acutam) ἄνω ἔχοντα. Sed ante omnes audiendus est Mago apud Plinium; ex illo enim et Columella et Palladius disciplinae maximam partem rusticae duxerunt. Ita vero Plinius XVII. sect. 11. *Interea quae semine seruntur, Mago in nucibus operosus est. Amygdalas in argilla molli meridiem spectante seri iubet; gaudere et dura calidaque terra: in pingui aut humida mori ac sterilescere. Serendas quam maxime falcatas, et e nouella, simoque diluto macerates per triduum aut pridie quam serantur, aqua mulsa. Mucrone defigi, aciem lateris in Aquilonem spectare: ternas simul serendas triangula ratione, palmo inter se distantes: denis diebus adaquari, donec grandescant. Iuglandes nuces porrectae seruntur commissuris iacentibus.* Ad rem ipsam quod attinet, male Pontedera Palladium et Columellam erroris accusat. Ita enim iam olim Theophrastus H. P. VIII. 3. vbi frumenta et legumina ex ea parte, qua spicae et valvulis adhaerent, radicem emittere docet, contra fieri monet in arborum quarundam seminibus veluti amygdalae, καρύῳ, βαλάνῳ καὶ τοῖς τοιούτοις. vbi καρύα est aperte nux iuglans; βάλανος vero castanea nux esse non potest, vt in margine coniicit, qui διὸς βαλάνῳ legi volebat. De ea enim contrarium

rium exstat Damogerontis testimonium Geoponic. X. 63. Denique in Florentini loco supra allato τὸ ξιφῶδες seu acies, acumen lateris erigi simpliciter iubetur. Pro aquilone Africae Magonis Columella Fauonium posuit ad Italiae coelum, puto respiciens. Siccissimus enim is Italiae ventus est, teste Plinio. Reliqua dabo ad Palladium II. 15. 7.

ex se in modum] Ita recte liber Sangerm. Vulgo *et ex summo duum ramorum ambas.* Alibi exstat: *et extensa in modum ramorum alias radices.* Ceterum hunc locum lacunosum esse, vt et alterum in libro de Arbor. tandem intellexi comparato loco Palladii II. 15. 15. vbi de iuglande: *Lapis subter vel testa ponenda est, vt radicem non simplicem, sed repercussa respergat.* vbi Vincent. rectius *dispergat.* Hac eadem obseruatione de radice simplice omnis generum nucum nititur obseruatio Plinii 17. c. 10. *quaedam non aliter proueniunt nisi seminè, vt castaneae, iuglandes, caeduis duntaxat exceptis.* Et radices in iuglande non debere resecari, vt in aliis arboribus, cum transferuntur, monet Palladius l. c. Scilicet iuglandes castaneaeque, vt quercus, vbi in vsum liquorum quadratorum feruntur, vix transferri possunt vtiliter. Radix enim simplex, qua terram alte perforant, facile laeditur, quo facto quercus et castanea non excelsa nascitur, sed humilis in latitudinem diffunditur. Contra vbi fructus spectatur, hodie radicem simplicem castaneae resecant; ita enim fit, vt radices ramosae per terrae superficiem diffundantur, arboresque ipsae magis in latitudinem diffundantur humiliores et fructum reddant copiosiorem et suauiorem, quoniam succum terrae crudum ex profunditate non attrahunt. Contra veteres in ipsa nucum satione cauebant, ne radix altum petere stilo simplice posset. Vide de hac re disputantem Millerum in Diction. olitorio in Castanea. Ipse hortulanum noui, qui iuglandes, saepius transplantatas, truncato stilo et subiectis lateribus, vt ceterae radices dispergerentur, feracissimas tenerarum nucum permultas habet.

14. *Tarentinam*] Alibi libri optimi scriptum habent *tarentinus*, quod praefero cum Pontedera. Simile in nuce iuglande artificium refert Palladius II. 15. 18. *si tarentinam facere volueris, solam nucis carnem lana propter formicas obvolutam in seminario debebis obruere.* Lanae vicem tenet in graeca nuce fissa ferula, in cuius media parte absconditur nux sine putamine. Florentinus Geoponic. X. 57. ἔνιοι δὲ φασὶν εὐαυξότερον γίνεσθαι τὸ φυτὸν, νάρθηκος εἰς τὸν βόθρον προεμβληθέντος. vbi recte quidem Niclas vidit, legendum esse εὐαξότερον, i. e. fragilius; sed tamen vel sic male

excerpsit huius loci sententiam Florentinus. De auellana vide ad Catonem c. 8.

pro modo] Alibi *in modum*. Libri scripti h. l. *propemodum*. recte! nisi fuit olim *propemodo* quam formam ex libris scriptis Plinio restituit Io. Fr. Gronov. p. 828. Sed h. l. ex Sang. *in modum* annotauit Gronouius.

repangito] Recte Sang. *pangito*. Alibi libri praeferunt *facito et iacito*.

eodem tempore inglandem] Plinius 17. sect. 30. no. 6. ex communi Italiae ratione sic: *nucibus, inglandi et pineae et auellanae et graecae et castaneae a Calendis Martiis ad Idus easdem*. Sed noster supra f. 12. *nucem graecam serita circa Cal. Februarias quia prima gemmascit*. Infra est: *hoc eodem tempore*.

15. *ab eodem tempore*] Infra: *vere vsque — Apriles*, recte! atque etiam h. l. libri optimi habent *vere vsque*.

primis annis] Infra: *et primitiuos annos — postea vero etiam dulcem* etc. vbi Lipf. *primitiuus annus* habet. Vrsinus etiam ibi *primis quinque annis* emendabat. Plinius 17. sect. 47. proximo anno dulcia, primo vinosa spondet. Sed Columella ex communi auctore quaedam minus integra exscripsit quam Plinius et Palladius, alia variauit. Sibi etiam remedium laseris vino diluti vindicare quasi suum inuentum videtur, quod deberi Magoni suspicor. In cultura enim arborum Columella plura aliena quam sua fide tradidisse videtur.

laseris] Infra: *laser cyrenaicum — obleuimus — emendauit*. vbi Lipf. cum Edd. I. B. R. *emendabit*. Hoc vero in loco *emendauit* ex Lipf. scripsit Gesner. Palladius IV. 10. 3. *si acida nascantur, modicum laseris cum vino tritum per summa arboris cacumina oportet infundi*. Idem remedium habent Geoponica IV. 7. Ceterum de malo punico accuratius tradetur ad Palladium IV. 10.

16. *hient*] Ita Sang. pro *rumpantur*, quod et infra exstat. Nic. Heinsius ad Ouidii A. A. II. 115. Sang. laudat lectionem ita: *arborient, remedio erit*. Atque huc ducit etiam varietas Edd. I. B. R. et Cod. Polit. et Lipf. vt monuit recte Gesner. Infra est in Edd. primis *remedium placuit*. In Polit. et Sang. *remedio placuit lapides*. Palladius IV. 10. *Si crepant poma, lapidem in media arboris radice supponis, vel squillam circa arborem seris; et si, dum pendent poma tenacibus, sicut in arbore habentur, interseris, in totum annum sine corruptione seruabis*. Eadem Plinius 17. c. 11. Geoponica X. 29.

ramu-

ramulos, quibus] Rectius infra: *petiolos.* Plinius *pediculos*, Palladius *tenaces* dixit.

eodem] Infra: *eo modo seruabuntur etiam anno toto.*

17. *dies XXV.*] Plinius 17. f. 30. no. 6. *piro autumnum serendae distribuit communis Italiae ratio, ita, vt brumam quindenis nec minus diebus antecedant.* Sed vtroque in loco Pontedera malebat reponi XX. cessare enim viginti diebus ante brumam colonos. Sed ecce Varro I. 35. *vineas arbubustumque putare, dum in XV. diebus ante et post brumam, vt pleraque ne facias.* Vide notam ad II. c. 8.

cuneum] Infra: *et in fissuram cuneum pineum tedae adiicito — obruta ablaqueatione — terram spargito.* vbi liber. Pol. et Sangerm. omittunt *et*, et Edd. B. R. recte *adiigito;* postea Polit. *oblaqueatione.* Et recte iam Vrsinus ibi legi volebat: *pineae tedae adigito.* Deinde Pontedera vtroque in loco vulgatam damnans malebat *absoluta ablaqueatione* legi. Sed recte Gesner monuit, ablaqueationem dici pro *lacubus,* terra egesta vacuatis. Igitur recte h. l. pro *absumta* libri optimi habent *adobruta. Teda pinea* est quam Theophrastus πεύκην ἔνδαδον dixit, quasi *pinum ad faces;* de teda arbore vide Plinium 16. sect. 19. pineam tedam dixit etiam Ouidius Epist. XII. 34. Ex hac teda fiunt faces, tedae dictae. Varietatem *adiicietur* pro *adigetur* in Celso VII. 27. annotauit etiam Facciolati.

18. *Tarentina*] In medicamento dysentericis confecto Andromachus apud Galenum Comp. Medic. sec. loca IX. 5. nominantur ἄπιοι Ταρεντιανοί, pina Terentiana, vbi Cornarius Tarentina aut Turraniana intelligi putabat.

Naeuiana] Celsus II. 24. inter austera et acida, quae stomacho vtilia sint, ponit *pirum fragile, quale crustuminum vel naeuianum est: item pira, quae ponuntur, tarentina atque Signina, malum orbiculatum aut Scandianum vel amerinum.* Itaque *Signina* vel ab oppido Signia vel a similitudine vini Signini nomen habent. Silius VIII. 380. *quas spumans imniti Signia musto.* Vini Signini austeritatem memorant etiam Strabo et Plinius. Martialis XIII. 116. *liquidum Signina morantia ventrem.*

19. *orbiculata*] In loco Galeni supra nominato ponuntur μῆλα ὀρμίβλακα quae Cornarius recte emendat ὀρβικλάτα, i. e. orbiculata. Ibidem sunt etiam μῆλα Κεστιανά, i. e. mala *Cestiana.* Pluribus etiam locis nominauit Κεστιανὰ Galenus, quae collecta posuit Cornarius p. 321. qui putat esse, quae vulgo Arantia appellentur.

Melimela] De his vide ad Varronem I. 59.

chrysomedina] Ita recte Edd. primae. Vulgo *chrysomeliana*. Plinius 17. f. 15. chrysomela vocat. Vide de his cydoniorum generibus ad Palladium III. 25. f. 24.

et mala, sorba] Plinius 17. f. 30. no. 6. ex communi Italiae ratione: *Moro ab Idibus Februariis in aequinoctium. — Malis aestiuis et cotoneis, item sorbis, prunis post mediam hiemem in Idus Februarias.* Noster infra cap. 25. *mala aestiua, cydonea, sorba pruna post mediam hiemem vsque in Idus Februarias serito. Morum ab Idibus Febr. vsque in aequinoctium vermum recte seres.* Pessime igitur h. l. legebatur *post mediam messem.* Deinde etiam male Sang. verba *et mala* omittit; et postea cum Pol. et Lips. pro *mororum* habet *malorum.* Palladius IV. 10. 37. *nunc et pirus vel malus inseri ac seri potest, et cydonia et prunus inseritur et sorba ponuntur et morus nono Calendas Apriles.* Mecum sentit Morgagni.

22. *Siliquam*] Plinius l. c. *Siliquae graecae et persicis ante brumam per autumnum.*

forata arbore] Infra: *per foratam arborem lapidem adigito: ita librum arboris inolescere finito.* Sed rectius ibi Sangerm. *perforata arbore.* Etiam h. l. Edd. I. B. R. recte habent *ita* pro *in librum* vulgato. *Adigito* pro *adiicito* monente Vrsino posuit etiam Gesner.

21. *supra pulvinos*] Infra: *in hortis, vbi et subacta et stercorata terra est per pulvinos.* Hoc idem voluit h. l. Sang. liber, qui habet: *structa — super.* Lips. habet *tuta est.*

Danda est opera] Ante haec infra leguntur haec: *deinde cum creuerint, danda est.* vbi Pontedera ex libris Pol. et Lips. malebat *tenuerint.*

folia decerpere] Inuentum recentiorum, qui folia paulatim detrahi iubent arbori, quam a frigore defendere velis, reperisse sibi hic visus est nuperus interpres germanicus libri Columellae de Arboribus; quod quam sit alienum a consilio scriptoris, statim patebit lectori.

parte] Etiam infra pro *vna parte* Edd. I. B. R. habent *ima parte.* Ibidem est *habeant*, sed Edd. I. B. R. *habeat.* Voluerunt *habent.* Ibidem legitur *pileolis* et *tuto.* Hoc posterius pro *tute* ex Sang. h. l. restitui. Alterius lectionis vestigia latent in lectione librorum *tileae sic* vel *tiliae sic.* Palladius de fico IV. 10. 23. *si loca frigida sunt, plantarum cacumina diuisis cannae internodiis defendantur a frigore.* vbi Vincentius habet bis *diuersis.*

Cap. XI.

Cap. XI. *si non est*] In altero loco Codices habent: *surculus inseri potest, si non est ei arbori cui inseritur.* quam scripturam probabat Pontedera.

similem fructum] Alibi *si vero fructum etiam eodem tempore fert.* sine vlla varietate. Plinius 17. sect. 24. *Facillime coalescunt, quibus eadem corticis natura, quaeque pariter florentia eiusdem horae germinationem succorumque societatem habent.* De affinitate arborum, sibi inuicem iungendarum, variis insitionis atque inoculationis generibus disputatio veterum et recentium physiologorum nondum tamen experimentis plane est ad liquidum perducta. Rationem inserendi atque inoculandi maxima cum ingenii laude tractarunt Galli duo, Du Hamel, et nuper *Cabanis*, Essai sur les Principes de la Greffe. Paris 1781. et nostratium princeps, *Münchhausen*, autor egregii libri *Der Hausvater.*

scrupulo] Infra: *vllo scrupulo optime.* — *Tria autem genera* — *vnum quod* (Sang. *cum*) *resecta et fissa arbore recipit insertos surculos, alterum quod* — *tertium quod* (vbi libri optimi *tertium enim cum*) — *emplastrationem, haec genus aestatis est.* Palladius III. 17. genera haec ita enumerat: *sub cortice, aut in trunco, aut emplastro.*

inoculationem] Male quidem illi cum ipsis Graecis. Inoculatio enim est diuersa ab emplastratione. Vsus tamen loquendi voluit, vt abolita inoculationis veteris consuetudine, emplastratio eodem diceretur nomine. Ita etiam Palladius Nouembri VII. 7. *Perficus inoculari potest, quod emplastrari dicitur praeciso desuper trunco, et emplastratis pluribus gemmis.* De inoculatione vide disputationem, in fine huius libri adiectam. Breuiter Plinius 17. sect. 26. *Vitis non recipit emplastra, nec quibus tenuis ac caducus rimosusque cortex: neque inoculationem siccae, aut humoris exigui. Fertilissima omnium inoculatio, posteà emplastratio, sed vtraque infirmissima, et quae cortice nituntur tantum, vel leui aura ocissime deplantantur.* De inoculatione nunc videamus; de qua locus est Plinii 17. sect. 23. *inoculatio hinc nata, sutoriae simili fistula aperiendi in arbore oculum cortice exciso, semenque includendi eadem fistula sublatum ex alia. In ficis autem et malis haec fuit inoculatio antiqua. Virgiliana quaerit sinum in nodo gemmae expulsi corticis, gemmamque ex alia arbore includit.* Diuersa haec est ratio ab emplastratione, quam et ipsam aliqui propter similitudinem gemmae transferendae inoculationem dixerunt, monente ipso Columella. Sed in emplastratione cortex inserendae arboris seu rami eximitur excisus, eiusque in locum applicatur velut emplastrum cor-

tex aequalis figurae et magnitudinis cum gemma. Contra inoculatio ex cortice arboris seu rami inserendi gemmam excindit, eiusque in locum aliam generosam gemmam includit. Quae vtraque ratio diuersa est a modo, nobis hodie vsitato, vbi cortex arbusculae inserendae scinditur et aperitur, vt subiiciendam cum corticis particula gemmam recipiat, sed non eximitur. Huic nostrae rationi simillimam Crescentius II. 22. vulgariter ait vocari *ad buccellum*. Locum Plinii pessime interpretatur Harduinus. Ait enim, acuto scalpro corticem excidi simul cum oculo vel gemma, non eximi tamen; in eam deinde plagam semen seu gemmam alterius arboris includi. Plinius autem non excidi ait corticem arboris inserendae, sed gemmam aperiri cortice exciso, id est, ex cortice exscindi gemmam, atque ita aperiri, eiusque deinde in locum aliam gemmam includi. Quod si vero arbore inserenda excinderetur aut discinderetur circa gemmam cortex, nec tamen alius cortex cum gemma, aliunde translata, includeretur in plagam, tum non apparet ratio, quae vulnerare corticem circa gemmam cogat.

Diuersam ab hac inoculatione Virgilianam facit non Plinius, sed Harduinus. Videamus locum poetae Georg. II. 74. *nam qua se medio tradunt de cortice gemmae et tenues rumpunt tunicas, angustus in ipso fit nodo sinus; huc aliena ex arbore germen includunt, vdoque docent inolescere libro.* Plinius expulsi corticis gemmam rectius dixisset ex poeta expulsam cortice gemmam. Nodus est ille ipse locus, vnde gemma protusa exstat; in eo fieri iubet poeta sinum, id est, cauum. Itaque excauari nodum gemmamque eximi vult; deinde aliam illuc includi. Ineptissime nuperus interpres germanicus, qui mirum quantum sibi placet, scientiaeque rerum rusticarum suae ipse applaudit, in poetica, si diis placet, versione, fieri iubet incisionem angustam in ipso nodo seu gemma; contra in nota subiecta corticem incidi circa gemmam ait. Quae quam sit inepta interpretatio pro homine tam stupendae eruditionis, non possum satis verbis docere. Sinus enim non est incisio, nec a poeta dici potuit, vero quidem, nec somniante illo; sed sinus semper dicitur fieri, cum locus aliquis incisus simul excauatur.

Mirum mihi videtur reliquos scriptores rei rusticae huius inoculationis nullam plane facere mentionem, etsi quibusdam Italiae regionibus non inusitatam fuisse poetae et Plinii testimonio cognoscimus. Eandem tamen rationem inoculationis in Italia ad recentiora vsque tempora frequentatam fuisse a rusticis, cognoscimus ex loco Crescentii de Agri-

Agricult. IV. cap. 11. quem totum huc transferam: *Alium insuper*, inquit, *modum, quo nuda gemma loco alterius cum melle vel alia quacunque re ponitur, a quibusdam vulgariter praedicatum, non pono, quia eam nullatenus approbare videtur naturalis ratio propter nimiam teneritudinem gemmae. Verumtamen quidam Frater Minor mihi asseruit, quod mense Aprili, cum folia vitis incipiunt apparere, accepit summitatem gemmae remanentibus foliis paruis, cum quadam concavitate, ac in eodem loco posuit aliam gemmam similem recentissime aliunde receptam cum molli fimo bubulo, et sine quolibet alio auxilio conualuit; ideoque probari potest, licet videatur contra naturalem rationem positam a fratre Alberto Germano.*

Hic locus egregii commentarii vicem praestabit iis, qui poetam et Plinium ex natura rerum interpretari volent. Patet hinc simul, ineptissime Harduinum fistulam sutoriam interpretari scalprum. Potius intelligere debemus ferramentum mucrone intus cauato seu fistulato, quo nodus seu gemma ex cortice tolli cauumque seu sinus in cortice fieri possit.

Obiter monebo, eodem in loco Crescentium descripsisse rationem inserendi, simillimam ei, quam multi hodie Franconidam seu Bambergensem, vulgo *das Zungenpfropfen*, vocant; cui plane similis est quam Britannicam nostri appellant.

aestiuo] Plinius 17. sect. 25. *Aptissima insitis siccitas. huius enim remedium appositis fictilibus vasis modicus humor per cinerem distillans. Inoculatio rores amat leues.* Theophr. de Causis I. 6. aquam ait inoculationi inimicam esse, eamque putrefacere.

2. *repertam*] Infra adiectum *aliam* omittunt libri optimi. Deinceps *simul gemmas* habent libri Pol. Lips. et Sangerm. teste Drakenb. ad Liuium T. II. p. 254. qui probat eam lectionem.

3. *nodisque*] Palladius: *surculi sint nouelli fertiles nodosi de nouo nati, ab orientali arboris parte decisi crassitudine digiti minoris, bifurci vel trifurci, gemmis pluribus vberati.* Plinius 17. c. 24. *Certum est ab humeris arborum orientem aestiuum spectantibus surculos petendos, et e feracibus, et e germine nouello, nisi vetustae arbori inserantur: ibi enim robustiores esse debent. — bimi vtique, nec tenuiores digito minimo.* Geoponica X. 75. ἐξ εὐγενῶν καὶ ἀκμαίων καὶ πολυκάρπων δένδρων δρεπάνοις ὀξέσιν ἀφαιρεῖν, ἐκ τῶν βορείων μερῶν, ἁπαλὰ καὶ λεῖα καὶ πυκνόφθαλμα, τρικάρυφα ἢ δικόρυφα.

ger-

germina tumebunt] Hoc in vitio esse censet Pontedera, ideoque cum libris legendum *germinatum ibunt*. Palladius: *hoc vtrumque genus vermum est et fit crescente luna, vbi incipit gemma arborum turgescere*. Geoponica X. 75. ita distinguunt, vt surculi inserendi habeant gemmas silentes, ipsae vero arbores inserendae gemmas iam incitent ad partum. Iterum III. 5. 3. et IV. 12. 10. igitur surculos decerptos servari iubent. Sed haec ad vitem pertinere videntur, de quibus saltim est locus postremus. Igitur h. l. malim *gemmae tumebunt*, legere; i. e. incipient tumere.

bifurci] Infra: *surculi sint bisulci — quae maxime*. Palladius: *arborem vel ramum in loco qui nitidus — non laesa cortice. post serraturam — acutis incidamus*. vbi Pol. liber *nitidamus vel incidimus*. Columella VI. de Arbor. c. 4. *plagam acutissimo ferro deleuato*, i. e. laeuigato. Geoponica X. 75. post superiora: *πρὸς τῇ βάσει μανέκολα. ἐχέτω δὲ πάχος δακτύλε μικρῶ. ἔστω δὲ διετῆ. τὰ γὰρ ἐναυσιεῖα εἰς τὸ ἀναδραμεῖν μὲν ἕτοιμα ἄκαρπα δέ.* Bimos surculos legi volunt in arboribus reliquis, non in vite, credo. Ramos sinistros duplicem afferre iustos fructum affirmat Didymus Geopon. X. 77. *τὰ ἀριστερὰ τῶν κλάδων.*

4. *truncum recideris*] Etiam infra Pollit. liber habet *truncum reddideris*. Pontedera vtrobique malebat *truncum recideris*. In quo falsus est, nisi simul maluit *reddideris*.

deinde quasi] Infra etiam Sang. inserit *quasi* ante *cuneum*. Ibidem *tenuem* omissum est. Palladius: *inde quasi cuneum tenuem ferreum vel osseum, maxime leoninum inter corticem et lignum tribus prope digitis considerante deponimus*. vbi *tenuem* omittunt Pol. Erf. liber. Plinius 17. c. 24. *si crassior truncus inseratur, inter corticem et lignum inseri melius, cuneo optime osseo, ne cortice rumpatur laxato*. Theophrastus de Causis II. 6. *τὸ ἔνθεμα σφηνοειδὲς ποιήσαντες ἐν σφύρᾳ ἐλαύνουσι*, i. e. cunei forma surculum malleo adigunt, vt profundissime descendat.

considerate] Infra *leniter*. vbi libri optimi *lente*. Palladius *considerantur — ne corticis fascia dissipetur*.

ex ima parte] Infra *ab vna parte eradito*. vbi libri optimi *ab ima parte*. Palladius: *et in eum modum subducto cuneo statim surculum mergimus vna parte decisum salua medulla et cortice partis alterius, qui supra arborem sex vel octo digitis emineat*. In his locis omnibus *imma* pro *vna* legendum esse monuit Pontedera.

atque ita] Infra: *tam alte quam cuneum denisisti, sed ita ne medullam*. Plinius 17. c. 24. *Calami exacutio medullam*

lam ne nudet; tenui tamen fistula detegat, vt fastigatio laeui descendat cuneo, tribus non ampliore digitis. Quod facillime contingit tinctum aqua radentibus.

5. *inserito*] Infra: *surculos demittito, ita, vt sex digitis de arbore exstent. in vna autem arbore duos aut tres ramulos figito, dum ne minus quaternum digitorum.* Palladius: *duos vel tres vel plures surculos pro trunci qualitate constituimus, quaternis digitis, vel amplius inter eos spatium relinquemus; tunc iunco aut vlmo aut vimine stringemus et super lutum musco tectum ponemus ac ligabimus, vt quatuor digitis supra lutum possit surculus eminere. Plerosque delectat stricturum primo sectae arboris truncum vinculis arctioribus in medio findere, et ibi surculos ex vtraque parte rasos in modum cunei, (decisos* Pol.) *vt integra sit medulla, demergere, praemisso ante cuneolo, quo subducto depositus surculus redeunte in plagam materia (artius interserit* Vincent.) *possit astringi.* Hanc posteriorem rationem tangit Plinius 17. s. 24. *quidam vestigio fissurae falce in truncis facto salice praeligant marginem ipsum, postea cuneos figunt, continente vinculo libertatem dehiscendi.*

truncus vastior] Plinius 17. s. 24. *inseruntur autem et vniuersi surculi, cum id agitur, vt minor altitudo in latitudinem se fundat.* et paulo antea: *subtilior postea ratio vel senos adiicit mortalitati eorum et numero succurrere persuasa, per media leuiter trunco fisso, cuneoque tenui fissuram custodiente, donec cuspidatim decisus descendat in rimam calamus.*

ne amplius] Ita legendum esse ex vsu Columellae, monuit etiam Drakenb. ad Liuium T. V. p. 203.

vsque eo] Infra: *vsque eo, vt duobus digitis insita exstent. supra lutum muscum — alligato.* Libri h. l. habent scriptum *vsque adeo dum.* Quod probo. Cato 56. *vsque adeo dum ficus esse coeperint.* Infra tamen XII. 22. 2. *vsque eo dum* legitur sine varietate.

6. *dilabatur*] Vitium suspicatur Morgagni *illabatur* corrigens. Noster IV. 29. s. 8. de vitis insitione: *fissura diligenter subacto luto linitur, atque superposito musco ligatur, quod et calores et pluuias arceat.* Cato c. 41. s. 4. *insuper lingua bubula obtegito, si pluat, ne aquam librum permanet.* Varro I. 41. plagam argilla oblini et libro adstringi ait, ne extrinsecus imbres aut nimius calor noceant. Ipse tamen Morgagni annotauit lectionem vulgarem defendi posse ex nostro de Arbor. 8. s. 2. vbi est in eadem re: *diligenter ligato atque luto subacto paleato oblinito plagam et alligato, ne aqua ventusue penetrare possit: deinde supra lutum muscum impo-*

imponito et ita religato: ea res praebet humorem, nec inarescere sinit. Scilicet humore alere voluit surculum insitum.

Quosdam] Haec vsque ad *Si pusillam* non leguntur in libro de Arboribus, et sunt aperte vitiosa, vt recte iam monuisse video Pontederam. Quomodo sint redintegranda, apparet ex loco Palladii et Plinii supra laudato.

7. *imam*] Infra: *iuxta terram abscindito — sesquipedem a terra — cum deinde abscideris — scalpro modice.* Palladius: *Si arborem minorem desiderabis* (volueris Vinc.) *inserere, in qua sine dubio meliora incrementa proueniunt, circa terram secato* (Vinc. *serrato*) *et quod melius est, surculum inter lignum corticemque depone, tunc stringe.* (*et tunc adstringe* Vinc.) *Quidam rasum ex vtraque parte surculum conuenientem soliditati arboris inserendae sic in medio* (trunco) *deponunt, vt cortex surculi vndique cortici arboris reddatur aequalis. Sed in nouella arbore terra mota vsque ad ipsum insitum colligatur: quae eam res a vento et calore defendet. Mihi asseruit diligens agricola omne insitum sine dubio comprehendere, si depositis surculis viscum non temperatum in ipsa plaga pariter mergamus, quasi glutino quodam succos materiae vtriusque misturum.* Vides, aliunde sua Palladium quam ex Columella hausisse. Postremum commentum est ineptum.

sit in ea] Infra: *sit. in eam deinde cuneum quoad patietur.* vbi Lips. et Sang. *quod is patietur.* Alteram lectionem merito praeferebat Morgagni.

derasos] Infra: *adrasos — eximite. deinde arborem, vt supra dixi, alligato et oblinito — aggerato.* Vnde addendum h. l. esse *et oblinito* monuit Pontedera.

8. *Nos tertium*] Infra: *tertium genus insitionis cum sit — generi idoneum est. et fere eae recipiunt.* quam lectionem etiam Morgagni substitui volebat vulgatae huius loci: *Hoc tertium genus insitionis, cum sit.* Equidem sequi malui librorum optimorum scripturam, quam firmat Plinii locus postea afferendus, vbi est: *hoc genus non pridem repertum volunt, qui nouis moribus fauent.* Sed monet, recte iam veteres Graecos et Catonem (cap. 42.) hoc genus adhibuisse. Ceterum hic modus emplastrandi hodie exoleuit; cortex enim incisus hodie relinquitur, eique subditur gemma, quem modum Crescentius II. 22. vulgariter *ad buccellum* ait dici, ex Italico scilicet *à buccia.*

9. *plurimum mittit*] Infra: *remittit — ea inseritur tali ratione.* Quam lectionem etiam deinceps h. l. restitui voluerunt

runt viri docti, quibus fauent libri duo, vbi est *ea carifici ratione.* Palladius Iunio 5. *Hoc mense vel Iulio celebratur insitio in pomis, quae emplastratio dicitur, solis arboribus convenit, quibus pinguis succus in cortice est, vt ficis et oleis ac similibus, vt Martialis dicit et Persico.*

eligito] Infra: *in ea quaerito — in his deinde obseruato gemmam.* Palladius: *ex nouellis ramis et nitidis ac feracibus gemmam, quae bene apparebit sine dubio processura, duobus digitis quadratis circumsignabis, vt ipsa statuatur in medio et ita subtiliter corticem leuabis acutissimo scalpro ne gemma laedatur; item ex ea arbore, cui velimus inserere, similiter cum gemma tolletur emplastrum, nitido tamen et vberi loco.* Vnde malim h. l. legere *nouellos et nitidos et feraces.* Plinius 17. f. 24. *praeterea, vt praegnantes sunt surculi, hoc est, germinatione turgentes, qui parere illo sperauerint anno.*

10. *circumcidito*] Infra libri optimi habent: *circumcide diligenter — laedas, delibrato item quam arborem inserere voles. in ea nitidissimum.* Plinius 17. sect. 26. *emplastri ratio et ipsa ex inoculatione nata videri potest. Crasso autem maxime cortici conuenit, sicut est ficis. Ergo amputatis omnibus ramis ne succum auocent, nitidissima in parte, quaque praecipua cernatur hilaritas, exemta scutula, ita ne descendat vltra ferrum, cortici, imprimitur ex alia cortex par cum sui germinis mamma: sic compage densata, vt cicatrici locus non sit, et statim fiat vnitas, nec humorem nec afflatum recipiens: nihilominus tamen et luto munire et vinculo melius. Hoc genus non pridem repertum volunt, qui nouis moribus fauent. Sed id etiam apud veteres Graecos inuenitur et apud Catonem, qui oleam ficumque sic inseri iussit.* A scutulae similitudine Galli hoc genus dicunt *Enter en écusson.* Non solam gemmam cum scutula, sed partem trunci cum adhaerente gemma meliore cum euentu inseri monet Didymus Geoponic. X. 77.

nudaueris] Infra: *nudaueris, gemmam hanc quam ex altera arbore sumseras, aptato ita, vt emplastrum circumcisae parti conueniat.* Palladius: *Tunc ibi conuenienter astringitur et pressum circa gemmam vinculis cogitur sine germinis laesione cohaerere, vt ea quae appositae redditur, locum gemmae prioris includat. tunc luto superlinis et liberam gemmam relinques.* vbi Cresc. *conuenienter impressum circa gemmam vinculis — apposite — loco — includit.* Vincentius habet: *vinculo — sic apposita.* Recte etiam Lugd. liber apposita habet.

11. *vt*

11. *vt gemma*] Infra: *qua gemma libere germinet. Materia, quam inſeueris, ſi ſobolem vel ſuperiores ramos habebit, omnia praecidito.* vbi libri optimi *ſupra ramum.* Palladius: *ramos ſuperiores eius arboris ſecabis ac ſtirpes et ab vno et viginti diebus exactis reſoluto vimine vinculorum reperies externi ſeminis gemmam mire in arboris alienae membra tranſiiſſe.* Lectionem *ſupra ramos* praeferebat etiam Pontedera.

cuocari] Infra libri optimi ſimiliter habent: *quod poſſit auocari. aut cui magis.* Geoponica X. 77. τὸ ὑπεράνω τῆς ἁρμογῆς ἀπόκοπτε, ἵνα μὴ εἰς τοῦτο ἡ τροφὴ χωρήσῃ, ἀλλ' εἰς τὸ ἁρμοσθέν.

hoc genere] Infra: *hoc genere etiam*, i. e. hoc modo. Ita ſaepe Plinius, ſaepius Palladius. Exemplum Caelii Aureliani Praef. Acut. no. 15. appoſuerat Schoettgen.

12. *Docuimus*] IV. 29. 13. vbi vide notas.

finitionem] Infra: *finitionem.* ſed libri *inſitionem* Sang. *infinitionem.* Pontedera praeferebat librorum lectionem: *et ex illa definitione.* Ex Sangerm. deinceps Gronouius annotauit lectionem *vel antiquam legem ſanxerit.* ex qua corrupta Polit. lectio *vel antecedentem.*

13. *ſubiiciemus*] Infra: *ſubiiciemus qua ſimilitudine quiſque quod genus volet, omni arbori poterit inſerere.* vbi libri recte *quod quiſque.* Plinius 17. ſect. 30. no. 7. ex h. l. *Iuxta oleam ſeri ficum iubet non ampliore interuallo, quam vt contingi large poſſit ramo oleae quam maxime ſequaci atque obedituro: eumque omni interim tempore edomari meditatione curuandi. Poſtea fico adepta vires, quod euenire trimae, aut vtique quinquenni ſolet, detruncata ſuperficie, ipſumque deputatum, et, vt dictum eſt, adraſo cacumine defigi in crure fici cuſtoditum vinculis, ne curuatura fugiat. Ita quodam propaginum inſitorumque temperamento, triennio communi inter duas matres coaleſcere. Quarto anno abſciſſum totum adoptantis eſſe, nondum vulgata ratione aut mihi certe ſatis comperta.* Ceterum merito mireris, commentum hoc quaſi ſuum Columellam lectori venditare, adeoque credulum habuiſſe Plinium, qui in alio modo exponendo ſimilem Columellae gloriationem conuicerat auctoritate Catonis. Hunc enim ipſum modum, ex propagatione et inſitione permixtum, vt nuper excogitatum, breuiter deſcripſit Varro I. cap. 40. ſ. 6. Sed plurima Columella ex Varrone tranſtulit, ipſis ſaepe verbis auctoris ſeruatis, nec plagii crimen timebat in auctore, quem nemo tunc legebat, vt puto. Idem factum eſſe ſuſpicari licet in tot aliis ſcriptoribus, quorum verba tranſcripſit,

vt

vt ex Plinio et Palladio agnoſcimus, quorum vterque eoſdem ſcriptores excerpſit; ita tamen, vt quaedam omitterent, quae Columella tranſtulit, alia adderent, quae hic omiſit.

triennium] Infra addit *aut quinquennium — qui videbitur.* Prior pars lectionis vera eſt, vt Plinius teſtatur, in quo Pintianus legendum eſſe ex h. l. recte vidit: *meditatione curuandi in crure fici conſtrictum vinculis, ne curuatura fugiat. Poſtea fico* etc. Harduinus loci vitium non vidit, et egregiam emendationem tacuit; quod fecit etiam Brotier, qui ex Huetii emendatione dedit: *communiter duas matres coaleſcere;* quam ineptiſſimam eſſe lectores ſtatim intelligent. Vincentius Sp. nat. XII. 35. habet in Plinio: *ipſaque depurata et abraſo — continue inter duas matres.*

15. *cohaerent*] Infra: *inhaerent, vtraque parte adradito — fici aptato — triennio coaleſcit ficus oliuae.* Vnde h. l. etiam cum Goeſ. correxi vulgatum *abrade.*

ramulos colliga] Recte infra omittitur vocabulum *ramulos.* Ceterum clauſulam libri hanc ex Sang. libro ſimilem Lipſienſi poſuit Gronouius: *incipere prauum ac tempeſtiuum fuit, nunc arbores praecipientes opportune eius meminerimus.* Quae clauſula fuiſſe videtur gemina huius libri et alterius de Arboribus.

Cap. XII. *refert*] Reuocaui ex Edd. vetuſtis, quod male Victorius mutauit in *referet.* In libro de Arboribus cap. 28. eſt *expedit.*

gallinis] Noſter VIII. 4. 2. gallinis cytiſi folia grata ait eſſe.

ouibus] Ex libro Goeſ. et Sang. inſerui, quod *apibus* ſubſtitui voluerat olim Vrſinus vocabulum. Alibi etiam oues iuxta apes nominat Columella. Contra, qui h. l. adſunt boves, infra libro de Arbor. vulgo deerant, ex libro Sang. addendi demum.

vtiliſſimus] Hic et alibi libri optimi habent *vtiliſſimum.* Quod ſtatim ſequitur *quod* altero in loco omittunt Edd. I. B. R. Et tamen Sangerm. ſtatim *ex ea* habet monente Gronouio.

praebet ouibus] Dubium me facit varietas lectionis, in libris ſcriptis hic reperta, quae in altero loco non reperitur. Si libros reliquos ſequaris, legendum: *praebet: cum etiam ouis octo menſibus — arido poſſit.* In vulgata non video, cur ouibus ſolis lac praebere plurimum dicatur, nec vaccis, capriſque, quoue conſilio lac ouillum praecipue h. l. commemoretur. Ariſtoteles H. A. III. 21. κύτισος καὶ ἄρο-

UNIVERSITY LIBRARY OF ANCIENT HISTORY OXFORD

βος ποιῶσι πολὺ γάλα, πλὴν κύτισος μὲν ὁ ἀνθῶν ἐ συμφέρει, πίμπρησι γάρ. Pontedera praeferebat lectionem: *praebet ouis.*

macerrimo] In altero loco Cod. Lipſ. et Sang. *acerrimum* habent.

2. *in aqua*] Ita h. l. Sangerm. liber et Colum. altero in loco. Ibi ſine varietate legitur *macerari — permiſceri*, ſed *dari* mutant Edd. I. B. R. in *dare* et *aridum* in *aridam* liber Politiani. Iterum ſect. 5. liber idem Polit. habet *aridam*, et bis quidem, vt et *exemtam*. Poſtremam hanc lectionem etiam in altero loco praeferunt Edd. I. B. R.

areolas facito] Alibi: *in modum horti areas facito.*

ocini] Alibi: *ocimum.* Plinius: *ſeritur cum hordeo, aut vere, ſemine, vt porrum;* is igitur geminam ſationem ſeminis facit.

ſpatio diſtent] Ita ex altero loco correxi vulgatum *ſpatia;* monente etiam Geſnero. Varro I. 43. *inde differtur et in ſeſquipedem ponitur.* vbi vide notam.

deponito] Altero in loco *diſponito.* Deinceps additam copulam *et* omittit etiam alter locus, vbi eſt etiam *circa aggerato.* Pontedera ſtatim poſt *deponito* adiungenda cenſet, quae infra leguntur ſeparata hic et in altero loco, hoc ordine: *diſponito. Pateſt autem etiam circa Septembrem ramis ſeri cytiſus — ſuſtinet. Stercoratam.* Plinius: *plantae cubitales ſeruntur ſcrobe pedali.* reliqua omiſit.

4. *inceſſerit*] Etiam altero in loco libri optimi habent *ingeſſerit.*

pondo XV.] Nulla numeri varietas eſt in libris alibi, ſed h. l. optimi praeferunt pondo XII. Plinius: *ſatiant equos denae librae et portione minora animalia.* vbi rectius Brotier edidit *et ad portionem.*

Poteſt etiam] Altero in loco ſimiliter eſt: *poteſt autem etiam circa Septembrem ramis ſeri.* vbi libri Polit. Lipſ. et Sang. habent: *circa ſaepem.* reliquis omiſſis. Hoc in loco Pontedera praeferebat lectionem libri Goeſiani: *poteſt etiam circa ſepem agri commode ſeri;* quod et facile comprendit, et ſpinarum, virgultorum herbarumque *iniuriam ſuſtinet.* Ita etiam liber Lipſ. et Polit. *Circa Septembrem* dicitur eſſe in Sangerm. Infra autem omnes tres Codices optimi *circa ſaepem* habent. Quare h. l. etiam non dubitaui vulgatum *ante Septembrem* corrigere.

Aridum] Alibi *exiguius dato.*

5. *Cytiſum cum*] Altero in loco: vulgo eſt *Cytiſum quod aridum*, ſed libri optimi *cytiſum cum* habent. De Cytiſo

tiso nunc pauca addam. Satiuum et agrestem memorat Columella IX. 4. 2. agrestem iterum VII. 6. 1. Ex quibus locis manifestum est vitium huius loci, vbi genere masculino dicitur cytisus, contra nostri morem. Hoc vero in loco aperte sequitur Aristomachum de quo sic Plinius XIII. c. 47. *Frutex est et cytisus, ab Aristomacho Athenienſi miris laudibus praedicatus pabulo ouium, aridus etiam suum: spondetque iugero eius annua H-S vel mediocri solo reditus. Vtilitas quae erua, sed ocior satietas, per quam modico pinguescente quadrupede, ita, vt iumenta hordeum spernant. Non ex alio pabulo maior lactis copia aut melior, super omnia pecudum medicina a morbis omni vsu praestante. Quin et nutricibus in defectu lactis aridum atque in aqua decoctum potui cum vino dari iubet: firmiores celsioresque infantes fore. Viridem etiam gallinis, aut si aruerit, madefactum. Apes quoque nunquam desore cytisi pabulo contingente, promittunt Democritus et Aristomachus. Nec aliud minoris impendii est. Seritur cum hordeo; aut vere, semine, vt porrum: vel caule, autumno ante brumam. Si semine, madidum: et si desint imbres, satum spargitur. Plantae cubitales seruntur scrobe pedali. Seritur per aequinoctia tenero frutice: perficitur triennio: demetitur verno aequinoctio, cum florere desinit, vel pueri vel anus vilissima opera. Canas aspectu; breuiterque, si quis exprimere similitudinem velit, angustioris trifolii frutex. Datur animalibus post biduum semper: hieme vero quod inaruit, madidum. Satiant equos denae librae et portione minora animalia: obiterque inter ordines allium et caepe seri fertile est. Inuentus hic frutex in Cythno insula; inde translatus est in omnes Cycladas, mox in vrbes graecas, magno casei prouentu: propter quod maxime miror rarum esse in Italia. Non aestuum, non frigorum, non grandinum aut niuis iniuriam expauescit. Adiicit Hyginus, ne hostium quidem, propter nullam gratiam ligni.* Ex quo loco apparet, Columellam alia quaedam auctiora, alia Plinium excerpsisse ex Aristomacho. Forte Hyginus librum eius latinum fecerat. Ceterum Plinius tres eius diuersas sationes docere videtur; primam semine; alteram his verbis tradit: *vel caule autumno ante brumam;* tertiam his: *seritur per aequinoctia tenero frutice.* In Columella similiter tres sationes mihi reperire videor, primam quidem ex semine autumnalem; alteram cacuminibus vere depositis; tertiam *ramis ante Septembrem seu circa Septembrem* satis. Verum hic equidem non video, qua re rami a cacuminibus differant in plantatione; multo minus perspicio, cur Plinius altero loco caulem altero tenerum fruticem plantari voluerit.

sit. Diuersae vero sunt in vtraque cytisi plantae, in seminario natae. Quod paulo antea suspicabar Aristomachum a Plinio laudari ex Hygini interpretatione; eam opinionem confirmat Columella IX. 13. 8. vbi ex Hygino sententiam Aristomachi de apibus laudat. De cytiso et medica volumen Amphilochi laudat Plinius XVIII. sect. 43. Cytisum totum osseum, atque alibi nigricantem colore dixit Plinius XVI. 76. ramulosa folia tribuit sect. 38. vbi Dioscorides IV. 113. rachin maiorem exstare ait in folio. Medullam cytisi nigerrimam esse refert Theophrastus H. P. V. 4. Medicaginem arboream L. intelligi, cum Tournefortio multi opinati sunt, et cum iis nuper *Amoreux* in Mémoires d'Agriculture année 1787. Culturam cytisi non fuisse adeo frequentatam a romanis agricolis, cum ex Plinii testimonio cognoscimus, tum vero idem arguit breuitas Varronis II. c. 11. et quod Columella sua omnia ex Aristomachi libro traduxisse videtur. Equidem satiuum cytisum intelligi puto cytisum Graecum Linnaei in insulis graecis sponte crescentem; color nigricans ligni totius ossei et folia ramulosa seu venosa arguere videntur cytisum Laburnum Linnaei; qui tamen a laburno Plinii diuersus esse videtur. Hunc enim Plinius 16. s. 31. alpinam arborem nec vulgo notam esse ait, odisse aquas, candidam materia ac dura, cuius florem cubitalem longitudine apes non attingant. Ex ea palos vinearum fieri tradit 17. s. 35. no. 10. Forte cytisus laburnum Plinii est, quam Linnaeus alpinam nominauit speciem; Linnaei vero laburnum potest esse agrestis cytisus Columellae. Alpinus Linnaei longiorem florem quam laburnus habet.

De cytiso et medica confusum volumen vnum scripserat Amphilochus, teste Plinio 18. s. 43. Scholiastes Nicandri ad Theriac. versu 617. Antilochum in libro de cytiso laudat, vbi editi libri male nominant Archilochum. Sed etiam Codex Goett. vitiosus est leuiter; et Amphilochus substituendus est. Cytisi croceum per prata virentia florem nominat Auianus Tab. XXVI. 5. Galenus de Antid. I. cap. 5. p. 427. ed. Basil. καὶ τοῖς γράψασι περὶ τῆς κυτίσου ταῦτ' ὁμολογοῦσιν πᾶσιν, ὡς πλεῖστον μέλιτος ἐκ τῶν ἀνθέων αὐτῆς αἱ μέλισσαι θρέπουσαι, θαυμαστὸς δ' ἐστὶ φυτὸν ἡ κύτισος εἰς ὕψος ἀνῆκον ὅλον αἱ μυρίνναι.

Hucusque Hambergerus. Plura de rationibus Columellae docet doctissimus Kaestner in Praefatione ad versionem germanicam libri Nic. Morville de geometrica et oeconomica agrorum partitione, Goettingae 1793. proditam.

COM-

COMMENTARIVS
AD
LIBRVM VI. COLVMELLAE.

Praefat. 1. *pecoris abnuisse*] Ita liber Sang. h. l. ordinat cum primis Edd. Abr. Gronouius praeterea malebat *gregariariumque pastionum — disciplinam* comparans Varronis locum III. 2. *induce me in viam disciplinae villaticae pastionis.* Deinde idem Gronov. annotat in Sangerm. abesse *constantissime.*

3. *adiutorio colatur*] Ita recte Sang. cum aliis. Senectutis adiutoria habet noster XII. Praef. 1. adiutorio calami. Palladius Martio I. 3.

iumenta et armenta] Ex libris inserui verba quae iam olim ex h. l. laudauerat Seruius ad Aeneid. III. 540. quanquam is librum septimum dixit. Varro L. L. IV. p. 25. *armenta, quod boues ideo maxime parabantur, vt inde eligerent ad arandum. — iuuencus, iuuare qui iam ad agrum colendum posset.* quae verbis diuersis laudat Seruius l. c. Infra cap. 3. sect. 3. iumenta a bobus distinguit Columella; et Vlpianus in L. 38. §. 4. D. de Aedil. Ed. negat boues iumentorum appellatione contineri. Lex viatoria antiqua apud Conradi Parerg. p. 375. *plostra bubus iumentisue iuncta* habet.

5. *piget dicere*] At non Ciceronem Officior. II. c. 25. *a quo cum quaereretur quid maxime in re familiari expediret? respondit, bene pascere; quid secundum? satis bene pascere; quid tertium? male pascere; quid quartum? arare. Et cum ille, qui quaesierat, dixisset, quid fenerari? tum Cato, quid hominem occidere?* Plinius contra tertium et quartum modum omisit 18. c. 5. quem locum supra posui. In Ciceronis loco pro *male pascere* plurimi Codd. habent *bene vestire;* Vincentius Spec. histor. VI. c. 107. habet *bene facere; quid secundum? bene pascere, quid tertium? bene vestiri.*

inscium] Edd. primae *saeuum;* in quo latet *scaeuum.* quod equidem vt elegantius et rarius vocabulum praeferam.

6. *Igitur*] Sang. liber *igiturque.*

voluptatis] Inter animalia deinceps nominata nullum est, quod voluptatis causa alitur. Igitur in tanta librorum scriptorum et veterum editionum varietate vlcus latere suspicor et vocabulum alicuius animalis, voluptatis causa alti.

7. *praesertim autem*] Edd. primae cum Codd. *et* habent pro *autem;* neutrum tamen mihi placet; omittit etiam Varro; igitur inclusi.

velut pecus] Vrsinus ex loco Varronis, vbi est: *et quod vruo vrbis, cum condita est, tauro et vaccae iunctis, qui essent muri et portae, definitum* legi volebat: *cuius moenibus condendis — aratro murum signauerunt et portas. quod item.* Similiter Pontedera emendabat: *velut murum et portam.* Vitium et ipse agnosco in varietate Edd. primarum et Codd. vbi est *velut petum* vel *petam* vel *potum:* Heinsius ex *petam* efficiebat *metam.* Vrsinus auctoritatem Codicis manuscripti correctioni suae praefatus est, cuius tamen varietatem omisit. Equidem multo grauius vulnus hic Columellae factum esse a librariis demonstrabo. Ex duobus Varronis locis sententias hunc vnum in locum contulit Columella. In priore Varronis II. c. 1. sect. 10. post verba, supra iam posita, sequitur: *et quod populus romanus cum lustratur, suouitaurilibus circumagantur verres aries taurus. et quod nomina multa habemus ab vtroque pecore, a maiore et a minore.* In altero c. 5. sect. 3. est post Italiam ab Italis bobus nominatam: *Hic socius hominum in rustico apere, et Cereris minister. Ab hoc antiqui manus ita abstineri voluerunt, vt capite sanxerint, si quis occidisset. qua in re testis Attica, testis Peloponnesos. Nam ab hoc pecore Athenis Buzyges nobilitatis, Argis Onogyrus.* Vides igitur, auctoritatem bubulo generi quaesiuisse cum Varrone Columellam inde, quod multa et hominum et sacerdotum nomina inde ducta fuerint, veluti Athenis Cereris ministri Buzygis. Igitur plura vocabula h. l. exciderunt.

Athenis] Ex Edd. primis et Codd. *Atticis Athenis* malebat Heinsius ad Ouidii Fast. IV. 826. Varro L. L. VII. p. 91. *Cum trinae fuerint Athenae, ab vna dicti Athenaei, ab altera Athenienses, a tertia Athenaeopolitae.*

capital — necuisse] In Sang. libro esse *capital necuisse* testatur Drakenb. ad Liuium T. III. p. 903. alterum habet etiam h. l. Goes. Igitur vulgatam *capitale — necasse* correxi.

Cap. I. *Campania albos*] Calabria hodie plerosque boves alit albos amplos cornibus longis, teste Swinburne Itiner. Neapolit. T. I. p. 384. vers. germ.

2. *robios*] Praefero hos *rubris.* Sunt ξανθοί. Tusci sunt, qui Varroni *helui.* Rubios probauit etiam Pontedera. Festus: *robum rubro colore, et quae rufo significari, vt bovem*

vem quoque rustici appellant, manifestum est. vnde et materia quae plurimas venas eius coloris habet, dicta est robur. Gallinas robei coloris in Columella VIII. 2. 8. Palladius interpretatus est *flaui coloris.* Hinc Robigo dicta, de qua ad Varronem I. 1. 6. et *robus* in tritici generibus ap. Columellam II. 6. 1. *Vitulo robio et verre* sacrificium mandat fieri. Inscriptio Gruteriana p. LXI. no. 3. Bubulci Gallo-Franciae bovem *Frementin* cognominant a frumento. Vide Monetam ad Bonauenturae des Perieres Fabulas T. II. p. 274.

3. *quadrati*] Haec transtulit Palladius Martio XI. 2. *qui quadratis et grandibus membris et solidi corporis, musculis ac toris vbique surgentibus.* vbi verba *altoris* Codd. omittunt et *turgentibus* habet Vincentius. De quadrato corpore dicetur ad Palladium.

cornibus] Palladius: *cornibus robustis ac sine curuaturae prauitate lunatis.* vbi Cresc. *limatis* habet. Ceterum cornua non nimis acuta et laeuia maxime probant nostri bubulci. Anno aetatis quinto squammis deciduis cornua purgata laeuia fieri putant rustici quidam et cornua aspera post annum quintum improbant. Alii aetatem ex striis cornuum et dentibus agnosci posse putant, quos grauiter refellit Gallus. Munier Recueil d'Observations etc. Paris 1779. Vol. I. p. 341.

hirtis auris] Palladius: *magnis auribus.*

naribus resimis] Transtulit etiam Palladius.

ceruice longa] Palladius: *ceruice torosa atque compacta palearibus largis et circa genua fluentibus.*

palearibus] Graece Dionysius Vticensis in Γεωργικοῖς dixerat Λωγάνιον. Scholiastes Luciani ad Lexiph. p. 38. Ambraciotas et Epirotas monet τὸ ἀπὸ τῆς τραχήλου τῶν βοῶν ἀγόμενον χάλασμα καὶ λῆγον εἰς τὸ μεταξὺ τῶν βραχίονων vocare Λωγάνιον, ὡς φησι Διονύσιος ὁ Ἰξικαῖος. Hesychius Λωγάλιον habet.

vtero] Breuiter Palladius: *ventre non paruo.* Vrsinus malebat legere h. l. *inciente vtero*, i. e. grauido. Vterum pro ventre dixit etiam Celsus I. Praefat. et IV. 1. monuit etiam Isidorus Orig. XI. 1.

cruribus] Pallad. *cruribus solidis neruosis et breuibus.*

piloque] Palladius: *longis ac setosis, pilo totius corporis denso ac breui, rubei maxime coloris aut fusci.* ex quo iam Pontedera vidit emendandum esse Columellam. De cauda Plinius VIII. f. 70. *Huic tantum animali omnium, quibus procerior cauda, non statim nato consummatae vt ceteris mensurae: crescit vni, donec ad vestigia ima perueniat. Quamobrem*

rem victimarum probatio in vitulo, vt articulum suffraginis (i. e. poplitis) *contingat, breuiore non litant.* Hinc Virgilio Georg. III. 59. *et gradiens ima verrit vestigia cauda.* Tenet originem prouerbii rustici, quo vtitur Petronius c. 44. *haec colonia retrouersus trescit, tanquam coda vituli.*

rubei] Vaccas etiam ξανθιζούσας optimas censet Florentinus Geopon. XVII. 2. vbi etiam est βόρυν εὐαφῆς, καὶ ἀπεξυλωμένην. vbi Niclas recte Pontederam refellit h. l. *tractu* legentem. Varro II. 5. 7. corium attactu non asperum ac durum.

Cap. II. *confuscere*] Palladius Martio XII. *qui quidem prius cum teneri sunt, frequenti manus attrectatione mansuescant.*

verum nec] Ita Sang. pro *verum neque.* Palladius: *quia post quinquennium bene domari non possunt aetatis repugnante duritia.* Ceterum mense Iunio alii domasse videntur boues. Ita enim apud Petronium c. 53. actuarius villae rationes edit domino: *VII. Kal. Sextiles boues domiti quingenti.*

3. *sint ampla praesepia supraque*] Haec omisit Palladius, vbi est deinde *pedibus alti.* Hos asseres deinde *stipites* dicit. Varro I. 20. *nouellos iuuencos, si eorum colla in furcas destitutas inclusérit ac dederit cibum, paucis diebus erunt mansueti et ad domandum proni.* Has furcas esse asseres transuersos, in modum iugi confixos, recte monuit Dickson II. p. 437.

liberum] Palladius: *tunc eligis absolutam tempestatibus et impedimentis omnibus diem.* Hinc constat, vanam esse Pontederae opinionem, lectionem diuersam librorum plurium praeferentis, vbi est: *bonum tempestatibus et religionibus.* Religiones intelligi feriarum, recte ex Catone cap. 138. admonuit Gesner. Vide eundem c. 132. et nostrum II. 22.

4. *laquei*] Ita Palladius et optimi codices; hinc vulgatum *laculi* eieci, probante etiam Pontedera. Deinde verbum *capulantur* recte a capio deriuauit Gesner, et locum Melae II. 5. attulit, vbi *illius capulantium est.* Indidem etiam capulus ensis. Sed inprimis huc pertinet locus Isidori XX. 16. ab Interpretibus neglectus, vbi est: *Capulum, funis a capiendo, quod eo indomita iumenta comprehenduntur.* Propertii locum posui ad II. 2. 22. Qui *capuli* melius conueniunt loco Caesaris B. G. III. 14. quam quas vulgatis olim *scapulis* substituerunt Interpretes cum Rottomanno *copulae.*

tenerae frontes] Ita ex Codd. scripsi pro *tenera fronte.* Ita voluit legi etiam Vrsinus et Pontedera.

desae-

desaeuiant] Palladius: *si nimia fuerit asperitas, vno die ac nocte inter vincula mitigentur atque ieiunia.*

5. *tum demum*] Palladius: *tunc appellationibus blandis et illecebris oblatorum ciborum non a latere, neque a tergo, sed a fronte accedens bubulcus admulceat (commulceat* Vinc.) *naresque* (Cresc. *nares) et terga pertractet, mero subinde conspergens.* vnde h. l. malim *tergora pertractare.*

6. *ventri*] librorum scriptorum *vteris* damnare nolim; nam in boue, vacca et tauro *vterum capacem* nominauit Columella, vbi Palladius ventrem. Sequens *et vt* Gesner interpretatur: etiam ne paueſcant, licet ricini eximantur.

ricini] In primis Edd. est *rediuiui*, in Lips. *rediui*, Sang. *riclini.* quae scriptura facilius errore scribentis potuit ex *redini* quam ex *ricini* nasci. In altero loco infra VII. 13. 1. vbi *ricini* nominantur canum Gesnerus ait, cum libri veteres quidam ibi scriptum *rediui*, inde ortam barbaram vocem Gazae aliisque imposuisse, laudato Vossio de Vitiis Serm. I. p. 12. Verum nullam equidem in loco illo lectionis varietatem annotatam reperi aut ipse annotaui. In digitis quidem *rediuias* non *reduuias* dixisse veteres, testatur Festus, et sic Codices scripti habent in Cicerone pro Rosc. Amerino c. 44. eamque scripturam Plinio 28. c. 4. restituit Brotier ex Codice Regio 2. vbi erat scriptum *rediuiua.* Sed insecti nomen in locis Catonis, Varronis et Plinii Codices scripti non variant.

ne calce] Palladius: *ne calce contingat* (percutiat Crescent.) *aut cornu; quod vitium si in primordiis effectui sibi cessisse senserit obtinebit.* vbi Cresc. *primordiis affectauerit, obtinebit.* Contra Vincentius *effectum* habet.

7. *diductis malis*] Palladius: *tunc mitigatis os et palatum salibus frica et in gulam demitte praesulsi adipis librales offas et vini sextarios singulos vornu infundente per fauces; quae res intra triduum totius saeuitiae iram resoluet.* Ex quo loco recte iam Gesnerus vulgatum *lingula demittito* corrigere iussit, quod feci adstipulantibus libris scriptis. Praeterea ex Palladio et Codice Polit. et Lips. malim *totumque os sub palatum.* Etiam verba *liquamine tinctas* ab Iucundo addita spuria censeo.

praesulsae] Palladii libri scripti optimi etiam habent *praesulsae adipis.* Infra etiam cap. 12. 5. *caprina adeps* pro vulgato *cuprinus* ex libris optimis correxi. Schoettgen ad Palladium attulerat locum Prisciani V. p. 138. qui docet, Varronem et Marsum genere foemineo dixisse adipem. Ceterum paulo diuersa ratione inuencos domat, sed non feros, Virgilius Georg. III. 165 seqq.

iugumque] Palladius: *quae res intra triduum totius saeuitiae iram resoluet. Aliqui eos inter se iungunt, ac docent onera tentare leuiora.* Vnde aliter scriptum h. l. legisse videri possit Palladius.

ramus] Ita vulgatum *illigatur et temonis vice trahitur* correxi ex Codd. optimis. Vno iugo boues domandos duos iungi puto, eoque maiore, quam vulgare simplex iugum, cui medio inseritur seu traiicitur veluti temo ramus trahendus. Nostram lectionem probauit etiam Pontedera. De temone Varro L. L. 6. p. 77. temo dictus a tenendo. is enim continet iugum. Ita etiam axi rotarum temo infixus haerebat. Hinc Ouidius Metam. II. 316. reuulsus temone axis. Hodieque in Sardinia plostra rusticorum temonem axi insertum habent, vt alibi monui. Iugum aptum ceruicibus insidet aut cornibus illigatur, auctore Colum. II. 2. 22. Palladius Iunio 2. bos capite in vehiculum (messorium) verso iugo aptatur et vinculis. Cum ad versuram est peruentum in arando, iugum in priorem partem propellere iubet Colum. II. 2. 28. vt colla refrigescant. Medium iugum temonis foramini aut anulo ibi posito infigebatur, inserto paxillo. Iugum ligneum curuatura gemina boues duos iungebat temoni, ceruicibus impositum et alligatum. Collum induebatur collari, quod in equis Homerus λέπαδνον dixit, coniunctum cum cingulo; quod post axillas corpus ambiebat, hinc μασχαλιστὴρ dicitur. Summae commissurae collaris et cinguli inerat anulus, per quem lora traducebantur, quibus regebantur iuncti boues vel equi. Iugum temoni alligabatur loro, quod Homerus ζυγόδεσμον, Hesiodus μέσαβον (quasi μεσόβοιον) dixit; collare iugo (quod ἄμπρον etiam vocatum testatur Etymologicum M. h. v.) alligabatur loris iugalibus seu subiugiis. Ζυγοδέσμε longitudinem Homerus posuit cubitos nouem. Atque haec, post Schefferum de Re Vehiculari Veterum, disputauit comparatis monumentis vetustis varii generis *Th. Pownall* in Berengeri History of the Horsemanship T. I. p. 271 seqq. additis partium singularum figuris, partim ex monumentis antiquis descriptis. Quae disputatio etsi proprie ad currus equestres veterum spectat, multa tamen inde accommodari etiam possunt ad rationem boum iugandorum rationem. Hinc aratrum dicitur iniungi iuuenco sect. 10. huius capitis. Ceterum subiugiorum lororum vsum non satis accurate docuit Britannus; quem agnoscimus ex Vitruuio X. 8. vnde apparet simul, boues iugo binos iunitos semper fuisse eodem: *Eadem ratione iumenta, cum iuga eorum subiugiorum loris per medium temperantur, aequa-*

aequaliter trahunt onera: cum autem impares sunt eorum virtutes et vnum plus valendo premit alterum loro traiecto fit vna pars iugi longior, quae imbecilliori auxiliatur iumento — sic phalangae et iuga, in quibus partibus habent minora a centro ad capita interualla, premunt duriter colla; quae autem longiora habent ab eodem centro spatia, leuant oneribus extrahentes et ferentes. Monuit me amicus in regione Wezlariensi, boues, similiter vno iugo coniunctos, quod cornibus illigetur, et temoni infigatur, verius trudere quam trahere aratrum et currum. Itaque funibus lorisque non opus habent, quibus nec veteres alligabant boues iugo alteri seu postico.

8. *contundant*] Palladius: *vt nouus labor tenera adhuc colla non quasset.* Pro *dura* h. l. legendum puto *durae* vt *subacto agro* opponatur. Paulo antea Cod. Lips. *difficultate reformident* habet. Atque ita noster IV. 9. 1. IV. 33. 4.

subacto] Ita vulgatum *subacta* corrigi iussit *Morgagni*, et antea I. Fr. Gronov. *subactis* malebat Broukhusius.

10. *iugum fabricare*] Simili iugo vtuntur incolae Camarguae in Prouincia Gallica, cui veteranum alterumque dextra, mediumque ferum ex grege iuuencum iungunt, collari singulari iugo duobus in locis alligato. Sed vbi iunctus est iuuencus iugo, veteranus dexter disiungitur, sinisterque veteranus *(le domptaire)* currendo et retinendo, subigit iuuencum. Cf. ampla huius domiturae descriptio in *Mémoires d'Agriculture de la Societé* de Paris 1787. I. p. 182 seqq.

11. *afficiunt*] Palladius l. c. *non afficiatur igne vel verbere.*

12. *sic vinculis*] Hunc ordinem verborum monstrant Codices optimi Pol. et Sang. Vulgo *sic pedes eius vinculis.* Palladius: *pedes eius ita ligentur vinculis, vt non possit progredi aut stare vel pasci.*

tentatur] Cicero Attic. XI. 23. *quodam valetudinis genere tentari.* Tuscul. IV. 14. *animi valentes morbo tentari non possunt.* Attic. X. 17. *valetudinem tuam confirmatam esse et a vetere morbo et a nouis tentationibus.* Victorius in Explicat. Castig. p. 485. alia dedit exempla, et graecum πειράζεσθαι similiter dici annotauit.

13. *in similia*] Hoc ex vestigiis lectionis Codd. optimorum collectum substitui vulgatis *ex similibus.* Palladius Martio XI. 3. *melius autem boues de vicinis locis comparabimus, qui nulla soli aut aeris varietate tententur, aut si hoc deest, de locis similibus ad similia transferantur.* Varron's locum

locum I. 20. vitiosum esse et ad nostri normam corrigendum alibi docemus.

comparatione] Palladius l. c. *illud ante vniuerso curandum est, vt viribus ad trahendum comparentur aequales, ne valentioris robur alteri procuret exitium.* ex quo apparet, verum vidisse Vrsinum, qui vulgatum *in corporatione* correxit, vt nos ex Palladio fecimus. Sed praeterea verba *vtraque res* vitiosa censeo. An fuit olim scriptum *nam valentioris robur?* Varro I. 20. *vt viribus sint pares, ne in opere firmior imbelliorem conficiat.* In nostra aratione bos, qui per sulcum incedit, robustior eligitur; verum in antiqua ratione alternis vterque bos per sulcum et in plano incedebat, monente Dickson II. p. 448.

14. *mores*] Palladius: *in moribus haec consideranda. Sint* (Vincent. consideranda vt sint) *arguti, mansueti, timentes hoc tamen clamoris et verberis.*

concitatis] Commelini lectionem *concitati* probabat Gesner vt exquisitiorem.

multi cibi edaces] Palladius *cibi appetentes* simpliciter. Sufficiebat igitur h. l. *multi cibi* aut alterum *edaces.* Nunc demum video, Gruterum voluisse h. l. tolli vocabulum *edaces*, referente Gebhard Crepund. III. c. 18. at Sang. *multi cibi et edaces* teste Burm. ad Ouid. II. p. 955. Paulo antea pontis deinde *luti* pro *lenti*, denique *matiem* Bruschiana habet.

ex commodo] Iterum noster XII. 19. 3. sic vtitur. Omisit hanc formam Gesneri Thes. L. L. deinde *mandant* ex Sang. annotauit Gronov.

Cap. III. *aceruum*] Infra XI. 2. 54. *et intra dies triginta quam desecta est messis, stramenta praecisa in aceruum congeruntur.*

liberantur arua] Malim *liberantur enim arua.*

stramenta pecori] Ita recte correxit Vrsinus vulgatam *stramentis pecoris subiecti.* quam Gesner ineptissime defendebat ad sentes referens, quasi sentes pecori substerni possint, et stercoris copiam augere. Addit Gesner: *de stramentis quidem non opus erat denuo praecipere.* Ego vero affirmo; nam antea de stramentis, pecori substernendis hiemi, dixerat, quo calidius fieret stabulum et cubile; nunc de vsu ad stercoris copiam augendam pergit.

3. *iusta operum*] Hanc libri Lips. lectionem vulgatae *iustam operam* praetulit ipse Gesner, alieno tamen loco reliquerat, velut abiectam. Index multa exempla habet, quae

hanc

hanc scripturam comprobent. Eandem ex Sang. posuit et probauit Heinsius Aduers. III. p. 462.

4. *Ianuario*] In loco plane gemino XI. 2. 99. Ianuario iugo boum praeberi iubet paleas cum erui macerati sextariis sex vel paleas cum cicerculae fresae semodio, vel frondis corbem pabulatorium modiorum viginti, vel paleas quantum velint, et foeni pondo viginti, vel affatim viridem frondem ex ilice vel lauro, vel quod his omnibus praestet, farraginem ordeaceam siccam. Vbi vides, solam cicericulam fresam dari; erui sextarios sex praeberi, non quatuor vt h. l. foeni pondo 30. non 20. vt h. l. Denique recte h. l. verba *singulis fresi* omittunt libri optimi; sed tamen et deinceps singulis praebetur bobus, quod altero in loco singulis iugis datur.

5. *vinacia*] Gallis *le marc des raisins*, nostris *Trestern* Graecis στέμφυλα et γλγαρτα, vt *lora* est graecis Geoponicis VI. 13. θάμνα. Vinacea bobus praebet Cato 25. agnis Varro II. 2. 19. pecori generatim Geoponica l. c. Vinacia pabulo admiscuit vsumque eorum in vaccarum educatione commendauit agricola doctus in Mémoires d'Agriculture. Paris 1787.

pabulatorius] Ex altero loco correxi vulgatum *pabulatoria*. Idem voluerunt libri, in quibus est *pabulatoribus*. In Vegetio II. 33. est vulgo *corbem constrictam*, sed ibi ex libris melioribus *crumenam* legendum docebimus. Noui Seruium ad Georg. I. 165. *Sane haec corbis dicendum est foeminino genere*, deinde laudat *corbem messoriam* ex Ciceronis Sextiana cap. 39. Sed de genere masculino testatur etiam Priscianus V. p. 652.

vel sine modo] Vitium vulgatae: *vel si non, modius viridis laureae et iligneae frondis; sed his.* praeclare demonstrauit Pontedera, sed lectionem eam non est assecutus coniectura, quam praebuit liber Sang. *Sine modo* est, quod infra VII. 6. 5. IX. 13. 2. XI. 2. 99 et 100. *affatim* dixit. In postremo loco de ipso Ianuario mense est: *vel affatim viridem frondem ex ilice vel lauro.* vbi Codices duo optimi habent *siliquis et lauru.* sed inepte! Folia lauri proprie vocari *lauream* annotauit Plinius.

nisi ad satietatem] Infra XI. 2. 83. *glandis quoque non inutile est singulis iugis singulos modios dare; nec tamen amplius, ne laborent, nec minus diebus XXX. praebueris. nam si paucioribus diebus detur (vt ait Hyginus) per ver scabiosi boues fiunt.* Plinius XVIII. sect. 63. *bubus glandem adspergi tunc conuenit in iuga singula modios. Largior valetudinem in-*

infestat, et quocunque tempore detur; si minus diebus XXX. continuis data sit, narrant verna scabie poenitere. Cato cap. 54. semodios singulis bobus in dies praebet. Idem de capris praeceptum videbimus infra VII. 6. 5.

vilitatem] Ita sensu postulante scripsi, et vilitatem ex h. l. laudauerat in Indice Gesner, cum *vtilitatem* in textu reliquisset tamen. Crescentius III. 8. fabae confractae, bobus in cibum quotidie abundanter exhibitae, cito eos inpinguant. et hoc modo boues magni et senes a peritis vaccariis impinguantur in diebus 15 et renouatur caro eorum.

6. *quadragena singulis*] Deinceps sect. 8. per sementem praebere iubet *per se foeni pondo quadraginta.* In libro XI. 2. vbi docet, quid vni iugo quoque mense per singulos dies praebendum sit, *Martio foeni pondo quinquaginta si opus fuerit futuri sint*, praeberi iubet iugo; Decembri autem foeni mentionem non facit. Hinc recte admonuit Dickson II. p. 472. h. l. ad *singulis* esse intelligendum *iugis;* vt sect. 3. et postea sect. 8.

et ab hac] Mallem abesset *et* quod supra post *Martio* male omittit Sang. liber. De pabulo boum Aristoteles H. A. VIII. 7. boues, inquit, et fruge et herbis vescuntur. Pinguescunt iis, quia flatum cient, vt eruo, faba fresa, atque ipsa fabarum coma, (χλόη) — adhuc hordeo vel integro vel pinsito pinguescunt, et dulcibus vt ficu, vua passa, et vino et frondibus vlmi.

7. *(vel) melior*] Inclusum *vel* damnauit Vrsinus, damnat sententia et latinitas.

nam id] Ex varietate lectionis optimorum Codicum ingenium Pontederae extricauit veram, vt puto, lectionem: *nam id, quod asperius, a pecore respuitur.* De iuniperi foliis in pabulo pecorum vide Tozzetti Itiner. T. I. p. 241.

8. *quantum appetit*] Accuratius haec definit noster II. 3.

singulis modii] Vrsinus malebat *singuli*, vt deinceps est *singuli modii vinaccorum.* In loco Columellae XI. 2. iugo boum Decembri mense praebetur modius vnus glandis vel lupini, quod ex semodio macerato exierit.

Cap. IV. 1. *triti lupini*] Vitium arguit Vegetius III. 2. 6. *folii capparis* (vulgo caprinis) *folii mirti sylvestris, folii cypressi ana vncias 3 diligentissime deteres, infundes in congium aquae et vna nocte sub diuo manere patieris et inde ieiuno boui tepefactum per triduum singulos sextarios dabis.* In Codd.

Codd. h. l. est *tristis* pro *triti*. sed et hoc vocabulum otiosum est et plura exciderunt.

2. *languor*] Vegetius III. 2. 8. *fastidium ac nausea — ova cruda cum melle.* Sequentia verba de allio seiungit Vegetius ita: *Spicae quoque allii tritae cum vino quoque per nares infusae purgant capita iumentorum.*

rutamque] Ex Vegetio apparet, *apium* desiderari, quod an in vitiosis Codd. lectionibus lateat, alii viderint. *Vinacea* vix huc trahere licet. Tandem vero vidi Columellam sua ex Catone transtulisse, vbi cap. 70. apium non commemoratur, sed post rutam adsunt vitis albae caules, fabuli albi, *carbones viui* et vinum. Hinc demum didici, in lectione Codicum optimorum *rutaque* (aut *putaque*, *rutamque*) *vinitam* aut *vinicum* latere veram lectionem hanc: *rutamque et viuos carbones cum mero.*

3. *valuulis erui*] Lectionem Codd. *valuulis albis* non intelligebam, quid vitii argueret. Vegetius enim haec cum pelle serpentis non habet. Sed ex Catone cap. 70. post caules vitis albae *fabulos albos* commemoratos huc pertinere tandem intellexi. Ibidem cap. 73. pellis anguina cum vino datur.

trium heminarum] Vegetius III. 2. 10. *ternasque heminas per triduum digerunt.* ex quibus vitium h. l. agnosces.

4. *protinus dari*] Vegetius III. 2. 11. *sed quia licet sitiat, potum fastidit ignotum primo* etc.

satietatem] Vegetius: *et vsque ad saturitatem sitientibus datur.* Ita etiam h. l. Editiones vetustae habent scriptum. Paulo antea Codices duo egregii habent *de exigua portione.* Vegetius: *deinde aquae exigua portio medicatur.* Duxit haec Columella ex Catone c. 103. qui ex nostro emendandus erit.

Cap. V. *nullo*] Exscripsit Vegetius III. 2. 12 seqq. sed ita, vt appareat, praeter Columellam eum aliunde rationes et causas morborum, descriptiones plantarum et medicamentorum pondera addidisse.

febrem] Rationem addit Vegetius verbis satis elegantibus.

sus aegra] Vegetius: *Si autem porcinum stercus bos deuorauerit, statim pestilentiam contagionis solius mallei sustinet morbi.* Ceterum deinceps Sang. *in grege* habet.

2. *euincendi*] Vegetius III. 2. 24. *euincendi tamen sunt — expellendi quamuis acerbissimi morbi.*

illi tabem] Ita Sang. pro *illis tabem*,

fricti]

fritti] Ita Sangerm. Vegetius: *ita, vt prius frumentum frangas et molas.*

candente] Vegetius: *calida feruente conspergès et cum melle vel sapa nouenas offas inde dabis singulis bobus.* Gesnerus vulgatum *que* voci *candenti* additum recte deleri iussit. Ceterum ineptum morem hodieque vsitatum medicamenta per nares infundendi multi auctores iique doctiores improbarunt.

3. *cusiae*] *pulverem myrrhae, cassiae fistulae pro aequa parte admisces* (sanguini testudinis) *ex eo vnam semis vnciam cum sextario vini veteris in die per nares bouis infundis, quod medicamentum per triduum facies.* deinde eryngium accurate pingit Vegetius. In Columella vitium latere vidit etiam Morgagni, sed dubitauit de vera lectione. Gesner suspicabatur legendum *ad tantundem.* Sed hoc leue est commentum! Mihi *ac* et deinceps *potio* delenda esse videntur, aut *potio* retrahenda ad *infunditur.*

sescunciae] Hoc vulgato *sex vnciae* substitui volebat Vrsinus, et comparato Vegetio Morgagni.

4. *fibula*] Vegetius: *ad acum vel acutum vsprinum — quasi in circulo signatur — medium orbiculum perforas ad acum.*

Consiliginem] Similiter in suis morbo pulmonario adhibet Columella VI. 14. 1. VII. 5. 14. VII. 10. 7. Vegetius I. 12. 2. III. 2. 27. Plinius sic de ea XXV. sect. 48. no. 37. nostra aetas meminit herbam, in Marsis repertam; nascitur in Aequicolis circa vicum Neruesiae; vocatur consiligo. Prodest, vt demonstrabimus suo loco deploratis in phthisi. Idem 36. sect. 21. peculiariter autem pulmonibus et quos ab his phthisis tentat radix herbae consiliginis, quam nuper inuentam diximus. Suum quidem et pecoris omnis remedium praesens est pulmonum vitio vel traiecta tantum in auricula. Bibi debet ex aqua, haberique in ore assidue sub lingua. Superficies eius herbae an sit in aliquo vsu, adhuc incertum est, Conr. Gesner in Boue p. 47. Gallis, ait, pedem leonis vel pomeleam, *(pommelée)* id est, pulmonariam, Sabaudis Marsicam herbam, Graecis recentioribus veterinariis διάπυρον dici. Idem in Lupo p. 738. Sabaudis *Marsieure* et *alobre* quasi elleborum dici tradit. Ipse helleboro quam aconiti generi tribuere malebat. Vulgo in Gallia *pommelée* appellari tradit etiam Harduinus ad Plinium, et laudat *Ruellium* Libro II. p. 448. et pictam ait a Lobelio Obsery. p. 37. Consiliginem dici ait, quod in Campis inter triticum et siliginem nascatur. Ceterum idem hodieque remedium in morbis pecoris

coris visitatum esse et validum annotauit *Freind* Histoire de la medicine p. 19. In hydropis curatione apud Vegetium I. 12. 2. pro consiligine Sambuci margo helleborum nigrum nominat; et Plinius 25. f. 22. de helleboro nigro: *pecorum et iumentorum pituitas sanat surculo per aurem traiecto ac posticro die eadem hora exemto.*

per nares] Vegetius III. 2. 29. *defunduntur in nares, atque ita singulis bobus, siue vniuersis gregibus, cum morbum incurrerint, subuenitur.*

Cap. VI. Exscripsit Vegetius III. 3. 1 seqq. Graece sunt in Geoponicis XVII. 17. monente Conr. Gesnero. Sangerm. facit cap. V. cum lemmate. *Vitia boum et medicinae.*

propter quae] Recte monet Morgagni, quae sequuntur hic non effici a praecedentibus, sed comitari ea; nolim tamen hic et in Vegetio *praeter quae* cum eo scribere. Quis enim ab agricola istam exigat diligentiam?

2. *tecta*] Praefero lectionem *tectum*, quia etiam Vegetius *bouile* habet. Paulo antea Edd. primae *modicae caules.* Lege *modici*, vt infra cap. 9. 1.

cacuminum] Vegetius addit *deterunt*, et cum libra mellis atque aquae congio miscent. Geoponica: *ἀγρίας ἐλαίας φύλλα ἢ δένδρων ἄλλων πλῶνας ἁπαλὲς κόψαντες καὶ ὕδωρ ἐπιχέαντες διηθῶσι καὶ ἑτῶ κοτύλας ἓξ ἐπιχέουσιν ἐπὶ ἡμέρας δύο.* vnde apparet, vtrobique vitium haesisse.

libram mellis] Ita cum Morgagno recte scripsit Gesner pro vulgato *libra.*

potione prohibent] Vegetius *cibo vel potione.* Quae deinceps sequuntur: *hoc per triduum — discutiatur* omisit Vegetius.

3. *debet*] Hoc verbum addidit Gesner ex emendatione Morgagni; nec aduersari videntur Codices, etsi nihil varietatis annotatum reperio.

cruditas est] Rectius Vegetius *fuerit.* Deinceps inflatio ventris est, quae in Geoponicis XVII. 18. *βέπρησις* est, recte monente Conr. Gesnero in Boue p. 48. cuius moniti non meminerat superus Editor Niclas. In equis est *κενόπρησις.*

agitare caput] Vegetius *volutari* habet.

cogit] Vulgo omissum ex Morgagni emendatione addiderat Gesner, cui Sangerm. adstipulari videtur, ex quo nihil varietatis ad vulgatam nunc lectionem annotatum reperi. Geoponica XVII. 19. de *στρόφῳ* ita: *ἐφ' ἑνὸς ἐχ ἔστηκε τόπε, οὐδὲ τροφῆς ἅπτεται ἀλλὰ στένει.*

partem caudae] Vegetius eodem ordine repetiit, nisi quod post *olei* addit *tepidum*. In Geoponicis est contra inflationem ventris: τινὲς ἔλαιον εἰς τὰς ῥῖνας ἐγχέουσιν τοῖς βοσίν. Plinius 23. c. 40. *bubus oleum infusum per nares donec ructent, inflationem sedat.*

4. *permanet*] Vegetius *permanserit*. Geoponica contra strophum: τὴν σάρκα τὴν περὶ τὰς ὄνυχας διακεντητέον ὥστε ἀφωμάξαι.

profuit, tres] Ita scripsi ex libris optimis. Vegetius: *proficit, tres partes lauri diu conteruntur, cum duplici aquae calidae.* In Geopon. est contra ventris inflationem: ἐρινεὸν ὀλίνθους ὕδατι διέντες εἰς τὰς ῥῖνας ἐγχέουσι.

nec haec] Ex Morgagni emendatione additum a Gesnero confirmat Sangerm. pronomen *haec*.

nec haec] Omissum vulgo *haec* restituit Morgagni ex his Vegetii: *si ista non valent.*

laeuigantur] Ita vulgatum *deligantur* correxit Morgagni. Vegetius *tunduntur in pila.*

sub cauda] Vegetius addit: *quatuor digitis ab ano.* et *vini sextarium tepidum.*

5. *concitate*] Malim *concitatus*, vt bis *vitatum agere* dixit. In Geopon. contra strophum est: τινὲς δὲ περὶ τὴν ἐρὰν νύξαντες ὥστε ἅμα ἐκρυῆναι ῥάκει περιδεσμοῦσι.

tres vnciae pensiti] Vegetius: *quatuor vnciae contriti allii.*

cepis decem] Vegetius: *cum decem vnciis ceparum.* Dubitabat Morgagni in Columella *ceparum dexante* rescriberet, an Vegetium ex Columella corrigeret. Tandem vero postremam rationem praeferebat. In Geoponicis est contra strophum: ἄλλοι κρόμμυα καὶ ἅλας ἑνώσαντες καὶ σφηνώσαντες εἰς τὴν ἕδραν ἐσωτάτω προωθοῦσι καὶ τρέχειν ἀναγκάζουσι. vbi male legitur προσωθοῦσι. Salis pugnum et cepae capita decem omisso melle habet Gargil. Martialis sect. 8.

collyria] Vegetius addit: *longiora non parum valida immittunt in anum, vt ventrem resoluant.*

Cap. VII. *nantium et maxime*] Vegetius hinc III. 3. 6. *si anseres natantes et maxime anates adspexerit.* Sed ecce Plinius 30. c. 7. *quod traditur in torminibus mirum est; anate apposita ventri transire morbum anatemque emori.* quae repetierunt Marcellus Empiricus et Plinius Valerianus Ranam ventri apponit Marcellus p. 196.

Sequitur torminum] Vegetius continuo habet: *convenit, sequiturque torminum.*

2. *coni*]

2. *coni*] Vegetius *baccas* nominat, vt Scribonius Medic. 53 et 233. et Plinius XVI. cap. 33. Ceterum medicinam hanc omnem reperies etiam Marcelli Empirici c. 27.

Aluus] Vegetius: *si venter coeperit fluere, et videris egerere corpus — quae cum acciderint prima die a cibo et potu abstinendum est, ita, vt nec secunda die bibere permittatur — nec post triduum etiam potestas bibendi nisi perparum concedenda est.* Ex quibus tamen verbis vix agnosces, num vulgatam an alteram lectionem *biduum* secutus fuerit. In Vegetio Morgagni legebat: *si venter coeperit fluere viridis et quale manducant, egerere.* Atque ita etiam in nostro volebat distingui, vt legatur *cacumina. Viridis aluus.* Neque enim in superiore capite sect. 2. *viridis* adiecit ad cacumina. Praeterea aluus simpliciter pro cruda aut cita vix dici potest.

3. *arundinis*] Vegetius: *cannae silvestris.*

tenerae] Vegetius: *ex foliis lauri teneris libram I. abrotanum hortense pari portione deterunt cum aquae calidae* etc. Ex quo loco suffragante inprimis Codice Sang. vulgatam lectionem: *tenerae laurus caulium librum, cum abrotoni macerati pari portione dent.* Vestigia meliorum lectionum latent etiam in reliquis libris. Erraticum abrotanum est silvestre, contra Vegetius hortense nescio qua ratione motus commendat. Ex Sangerm. Gronov. laudat lectionem *qui teneram laurum libram coloni et aprotanum ceraticum pari portione deterant.* Aliter eius lectionem retulit Ernesti.

vt supra] Malim *quae supra.*

4. *conterunt cum*] Vegetius: *aliqui vero 2 libras ex vinaceis ad focum torrent et conterunt et cum sextario vini austeri ad bibendum dant et commemorata saepius cacumina obiiciunt.* In quibus verior Columellae lectio seruari forte videbitur. In nostro *sextariis* omittunt Codd. meliores; in iisdem exstant verba *omnia in humoris supra dicti*, vnde Vegetius habet *commemorata saepius.* Falsa igitur et spuria censeo verba *omnique alio humore prohibent.* quae Vegetius non expressit.

Quod si] Vegetius: *quod si neque proluuies ventris erit, neque intestinorum dolor, recusat tamen cibos.* ex quibus apparet, verbum *restiterit* esse vitiosum, vt et *cibosque.* Prius vitium emendauit Morgagni legendo *erit citata;* sed aliud verbum in varia Codicum lectione latere videtur; alterum emendabis legendo *et cibos tamen.*

quam consueuit] Quia bos lacrimare non soleat, corrigit Pontedera: *saepius lacrimaque ab oculis et pituita naribus profluent.*

ſcindantur] Vegetius *diſcindantur*. cui ſimilius quod habent Edd. et Codices *decidantur*. Deinceps *pice liquida* ex Vegetio malebat Morgagni Epiſt. III. 34.

Cap. VIII. *ciborum*] Hoc vulgato *cibo* ſubſtitui ex Lipſ. Vegetius *periculoſum faſtidium* habet. et *ranulas* appellat. Puto intelligi puſtulas linguae de quibus Geop. XVII. 29.

pituita] Vegetius III. 3. 12. *Hominis humor exeat provocatus*. Hinc audacter vulgatum *decidit* correxi. Quod Sangerm. altero loco habet *proluat*, non probo. Idem *interitrito* habet pro *pariter trito* contra Vegetii auctoritatem. Sed Vegetius haec interſerit: *Melius creditur, ſi ad acutam cannam exſeces ranulam; poſt vino os lauatur*. Quae fortaſſe ex margine addita a ſtudioſo lectore irrepſerunt. Ceterum in auibus pituitam dictam eodem plane modo interpretatur et curat Palladius, vt infra ad VIII. 5. ſ. 21. doceo.

vel ſale] haec vſque ad finem capitis omiſit Vegetius; ſed in Codice Gothano addita ſunt haec: *et ſalis et herlo ancii; nullum ſimiliter naribus digeres*.

haec ſi] Ita volente Morgagni ſcripſit ex Goeſiano libro Geſner. Eandem ſententiam expreſſit Iuntinae editionis lectio *tollunt*, vt monuit Morgagni.

Cap. IX. *coliculos*] Vegetius III. 4. *triginta paruos coliculos decoques et ex oleo*. ybi Codex Sambuci *ex* oleo et liquamine *coquas*.

ter die] Geoponica XVII. 20. ποτιστέον δ' αὐτὸν ὕδωρ ψυχρότατον μὴ ἐν ὑπαίθρῳ μάλιστα δὲ ὑποσκίῳ σπόγγῳ τε βεβρεγμένῳ ὕδατι τὰ ὦτα καὶ τὰς ῥῖνας ἀποψηκτέον.

emitti] Vegetius: *dimittatur in paſtum*. Deinceps Sangerm. *caro* ſuppoſito literae *a* puncto; idem poſtea *ac pampinus*.

2. *compreſſi*] Vegetio *ſemiclauſi — ſpiritus, frequenter et gemitus*. Geoponica: περὶ τὰς ὀφθαλμὰς κοιλαίνεται.

Cap. X. *ſaliuato*] Vegetius III. 4. *ſextarius farinae hordeaceae cum vno ouo crudo et hemina paſſi per os datur ieiuno*. vnde Morgagni malle videtur legi h. l. *ſextario farinae hordeaceae*. Male. Victorius annotauit, ſaliuatum dici, quod Hippiatris graecis προποτισμα; atque ita vertit Ruellius. Sed recte Conr. Geſner in Equo p. 499. docuit, eſſe potius genus offae, faucibus inſerendae, quod Graeci μαγδαλίαν vocant. Dici putabat inde, quod vna cum ſaliua deglutiatur. Victorii ſententiam poſuit I. M. Geſner ita tamen,

vt

vt moneret, solidiores etiam offas, faucibus inserendas, ita dici. Annotationem Conr. Gesneri ignorabat, quem solum sequar. Infra VIII. 7. 3. de offis, quibus gallinae farciuntur, seu turundis: *formantur offae, quibus aues saginantur*, vbi Libri Victorii, L. P. Goes. et Sang. *saliuatur auis* habent.

faba] Vegetius: *farina fabae frixae et pollinis (pollinę) lentis sine cortice sextariis duobus aquae agitataque, diligenter per os diffunditur.* Ex quo h. l. *sextariis duobus* legendum, aut ita distinguendum esse: *molitae. Miscentur.* vidit Morgagni et ante eum Vrsinus.

molitae sextariis] Vegetius: *duae librae hyssopi maceratae ex aquae sextariis tribus, quod infusum teritur, et cum duabus partibus farinae lentis miscetur et per os datur, super quod aqua hyssopi, in qua infusum decoctumque etiam est, propinatur ad cornu.*

2. *succus oleo*] Vegetius: *succus cum oleo et ipsa fibra.* Vnde Morgagni etiam h. l. legit *succus cum oleo.*

sine valuulis] fabam molitam cum suis valuulis ad podagram caldam adhibet Scribonius Comp. 168. Hinc Columella in hac medicina cauet, ne valuulae vna molantur. Monuit Morgagni.

torrefacto] Vegetius: *cum ptisana hordei molitum et cum aqua tepida vel mulsa in fauces saliuati more.* Igitur in hoc vocabulo et lectione Codicum *torreo* latet vera lectio. Ptisana fit ex hordeo tunso et decorticato. Quod Heinsius ad Ouidii Fastos II. 24. ex veteri scriptura coniecit *torrido* comparauit ipse cum *farre torrido* XII. 56. 2.

Cap. XI. *expressa*] Ita duce inprimis libro Sang. scripsi pro vulgatis. *Expressus deinde sinus ipse.* In lectione Lipt. libri *sasmus* et Sang. *sasinus* latent contractae duae voces *sanie sinus.* Confirmat emendationem Vegetii locus: *post cum expressum pus aut sanies fuerit, sinus ipse* etc. Vegetius addit, *apostema* graece dici suppurationem. In Geopon. XVII. 22. cura paullum variatur.

colligari] Ita duce Goes. libro recte scripsit Gesner, quod et malebat Morgagni *linamenta* interpretatus linteola; alibi vero ita dicuntur penicilli, qui verbo *colligantur* non conueniunt. In Vegetio est *curatur*, et ipse Columella mox cap. 12. *vt supra docuimus linamentis curatur.* Vegetius: *linamentis ac stuppis sive lenteolis* habet, vbi glossae accesserunt.

candente] Ita scripsi ex Edd. optimis, consentiente Vegetio et rei natura. Confirmant Geopon. XVII. 23. σιδηρος ἀγγεῖς

ἀγγεῖα ἢ βοεῖα παρατριβομένα θερμῷ σιδήρῳ ἐπιστάζειν τῷ πεπονθότι μέρει.

Cap. XII. *demissus*] Vegetius III. 4. 9. *ad pedes venerit. — inuenies eum vltra solitum calere.* Eadem locutione vtitur noster infra cap. 30. 6 etc. 38. 3. Plinius 23. s. 17. de vite nigra: *eadem in iumento homineque flemina, aut sanguinem, qui se ad talos deiecerit circumligata sanat.* De vocabulo *flemina* accurate dixi ad Vegetium II. 48. 1. Locus est egregius Theophrasti de Sudoribus p. 437. ed. Heinsii: vbi de vario vlcerum genere: ὅτι δὲ κινήσεις καὶ οἱ πόνοι ποιοῦσιν ἑνίοις τὰ τοιαῦτα, φανερὸν καὶ ἐκ τῶν ἐνοδίων καλουμένων. ἃ γίνεται πολλοῖς ὅταν εἰς ὁδὸν ἐμπέσωσιν· μάλιστα μὲν ἐπὶ τὰς μηρούς· ὅτε δὲ καὶ ἐπὶ πλεῖον, ἔστι δὲ οἷς καὶ αἱ κνῆμαι παραπίμπρανται etc.

assidua] Veget. *ad triduum* habet et verba *vel cum — demitur* omittit. *Scarifare* vbique scribi voluit Salmas. ad Solinum p. 417. libris tamen scriptis raro annuentibus. Graecum est σκαριφᾶσθαι ξύειν Hesychio.

2. *aperies*] Veget. addit *et mundabis de intus.*

ne bos] Ex libris addidi *bos*, quod latet etiam in his Vegetii: *maxime quae datur operantibus in aquam non mittat pedem*, vt acute vidit Morgagni.

famicem] Ita ex Codice scripsi pro *saniem*. Vegetii editiones vulgatae saniem, sed Sambuci Codex *ramicem*, Gothanus *famicem* habet. Morgagni praeferebat *ramices*. Pulmo dicitur *ramices* apud Plautum Mercator. I. 1. *rupi ramices; iam dudum sputo sanguinem.* Deinde ad vlcera ἕλκεα translatum est vocabulum, vt *pulmunculus* apud Vegetium II. 56 et 61. Locum denique Vegetii IV. 19. vbi *famex* legitur, emendabat Morgagni et *ramicem* legebat. Sed liber Corbeianus etiam *famices* habet. Contra Pontedera Epist. 60. praeferebat *famicem* et ex graeco φῦμα, vt calix a κόλιξ, factum interpretabatur abscessum. Equidem Pontederam sequor. Ramicem enim de enterocela vsurpat Plinius XXIV. sect. 18. comparato Dioscoride I. cap. 102. Sereno Sammonico cap. 37. Idem Plinius 26. sect. 49. comparato Dioscoride IV. 70. et multis aliis locis. Hinc *ramicosos* dixit. *Vomicas* pro *famices* dixit Vegetius III. 53. et libro I. 38. 3. *vomicosi* vbi tamen Sambuci Codex *vamycosi*, et in altero loco III. 53. Gothanus liber *fomicas* scriptum habet, adeo, vt vomica ipsa ex graeco φῦμα facta esse videatur, transitu facto per famicem. In Festo *famelicosam terram, terram palustrem vocabant* recte alii *famicosam* corrigunt, quae alibi

scatu-

ſcaturiginoſa dicitur. Plautinos ramices ex Hippocratico ἐπὴν ἄορτρα σπασθῇ τῶν πλεύμονες recte interpretatus eſt Obſopaeus ad Coacas Progn. p. 734.

expurgatus] Vegetius addit *ad viuum*. Idem *madefactis impletur*. Ceterum in Sang. eſſe *primum*, annotauit etiam Gronov. ſed is praeterea coniunctionem *ac* variari ibi monet, varietatem ipſam omiſit.

pari pondere decoctis] Vegetius: *pari pondere ferro candenti ſtillantibus curatur et ad ſanitatem perducitur*. Igitur h. l. legendum vt ſupra cap. 11. ſect. 8. *lamina candente inſtillatis*. Vitium vidit etiam Geſnerus, qui tamen admonet, vulgato ſimile eſſe medicamentum cap. 14. 5.

3. *inferiore*] Ex Vegetio *interiore* recte emendat Morgagni.

linamentis] Vegetius: *ac ſtuppa vel linteolis cum ſale et aceto infuſis pes inuolutus ſpartea munitur*.

loco iam] Vegetius: *loco in quo ſuppuratio*.

4. *applicatur — circumdatur*] Cum ex optimis libris ſcripſiſſem *ſpongia imbuta et expreſſa*, debebam etiam deinceps vulgatam lectionem *applicantur* et *circumdantur* emendare, etſi librorum auctoritate nulla annotata. Etiam Vegetius: *ſpongia infuſa — expreſſa conſperſaque poſtmodum melle — circumdatur alligatur*.

Quod ſi] Vegetius: *quod ſi humor eſt cum tumore — decocta imponitur*. Hanc curam ita tradunt Geopon. XVII. 23. ἐὰν δὲ δι' ἐπιφορὰν ὕλης χωλεύῃ, θερμαντέον τὸ μέρος μετὰ ἁλάτου καὶ γλυκέος ἑψηθέντων, εἶτα ὠμὴν λύσιν θερμὴν ἐπιθετέον· ὅταν δὲ ἀπαλὸν γένηται, διαυρετέον. ἐκπλυθέντι δὲ τῷ διαυρεθέντι μέρει φύλλα κρίνων ἢ σκίλλαν μεθ' ἁλῶν ἢ πολύγονον ἢ πράσιον κοπὲν ἐπιθετέον.

eaque emiſſa] Vegetius: *emiſſaque ſanie vt ſupra docuimus percuratur*. Vnde malim h. l. *ſanieque emiſſa*.

5. *ſanguinalis*] De ea vide infra ad VII. 5. 19. Videtur mihi h. l. intelligi ſymphytum petraeum, de quo ad Vegetii IV. 8. 4.

caprina] Cum in Codd. optimis ſit *caprinis*, vulgatum *caprinus* correxi. Vide ſupra ad cap. 2. 7. Vegetius exungiam nominauit.

Cap. XIII. *defricta*] Sic cum Vegetio Sangerm.

alia medicina] Vegetius: *medicina iſta*. Deinceps ex Vegetio *inſpergitur* emendat Geſner.

amurca] Vegetius *myrrha*. — *oleo atque aceto decoquitur*. Amurcam ad ſcabiem alii, myrrham Dioſcorides I.

67. et Scribonius Compoſ. 254. Quare dubius haeret etiam Morgagni. quanquam amurcam vt viliorem melius bobus conuenire putat. Recte! Deinde *oleo atque aceto* ſcripſi pro vulgatis *oleo aqua aceto*. Nam in amurca ſatis aquae iam adeſt. Mecum facit Vegetius.

gallae] *gallarum tritarum puluis inſpergitur*. Vegetius.

2. *coriaginem*] Hinc excerpſit Vegetius III. 4. 17 ſeqq. Ἐχεδερμίαν graece dici ait Vegetius III. 54. Aliter in equo echedermiam deſcribunt Hippiatr. p. 88. Sed eadem p. 186. ſic. ἐὰν ζώϋ τινὸς τὸ δέρμα καταξηρανθῇ καὶ τῆς τροφῆς μὴ αἴσθηται προκοπὴν, ὅπερ εἰωθὲ συμβαίνειν ἀπὸ καμάτου πολλοῦ. Ceterum deinceps Sang. liber *apprenſa* habet.

ea res] Veget. *quae*.

ſub onere] Vegetius *laſſus* (vel vt olim erat *lapſus*) *ſub onere*. *Madefactus* eſt non aſperſus, ſed qui permaduit. Vide ad X. 411. Deinceps Bruſch. *Quae cum*, poſtea *omnis partis*.

3. *aſpergantur*] Supra II. 3. colla ſubigere et aeſtuantis meri duos ſextarios faucibus infundere iubet.

offae inſerantur] Vegetius *offula panis vino infuſa*. De adipe non erat quod dubitaret Morgagni. Noſter enim infra 38. mulae laſſae et aeſtuanti adipem in fauces demittit merumque in os ſuffundit. Ecce Hippiatrica p. 178. ἐὰν ὑπὸ ὁδοῦ ἢ δρόμου καυσωθῇ ἵππος στέατος χοιρείου παλαιοῦ μάζας ποιήσας καὶ οἴνῳ βρέξας εὐώδει παλαιῷ τρεῖς δίδου διὰ στόματος. Vnde h. l. malim *vino adſperſae tres offae adipis — inſerantur*. Vide etiam infra cap. 30. ſ. 3.

et ea calida] *et cum calida et oleo et vino ſpinam dorſumque animalis confricare contra pilum*. Veget. Hippiatrica p. 186. ἐλαίῳ πηγανίνῳ corpus perungunt.

attrahere] Veget. *et velut a coſtis ſeparare*.

fraces] Veget. *feces vini et axungiae — eoque medicamento tepido poſt*.

Cap. XIV. *conſiliginis*] Ex coniectura Vrſinus, ex veſtigiis lectionis librorum hanc herbam Columellae reſtituit Geſner. Recte. Vegetius enim ex h. l. eandem nominat III. 4. 20. Locus Columellae, quam nunc reſpicit ipſe, eſt ſupra cap. 5. 3.

2. *tumor*] Vegetius: *tumor palati ciborum faſtidium facit*. Hippiatrica p. 36. inter ſigna κριθιάσεως ponunt ἡ ζέα ἤτοι γραμμὴ μετέωρος, et ſanguinem demere iubent, ex palato numerantes τὴν ζέαν τὴν τρίτην ἢ τὴν τετάρτην. quod Ruellius recte vertit: *crenae palati verſuſque ſublimes attolluntur — eo puluinorum torulo, qui ſibi tertiam quartamue ſedem vindica-*

dicauit. Aristoteles etiam inter signa πριθιάσεως H. A. VIII. 24. refert palatum molle et spiritum seu anhelitum calidum. (Hippiatrica πνεῖ θερμόν.) vbi Alberti versio reddit morbum *forcin*, et germanice vocari ait *Schuf* siue *Schule.* Sed Vincentius ibi habet *formi.* Sed Albertus *farcimen* cum crithiasi videtur permutasse. Ceterum verba eadem Hippiatricorum leguntur p. 266. περὶ ἀσιτίας.

et hanc speciem — videatur] Haec verba, a Vegetio omissa, pertinere putabat Morgagni ad sect. 3. inserenda post *deiecta est.* Ex lectione Codd. *laetus* mirum interpretationem efficit Pontedera, bouem modo incestum, modo laetum apparere.

opus est] Veget. *prodest.*

valuulis] Vegetius: *sine corio.* Idem alibi *lentem sine cortice* dixit.

3. *contuderit*] Hoc etiam ex h. l. retulit Vegetius, non *contusum erit.* Idem *praestantissimum.*

auia] Senecionem (erigerontem Graece) putabat intelligi Facciolatus, quod flores eius a Graecis πάπποι, a Latinis vero, auctore Apuleio de Herbis c. 75. *aui* appellentur. Pontedera primum Vegetii vitiosum *amaticum* comparabat cum Apuleii c. 23. *amalocia*, quam eandem esse suspicabatur cum Pseudo-Macri amarisca, quam Chamaemelum foetidum Bauhini interpretatur. Addit, inepte Bodaeum ad Theophrastum *auiam* interpretari filicem, eiusque argumenta operose et docte refellit. Denique arripuit Plinii XXII. sect. 16. *lamium*, quod illę cum salis mica mederi ait contusis, incussis etc. eandem Celsus tumenti ceruici imponi iubet. Putabat igitur, eandem herbam etiam *Lamiam* dictam, atque inde errore librarii *auiam* factam fuisse. Sed haec omnis disputatio leuissimis suspicionum argumentis nititur; equidem quae sit herba *auia*, ignoro. Plinius iumentorum ceruicibus farinam filicis imponit 27. s. 55. cum Dioscoride IV. 178. radicem bryoniae seu vitis nigrae iumentorum cervicibus vnice mederi ait 23. s. 17. cum Dioscor. IV. 185. damosonium seu alceam ad eandem rem alibi commendat eodem auctore. In Plauti Milite III. 2. 42. *hanna* in libris vitiata fuit in *auia*; et in Catonis cap. 135. s. 3. *hamae* corruptae leguntur in libris in *camae* et *caniae.* Ex hac varietate forte doctiores veram lectionem indagabunt. Lamium ipsum a graeco λαμιὸς deriuat Pontedera, quod flos eius in duo labella late diducitur.

auricula] Vegetius *diuersa parte.*

cultella soluitur] Vegetius *ferro aperiatur.*

iusta] *ad operis consuetudinem reuocatur.* Vegetius.

4. *triduum*] Vegetius facit cum libris optimis. Ergo vulgatum *biduum* sustuli. Vegetius *intra triduum quod bos.* Malim ibi *quo.*

5. *aureum*] Vegetius *aptum.*

leui] Vegetius addit: *et axungia veteri.*

subigatur] In Vegetio est: *tumore ceruix* (pro *tumor ceruicis*) *lauatur confricaturque diligenter praedicto medicamento detersaque diluitur.* Vulgatum *subsiccatur* ineptum h. l. correxi ex vestigiis librorum optimorum. Num *illinitur* quoque sit vitiosum, haud affirmauerim. *Subigit* emendabat Pontedera.

molestia] Vegetio *cura.*

7. *ardentem*] Ex Vegetii verbis: *facile sanantur per ardentem lucernam oleo instillato* et vestigiis lectionum optimorum librorum vulgatum *facile operanti lucerna instillatur* correxi et suppleui, approbante Pontedera, qui tamen malebat *instillato reparatio est* sc. molestiae. Sed ita debebat esse *facilis.* Deceperat eum lectio Cod. Goesiani minus sana quam libri Sangerm. Nunc video Gronov. ex Sang. laudare *op ardentem lucernam instillatur.* Addit deinde ex altero Codice Sangerm. *nam facil eo perardentem lucernam instillato paratior tamen est.*

accidit] Vegetius: *quod si acciderit, puluere lateritio trito priusquam deiungatur bouis colla conspargi oportet, et cum exsiccati fuerint, exinde oleo iterum infundi.* vbi tamen Codex Flor. omittit *iterum.* Ex Vegetio et vestigiis librorum optimorum Columellae ineptam vulgatam lectionem *veteri lateri later conteritur, eoque intrito prius* recisam correxi. *Tritum figulare* in simili medicina infra est. VII. 5. 9. Nunc video, Heinsium ad Ouidium T. III, p. 294. lectionem Sang. *veteri lateritio trito priusquam* recte iam olim praetulisse. *Veteri* cur addatur, ignoro. Ceterum aliam medicinam facit Gargilius sect. 7.

Cap. XV. *optime facit*] Vegetius: *optimum facit si clauum calcauerit aut acuta testa* etc. quae sunt deteriora. Pontedera h. l. malebat legi *exemto stipite;* sed vulgata sana est. Surculum dixit antiqua notione. Surculus enim est ab antiquo surus, stipes, sudis in vallo. Vide Festum in h. v. Nonius: *Syrus — Has nos scopas, rustici eo nomine syros vocant.* Varro: *venti — secum ferentes tegulas, ramos syros.* Syros puto dictos pro surculis; sed originem graecam finxit Nonius.

2. *fa-*

2. *fauillam recidit*] Heinf. ad Ouidii Heroid. XVII. 190. malebat *residit*. Ex Sang. *fasces* annotat Gronov.

cornua] Recte Morgagni Catonis cap. 72. summa infima pice liquida vncta ne bos pedes subterat, comparauit. Plinius XI. sect. 45. *boum attritis vngulis cornua vngendo arvina medentur agricolae*. Aristoteles H. A. VIII. 7. *καὶ τὰς πόδας δὲ ἧττον ἀλγοῦσιν ἐάν τις τὰ κεράτια ἀλείφῃ κηρῷ ἢ πίττῃ ἢ ἐλαίῳ*. Cf. Niclas ad Geoponica VII. 9. In loco Aristotelis Nicephorus in Scholiis ad Synesium p. 363. habet scriptum: *ἐάν τις τὰ κέρατα ἀλείφῃ κηλῷ ἢ πίττῃ ἢ ἐλαίῳ*.

cineribus] Similem subtritorum pedum curam habet Vegetius II. 55. 7. vbi vide notam.

Cap. XVI. *grauitate*] Frequenter etiam vel ab asperitate itineris vel in proscindendo duritia soli aut obuiis radicibus obuolutatus. Vegetius III. 4. 30. Hinc cum Morgagni vulgatum *longioris* ex Iunt. correxi. Vrsinus malebat *longi oneris*. inepte!

in sinistro] Veget. *e sinistro*. Deinceps Vrsinus legebat *tum in posterioribus*, vbi Vegetius: *etiam in anterioribus*.

2. *laeuigata*] Vegetius: *cum cortice pini pari pondere imponitur*. ex quo vitium aliud latere hic suspicor. Corticem interim pineum tritum ad cicatricem inducendam adhiberi a Dioscoride I. 74. II. 62. et Vegetio monuit Morgagni.

infricatur] Vrsinus *infriatur* emendabat; bene. Sic noster infra c. 31. fuligo vlceri infriata. et XII. 30.

scatere] Vegetius *creare vermes*. Geoponica XVII. 27. *ὕδατι ψυχρῷ καταῤῥαίνοντες τὰ ἕλκη ἀναιροῦσι τὰς εὐλάς*. Formam *verminibus* satis defendit deductum inde verbum verminare et verminatio.

imponitur] Deinceps pergit Vegetius: *vel calcis viuae puluis inspergitur aut cucurbitae viridis succus cum aceto mittitur; ideoque vniuersis vlceribus picem liquidam, oleum vetus et axungiam oportet adhiberi*.

Cap. XVII. *mortiferus*] Ita vulgatum *mortiferis* ex optimis libris recte emendauit Morgagni. Idem deinceps *minorum* ex Vegetio reposuit pro *magnorum*, quod facere susperat antea H. Iunius Epistol. 207. p. 377. et Schoettgen ad h. l. Vegetius ita habet: *Serpentis quoque ictus mortiferus est bobus, sed et minorum*.

Caecilia] De chalcidis lacertae equis noxio morsu tradit Aristoteles, eamque intelligi h. l. censeo. Itali hodieque

que *Cecella* appellant ab Imperato et Fab. Columna pictam. Chalcidem tridactylam appellare malui; Sardi hodie *Cicigna* vocant, et similiter cum foeno deuoratam bobus equisque timent. Plura vide in Historia Amphibiorum.

exiguis dentibus] Vegetius: *parui quidem corporis non paruam solet inferre perniciem.* Nomen μυγαλῆν restituit Victorius, Vrsinus et Iunius. Aetius XIII. 14. mustelae similem colore, muri vero magnitudine facit, nostro longo (ὑπόμηκες στόμα) cauda tenui (λεπτὴν Cornarius male exigua) dentibus exilibus, (λεπτὰς) gemina serie positis in vtraque maxilla, adeo, vt in vulnere quatuor dentium ordines appareant. Morsu inprimis appetere assultim testiculos hominum et animalium. De morsu ita Hippocrates hippiatrus p. 221. Aocidit saepe, vt equus in stabulo mordeatur a mure araneo, dum decumbentis ilia clam subrepit et motu equi turbatus locum subiectum demordet.

personatam] Plinius 25. f. 58. quidam echion personatam vocant, cuius folio nullum est latius, grandes lappas ferentem; huius radicem decoctam ex aceto dant potui. Hyoscyamum contusum cum foliis ex vino datur peculiariter contra aspidas. vbi recte Harduinus ex Codd. vulgatum *arction* correxit, et *echion* scriptum habet Vincent. 9. c. 68. qui postrema ita legit: *potui dant: cum foliis contusa datur ex vino p.* etc. omisso hyoscyamo. Hoc loco intelligitur arction Diosc. 4. 187. Plinii 25. f. 66. quod Romani personaceam et personatam dixere, monente etiam Dioscoride et Apuleio de Herbis c. 36. Huius radicem ex vino contra serpentium venenum laudant; contra scorpiones et phalangia arctium commendat Nicander Theriac. versu 840. vbi vide notam.

super scarificio] Veget. *supra tumorem, qui inflatur ex ictu, scarificatio ferro facta, ita, vt herba — imponatur trita.*

2. *contusa*] Vegetius: *contusa ponatur. vel siler montanum reperiatur et trifolium Symonianum quod fragosis locis efficacissimum nascitur.* vnde Morgagni h. l. corrigebat *vel siler montanum. Trifolium, quod.* Scilicet vir doctus dubitabat de nomine trifolii Simoniani, et Vegetium in concordiam cum Columella redigere volebat. H. Iunius in Epist. apud Crenium Animadv. P. X. p. 40. lectionem Codicis Vegetii memorat hanc: *euius efficacior creditur radix, si contusa ponatur, vel siler montanum reperiatur. Trifolium confragosis locis* etc. Itaque etiam h. l. *Simonianum*, vt scripturae vitium ortum ex *siler montanum* tollere suadet. Simonianum a Simmo medico inepte deriuat cum Bodaeo Hardui-

duinus ad Plinium 21. 9. Sed non a Simo, sed a Simone vocatur Simonianum trifolium. Simonem autem medicum nunc nullum nouimus. In Vegetio Codex Gothanus, a me comparatus, habet: *filonianum cum fragocis.* Accedit nunc auctoritas Codicis Goes. et Sang. quae et siler montanum et Simonianum trifolium migrare hinc iubet, cuique etiam paruit Pontedera. Is ex vitiato Vegetii silere montano ortum censet in Columella Simonianum trifolium. Ceterum ex Sangerm. Abr. Gronov. posuit lectionem *Symontianum trif. inuenitur q. fragosis l. eff. nascitur* simul admonens, auum suum ex MS. (nescio an eodem) citare *vel si montanum tr. inv.*

ἀσφάλτιον] Aetius etiam XIII. 21. post scarificationem plagam ex trifolii bituminosi decocto calido fouere iubet per multum temporis spatium; nam si pauco id facias tempore, peius affici percussos. vbi Codex meus graece habet *τριφύλλου τῆς ἀσφαλτίδιδος.* Intelligitur psoralea bituminosa Linn. Vide Comment. ad Nicandri Theriac. vers. 520.

3. *intenditur*] Vegetius *imponantur in plagam.* Hinc Morgagni legebat h. l. *intenduntur.* assentiente Pontedera, qui deleri volebat *more* et *scarificationi.* confisus auctoritati optimorum librorum. Ex Sang. *malagmatis vi scarificationi cedunt* annotauit Gronov.

atque hordaceae] Vulgo *tritae et farina et sale.* Vegetius: *addita hordeacea farina et sale.* Hinc secutus Codicem Sangerm. correxi h. l. Eandem farinam in chersydri et cerastae ictu Celsus V. 27. 8. in viperae Paulus V. 12. et Vegetius III. 79. adhibent, monente Morgagni.

4. *quinque librarum*] Vegetius: *cacumina tenera conteras cum sextariis vini, quatuor vel olei.* vbi liber Goth. post *conteras* inserit *vel totidem* manifesto lacunae argumento. Morgagni h. l. maluisse videtur legi: *cacumina pond. quinque librarum.* Fraxini (*μελίας*) foliorum succum infundere et vulneri etiam imponere iubet Aetius XIII. 21.

5. *morsus muris*] Vegetius: *et plagam dentium ex eodem confrices.* Eadem remedia habet Pelagonius Hippiatr. p. 221.

tumorque] Ita suadente sententia, Vegetio atque adeo ipso Columella sect. 6. cum Morgagnio correxi vulgatum *humorque.* Ita volebat etiam scribi Vrsinus. Remedium exstat in Hippiatricis p. 121. vbi *ἐπιθέμενος ἀπαλλάξεις* legendum.

6. *conuersionem*] Vegetius: *collectionem aperire. — oleo illinere.* hinc praeclare vulgatum *resecare* correxit Vrsinus.

nus. In Hippiatricis est: πρὸς δὲ τὸ τὴν φλεγμονὴν διαλύεσθαι, εἴ γε πυοτροφήσει — εἰ τὴν ἐπιδερματίδα περιέλοις σμιλίῳ καὶ πᾶν τὸ πεπονθὸς ἐπικαύσεις. Tertium etiam remedium, satis ineptum, ibidem verbotenus exstat graece.

plerumque] Vegetius *plurima*. hinc Morgagni malebat h. l. *pleraque*. recte!

triticea farina] Hoc ex Cod. Sang. substitui vulgatae: *triticeae farinae;* ita enim Vegetius.

album] Est λεύκωμα. Salis fossitii genera nominat simul plura. Baeticum et Tragasaeum iumentorum et boum oculis olim maxime laudabant, auctore Plinio 31. c. 41.

σίλφιον] Edd. primae ante Aldinam μαγηδάρην habent; quam caulem grammatici interpretantur. Iohannes Garlandius in Synonymis, editis a Loeschero Histor. Poetar. medii aeui p. 321. vers. 231. *beta maguderim caulem dic esse secundum, hinc adiectiuum nomen betasius exstat.* vbi de *betaceo* non dubito, magis de eo, quod maguderim vocauit. Abr. Gronov. h. l. corrigebat *facit et laseris radix, quod Graeci silphion.* ex nostri XII. c. 7. c. 4. et cap. 59. c. 4. Plautus in Rudente III. 2. 15. *si speras tibi hoc anno multum futurum sirpe et laserpitium.* deinde versu 19. *seu tibi confidis fore multam magudarim.* Ex graeco σίλφι, σίρφι, σέρπι, (Hesychius etiam σέλπον, σίλφιον habet) latinum *sirpe* et *serpe* factum docuit cum Salmasio Vossius. *Laserpitium* igitur est proprie succus serpis, lac serpitium. Magudarin semen sirpis dici, monuit olim Theophr. H. P. VI. 3. alii tamen id vocabulum aliter sunt interpretati. Locum Plauti posuit etiam Priscianus VII. p. 757. vbi Codicem *Madugarim* habere scriptum monuit Abr. Gronov.

8. *decima pars*] Vegetius: *cum decima parte salis ammoniaci et cum fistula oculo insufflas, quae radix tunsa et cum oleo lentisci mixta vitium expurgat.* Hinc malebat Morgagni h. l. legere: *decima pars — adiicitur.* cui cum faueat et Codex Lips. et sententia ipsa tota partes salis respuere videatur, mutaui vulgatum *decem partes — adiiciuntur.* Aetius Tetrab. II. Serm. 3. c. 38. ad albugines sal ammoniacum vt fortissimum pharmacum adhibet, monente Morgagni.

contusa] Sangerm. *tunsa* habet.

Epiphoram] Vegetius: *Si genae humorem profundunt, lacrimisque visus confunditur, quam epiphoram vocant, polenta ex hordeo mulsa aqua conspersa — cum melle trita oculorum sedat dolorem.*

9. *armoraceae*] De ea vide ad Palladii Octobr. XI. 4. et infra ad Colum. IX. 4. 5.

laeui-

laeuigata] Vulgatum *conlinita* ex Vegetio correxi. Ex ſcriptura tamen Sang. malim *laeuigata et circumlita*. In Hippiatricis p. 47. contra epiphoram ponitur, ἀγριοσταφυλίνου σπέρμα κεκομμένου καὶ ἀρνογλώσσου χυλὸν μέλιτι ἀττικῷ μίξας χρῶ. Arnogloſſum eſt plantago.

muſcis] Vegetius addit: *apibuſue vel veſpis — quas dulcedo mellis inuitat.*

Cap. XVIII. *hirudo*] Deinde ſanguiſuga dici coepit, monente Plinio; ſed eandem noxam variae inſectorum larvae cum aquis ingeſtae inferunt, vt Itali teſtantur ſcriptores et Schrankii Itinerarium Bauaricum.

faucibus] Intelligit oeſophagi aditum. Sed interdum gutturi adhaerens et ſanguine hauſto intumeſcens animam praecludit. Vide omnino notas ad Nicandri Alexiph. verſ. 495 ſeqq.

contactum] Ita pro *contactu* Sang. monente Gronouio ἐ ψαύσαντος ἀποπίπτουσιν Hippiatrica p. 223.

2. *cimicis*] Vegetius III. 4. 43. *cimini* habet; ſed de cimicis fumo ſeu nidore idem ad hirudines, gutturi haerentes, tradunt Dioſcorides II. 33. Plinius 29. c. 4. Galenus S. M. F. libro XI. et Auctor Parabil. III. c. 103. cum Auicenna, monente Morgagni; de cimino nemo. Gargil. Martialis ſ. 11. cimicem conterit. Ceterum ex Sang. et Edd. primis lego: *ſuperpoſitus igni fumum emiſit, conceptum — perferet — depellet.*

adhibendas praeceperim] Ita ex optimis libris ſcripſi pro vulgatis: *adhiberi praeceperimus.*

Cap. XIX. *propior*] Vegetius: *vt et tutus acceſſus.* Hinc apparet, veram lectionem in Edd. principibus et in ipſo vitio Polit. et Lipſ. *medenti tuſſit* latere. Hinc vulgatam *propior* ante acceſſus expuli et veram deinceps lectionem reſtitui.

reſpuat] Vegetius: *nec luctando quadrupes aut membra conuexet ac ſic remedia deſpuet.* Vnde apparet, deeſſe quaedam in Columella.

roboreis] Veget. *roboreas aſſes conſtringis ſolium — in altitudinem pars poſterior duos ſemipedem, pars vero quae ad priora animalium pertinet, quatuor pedes.*

3. *numella*] Vulgatum *numelli* cum Turnebo Aduerſ. 23. c. 21. et Georgio Alexandrino vitioſum eſſe cenſuit et *numellae* legi iuſſit Morgagni. Igitur optimorum librorum lectio-

lectionem *numella* restitui, cui accommodandum fuit etiam vulgatum *possunt*.

communis] Vegetius: *Machina omnium maiorum animalium medela solet esse communis.* Ita liber Goth. vbi vulgo est: *quae machina ad omnium — medelam solet* etc.

Cap. XX. *media*] Transtulit Palladius Martio XI. 4. *aetatis mediae et magis quae iuuentute minor est, quam quae declinet in senium.*

bonus taurus] Vrsinus *bos taurus* legi volebat, satis ingeniose!

vegetior adspectus] Omisit Palladius, ex Sang. *vegetioris aspectus* posuit Gronov. et antea *seligendis.*

venter] Ita ex Sangerm. correxi vulgatum *ventre substrictiore.*

rectus] Opponitur tumenti et curuo, ideoque inhabili ad coitum tauri. Gesner ex varietate librorum *teres* efficiebat, Pontedera *strenuus* ad taurum referens. Male!

Cap. XXI. *vteris*] Palladius sect. 5. *forma altissima corporis longe, vteri capacis et magni.* vbi Codex Pol. cum Crescentio habet *longi* pro *magni.*

frontibus] Palladius: *alta fronte.* sed recte Crescent. *alta* habet.

patentibus] Palladius: *oculis nigris et grandibus.*

cornibus] Palladius: *pulchris cornibus et praecipue nigris.* omisso verbo *leuibus.*

pilosis] *aure setosa* Palladius.

compressis malis] Omisit Palladius, habet Varro II. 5. 7. Geoponica XVII. 2. γνάθας συνεσταλμένας.

modicis — modicis] Palladius: *vngulis breuibus et cruribus nigris ac paruis.* vbi tamen Edd. I. B. R. omittunt voces *nigris et.* recte! nigra tamen crura in vaccis probat Florentinus Geoponic. XVII. 2.

nouellae] Palladius: *aetatis maxime trimae, quia vsque ad decennium foetura ex his procedit vtilior nec ante aetatem trimam tauros his admitti oportet.* vbi tamen Cresc. recte habet altero loco *bimam.* Ita et Varro II. 5. et Geoponica XVII. 10.

Cap. XXII. *enixae*] Pontedera, vitium inesse vulgatae suspicatus, addebat *saepe* aut *male enixae.* Interpretabatur enim *enixas* quae pepererunt, quas simpliciter eam ob causam reiicere absurdum sit. Gesnerus *enixas* interpretabatur

effoe-

effoetas. Sed neuter vsum loquendi Columellae animaduertit. Is *eniti* dicere solet de opere aliquo, summa virium contentione ad finem perducto. Vide I. 9. 6. II. 2. 27. Sunt igitur *enixae et quae vetustate parere desierunt* vaccae, quae saepius pepererunt et partibus vires omnes et foecunditatem frequentibus absumserunt. Hinc lectionem optimorum librorum *vetustate* praetuli vulgatae *vetustae.* Atque ita simul *infirmae*, senes et steriles remouentur, quos segregari iubet etiam Varro in Geoponicis XVII. 10. Ita apibus, vetustate corruptis, nouum examen contribuit noster IX. 13. 9. Sed nunc demum video Heinsium Aduers. III. p. 459. ex Sang. laudare *nam et visae et vetustate quod:* vnde ipse corrigebat: *Nam et vietae prae vetustate quod gignere* vel certe *vetulae* malebat.

taurae] Sunt quae sexum vtrumque iunctum habent, quanquam non perfecte. Anglis in bouillo genere tales vaccae *Free Martin* dicuntur. Tales plerumque existunt, cum gemini pulli diuersi sexus eduntur; nam mas perfectus fit, femina ex vtroque sexu participat, sed sterilis. Cf. *Hunter* in Philosophic. Transactions Vol. 69. p. 279. Similiter in capris steriles et monstrosae propter sexum communem dicuntur τραγόναυ auctore Aristotele de Generat. IV. 4. Habitum externum feminarum tales hermaphroditi omnium quadrupedum habere solent; sed taurae cornibus et mole corporis bobus castratis simillimae sunt. In vitulo tali sexuales partes internas plane masculas, externas foemineas reperit Scarpa in Memorie di Matem. et Fisica. Verona 1784. T. II. P. II. p. 847.

2. *aestate*] Palladius sect. 7. *aestate opaca paremus et frigida, montana maxime, quia melius frutetis et his herba internascente saturantur. quamuis circa fluuios recte propter amoena loca pascantur: foetura tamen aquis tepidioribus adiuuatur, vnde magis vtilius habentur, vbi pluuialis aqua tepentes format lacunas.* Lectionem Sang. *et montium, laeta magis* memorat et corrigit *montium, elata magis.* Heinsius Aduers. III. p. 495. Rectius idem comparat locum Plinii II. Epist. 16. de villa Laurentina maritima: *Multi greges ouium, multa ibi equorum boumque armenta, quae montibus hieme depulsa herbis et tepore verno nitescunt.* Et Senecae Epist. 52. *Quamlibet viam iumenta patiuntur, quorum durata in aspera vngula est; in molli palustrique pascuo saginata cito subterruntur.*

carettis] Ex Palladio Pontedera volebat legi *carettis saturantur iuuencae,* aut *iuuenculae.* Verum cum in libro

Sang. fit *carettis. quoniam siccis ac lapidosis locis* etc. apparet, excidisse quaedam. Suspicor, priora verba ita esse corrigenda: *nam melius in nemoribus herbidis et frutetis et caretis pascuntur;* (aut *saginantur*) deinde addendum: *quoniam siccis ac lapidosis* etc. Durari vngulas montibus et lapidosis locis ait etiam Varro II. 8. Columella VII. 37. Triller in Observ. Crit. II. 27. corrigebat: *nam minus nemoribus*, vel *nam melius lapid. locis quam nemoribus* etc. Prior correctio placuit Abr. Gronouio.

manu factos] Ex Palladii loco vitium latere suspicor; is ait: *vbi pluuialis aqua tepentes format lacunas.*

Omnis tamen] *tolerat tamen frigus hoc armenti genus et potest facile hibernare sub dio.* Palladius.

Cap. XXIII. *conceptum*] Palladius sect. 8. *quibus tamen septa fieri propter iniuriam grauidarum conuenit laxiora.* Conceptum iterum dixit ita VII. 6. 5.

glarea] Palladius: *strata saxo aut glareis aut arenis.* Deinceps vulgatum *sorbeant* ex optimis libris vna syllaba auxi. Ex Sang. *respuat* annotauit Gronov.

2. *cura pascui*] Palladius Augusto cap. 4. *nunc vrenda sunt pascua, (arida* Polit. codex) *vt et altorum fruticum festinatio reprimatur ad stirpes et incensis aridis noua laetius herba succedat.* Ex quo vitium vulgatae lectionis h. l. manifestius agnosci potest, quam ex varietate lectionis optimorum librorum, qui recte *et* ante sentibus omittunt, et deinde *dentibus duris et* exhibent. Hoc video, requirere sensum haec fere verba: *recreat aridis exustis*, vel *vstis, et fruticem* etc. Albertus de pratis: *Contingit aliquando, vt nimia spissitudo graminis superficiem agri operientis inuoluat superficiem ipsius et per modum panni spissi iacens desuper, quae impedit natiuitatem graminis de subtus et conuertitur pratum in putredinem et corrumpit foena; et tunc alia cura non est nisi post gelu in fine Februarii quando sicca sunt prata, incendatur pratum. tunc enim consumto panno operiente optima in Aprili proueniunt gramina.* Simili vitio pratorum muscosorum cineribus insperfis medetur noster. Silius VII. 364. *quam multa videt feruoribus atris cum Calabros vrunt ad pinguia pabula saltus, vertice Gargani residens incendia pastor.* Lucani locum IX. 152. *Sic vbi depastis submittere gramina campis et renouare parans hibernas Apulus herbas, igne fouet terras* etc. iam alibi posui.

pastorali signi] Expressit Aeneidis VII. 513. locum, monente Heinsio.

Cap.

Cap. XXIV. *quadrimis*] Aristoteles H. A. VIII. 7. αὐξάνονται δὲ ὅταν πλείω ἔτη ἀνόχευτοι ὦσι. διὸ οἱ ἐν τῇ Ἠπείρῳ τὰς καλουμένας πύῤῥιχας βοῦς ἐννέα ἔτη διατηροῦσιν ἀνοχεύτους καὶ καλοῦσιν ἀποταύρους ἵνα αὔξωνται. vnde Plinius VIII. sect. 70. id consecutus est Pyrrhus, non ante quadrimatum ad partus vocando. Sed *nouem annos* in Aristotele tuetur versio Scoti, repetita ab Alberto et Vincentio, et libri scripti omnes.

permittendae] Palladius, qui haec excerpsit Iulio 4. habet *submittendae*.

decem] Aristoteles H. A. VI. 21. κύει δὲ ἐννέα μῆνας, δεκάτῳ δὲ τίκτει. ἔνιοι δὲ διϊσχυρίζονται δέκα μῆνας κύειν ἡμερολεγδόν. vnde Plinius VIII. sect. 70. *Pariunt mense decimo. — Sunt auctores ipso complente decimum die parere.*

2. *satietate*] Hoc vulgato *nimietate* praeferre suadebant libri optimi et Palladii verba: *post vernam pinguedinem gestientis veneris amare lasciuiam.* Sequentia ex Sang. libro correxi. Vulgatae vitium arguebat *recusat* et *appetit* sine casu positum.

in id — tempus] Mensem thargelionem et scirophorionem definit Aristoteles l. c.

3. *subtrahitur*] Idem suadet Varro II. 5. 12. Geoponica XVII. 1. in equabus Virgilius III. 129.

certis signis] Ex Varrone II. 5. 13. eadem habet signa Plinius VIII. sect. 20. et Geoponica XVII. 6. Orta est opinio ex alia, aeque falsa, dextrum testiculum et ouarium foeminarum a natura foetibus masculis, sinistra foemineis destinata fuisse. Ceterum *comprendere* ex Sangerm. annotauit Gronov.

4. *forda*] Festus: *Fordicidiis boues fordae, id est gravidae, immolabantur dictae a foetu.* Idem in voce *Horda praegnans.* Vide ad Varronem II. 5. 7. Est ex graeco φορά.

raro accidit] Conceptionem vno initu peragi; quae si forte aberrauerit, vigesimum post diem marem iterum admitti a femina posuit Aristoteles H. A. VI. 21. inde Plinius VIII. sect. 70.

5. *et tener*] Palladius ex h. l. Aprili cap. 7. *ipsis autem vitulis tostum* (Polit. Codex tritum) *molitumque milium cum lacte misceatur saliuati more praebendum.* Hoc loco et varietate lectionis optimorum librorum adiutus Pontedera recte h. l. emendauit.

Altiuae] Ex loco Plinii VIII. sect. 70. *Plurimum lactis Alpinis, quibus minimum corporis, plurimum laboris, capite*

non ceruice iunctis. Harduinus h. l. scribi et intelligi volebat *Alpinas;* ab Altino enim Italiae oppido dici *Altinates*, vt ipse Columella VII. 2. *Altinates* oues habet. Sed ante Harduinum eadem coniectura h. l. emendauit Bochart Hieroz. I. 2. 29. Similes, hoc est paruas et exiles, sed multi lactis vaccas montis Lactarii memorat Cassiodorus Variar. XI. 10.

Ceuas] An nostrum vocabulum *Kuh* in illo lateat, quod putabat Schoettgen ad h l. non ausim affirmare. Ex loco Plinii XI. sect. 97. *numerosior Apennino caseus. Cebanum hic e Liguria mittit, ouium maxime lactis Ceuanas* seu *Cebanas* dici suspicor ab vrbe Ceba, vbi hodie Marchionatus *Ceua* in Pedemontano principatu.

vinum — tolerat] Infra X. praef. 1. velut aqua frumentoque summis atque humillimis victum tolerantibus. Caesar B. C. III. 49. equos eorum vix tolerari, reliqua iumenta interisse. Ibid. c. 58. his rationibus equitatum tolerare. De B. G. I. 28. nihil erat, quo tamen tolerarent. Iterum VII. 77. eorum corporibus vitam tolerauerunt. Quae quidem exempla huic nostro aliquantum dissimilia sunt, adeo, vt fere dubitem de lectionis veritate. Ceterum etiam Aristoteles H. A. VIII. 6. generatim boues saginari ait ficubus, vuis passis et vino.

Cap. XXV. *nascuntur*] Nascuntur ignoto adhuc semine, sed cruditates tandem copiosi generant.

Santonica] Santonicum in hac medicina adhibet Vegetius I. 44 et 45. Idem nominat III. 55. 7. puluerem Santonicum IV. 10. 2. absinthium Santonicum est a Galliae ciuitate appellatum, auctore Plinio 27. sect. 28. Santonicum appellant Dioscorides III. 28. Galenus S. M. F. VI. 1. Marcellus Empiricus c. 18. Santonica herba, quae absinthium dicitur; ita etiam Scribonius Compos. 141. et Martialis IX. 95. Descripsit Lobelius Observ. p. 436.

Cap. XXVI. *confringere*] Palladius Maio 7. et paulatim confracti resoluantur. Sed ibi Codices meliores simpliciter confringantur habent. Ceterum idem Palladius ibidem sect. 4. recentius aliquod castrandi genus simul descripsit, vbi vide notas. Hoc genus Magonis Hippiatrica p. 239. sub vocabulo καρύδωσις docent. Primum genus, quod h. l. describitur, dicitur ab Aristotele τρίψις, a Paulo Aegineta θλάσις.

vere] Recte hoc inserunt Codices optimi. Palladius *verso.* De coniectura ex loco simili infra VII. 11. inserendum *vero* viderat *Vrsinus*, et Conr. Gesner in Vitulo p. 125.

2. *de-*

2. *deligare*] Palladius: *alii ligato ad machinam vitulo duabus angustis regulis stagneis sicut forcipibus ipsos nervos apprehendunt, qui graece πρεμαστῆρες dicuntur. his comprehensis tentos testiculos ferro resecant et ita recidunt, ut aliquid de his capitibus neruorum suorum dimittatur haerere, quae res et sanguinis nimietatem prohibet, et non omnino iuuencos subducto robore virilitatis effoeminat.* vbi videas, vocem *tensos* non adesse in Columella, nisi in ipso Palladio spuria est. Deinde Palladius vulgatam huius loci lectionem confirmant, quam in libris optimis variari vides. Denique *ligneae regulae* Palladio sunt *stagneae* seu vt Vincentius habet *stanneae*. In loco Palladii sect. 4. de altero castrationis genere regulae sunt, quas Apsyrtus πόρπακας seu fibulas dixit, quibusque nerui seu ductus testiculorum extensi rectique cum ipsis testiculis seruantur, dum reciduntur testes. Quas ibi Palladius *ligneas* dixit, easdem Apsyrtus lineas aut cannabinas. In hoc vero loco dubius haereo. Sed vide notam sequentem. De castratione vitulorum ita tradit Aristoteles H. A. IX. 50. *οἱ μὲν ἓν μόσχοι ἐκτέμνονται ἐκμαύσιοι· εἰ δὲ μή, ἀσχίας καὶ ἐλάττας γίνονται· οἱ δὲ δαμάλεις ἐκτέμνουσι τὸν τρόπον τοῦτον. κατακλίνοντες καὶ ἀποτέμνοντες τῆς ἀσχέας κάτωθεν τὰς ὄρχεις ἀποθλίβουσιν. ἔπα ἀναστέλλουσι τὰς ῥίζας ἄνω, ὡς μάλιστα, καὶ τὴν τομὴν θρῦῳ βύουσιν, ὅπως ὁ ἰχὼρ ῥέῃ ἔξω· καὶ ἐὰν φλεγμαίνῃ, κατακαύσαντες τὴν ἀσχέαν, ἐπιπάττουσιν. οἱ δ' ἐνόρχαι τῶν βοῶν, ἐὰν ἐκτμηθῶσι, τὸν φανερὸν συγγεννῶσιν.* vbi Gazae versio habet: Vitulis tempus castrandi anniculis est, alioqui minores deformioresque euadunt. Modus castrandi hic est. Tractos deorsum testes atque obtentos prassosque in imum scroti cultello adacto extrudunt etc. Legisse ille videtur ἀποτείνοντες pro ἀποτέμνοντες; deinde verba *οἱ δὲ δαμάλεις* non expressit, quae, vti vulgo leguntur, docere videntur, alio modo vitulos anniculos, alio δαμάλεις seu bimos castrari. Verum in Mediceo Codice est *οἱ δὲ δαμάλεις*; deinde Conr. Gesner in Vitulo p. 127. legendum docuit *ἐλάττας γίνονται οἱ δαμάλεις. ἐκτέμνονται δὲ τὸν τρ. τ.* Hanc eius emendationem confirmat Gazae versio. Itaque philosophus docet, vitulos anniculos castrandos esse; alias enim minores et deformiores fieri. Modum castrandi hunc demonstrat. Vitulo deiecto (pro *κατακλίνοντες* male Gaza *καθέλκοντες* legisse et ad testiculos retulisse videtur, iudice etiam Conr. Gesnero) scrotum discindunt et testiculos deorsum extrudunt; deinde radices sursum, quoad fieri maxime potest, reprimunt, et plagam infarciunt capillis, vt sanies effluere possit; et si inflammatio accesserit, ignem adhibent scroto et

inspergunt. Versio Scoti apud Vincentium XXII. cap. 25. habet: cremabunt testiculum ponentque cinerem super istud. Versio Thomae habet: *adurentes locum super implastrant.* In graeco deesse videtur verbum; quo significetur, quid sit vulneri inspergendum: Verum Gesner l. c. post ea verba, vbi testiculi extruduntur deorsum, addi vult verba καὶ ἐκτέμνουσι εἰ exscindunt; deinde verbum καταπαύσαντες refert ad praecedens θρίξι, vt sententia sit haec: *quod si locus inflammetur, seu saniem contraxerit vstorum capillorum aut lanarum cinerem inspergunt.* Quod vero cremasteres sursum reprimi iubet Aristoteles, idem repetit de Generatione I. 5. ἀφαιρουμένων τῶν ὀρχεῶν ἀνασπῶνται ἐντὸς οἱ πόροι, ὥστε οὐ δύνασθαι γεννᾶν τὰ ἐκτεμνόμενα. ἐπεὶ εἰ μὴ ἀνεσπῶντο, ἐδύνατο ἄν. καὶ ἤδη τοῦτο τὶς μετὰ τὴν ἐκτομὴν εὐθέως ὀχεύσας ἐπλήρωσε διὰ τὸ μήπω τοὺς πόρους ἀνεσπᾶσθαι. Causam igitur rei, quam accidisse et nos hodie fatemur, cum bos a castratione statim vaccam initu foecundauit suo, repetebat Aristoteles a minus sedulo sursum relectis et reconditis cremasterum radicibus. Nostri vero hodie physiologi a semine, antea in vesiculis seminalibus collecto, repetunt causam. Rem accidisse addit Aristoteles priore etiam in loco; vbi verba graeca sit constituebat Gesner: ἐὰν ἐκτμηθῶσι προσφάτως ἔτι γεννῶσι. Scaliger ad Varronem p. 299. legebat: φανερὸν ὅτι γεννῶσι. Sed in versione Thomae verbotenus ex graeco expressa est: *quantum ad patens conhabitant.* Igitur habuit in suo libro scriptum; ὅσον εἰς τὸ φανερὸν συγγίνονται. Gaza vertit: *Si bos a recenti castratione iueat, procreare potest.* legisse igitur videtur: ἐὰν προσφάτως ἐκτμηθέντες ὀχεύωσι, γεννῶσι. Sed satis de hoc loco. Tertius exstat in H. A. III. 1. vnde simul discimus, anniculos vitulos conquassatione testiculorum (τρῖψιν, contritionem appellat, quam Paulus Aegineta VI. 68. θλάσιν conquassationem) vetustiores excissione castrari; addit iam accidisse, vt taurus statim a castratione vaccam impleret. Ex Aristotele sumsit Varro II. 5. 14. de vaccis: *de quibus admirandum scriptum inueni, exemtis testiculis si statim admiseris taurum concipere.* Idem deinde sect. 17. addit: *Castrare non oportet ante bimatum, quod difficulter, si aliter feceris, se recipiunt; qui autem postea castrantur, duri et inutiles fiunt.* Difficile quidem est locum priorem Aristotelis constituere; hoc tamen ex tribus inuicem comparatis colligitur, anniculos vitulos aetate eius testiculorum conquassatione, bimos, quos δαμάλεις vocat, excissione fuisse castratos. Vitulos castrare bimos iubet etiam Didymus in Geoponicis XVII. 8. qui plane cum Columella

mella consentit, sed methodum exscindendi omisit. Itaque breuiter sic censeo, Aristotelem ex consensu reliquorum scriptorum omnium emendandum atque interpretandum esse ita, vt in priore loco dicat, teneros vitulos bene castrari confractis testiculis; deinde ad bimatum vsque non recte exscindi testiculos; ita enim fieri boues deformiores et minores. Equos teneros a Sarmatis castrari thlasi, eosque deinde dentes nullos mutare referunt Hippiatrica p. 67.

Dependent] Intelligi clarum est non musculos, cremasteres hodie dictos, sed ipsos ductus seminales, ad testiculos descendentes. *Extremam partem testiculorum* recte epididymides interpretatur Brugnone de Cura equitii p. 252. Hodieque partem eius castratis equis relinqui testatur idem vir doctus, ne scilicet ductus seminales elabantur. Ceterum idem vir doctus comparauit hanc castrandi methodum cum ea, qua hodie in equis vtuntur, et docet regulas duas vicem praestare regularum illarum in medio excauatarum canali, quibus reserato demum scroto ductus deferentes comprehenduntur et constringuntur tam firme, vt deinde sanguinis eruptione non periclitetur equus.. Post viginti quatuor horas demum fines ductuum compressi et sicci abscinduntur. Regulis hic ad testem vnumquemque duabus opus est, quas appellamus *Kluppen*. Columella contra duabus regulis, ipsum scrotum antea non apertum cum testiculis constringit. Igitur diuersa fuit forma regularum harum.

3. *curatione*] Palladius: *nec admittendum, quod plerique faciunt, vt statim castratos coire compellant.* Hinc *castratione* h. l. recte iam olim emendauit Morgagni. Palladius autem pessime h. l. excerpsit; nec enim Columella dixerat fieri hoc a plerisque, nec *compelli* tauros ad id opus; nisi verbum *compellant* est vitiosum. Codex Polit. substituit et *faciant*.

4. *cacuminibus*] Palladius: *sequenti triduo praebeantur ei tenerae arborum summitates et frutecta mollia et herbae viridis coma dulciore sagina roris aut fluminis.* vbi Codex Barthii *dulciore saginatoris aut fluminis.* Vincentius XVIII. c. 97. *virides comae dulciores saginatoriae aut fluuiales.* Contra Codex Polit. cum Crescentio omittit verba *dulciore — fluminis.* Pontedera, quia verba Columellae *prohibendusque multa potione* non expressa sunt in vulgata Palladii lectione, verba ista vitiosa ex edit. Aldina ita constituit: *dulciora sagina roris aut fluminis.* vt herbae dicantur praebendae rore madentes aut aqua fluuiali adspersae. Equidem ex Vincentio malim *virides comae dulciores sagina roris aut fluminis.*

reserare] Vrsinus et post eum Morgagni Epist. III. 42. malebant *reserare* pro vulgato *resecare* in Columella eiusque excerptore Palladio legere. Probauit hanc rationem Gesnerus, additque ex nostro VI. 34. 1. reseratur suppuratio, et VI. 12. 1. reclusa ferro. Sequentia etiam verba: *expressos rescindere* arguunt, nondum antecessisse excisionem. Quare vulgatam corrigere non dubitaui, etsi in Palladio vulgo etiam *resecare* legitur, quod ibi corrigere similiter debemus. Rationem emendationis iam antea edidi.

5. *formamque seruat maris cum*] Hanc lectionem approbante Pontedera praetuli vulgatae *formaque serrata maris gen.*

defecto] Barthii Adv. 37. 3. *delecto* corrigentis conatum improbauit et locum similem cap. 37. sect. 9. comparavit Gesner, ad copiam et minorem laborem pecudis referens. Scilicet aegro tauro in stabulo obiicitur defectum pabulum.

Cap. XXVII. *auctorem*] Marem admissarium inepte Schoettgen interpretatur, quod demonstrant vocabula *industrius* et *sedulitas*. Recte Gesner *actorem* corrigit; de quo seruorum genere supra ad I. 8. 5. dixi.

equitium] Vulgato *equinum pecus* non dubitaui lectionem optimorum librorum substituere, cuius exempla ex Iurisconsultorum romanorum libris affert Gesneri Thes. L. L. Probauit hanc lectionem etiam Pontedera. *Auitium* similiter dixit Apuleius.

mularis] Eiusmodi equos Strabo V. de Venetis scribens vocat ἡμιονίτιδας ἵππους.

2. *gregibus autem*] Palladius: *sed his armentis pascua legamus pinguissima hieme aprica, frigida et opaca prouideamus aestate, nec adeo mollibus locis nata, vt vngularum firmitas de asperitate nil sentiat.* ex quo loco, si scilicet ex hoc nostro ductus est, vt reliqua, praeter equi admissarii colores, grauius vlcus h. l. suspicari licet. Ex lectione Cod. Lipsi. qui *nec montana* habet Gesnerus vitium vulgatae aliquod suspicatus vulgo intersertum *non* inclusit, quoniam Varro II. 7. equinum pecus pascendum in pratis potissimum herba ait. Rectius comparasset locum Philosophi H. A. VIII. 24. χαίρουσι δὲ οἱ ἵπποι τοῖς λειμῶσι καὶ ἕλεσι, καὶ γὰρ τῶν ὑδάτων τὰ θολερὰ πίνουσι. Si graminis copiam spectes, praeferenda sunt pascua et prata humida, sed montana certe editiora et siccanea equorum et pulcritudini et valitudini melius consulere contra Columellam Brugnone de Cura equitii p. 9.

p. 9. verſ. germ. qui recte etiam contra Ariſtotelem demonſtrat, equum aquam puram in potu amare, poſt potum tamen aquam vngulis proculcare et turbare. Forte Palladii praeceptum pertinet ad pullos. idem enim in mulis teneris poſuit noſter infra cap. 37. ſ. 11.

proceris herbis] Recte enim iam olim Hippocrates de Articulis p. 785. armenta ſeu boues paſcuorum herbas proceras ſectari, quas labris craſſis linguaque in faſciculum collectas et contortas faucibus ingerunt. Equos contra recte monet dentibus prioribus, quibus boues et reliqua ruminantia animalia carent, herbas humiliores ſectas depaſci.

vulgaribus equis] Palladius: *caeterae paſſim toto anno inter paſcua dimiſſis ſecum maribus impleantur.* vbi Cod. Pol. omittit *paſſim* et Edd. optimae *admiſſis* habent. Rationes, cur generoſi equi non ſit paſſim in paſcuis cum equabus dimittendi, ſed ſeparandi et ſtabulis continendi bene explicuit Brugnone p. 111.

3. *mares iungentur*] Ex Sang. *iniungentur* poſuit Gronov. et comparauit locum cap. 37. ſect. 2. *marem feminae iniungi.* vbi nulla eſt ſcripturae varietas. Cf. infra c. 27. ſ. 3.

meſſem] Vulgatam *poſt anni meſſem* falſam eſſe, viderat etiam Vrſinus, qui eam ita corrigebat: *poſt annum enixae.* vt infra cap. 28. vt poſt tertium annum enixa fetum educet. Geſner ex loco Plinii VIII. ſect. 66. vbi eſt: *partum vndenis menſibus ferunt, duodecimo gignunt:* legi volebat *poſt vndenum menſem.* Pontedera legi volebat: *annum menſum.* Broukhuſius *annum emenſum*, quam poſteriorem rationem magis probauerim, quam alteram Pontederae.

duodecimo] Palladius: *equarum natura eſt partum ſpatio duodecimi menſis abſoluere.* accuratiſſime tempora partus definiit Brugnone de cura equitii p. 150 ſeqq. ex cuius obſeruationibus patet, tertio decimo fere die poſt menſem vndecimum parere equas.

8. *equos autem pretioſos*] Palladius: *illud in admiſſariis ſeruandum eſt, vt mediis aliquibus ſpatiis ſeparentur, propter noxam furoris alterni: ſed his armentis paſcua legamus* etc.

ad praeſepia] Palladius: *Hoc menſe* (Martio) *ſaginati et bene paſti ante admiſſarii generoſis equabus admittendi ſunt, et repletis feminis iterum ad ſtabula reuocandi.*

9. *mulos*] Veteres libri *mulae*, ſed quoniam neo muli neo mulae nec ineant neo ineantur, *tauros* legi volebat *Pontedera.* De taurris idem Varro II, 5. Columella infra cap. 24. et alii.

verumtamen] Accuratius Palladius: *neque tamen aequalem numerum omnibus debemus adhibere, sed aestimatis viribus vnius cuiusque admissarii submittenda sunt pauca vel numerosa coniugia, quae res efficiet admissarios non parua aetate durare. Iuueni tamen equo et viribus formaque constanti non amplius quam duodecim vel quindecim debemus admittere, caeteris pro qualitate virium suarum.* Plinius 8. f. 66. *nec tamen quindecim initus eiusdem anni valet tolerare.*

isque admissurae] Lectionem libri Goesiani vulgatae praeferebat etiam Pontedera, in qua nihil immutaui, nisi quod ex Sangerm. posui *vsque in annos* cum ille *vsque* omitteret. Ita enim infra c. 28. est de eadem re *vsque in annum vicesimum.* In vniuersum valet de equitio obseruatio, maturitatem corpus nisi post mutatos dentes non adipisci. Praeterea sunt genera quaedam seu potius rationes equorum, quae serius maturescunt, sed senectute viridi et robusta compensant imbecillitatem iuuentutis. Hoc de equis Cappadocibus Oppianus Cyneg. I. 200. de Mauris Nemesianus vers. 280. de Lemouicensibus Galliae tradit Brugnone p. 100.

10. *proritatur*] Hanc lectionem Sang. probauit etiam Drakenb. ad Liuium T. I. p. 363. Vulgatum *perfricatur* iam olim Vrsinus mutabat in *vellicatur* et vocem *equi* post *nares* delebat, in quo consentientem habet Codicem Goes. qui sententiam deinceps sic continuat: *Equa rursus si qua marem.* Satis eleganter! Reliqua pars correctionis Vrsini, qua legi volebat: *detersi loci* inutilis est. Goesiani libri lectionem praeferebat Pontedera cum Gesnero.

scilla] Palladius: *trita squilla naturalia eius infecta libidinem concitabunt.* Vrtica perfricare naturales partes iubet Plinius 22. f. 15. cum Hippiatr. p. 56.

vulgaris] Copulam *ac* cum Vrsino addi voluit Morgagni.

obsequium feminae] Ita vulgatam: *obsequium, femina* corrigendam esse viderat Vrsinus, recte comparans locum cap. 36. *degener ac vulgaris asellus admouetur, qui solicitet obsequia feminae.* Eiusmodi admissarium nostri vocant *Probierhengst, Spürhengst.*

11. *neque opere*] Palladius: *Deinde grauidae non vrgeantur, nec tamen vel frigus tolerent, nec inter se loci comprimantur angustiis.*

angusto clauso] Vulgatam *clausoue* ex libris optimis correxi monente Pontedera. Columella enim clausum simpliciter dicere amat locum clausum. Vide VII. 6. 5.

feli-

felicula] Ita libri optimi pro *filicula*. De vocabulo et radice ipsa, quae intelligatur, vide ad Caton. c. 158.

12. *manu contingendus*] Palladius: *quia eos tactus laedit assiduus*. vbi forte vitium haesit. Vulgo h. l. edebatur *laeuissimo*.

tantum curâ] Palladius: *quantum ratio patitur, defendatur a frigore*. Ex lectione Codd. vitium suspicari licet; nec tamen *tanta*, quod illi offerunt, probauerim.

13. *amore natorum*] Plinius 8. f. 66. *praeter ceteras fetum diligit*.

alternis] Palladius: *generosas equas et quae masculos nutriunt, alternis annis submittere debebimus, vt pullis puri et copiosi lactis robur infundant; caeterae passim replendae*. Consilium hoc ipsum Varronis II, 7. et Aristotelis H. A. VI. 22. rationibus idoneis comprobauit Brugnone p. 146. Ceterum mulum lactare vult menses sex, equum vero longiore tempore Aristoteles H. A. VI. 22. Duos annos ponit Varro II. 7. vnum Plinius XI. sect. 95.

Cap. XXVIII. *trimo*] Palladius sect. 7. *aetas incipientis admissarii quinti anni initio esse debebit; femina recte bima concipiet, quia post decennium iners ex ea soboles et tarda nascetur*. Vnde apparet, eum h. l. legisse *quadrimo*, sed vulgatam tuentur Varro II. 7. et Geoponica XVI. 1. vbi vide notas. Deinceps *qui praecepit* ex Sang. annotauit Gronov.

Democritus] Eadem exstant sub Africani nomine in Geopon. XVII. 6. Hippiatr. I. 15. quae paucis hodie probantur iisque omnium ineptissimis hominibus.

Cap. XXIX. *nouae rei neque*] Ita praeclare Sangerm. liber. Vulgo *nouaeque rei auditu*.

corporis vero formâ] In Sang. haec verba praecedunt: *Aliud ex eodem*.

2. *nigris oculis*] Palladius *magnis*.

auriculis et erectis] Varro: *auribus applicatis*. Palladius: *breues et argutae*. Geoponic. προσεσταλμένα ex Varrone.

ceruice molli] Palladius Isidori habet *erecta ceruix*. Virgilio et Horatio: *ardua ceruix*. In Varrone legendum cum Pontedera: *ceruice molli, non angusta*.

densa iuba] Varro: *iuba crebra, subcrispa, inclinata in dexteriorem partem ceruicis*. Ita etiam Geoponica, Palladius simpliciter *coma densa*.

armis

armis et rectis] Varro *scapulas et humeros latos* habet. Geoponica: ὠμοπλάτας μεγάλας, βραχίονας ὀρθάς. Xenophon: ἡ δ' αὖ ὑψηλὴ ἀκρωμία τῷ τε ἀναβάτῃ ἀσφαλεστέραν τὴν ἕδραν καὶ τοῖς ὤμοις καὶ τῷ σώματι ἰσχυροτέραν τὴν πρόσφυσιν παρέχεται. In equa propter pelvis lumborumque eminentium formam armi fere pares sunt altitudine lumbis, vt recte annotat Brugnone p. 68.

lateribus inflexis] Palladius: *latus longissimum* seu, vt Isidorus habet, *longum substrictius*. Xenophon: πλευρὰ βαθυτέρα καὶ πρὸς τὴν γαστέρα ὀγκωδεστέρα, i. e. latera profundiora et ad ventrem ampliora. Ex Xenophonte tamen Pollux habere videtur πλευρὰς βαθείας, προμήκεις πρὸς τὴν γαστέρα, καὶ ὀγκωδεστέρας, i. e. profunda, longa, et ad ventrem ampliora.

ventre substricto] Varro: *ventre modico*. Geoponica: κοιλίαν εὔογκον. Pelagonius ibidem: γαστέρα συμπεπιεσμένην καὶ τοῖς λαγόσι συνεσταλμένην.

testibus paribus] Ita etiam Palladius sect. 8. vbi breviter sic: *nunc domandi sunt pulli, vbi tempus bimae aetatis excesserint. Consideranda sunt magna, longa, musculosa et arguta corpora, testiculi pares et exigui et caetera quae in patribus dicta sunt.*

latis lumbis] Varro: *lumbis deorsum versum pressis, scapulis latis*. vbi Vrsinus legi volebat *lumbis d. v. pressis ac latis*. Xenophon laudat ὀσφὺν πλατεῖαν καὶ βραχεῖαν, i. e. lumbos latos et breues. In equa lumbi magis exstant et latiores sunt quam in equo, quae fabrica debetur diuersae pelvis structurae, quae necessaria est ad foetum capiendum tuendumque, vti docet Brugnone p. 68.

3. *aequalibus*] Varro: *cruribus rectis et aequalibus introuersis potius figurata, genibus rotundis nec magnis*. Hanc librorum optimorum lectionem ita emendabat Pontedera: *non introuersis, potius figura alta*, vt Varroni conueniret cum Columella in altitudine crurum. Sed Aldus ita edidit verba Varronis, vt eorum ordo magis conueniret cum Columella; ita enim vulgo legitur: *cruribus rectis et aequalibus, genibus rotundis, nec magnis, nec introrsum spectantibus*. Lectionem librorum optimorum *mollibus* praeferebat Pontedera, et *crura mollia* Virgilii Georg. III. 76. comparabat. Etiam Heinsius Aduers. IV. p. 626. lectionem Sangerm. probabat, et recte Graecum ὑγρὰ σκέλη comparabat.

clunibus] Palladius: *maximi et rotundi clunes*.

feminibus] Geoponica: μηρὸς μεμυωμένος. *numerosis* intellige vt sect. 2. in pectore; *musculorum toris numeroso*.

Hortum

Hortum numerosum noster X. 6. gymnasium numerosius laxiusque Plinius Epist. X. 48. vbi vide Gronouii notam.

vngulis] Varro simpliciter *vngulas duras* memorat, reliqua omittit. Palladius: *pes siccus et solidus et cornu concauo altius calciatus — vngulorum solida et fixa rotuniditas.* Geoponica: ὁπλὴν εὐπερίγραφον, καὶ πάντ ̔ εν ὁμαλῶς συμπεπηγυῖαν, βάτραχον μικρὸν, ὄνυχα στερεόν. vbi βάτραχος, rana, est pars mollis in ima vngulae parte seu solea, Xenophonti χελιδὼν, seu hirundo.

coronae] Supra in boue cap. 15. 2. *suffragines coronae ac discrimen ipsum quo diuisa est bouis vngula.* Articulas circa coronas equi habet Vegetius I. 13. 1. coronas vel ungues Idem I. 56. 30. nominat. Idem II. 54. 2. sanguinem ei desub cirrho vel de coronis detrahes. Quid velit Columella, disces ex Xenophonte de Re equestri I. 4. vbi, postquam formam ipsius vngulae exposuerat in bono et generoso equo, ita pergit: δεῖ τοίνυν καὶ τὰ ἀνωτέρω μὲν τῶν ὁπλῶν, κατωτέρω δὲ τῶν κυνηπόδων ὀστᾶ μήτε ἄγαν ὀρθὰ εἶναι, ὥσπερ αἰγὸς, ἐδὲ μὴν ἄγαν ταπεινὰ τὰ ὀστᾶ δεῖ εἶναι. De eadem re Hippiatrica p. 262. ὅσοι δὲ ἐν τοῖς μεσοκυνίοις τὰ ὀστᾶ ὀρθὰ ἔχουσιν, ἄγαν κακοπερίπατοί εἰσι — λέγονται δὲ ἐλαφόποδες καὶ οἱ ἐν τῷ αὐτῷ τόπῳ ἔχοντες βραχέα τὰ ὀστᾶ καὶ ταπεινά. Coronae igitur dicuntur et continent partem inter vngulas et cirrhum pedis mediam; pars ea, cui cirrhus appenditur, κύνες et κυνήποδες dicitur; pars abhinc media inter cirrhum et vngulas, μεσοκύνιον, Latinis *coronae.* Qui ossa huius partis nimis longa et recta habent equi, capris similes, equitem fatigant; qui nimis breuia, ceruis similes, atterunt facile partem supra coronas in via lapidosa et glebosa.

4. *mores autem*] Palladius: *mores, vt vel ex summa quiete facile concitentur, vel ex incitata festinatione non difficile teneantur.* Cum h. l. antea vox *concitati* desideraretur, Vrsinus emendabat vulgatam: *ex placido et concitato mixti.* Quam emendationem inutilem fecit lectio Cod. Goesiani et Sangerm. quam confirmat locus Palladii. Accedit Pelagonius Hippiatric. p. 57. τρόποι δὲ ἵππων ἐπαίνετοί εἰσιν ὅταν ἀπὸ πρωτέρων διεγηγερμένοι εὑρεθῶσιν, καὶ πάλιν ὅταν ἀπὸ κεκινημένων πρᾶεῖς γίγνωνται. ἔτοι γὰρ εἰς τὴν τοιαύτην ὑπηρεσίαν χρήσιμοι τυγχάνουσι καὶ εἰς καμάτους ἱκανοί. Hic etiam locus verbotenus ex Columella translatus, (graecitas etiam paene barbara versionem arguit) docet, librorum optimorum lectionem *certaminum laborem* veram esse, quam paulum immutaui ex cap. 27. 13. vbi est: *quo firmior pullus — laboribus certaminum praeparetur.* Etiam vox *patientissimi* satis defen-

defenditur a graeco ἱκανοὶ Pelagonii; atque immerito eam Pontedera eiiciebat cum Edd. alias optimis. Vulgo edebatur: *certamina laboremque.*

Cum corpore] Vegetius IV. 5. 2. *cum aetate notae corporis.*

Dum bim[illegible]] In hoc loco grauiter peccauit aut ipse Columella aut potius librarii. Vitium tamen antiquissimum arguunt, qui haec transcripserunt Palladius et Vegetius. Varro enim II. 7. recte et approbante Aristotele, Plinio aliisque ita tradit: *equus triginta mensium primum dentes medios dicitur amittere duo superiores, totidem inferiores. Incipientes quartum agere annum itidem eiiciunt, et totidem proximos eorum, quos amiserunt. et incipiunt nasci quos vocant columellares. Quinto anno incipiente item eodem modo amittere binos. quos cauos habent tum renascentes eis, sexto anno implere, septimo omnes habere solent renatos et completos.* In re tam certa et constante vix potuit Columella tam enormiter a rerum natura et veritate aberrare; relinquitur igitur, vt librariorum errorem accusemus. Atque in Palladio quidem, qui h. l. exscripsit, meliorem lectionem habet Vincentius; ita enim excerpsit: *quadrimo eorum proximi mutantur.* Deinceps Codex Polit. rectius item habet *intra quintum annum molares superiores cadunt.* Ex vestigiis igitur lectionis, in Palladio seruatae a Vincentio, ita emendandus est Columella: *cum quartum agit annum, iis, qui proximi sunt, deiectis, alios affert; et nascuntur, qui canini appellantur.* Fortasse tamen propius consequimur veram Columellae scripturam, si fideliter ab eo Varronis auctoritatem, vt in reliquis expressam, ponemus, et ex *columellaribus* ortos *molares*, qui equo nunquam cadunt, errore librarii censeamus. Igitur ita fuerit legendum: *et nascuntur, qui columellares appellantur.* Deinceps ex fide Codicis Politiani in Palladio, auctoritate Varronis et fide naturae rerum ita legendum est: *intra quintum deinde annum vltimi superiores cadunt.* Molares enim fuerunt a librario effecti ex *columellaribus*, quos deinde alius interpretatus est caninos. Atque ita vtrumque vocabulum *molares* et *canini* verbis Columellae diuerso tamen loco fuit adsutum. Deinceps inserenda et redintegranda sunt verba, alieno plane loco posita: *ex eo cavatos gerit.* quae Vegetius eodem ordine sic reddidit: *et ex eo cauatos* (liber alius *cauos*) *habere incipit dentes.* Palladius plane omisit. Itaque post superiora statim retracta haec verba subiungo: *cadunt. et ex eo cauatos gerit, qui renascuntur. Sexto anno* et reliqua. Ita enim Varro: *quos cauos*

habent

habent tum renascentes eis, sexto anno implere. vbi pessime olim legebatur *quos caninos habent.* Caui sunt hi dentes renati omnes non solum in radice, sed in superiore etiam facie et sensim replentur, ita, vt post septimum aetatis annum omnes repleti et plana superficie superiore reperiantur. Postremi tamen vtrinque diutissime omnium cauitatem monstrant aetatemque ita significant; nam postremi omnium renascuntur, et primum quidem superiores, deinceps inferiores, nec eodem vt reliqui interuallo, sed paulo maiore. Canini inter medios et postremos medio nascuntur tempore. De incisoribus vbique loquor; nam molares signum aetatis non habent; nec eos vnquam cadere hodieque omnes consentiunt rei equestris scriptores. Attamen Apsyrtus in Hippiatricis p. 227. tradit, equos, dum primos dentes eiiciunt, simul primores vtrinque maxillares quaternos mutare: *εὕρομεν δὲ ὅτι οἱ πρωτοβολοῦντες ἐν τῷ αὐτῷ χρόνῳ βάλλουσι τοὺς γομφίους τοὺς ἐμπροσθίους ἄνωθεν ἕνα καὶ κάτωθεν ἕνα ἐξ ἀμφοτέρων τῶν μερῶν τοὺς πρώτους, καὶ τὰς προσφυὰς τὰς πρὸς αὐτοὺς ἀλλάσσουσιν.* vbi quae dicantur *προσφυαὶ* intelligitur ex numero, quem ponit dentium omnium quadraginta, exceptis quas iterum dicit *προσφυάς.* Addit deinde, asinum et mulum dentes habere triginta sex, praeterea item quas dicit *προσφυάς.* Scilicet recte is cum molaribus numerauit dentes minutos, caninis fere similes, radicibus primorum molarium appositos, quos in magno craniorum equinorum numero, quae coram habebam, dum haec commentabar, duo tantum crania gerebant. Vnum vero cranium dentes incisores medios vtrinque quaternos mutatos, sed nondum repletos, sed cauos adhuc monstrat; quibus assident postremi vtrinque incisores, mox casuri; inter quos et medios incisores vtrinque in alueolis adhuc latent, qui renati postremos reparare debebant. Canini adsunt minuti et acuti. Sed desunt, quas Apsyrtus *προσφυὰς* dixit; quae fortasse vt canini plerumque maribus sunt peculiares et proprii. Has equidem in superiore tantum maxilla vidi hucusque, neque aliter eos in equo annotauit Daubenton; Apsyrtus vero in vtraque adesse eas statuit et cum primis molaribus mutari. Neutrum obseruatum a quoquam hucusque memini; credo tamen Apsyrto affirmanti. In asino Daubenton aequalem dentium numerum cum equo annotauit. Reliqua de natura dentium equinorum dedi ad Varronem. Postquam haec scripseram, vidi diligentissimum Brugnone de Cura equitii p. 296 et 298. docere, pullo trimo binos vtrinque primorum molarium dentium, quos tunc habere solet numero quater-

nos

nos vtrinque, excidere, eorumque in vicem subire ternos vtrinque. Idem simul annotauit, molarium equi mutationem iam olim obseruatam fuisse ab Italo Ruini Anatomia del cavallo I. cap. 41. et Franc. Liberati, La Perfezione del cavallo I. c. 24. quibus adde La Fosse Tom. I. tab. V. fig. 39—43. Idem denique Brugnone egregie explicauit primordia pullinorum dentium p. 294 seqq. Quod Apsyrtus ait, pullum castratum, postquam dentes mutauerit incisores, caninos retinere pullinos et breuiores προσφυὰς germinare, falsi conuicit idem Brugnone p. 253.

superiores] Vegetius: *superiores cadunt, quos lactantes vocant.* Ita etiam ex h. l. Palladius sect. 9. vbi tamen Codex Politiani vocem *superiores* omittit. Pergit Palladius: *quadrimo canini mutantur.* vbi Vincentius habet: *quadrimo eorum proximi mutantur.*

molares superiores] Vegetius: *molares cadunt.* Palladius tamen ex h. l. infra sextum annum molares superiores cadunt. vbi Codex Polit. *intra quintum annum* habet.

5. *manifesto*] Vegetius: *sciri ad fidem potest, nisi signis aliis, quae vsus edocuit. Decimo namque anno.* Palladius: latent abhinc aetatis notae. Verba: *et ex eo cauatos gerit* omisit Palladius. et deinde: *sed prouectioribus* tempora cavari incipiunt. Ex Vegetio paulo antea malim *omnes explet.*

canescere] Pergit Vegetius: *duodecimo anno nigredo in medietate dentium apparet.*

dentes prominere] Ita et Palladius. Varro II. 7. 3. *his* (septennibus) *maiores qui sunt, intelligi negant posse, praeterquam cum dentes sunt facti brocchi et supercilia cana et sub ea lacunae, ex obseruatu dicunt eum equum habere annos sedecim.* Ita etiam Apsyrtus Hippiatric. p. 227. ὅταν τὰς ὀδόντας ἔχων φανῇ προπεπτωκότας, ἔχῃ δὲ καὶ τὰς ὀφρῦς πολιὰς καὶ τὰ ὑποκάτω τῶν ὀφρύων κοιλότερα καὶ τὰς ὀφθαλμὲς — ὅτι ἐστὶν ἐν τῷ ἑκκαιδεκάτῳ ἔτει ὁ ἵππος. Plinius XI. c. 64. Absumta hac obseruatione senectus in equis et ceteris veterinis intelligitur dentium brocchitate, superciliorum canitie et circa ea lacunis, cum fere sedecim annorum existimantur. Cum Varrone, vti vides, faciunt Plinius et Apsyrtus; itaque Varronis locum non licebit cum Vrsino emendare ex Columella; sed Columellam potius debebimus ad istam normam exigere. Columellam qui exscripsere, Palladius et Vegetius, hic quidem dentes prominentes plane omisit, et duodecimo anno dentes cauari annotauit: decimo tamen anno canitiem superciliorum et tempora cauata attribuit. Palladius simpliciter aetate prouectioribus notas istas tribuit.

Igi-

Igitur pro Columellae lectione vulgari solus stabat Vegetius, infirmus sane cognitor atque auctor. Dentes prominent in senescentibus equis, dum gingiuarum carnes retrahuntur.

Cap. XXX. *macies*] Eumeli locus in Hippiatr. p. 184. simillimus huic est de eodem morbo: *σίτῳ καὶ κριθαῖς κεφρυγμένοις ἀναληφθήσονται. πολλάκις δὲ καὶ οἶνος ἐν τῷ παρ' αὐτῶν κινομένῳ ὕδατι μιγνύμενος, μέχρις ἂ τὴν κατὰ φύσιν ἀναλάβωσι ῥῶσιν, ὠφελήσει. τὰ δὲ τῶν τοιούτων σώματα πολλῆς τῆς τρίψεως δέονται, πρὸς τὸ διὰ αὐτῆς πλείονα τὴν ὄρεξιν τῆς τροφῆς λαμβάνειν. χρὴ δὲ καὶ ἐν τόπῳ ξηρῷ αὐτὰ ἵστασθαι, τοῦτο γὰρ καὶ τῷ σώματι καὶ τοῖς ὄνυξιν αὐτῶν συμβάλλεται.* Apsyrtus in Geoponicis XVI. 3. *ἐὰν ἰσχαίνηται ὁ ἵππος σίτῳ φρυγέντος ἢ κριθῶν ἐπτισμένων διπλάσιον παραβλητέον αὐτοῖς καὶ τρὶς τῆς ἡμέρας ποτιστέον. εἰ δὲ ἐπιμένοι — πίτυρον τῷ σίτῳ μικτέον καὶ ἡρεμαίας γυμνασίας χρηστέον.* Hordei fricti et moliti offis demissis in aluum maiores vires torosque corpori fieri iumentorum tradit Plinius XVIII. f. 18.

2. *axibus*] Palladius I. 21. *plancae roboreae supponantur stationibus equorum cum stramine, vt iacentibus molle sit, stantibus durum.* Vegetius 2. 58. *si iumenta mundissime et sine stercore vel humore stabulentur, et roboreis pontibus stabula consternantur.* Vide ad Vegetii I. 56. 2. Postea ex Bruschiana malim *emundata fuerint*, *humo et palea superiecta.* Inepte enim *humus stabulorum* dicitur emundari, cum ea sint constrata assibus. Paulo post legendum censeo: *vel si cum sudant a concitatione confestim biberint.*

3. *et calefacto*] Haec ex libro Goes. et Sang. inserta volebat etiam Pontedera Columellae restitui.

4. *si vrinam*] Vegetius III. 15. 23. *pulverem turis oumque crudum cum vino dulci permixta peros conuenit dare; oleo cum vino permixto et calefacto supra renes et ilia inungens confouebis — collyria longa et tenuia foramini immittitur, quo emanat vrina. Musca quoque viua loco ipsi immittitur vel mica turis apponitur et de bitumine collyrium inseritur, vt prouocet vrinam.* Vnde vulgatae lectionis h. l. vitia adstipulantibus etiam libris optimis correxi. Tentaueram etiam verbum *infunditur* mutare, sed deinde incidi in locum Hippiatricorum p. 184. vbi contra genitalia procidentia idem remedium ita proponitur: *ἔλαιον μετὰ οἴνου μίξας ἐπὶ τὰς ψύας ἐπίχεε. εἰ δὲ μὴ ὠφελήσει, ἐκ μέλιτος ἑψηθέντος καὶ ἁλὸς ποιήσας κολλύριον λεπτότατον ἔμβαλλε τῇ ὁπῇ ὅθεν τὰ ἔρα διαφορεῦνται, ἢ μυῖαν ζῶσαν ἢ ψύχα λιβανωτοῦ, ἢ ἀφάλτου κολλύριον, ἢ σκορόδου μέρος τῷ αὐτῷ τρόπῳ ἔμβαλλε.*

decusserit] Haec sensu carent. Optimi libri omittunt *urina;* quae varietas vitium arguit, quod ex loco Hippiatricorum antea allato feliciter emendari posse censeo legendo *si genitalia prociderint.* Eadem remedia et in hoc vitio valent; nam irritatione partium stimulant atque excitant naturam, vt procidentia retrahat genitalia. In Br. est *deusserint,* Ald. *deusserit.* quas lectiones omiserat Gesner.

In postero autem] Edd. I. B. R. Goes. *inde postero* habent. Atque ita etiam Sangerm. teste Drakenb. ad Liuium T. III. p. 79. Deinceps *autem* Edd. I. B. R. *ante* substituit liber Polit. et Goes. quare malim *inde postero ante potio — praebetur.* atque ita plane esse in Sang. testatur Gronouius.

5. *flaccidae*] Verbotenus Hippiatrica p. 248. ὥτα διεστραμμένα ἤτοι ὑποκεκλασμένα — τὴν ὑπὸ τὸν ὀφθαλμὸν φλέβα.

primo die] Malim ex libris optimis *prima die. Inde postero.*

tum — substernitur — datur] Haec omnia omittunt Hippiatrica.

6. *cum vicialibus*] Pessime Iucundus, eumque secutus cum Vrsino Gesnerus scripserat: *viciae lib. II. S.* docente loco Hippiatr. τῇ δὲ τρίτῃ κριθὰς μετὰ βικκείου χόρτου ἐσθίειν ποίει, κατ' ὀλίγον δὲ ποριζέσθω, ὥστε τὴν κατὰ φύσιν ὑγείαν λαμβάνειν. vbi male editur ποτιζέσθω. Sed ne sic quidem apparet, qui interpres τὴν κ. φ. ὑγείαν verterit *iusta,* nisi forte ὑγείαν vitiose scribitur. *Vicialia* dicuntur, vt apud Varronem I. 23. 3. et alibi *fabalia,* culmi viciarum siccati. Deinceps *perducatur* restitui ex Brusch. et Aldina priore; refertur enim ad *equum* et *ieiuno.* Male Gesner *perducantur* dedit.

aut sanguinem] Vrsinus malebat *ita, vt sanguinem demi necesse sit, tumidiores in vtroque.* Contra Gesner sanguinem in pedes demissum in morbo cap. 12. 1. et 38. 3. opponit; itaque intelligere oporteret sanguinem in armos demissum. At enim Hippiatrica p. 89. vbi hic locus exstat verbotenus, haec verba omittunt, nec Vegetius habet; itaque mihi quidem coniectura Vrsini probabilis videtur.

exinaniatur] Vegetius: *quod si plus profluat quam necesse sit.* Hipp. ἵνα μὴ ἔξαιμον γένηται τὸ ζῶον. vbi est ἐν μέσῳ τῶν ἀντικνημίων pro verbis *in medio crure.* Ceterum lectio Brusch. et Sangerm. *exaniметur* mihi quidem exquisitior videtur.

7. *postero*] Vegetius: *postero quoque die quasi epaphaeresis fit et ex iisdem locis.* Pro *curetur* in Hipp. est τῷ αὐτῷ τρόπῳ περιόδευε.

post

post triduum] Vegetius: *foeno sustentabitur coriguo per triduum. deinde porri.* Hinc confirmatur lectio, quam recepi, et damnatur vulgata *dato*. *Postridie.* μετὰ τρίτην ἡμέραν — ὅσον τρεῖς κυάθους — ἐλαίου λίτρας ἡμισείας. Hippiatrica.

piscinam] Vegetius addit *vel flumen aut mare vti natet, cum spartea et pannis vincto pede. postea firmioribus cibis ad saginam pristinam reuocandus.* Hippiatrica: καὶ ὅταν ἀναπατήσῃ. Videntur Hippiatrica haec aeque atque Columella ex Magone transtulisse, vnde etiam plura in hac ipsa cura transtulit Vegetius.

8. *postea cunila*] Ita pro vulgato *posita cunila* legendum vidit Vrsinus et Morgagni. Ceterum verbotenus haec repetiit Eumelus in Hippiatricis p. 202. ἐπαχθὴς χολὴ διὰ τῆς κατὰ γαστέρα φλεγμονῆς διαγινώσκεται. δεῖ τοίνυν ἐμβάλλοντα τὴν χεῖρα τὴν κόπρον ἀφέλκειν ἔξω, καὶ μετὰ ταῦτα ὀρίγανον ἀγρίαν καὶ ἀγριοσταφίδα καὶ ἁλὸς λεπτὸν μετὰ μέλιτος ἐψημένε μίξαι, καὶ ποιήσαντα πολλύρια ἐμβαλεῖν, τοῦτο καὶ κοιλίαν καθαίρει καὶ τὴν χολὴν ὑπάγει· τινὲς δὲ σμύρνης λελειωμένης γό γ μετὰ οἴνε εἰς τὸν λαιμὸν ἐμβάλλεσι, καὶ τὸν δακτύλιον πίσσῃ ὑγρᾷ ἀλείφεσιν. ἕτεροι δὲ θαλαττίῳ ὕδατι τὴν γάστερα κλύζεσιν. ἄλλοι δὲ νεαρᾷ ἅλμῃ τὸ αὐτὸ πράττεσι. Est ergo cunila bubula origanum silvestre, et pedicularis herba agriostaphis.

9. *vermes*] Ex lectione Codd. Pontedera efficiebat: *vermes tineolae et lumbrici.*

Cap. XXXI. *recens*] Hierocles Geoponic. XVI. 11. ὀρχόμενῳ βήττειν ἄλευρα κριθίνα, ὀρόβων ἢ κυάμων μιχθέντων διδόναι χρὴ πιεῖν.

lentis miscetur] Vrsinus *lenti* corrigebat.

pinsita lente] In Hippiatricis p. 73. sub Eumeli nomine exstat haec formula, vbi est: φακῆς ἀληλεσμένης καὶ ἀπολελεπισμένης ἄλευρον etc. Eadem formula repetitur p. 88. vbi est: φακὴν ἐκλεπισθεῖσαν καὶ εἰς λεπτὰ ἀλεσθεῖσαν — ἐπὶ τρισὶν ἡμέραις ἔγχει.

cacuminibusque] Graece est: ἢ χλόῃ ἢ δένδρων ἁπαλοῖς ἀκρέμοσι.

Vetus autem tussis] Apsyrtus Geopon. XVI. 11. πράσιον τρίβε μετ' ἐλαίου καὶ ἁλὸς οἴνῳ τε διηθηθέντα ἔγχεε.

faucibus infuso] Formula exstat Hippiatr. p. 88. vbi adhibetur remedium ἐπὶ πολλαῖς ἡμέραις. vnde forte lectionem librorum *compluribus* explices de diebus.

2. *aceto et alumine*] Ex Sang. vtroque *ex alumine* annotauit Gronov.

hederae] Vulgatum *agrestis herbae* Vrsinus mutauit in *agrostis*. Pontedera *capparis vstae* tentabat; veram mihi lectionem suppeditauit formula eadem graeca exstans in Hippiatr. p. 191. vbi est *κισσῆ ῥίζαν ἀγρίᾳ*.

Cap. XXXII. *sanguis emanet*] Hanc lectionem cum Ponted. praetuli vulgatae *saniei vis emanat*. Ita cap. 31. papulae vsque eo strigile raduntur, quoad eliciatur sanguis.

candenti sub sole] Ex lectione Sang. *candenti sole* Gesner efficiebat *sero*. Male. Vide tibi Hippiatr. p. 191. *ἡ ψώρα πολλάκις, εἰ μὴ βοηθείας τύχοι, θάνατον ἀπεργάζεται, χρὴ τοίνυν πρότερον ἐν ὕρῳ ἀνθρώπου ζεστῷ τὴν ψώραν ἀπολέειν, ἔπειτα δὲ ὕδατι, καὶ μετὰ ταῦτα ἡλίου θερμοτάτου τυγχάνοντος ἐλαίῳ σχοινίνῳ ἢ κεδρίνῳ, ἢ κυιδῶν σπέρμα καὶ ἅλμην μίξας ἀποτρίβου. εἰ δὲ ἐπικρατέστερον τὸ πάθος εὑρίσκοιτο, ἄσφαλτον μετὰ θείου καὶ πίσσης ὑγρᾶς καὶ ἀξουγγίου παλαιοῦ ἐν ἴσῳ σταθμῷ μίξας καθέψησον. πρότερον δὲ σιδήρῳ τὴν ψώραν ἀποξύσας ἢ σμιλίῳ μέχρι τῆς ζώσης σαρκὸς ἔτω τοῖς προγεγραμμένοις χρῶ*. Vnde apparet h. l. ex lectione Codd. *cedro* efficiendum esse *cedrino*. Vnguen ceti est muria.

ceti quod] Vulgo interfertum *vel* debetur iis, qui *cetum*, vnde cetariae officinae, et cetarii dicuntur, praecipue esse thynnum, scombros et congeneres pisces nesciebant. Thynni adipe recenti vlcera oris curabat Attalus, auctore Plinio 32. s. 27.

2. *vituli*] Plinius 32. sect. 27. lichenas et lepras tollit adeps vituli marini.

veratrum] Hippiatrica omittunt; an igitur fuit olim *sulphur viuum?*

3. *infricata*] Ex cap. 15. Vrsinus corrigebat *infriata*.

Cap. XXXIII. *ieiuna*] Vegetius II. 32. 10. Cicatricibus oculorum medetur ieiuna saliua si cum sale mandatur in ore et expuatur in oculum. Sal quoque tritum cum osse sepiae et sinapis agrestis semine. vbi tamen Sambuci Codex *sem. napii* habent scriptum. Pontedera sinapin praeferebat pastinacae; hodieque ait veterinarios vti contra hoc vitium pipere, croco et ramentis, de cortice viburni abrasis. Sed staphylini semen fere similes habet vires. Ecce tibi Hippiatrica p. 47. ad oculorum *ἑλάς· ἅλας ἔτι νῆστις ὢν διαμασησάμενος τὸν ὀφθαλμὸν πρόσπτυσον, καὶ ἀπολεπτυνεῖς, ἢ σηπίας ὄστρακον ξύσας χρῶ, ἀγριοσταφυλίνου σπέρμα κεκομμένον, καὶ ἀρνογλώσσου χυλὸν μέλιτι ἀττικῷ μίξας χρῶ*. Igitur Vegetius est corrigendus.

2. *aca-*

2. *acapno*] Ita recte Victor. vulgatum *Attico* emendari iussit. Strabo 9. p. 400. ἀκάπνιστον vocat, quod fumus non adhibebatur in eximendo melle hoc attico. Alio sensu dicuntur ligna acapna apud Catonem c. 130. Oleum cum portione mellis acapni oculorum claritati conferre ait Plinius 23. f. 40. Idem 25. f. 91. instillatur plantaginis succus lippitudini. Compara Diosc. 2. 153.

idque repressum] Optimorum librorum *reprensum* mutauit Aldus. Exquisite reprehendere profluuium dicit pro sistere, retrahere ex cursu.

coriandri] Idem potus veneni vires exercet in corpore. Vide ad Nicandri Alexiph. vers. 157 seqq. Eundem in eadem medicina adhibet Vegetius 2. 37.

Cap. XXXIV. *diluuntur*] Vulgatum *adiunguntur* ex libris corrigi iussit Pontedera et Morgagni. Confirmat locus Apsyrti in Geoponicis XVI. 3. ἐὰν δὲ μὴ ἀδδηφαγῇ — μελανθὶς κυάθους δύο τρίψαντες καὶ μίξαντες ἐλαίῳ κυάθους τρεῖς μετὰ οἴνου κοτύλης μιᾶς ἐγχέουσι. *Gith* serit Palladius Septembri 13. Crescentius III. 11. Git est semen nigrum et quasi triangulum, cuius herba nascitur in frumentis et speltis et siligine et vulgariter dicitur gittironos et facit flores rubeos ad modum campanellarum. Est igitur Italorum *Gitterone*, *Gittajone*, Gallorum *nielle*. Sed nigella Linnaei flores campaniformes non habet.

nausea] Apsyrtus Geopon. l. c. ναυτιῶντας θεραπεύσεις σκόροδα κοτύλη οἴνου σὺν ἐλαίῳ μίξας καὶ δός. In Hippiatricis p. 300. est σκορόδου κεφαλὴν μίαν λειώσας μετὰ οἴνου ἡμίνης μιᾶς διὰ κέρατος δίδου.

Cap. XXXV. *nota rabies*] Videtur esse morbus, de quo Aristoteles H. A. VIII. c. 24. τὸ νυμφιᾶν καλούμενον, ἐν ᾧ συμβαίνει καπέχεσθαι ὅταν αὐλῇ τις, καὶ κατωπιᾶν καὶ ὅταν ἀναβῇ τις, τρυχάζει, ἕως ἂν μέλῃ κατά τινας θεῖν. κατηφεῖ δ' ἀεὶ, κἂν λυττήσῃ. Gaza haec ita vertit: quod autem lymphari dicitur, tale est, vt equus ad tibiae sonum quiescat et demittat frontem: cum vero conscenderis, citetur contentius donec retineas. Demissus etiam semper tristisque est, si rabie tenetur. Legit igitur, vt est in Codice Mediceo μέλῃ τις κατασχεῖν. Versio Thomae mutato ordine verborum habet: *detineri, et cum fistulet aliquis recalcitrare, donec vtique possit aliquis retinere.* Notae conueniunt hae cum iis, quas Columella posuit, et nomen ipsum causam, a Columella positam, arguit.

Cap. XXXVI. *parentem*] Nic. Heinsius Aduers. II. p. 276. corrigebat *parentes*, deinde lectionem Sang. affert *si alteri*, vnde efficit *si alter alteri*. quod ipsum dare non dubitaui, cum vulgo deesset *alteri*. Nec fere dubitauerim de altera eius coniectura. Abr. Gronouius malebat *Quorum alter si*.

2. *equam*] Palladius Martio c. 14. *equam magni corporis, solidis ossibus, et forma egregia debet eligere, in qua non velocitatem, sed robur exquirat. Aetas quadrima vsque in decennem huic admissurae iusta conueniet.* Ex quo loco et vestigiis verae lectionis, in Codicibus latentis, vulgatae vitia correxi, quae sic sine sensu habebat: *equam conuenit in annos decem, quousque amplissimae — formae sit. Solida ossa* vnde duxerit Palladius, nescio. Nostram emendationem firmat Plinii locus VIII. sect. 69. *ex asina*, inquit, *et equa mula gignitur mense tertio decimo animal, viribus in labores eximium. Ad tales partus equas neque quadrimis minores, neque decennibus maiores legunt: arcerique vtrumque genus ab altero narrant, nisi in infantia eius generis, quod ineat, lacte hausto. Quapropter surreptos pullos in tenebris equarum vberi, asinarumque equuleos admouent.* Varronis locum II. 5. posuit Heinsius Aduers. II. p. 267. quem demum hanc ipsam correctionem ex Sang. lectione eruisse vidi.

insitam] Heinsius *insititiam* malebat; non ego.

ad foetum] Lips. habet *sectam*. Voluit forte *foeturam*.

diutius] Sang. *dilatius* probabat Heinsius.

atque peracto] Vulgatum *vt quae* ex libris melioribus correxi; suadente etiam Pontedera, qui recte inclusa verba omittunt. Aristoteles H. A. VI. 23. obseruat, ex alieni generis coitu feminas saepius abortum facere, quam ex suo, et addit: ἀποβαίνει δὲ καὶ ὁ τῆς κυήσεως χρόνος, ὅταν μιχθῇ ἵππος καὶ ὄνος κατὰ τὸ ἄρρεν· λέγω δὲ ἐφ' ὅσον χρόνον τεῖνεται ἐξ ὁμογενῶν γενόμενον. τὸ δὲ μέγεθος τοῦ σώματος καὶ τὸ εἶδος καὶ ἡ ἰσχὺς μᾶλλον τῷ θήλει ἀφομοιοῦται τοῦ γεναμένου. Secundum eundem VI. 23. asinus parit mense duodecimo; secundum Varronem hinnus, ex equo et asina genitus, in ventre est menses duodecim vt equus. Mago apud Varronem II. 1. 27. mulam et equam duodecimo mense parere ait.

3. *(vt) equae*] Inclusi, quae Codices duo optimi damnant vocabula. In Brusch. transpositum legitur *vt* post *dictos*. Eadem paulo post *quom* habet pro *quoniam*.

mirabiles] Egregiam Vrsini emendationem vulgatae *mirabilissimam soboles* sententia flagitante substitui. Eandem probauit etiam Pontedera. Multo minus placet Heinsii *mirabi-*

rabiles dissimillimam Aduers. II. p. 266. Gesneri *mirabiles imam* ineptum plane est commentum.

fingunt] Ita recte Codex pro *fingant*. Pessime haec et sequentia in editione Gesneri distinguebantur sic: *fingant; — foeminas: reditum — minuunt.* Male Heinsius l. c. *spatiosi* corrigit; sed is sententia aberrasse videtur totius loci, etsi recte *fingunt* praeferebat. Brusch. *fingent* et deinceps *contempti.* Etiam Ald. *contempti.*

nonnunquam aliquis] Ita optimus liber. Vulgo *aliqui — exhibent — hebetes voluptate — solicitatur.* Plinius tamen *hebetem sensu* dixit, vnde vulgatam defendere licebit aliis. Mecum nunc sentire video Heinsium l. c. qui praeterea ex Sang. habet *natis suis.*

4. *Huiusce*] Locum ex libris optimis emendaui. Paulo aliter ex iisdem libris h. l. constituebat Pontedera legendo: *huiuscemodi mari sensim magistri subadmota generis eiusdem femina — quoniam — natura. itaque obiecta, cum superiectu eblanditi sunt, velut incensum et occaecatum cupiditate subtracta, quam petierat*, etc. Sed ille lectionem libri Sang. ignorabat. Mecum sentire nunc video Heinsium, qui suspicatur, in altera Columellae editione fuisse: *Huiuscemodi maris sensui subadmouere* etc.

femina] Locum mire vitiatum ex vestigiis librorum correxi, nec in lectione Codd. mutaui quid, nisi, vt *obiectae* efficerem ex *obiectu.* Forte tamen ex *obiectu* natum est *superiectu.* Verae lectionis vestigia monstrat etiam Palladii locus, ita ex libro Pol. et Cresc. scribendus: *Si asinus visam equam fastidit admissus, ostensam prius asinam, donec coeundi voluptas solicitetur, postea subducimus, et tunc equam libido incitata non spernet.* Mecum sentire video nunc Heinsium l. c. qui similiter *superiectu* aut *obiectu* otiosum pronuntiabat, adeoque *superobiectu* corrigendum esse suspicabatur. De verbo *eblandire* vide Heinsium p. 267. Ex Sang. Gronouius annotauit *obiectu foeminae cum superiectu — obcaecatum.*

Cap. XXXVII. *vinctus*] Palladius: *si morsu furens laeserit obiectas, aliquatenus labore mitescat.* Plinius VIII. sect. 69. *mares fatigatos melius implere.* Ceterum lectionem Goesiani *iunctus* etiam in Sang. esse testatur Drakenb. ad Liuium T. II. p. 30. et probat. Deinceps pro *admittitur* Sang. *adiubetur* teste Gronouio.

Africae] Locus Varronis est II. 1. 27. Plinius VIII. sect. 69. est in annalibus nostris, peperisse saepius mulas: verum prodigii loco habitum. Idem testatur Herodotus III.

153. Iulius Obsequens cap. 125. Equuleum, e boue natum, inter prodigia refert Liuius. Varro l. c. ex Magone tradit, mulam, vt equam, cum conceperit, duodecimo mense parere. Ecce vero Aristoteles H. A. VI. 24. ὁ δ' ὀρεὺς ἀναβαίνει μὲν καὶ ὀχεύει κατὰ τὸν πρῶτον βόλον. ἑπταετὴς δ' ὢν (Codex Mediceus ἐπιτριετὴς δ' ὢν) καὶ πληροῖ καὶ ἤδη ἐγένετο γίννος, ὅταν ἀναβῇ ἐφ' ἵππον θήλειαν. ὕστερον δ' ἐκέτι ἀναβαίνει. καὶ ὁ θῆλυς ὀρεὺς ἤδη ἐπληρώθη, ἐ μέντοι γε ὥστε ἐξενεγκεῖν διὰ τέλες. Vnde apparet, seriore demum aetate in Africa experimentis mularum foecunditatem fuisse compertam; mulorum autem Graecis bene innotuisse. Ex Aristotele Plinius VIII. sect. 69. in plurium Graecorum est monumentis, cum equa muli coitu natum, quem vocauerunt ginnum, id est, parum mulum. De asinis Africae locus est Democriti apud Aelianum XII. 16. καὶ μάλιστά γε τὲς τῶν Λιβύων ὄνες μεγίστες ἐπιβαίνειν τᾶς ἵππους ἐ κομέσαις ἀλλὰ κεκαρμένας. ἔχεσαν γὰρ τὴν ἑαυτῆς ἀγλαΐαν τὴν διὰ τῆς κόμης ἐκ ἂν ὑπομεῖναι τὸν τοιόνδε γαμέτην οἱ σοφοὶ τὲς τέτων γάμες φασί. Equorum libidinem iuba tonsa exstingui, tradidit etiam Aristoteles H. A. VI. 18. ex eo Aelianus XI. 18. et Plinius VIII. cap. 42. Et equas asinis subiiciendas tonderi, tradit Xenophon de Re Equestri c. 5. et Pollux Onomast. I. 11. Ginnum cum Atlante nominat Martialis VI. 77. mulas pomilias idem habet XIV. 197. Ceterum vulgatum *quam sint nobis* ex Sangerm. correxi.

4. *seminabit*] Palladius: *sed generosius nullum est huiusmodi animal, quam quod asino creante nascetur.* Lips. *seminabitur insinus.* Sang. teste Gronouio *seminabit in asinus.* An fuit *seminauerit asinus?*

Possit] Vulgatum *quanquam possit* correxi; libri enim optimi omittunt *quanquam.*

strigosum] Ex lectione Codicum Pontedera volebat: *strigosumque patris praeferret habitum.* Equidem *praeferrem* recepi, ideoque paulo antea *posset* pro *possit* rescripsi. Si Pontederam sequaris, tum videtur etiam legendum *siluestres mores strigosumque patris habitum.* Ceterum vocem onagri *mugilare* verbo reddere conatus est auctor Philomelae apud Schottum Obs. Hum. p. 100. cuius scripturam confirmat Vincentius Spec. natur. XXII. c. 6. Contra asini rudere dicuntur.

celeritatemque] Palladius: *in sobole secutura agilitatem fortitudinemque restituant.* Plinius VIII. c. 69. *generantur ex equa et onagris mansuefactis mulae veloces in cursu, duri-*

duritia eximia pedum, verum strigoso corpore, indomito animo. Sed generator onagro et asina genitus omnes antecellit.

5. *pretiosior*] Ineptias vulgatae lectionis arguit eiusdem vocabuli repetitio; quare lectionem Cod. Lips. recepi, dum melior aliunde afferatur.

6. *amplissimi corporis*] Palladius: *corpore amplo, solido, musculoso, strictis et fortibus membris.* Nimis breuiter adeoque obscure et inepte! Ceterum de forma asini admissarii accuratius disputaui in Excursu ad h. l. quem vide.

maculosi] Palladius: *nigri vel murini maxime coloris aut rubei.* ex quo cognoscimus, vitium adhaesisse vocabulo *maculosi*, quod arguit etiam varietas lectionis *macilis* et *magilis.* Hinnum etiam *rubicundiorem* et asino similiorem esse ait Varro. Pontedera duce Palladio legi volebat: *magis rubei.* Nihil probabilius excogitare adhuc potui. Murinum asini vulgaris colorem expressit Simonides in Analectis Brunckii T. I. p. 126. σποδιῆς καὶ πάλιν τριβέος ὄνε.

7. *auribus geret*] Palladius *auribus geret* vbi Codex Erfurt. *naribus generet.* Plinius VIII. sect. 68. Ad mularum maxime partus aurium referre in his et palpebrarum pilos aiunt. Quamuis enim vnicolor reliquo corpore, totidem tamen colores, quot ibi fuere, reddit.

auitus color] Hunc locum ex libris optimis correxi. Respicit auctor legem Aristotelicam, quam in plantis etiam sequitur Theophrastus de C. Plant. I. 9. vbi ait, annuas plantas tertio demum anno mutari ad soli naturam et pro eius ratione τότε γὰρ ἀλλοιοῦνται πρὸς τὴν ἐκτελείωσιν ὥσπερ καὶ τὰ ζῶα. καὶ γὰρ ταῦτα τριγονήσαντα συνεξομοιοῦται.

8. *a partu statim*] Vitiosa haec esse, quilibet sentiet, et vitium arguit lectionis varietas. Admonuit etiam Pontedera, sed medelam non attulit. Inepte *statim* repetitur, et *a partu genitus* absurda est lectio. Mallem transpositis verbis: *oportet matri statim a partu subtrahi.* Reliqua sic concinnanda esse puto: *Igitur cum est a patre tali, qualem descripsi asellum, genitus, oportet matri partum statim subtrahi.* Neque enim talis nascitur statim pullus, qualem descripserat Columella, sed aetate demum prouectus signa omnia optimi asini ostendit. Pontedera varietatem ex *protinus* ortam esse suspicabatur et *statim* delet.

ignoranti equae] Varro II. 8. *pullum asininum a partu recentem subiiciunt equae — hic ita eductus a trimo potest admitti; neque enim aspernatur propter consuetudinem equinam. — Qui non habent eum asinum, quem supposuerunt equae* etc.

Eiusmodi admissarium ἱππόθηλαν vocat Aristoteles H. A. VI. 23.

desideranti] Hoc restitui pro vulgato *destinanti*, volebat etiam Pontedera. Idem paulo antea legi volebat *praelectus* pro *praedictus;* nescio quam ob causam. In Sang. esse *nam cum obscuro partu eius admoto, praedictus est, quasi ex ea natus alitur.* teste Gronouio, et sic fere Polit. vnde lacunam huius loci suspicari licet.

9. *sed non oportet*] Palladius: *minor trimo, maior decenni non debet admitti.* Ex quo apparet, quo pertineat varietas lectionis ex libris optimis annotata, qui habent scriptum *trimo mare* aut *inane mitti.* Vulgo pessime legebatur: *minorem quam trimum admitti.* Ex Sang. Gronouius annotauit *Sed ei non — minori quam trimo admitti.* Aliter Ernestiana collatio.

saliuandus] Praeferebat Pontedera veterem lectionem *saginandus* quoniam et Varro admissarium saginandum praecipit. Et de equo admissario noster cap. 27. 8. *roborandus est largo cibo, et appropinquante vere ordeo eruoque saginandus, vt veneri superfit. quidam etiam praecipiunt eodem ritu quo mulos*, (tauros) *admissarium saginare.* Saliuatio fere semper in medicina adhibetur. Equidem dubius haereo, et video in Brusch. esse *salinandus.*

cognouit] Ex varia Codd. lectione Pontedera efficiebat: *conciuit*, i. e. in venerem illexit. Paulo post vocabulum *iniuria* Vrsinus suspicabatur mutandum in *initura depulsum.* Sed sana omnia hic sunt, vt recte etiam monet Gesner. *Tenerae* tamen malim mutare in *temere* cum Pontedera, cuius annotationem omisit Ernesti.

mari iungitur] Pol. liber *iniungitur* habet, quod verbum supra de admissario posuit sect. 2. de foemina recte dici non puto. Supra cap. 27. s. 3. *generosis maris iniungentur* Sangerm. habet; Goesianum *subiungitur* tamen magis de femina probarem; in Sang. *subigitur* est teste Gronouio.

10. *qui duos*] Ex Edd. primis et Codd. legendus est hic locus: *machinam vocant rustici duos parietes — inaedificatos, qui angusto — distant.* Deinceps *clauis munitus* Sangerm.

sequenti anno vacua] Ita praecipit Aristoteles H. A. VI. 23. ἂν δὲ συνεχῶς μίσγηται καὶ μὴ διαλείπῃ χρόνον διὰ ἔτους ὀχευόμενα ταχέως τὸ θῆλυ ἄγονον γίνεται. διὸ συνεχῶς ἐ μίσγεσιν οἵ γε περὶ τὰ τοιαῦτα πραγματευόμενοι, ἀλλὰ διαλείπεσί τινὰ χρόνον.

II. *an-*

11. *annicula*] Palladius: *annicula mula debet a matre depelli.* Igitur etiam h. l. *depelli* praefero. Ita enim Varro II. 2. 17. depulsi a matribus agni. II. 4. 16. depulsi a mamma porci. Columella VII. 6. 8. depellenda soboles.

feris locis] Palladius: *et per montes asperos pasci vt itineris laborem in tenera aetate solidata contemnat.* vbi Crescentius IX. 58. habet: *pasci vt eorum vngulae durescant, et ne itineris laborem in aetate tenera solidati contemnant.* vnde Pontedera inserebat verba: *vt vngulas duret.* Verum Palladius verba ipsa Columellae raro repetit tam multa, sed oratione concisiore vtitur, quam ei reddes et integram simul, si mecum legas: *aetate solidata vngula contemnat.* Ceterum pro *feris locis*, qui nihil ad rem, malim *asperis.* De re Varro II. 8. *iidem si exacti sunt aestiuo tempore in montes, durissimis vngulis fiunt.*

Cap. XXXVIII. *plerumque*] i. e. pleraque. Sallustius Iug. 21. *vbi plerumque noctis processit.* quocum comparauit locum Liuii 45. cap. 9. *per Europae plerumque atque Asiam omnem* Gesneri Thes. L. L. Aptior esset locus Plauti Trinum. I. 1. 7. *plerumque omnes iam sunt intermortui.* sed ibi Lambinus ex Codd. posuit *plerique*, quem secuti sunt alii. Ita infra VII. 3. 9. *noualia quae plerunque sunt vacua spinis.*

propria tamen] Talis est vesicae incontinentia ex comesta rododaphne in Hippiatricis p. 113. memorata.

Febrienti] Lectionem optimorum librorum *equienti* recipere Pontederae auctoritas suadebat. Equas equire domitas diebus 60. annotauit Plinius VIII. sect. 83. Hinc *equimentum* pretium pro equo admissario solutum. *Febrienti*, qui primus dedit Iucundus, nescio an librorum auctoritate fretus fecerit. Sang. tacet; equidem dubius haereo.

2. *suffraginosae*] Mulis et asinis peculiarem morbum aiunt esse Apsyrtus et Hierocles in Hippiatricis p. 164. quem *marmaron* appellant, atque ita describunt: *συμβαίνει ἐν τοῖς ποσὶ μάλιστα τοῖς ἐμπροσθίοις κατὰ τὴν ἔκφυσιν τῆς ὁπλῆς ἣν καλοῦσι στεφάνην.* Quem locum respexit Matthaeus Syluaticus in Pandectis Medicis, vbi ait: *Marmoro. Herodius in libro equorum, vocant, inquit, hanc passionem empirici, sicut quum in pedibus equorum iuxta vngulam, vbi dicitur corona, descendunt humores corrupti, et equus hieme laborat eundo per lutum, et aestate per puluerem.* In equo etiam marmor appellauit Vegetius II. 48. Ceterum Hippiatrica p. 258. *ῥεύματα εἰς τὰς πόδας ἐμπίπτοντα* graece aiunt dici *σείρας, σειρᾶν,*

σειριῶν, aliis χιράματα, Romanis vero ſuffraginem (σφραγενα).

3. *Femina*] Vix me continui, quin *Flemina* reponerem, quam ſanguinem in genua demiſſum cum tumore eſſe e Plinio et aliis docebo ad Vegetium II. 48. 1.

Eſt et] Ex lectione Sangerm. hanc edidi. Vulgo *et* deerat.

ſulphuris] Vulgares huius loci lectiones ex librorum ſcriptorum auctoritate correxi aſſentiente Pontedera. Qui primus *furfuris* induxit Victorius, errore operarum feciſſe videtur.

4. *adeps*] Vide ſupra ad cap. 13. 3. ſcripturam vocabuli variant libri inter *ados*, *adcos*, Sang. teſte Gronouio habet *ades*. Olim *adipes* et *adepes* dictum, deinde in *adeps* contractum. Forte latet ſcriptura aliqua exquiſitior.

EXCVRSVS
AD
COLVMELLAE LIB. VI. CAP. XXXVII. SECT. 6.

De forma aſini admiſſarii et tempore admiſſurae.

Locus antiquiſſimi auctoris eſt Ariſtotelis H. A. V. 14. vbi, aſinus, inquit, tam mas quam femina menſe triceſimo coit; ſed vt plurimum non generant quidquam, in bimatu demum aut trimatu et ſemiſſe foecundi. Aiunt tamen annicula iam concepiſſe ita, vt, quem pepererat, educari poſſet foetus. Accuratius idem VI. cap. 23. Aſinus, inquit, tam mas quam femina menſe triceſimo coit, eodemque tempore dentes eiicit priores; ſecundos autem ſexto menſe atque etiam tertios, quartoſque eodem. Gnomonas ſeu indices hos quartos appellant. Iam annicula aſina geſtauit, ita, vt prolem perficeret atque educaret. Reiicit ſemen a coitu niſi interpelletur; quam ob rem ſtatim poſt coitum verberant propelluntque. Parit menſe duodecimo, vt plurimum vnicum, interdum tamen etiam gemellos edit foetus. Aſinus, poſt equum adſcendens equam, genituram equi corrumpit; ſed equus aſini minime, ſi equa iam ab aſino concepit. Lac grauida habet menſe decimo. Poſt partum die ſeptimo mari iungitur, eoque die iuncta maxime recipit ſemen; ſed poſtea tamen etiam recipit. Niſi prius, quam indicium aetatis amittat, peperit, poſtea non concipit, et per totam vitam ſterilis eſt. Parere vel in conſpectu hominis vel in luce non ſolet,

ſolet, ſed in tenebras ducitur cum parturit. Per totam vitam parit, ſi peperit, antequam indicem amiſerit. Vita aſinis amplior annis triginta, et femina viuacior mare eſt. Cum vel equus cum aſina, vel aſinus cum equa coiit, multo citius abortus conſequitur, quam ſi congeneres coeunt, vel equus cum equa aut aſinus cum aſina. Euenit etiam tempus gerendi vteri, cum equus cum aſino coierit, ad normam maris; id eſt, vt quanto ſpatio temporis mas perficitur, ex congeneribus progeneratus, tanto etiam foetus, quem ipſe procreat, abſoluatur. At magnitudine corporis ſpecie et viribus magis feminae quam mari ſimile euadit. Si frequenter coeant, neque vllo interpoſito tempore ceſſent, quae ita iunguntur, breui femina ſterileſcit. Qua de cauſa non continue coniungunt, qui hanc curam habent, ſed tempus aliquod interponunt. Non admittit aſinum equa, aut aſina equum, niſi aſinus equam ſuxerit. Quare ſubmittunt equabus aſinos, quos hippothelas quaſi equimulgos dicunt. Hi deinde in paſcuis vi ſuperatas, vt equi conſcendunt et coeunt. Subiungam his, quae Plinius tranſtulit VIII. ſect. 68. *Partus a triceſimo menſe ociſſimus, ſed a trimatu legitimus: totidem quot equae et eiſdem menſibus et ſimili modo. Sed incontinens vterus vrinam genitalem reddit, ni cogatur in curſum verberibus a coitu. Rara geminos parit: paritura lucem fugit et tenebras quaerit, ne conſpiciatur ab homine. Gignit tota vita, quae eſt ei ad trigeſimum annum. — Conceptum ex equo ſecutus aſini coitus abortu perimit: non item ex aſino equi. Feminas a partu optime ſeptimo die impleri obſeruatum eſt: mares fatigatos melius implere. Quae non prius quam dentes, quos pullinos appellant, iaciat, conceperit, ſterilis intelligitur, et quae non primo initu generare coeperit.* Idem XI. ſect. 96. *aſinae praegnantes continuo lacteſcunt; pullis earum, vbi pingue pabulum, biduo a partu maternum lac guſtaſſe letale eſt. genus mali vocatur coloſtratio.* Idem ibidem ſ. 95. *Aſinis a fetu dolent mammae; ideo ſexto menſe arcent partus, cum equae anno prope toto praebeant.* et ſect. 64. *Aſinorum genus triceſimo menſe ſimiliter amittit, deinde ſenis menſibus. quod ſi non prius peperere, quam decidant poſtremi, ſterilitas certa.* Quae priuſquam comparemus cum Ariſtotelicis, addere lubet, quae Ariſtoteles repetiit de Generatione II. 8. Primum igitur repetit, feminas non continue concipere poſſe et geſtare ſemper, ſed equus interpoſito tempore admitti debere. Deinde aſinam non facile ſemen recipere, ſed cum vrina eiicere; (ἐξουρεῖ) quapropter verberibus in curſum propelli. Propter naturae frigiditatem aſinos non admitti aſinae,

nae, vt in equis fieri ſoleat, aequinoctio, ſed aeſtiuo ſolſtitio, vt pulli tempore calido naſcantur; eodem enim tempore parere, quo coierit, atque vterum gerere per annum aſinum et equum. Denique repetit, aſinam, niſi poſt primum dentium iactum generare coeperit, per reliquam vitam ſterilem eſſe. Obſeruationem de conceptu equae ſecuto aſini coitu corrupto falſi arguit Brugnone p. 208.

Redeo nunc ad alterum Ariſtotelis locum, eiuſque ſingulas partes comparatis notitiis omnibus et interpretationibus Plinii illuſtrare conabor. Primo loco dentes pullinos primos, ſecundos, tertios et quartos enumerat; poſtremos indices appellari aetatis et vere eſſe ait. Vbi cur quaternum numerum adhibuerit, equidem neſcio. In equo, qui quadraginta dentes, ſenos nempe inciſores cum caninis binis vtrinque habet, cum aſinus auctore Apſyrto Hippiatric. p. 227. triginta ſex habeat, ternum modo dentium iactum (βόλον) numerat Ariſtoteles cum aliis, ibique poſtremi vtrinque inciſores renati aetatem vſque ad annum octauum indicant.

Deinde ſterilitatis indicium inde repetit, ſi poſt primum dentium iactum non generauerit; altero vero loco habet: *niſi peperit antequam indicium aetatis amiſerit πρὶν τὸ γνῶμα λεῖπειν.* quae Plinius vertit: *antequam decidant poſtremi pullini.* De re ipſa teſtimonium nullum certum compertum habeo. Nunc inprimis illud quaerebam, cur poſtremi pullini quarti dicantur, iidemque aetatis indices, cum in equo non pullini poſtremi, ſed iis ſubnati et permanſuri inciſores poſtremi aetatis indicia habeant? Nihil hucuſque reperi, quod curioſo lectori ſatiſfacere poſſet.

Poſtea vrinam genitalem inepte Plinius effecit ex verbo ἐξουρεῖν quaſi vrinam ſeu cum vrina reddere, quo vſus erat Philoſophus. Ipſas interdum equas cum vrina emittere ſemen, recenter immiſſum, teſtatur Brugnone p. 121. Morem verberibus aſinam poſt coitum exagitandi a difficultate concipiendi deriuauit Ariſtoteles; ſed eundem in equabus etiam poſt coitum tenent inepti et rerum naturae ignari homines, quos grauiter redarguit Hartmannus noſter de Cura equorum progenerandorum p. 183. et Brugnone p. 129.

Grauidam aſinam continuo lacteſcere, ſua auctoritate poſuit Plinius; in philoſophi enim loco eſt, decimo menſe lac grauidae adeſſe. Septimo a partu menſe facillime ſemen retinere poſt coitum aſinam traditur; quod intelligendum eſt fieri, ſi pullus ex ea natus equae nutriendus ſubmittatur. In aſina igitur nullum pariendi interuallum olim obſeruabant, vt in equa. Scilicet equas non omnibus annis concipere et

geſtare

geſtare poſſe, aſſerit altero loco Ariſtoteles; itaque intercalari recte annos a geſtatione vacuos a peritis ait. Deinde altero in loco de animalibus diuerſi generis, velut aſino et equo, coniunctis affirmat, feminam celeriter ſterilem fieri, ſi annis continuis iungatur diuerſo mari, nec vllo interpoſito tempore ceſſet ab eiuſmodi coitu. Equam igitur, quae ex aſini coitu pepererat, anno ſequenti equo admiſſo implebant prudentiores, ne, ſi aſinus continuo admitteretur, equa ſterilis redderetur. Ita Columella VI. 27. 10. *equam cum ex aſino conceptum edidit partum, ſequenti anno vacua nutrit; id enim vtilius eſt, quam quod quidam faciunt, vt et foetum nihilominus equo admiſſo impleant.* Multi etiam opinati ſunt, equam, quae ſemel ex aſino conceperit, deinde equorum procreationi inutilem fieri, quos refutauit *Hartmannus* in altera libri ſupra laudati editione Tubingae 1786. prodita. Alternis qui admittunt, inquit Varro II. 7. 11. diuturniores equas, et meliores pullos fieri dicunt; itaque vt reſtibiles ſegetes ſint exuctiores, ſic quotannis quae praegnantes fiant.

Verba poſtrema loci Ariſtotelici vbi aſini ab equa nutriti vi conſcendere equas comprehenſas dicuntur, Codex Mediceus et verſio Thomae ita variant, vt pro verbis *ἐν τῇ νομῇ βίᾳ*, i. e. in *paſcua vi* ponant *ἐν τῇ νεομηνίᾳ*, i. e. in nouilunio. Cuius varietatis auctoritatem tueri nullo teſtimonio poſſum.

Tempus admiſſurae retulit Plinius his verbis VIII. f. 68. *Ipſum animal frigoris maximè impatiens; ideo non generatur in Ponto: nec aequinoctio verno, vt cetera pecua, ſed ſolſtitio.* Hinc etiam Varro II. 6. *admittuntur ante ſolſtitium, vt eodem tempore alterius anni pariant; duodecimo enim menſe conceptum ſemen reddunt.*

Quod denique de mammis aſinae a partu dolentibus aſſerit Plinius, traductum id eſt ex loco Ariſtotelis H. A. VI. 22. de equo, vbi eſt: *θηλάζειν δὲ φάσὶ τὸν μὲν ἡμίονον ἑξάμηνον, εἶτα ἐκέτι προσίεσθαι, διὰ τὸ σπᾶσθαι καὶ πονεῖν, τὸν δὲ ἵππον πλείω χρόνον.* Sed male de aſina affirmat, quod philoſophus de equa, mulum enixa. De aſina contra Varro II. 6. *ſecundum partum pullos anno non remouent a matre.* Quin adeo de mula, ex equa et aſino nata, Columella II. 6. 11. *annicula*, inquit, *mula recte a matre repellitur.* Itaque experientia poſteriorum ſeculorum refutauit, quod aliunde traditum acceperat Ariſtoteles. Attamen cum Ariſtotele facit Hartmannus noſter de mulorum generatione p. 278.

Cete-

Ceterum admissarios asinos labore ad libidinem incendi, consentiunt rei rusticae scriptores. Et Xenophon in Anabasi V. 8. vbi prouerbio vtitur ὄνων ὑβριστότερος addit: οἷς φασὶν ὑπὸ τῆς ὕβρεως κόπον ἐκ ἐγγίνεσθαι, i. e. lasciuiam tantam esse asinis, vt lassitudinem non sentiant. Hodieque si asinus equam fastidiat, fustigatione instigari ad coitum affirmat Hartmannus.

Supereſt locus de tempore gestationis equae, quae ex asino concepit. Columella enim VI. 26. diutius foetum eiusmodi in vtero esse ait his verbis: *vt discordantem vtero suo generis alieni stirpem insitam facile recipiat ac perferat, et ad foetum non solum corporis bona, sed et ingenii conferat. Nam cum difficulter iniecta genitalibus locis animentur semina, tum etiam concepta diutius in partum adolescunt, vt quae peracto anno mense tertio decimo vix eduntur, natisque inhaeret plus socordiae paternae, quam vigoris materni.* Deinde cap. 27. sect. 5. *qui ex equo et asina concepti generantur, quamuis a patre nomen traxerint, quod hinni vocantur, matri per omnia magis similes sunt.* De tempore gestationis cum Columella sentit Plinius VIII. sect. 68. qui de hinnis ita: *gignitur etiam mula ex equo et asina, sed effrenis et tarditatis indomitae. Lenta omnia eis vt vetulis.* Contra de hinno Varro II. 8. *hinnus*, inquit, *minor quam mulus corpore — auribus vt equinis, iubam et caudam similem asini. Item in ventre est vt equus menses duodecim.* Mulum igitur, ex equa generatum, in vtero esse plus quam menses duodecim et tertio decimo vix edi, Columella, hinnum contra, ex equo conceptum, duodecimo mense edi, Varro affirmat. Quae fuerit Aristotelis sententia nunc videamus. Is generatim primum posuit, equum et asinum mense duodecimo parere; deinde vero vbi de misto in coitu genere loquitur, diuersitatem aliquam in gestationis tempore annotauit; illud enim ait respondere ei temporis spatio, quo soleat mas ex congeneribus animalibus conceptus esse in vtero materno. Atque de sexu masculo generatim Philosophus posuit VI. cap. 22. ἀποτελεῖται δὲ τὰ θήλεια τῶν ἀῤῥένων ἔμπροσθεν ἐν τῇ γαστρὶ, τὰ δ' ἄῤῥενα τῶν θηλειῶν ὕστερον; καθάπερ καὶ ἐπὶ τῶν ἀνθρώπων. τὸ αὐτὸ δὲ τοῦτο συμβαίνει καὶ ἐπὶ τῶν ἄλλων ζώων, ὅσα πλείω τίκτει. Ita enim locus hic legendus est ex Codice Mediceo et versione Thomae, cum vulgata lectio a sensu Aristotelis sit aliena, quam reddidit Gaza his verbis: *Celerius feminae quam mares perficiuntur: quanquam in vtero mares quam feminae citius, quemadmodum etiam homines. Quod idem vel in caeteris animalibus, quae pariant plura,*

fieri

fieri solet. Rectiorem lectionem interpretatus est Plinius VII. sect. 3. *feminas gigni celerius quam mares, sicuti celerius senescere: saepius in vtero moueri mares — constat.* quem locum multi tentarunt, quoniam contrarius erat vulgatae lectioni Aristotelis. Verum ipse Aristoteles de Generat. IV. 6. contrarius sibi esse videtur, eumque locum ex parte interpretatus est Plinius. Mares ait magis in vtero moueri quam feminas, ideoque facilius laedi. Praeterea vtrumque sexum diuerso modo perfici in genere humano: *καὶ τελειῶται τὰ θήλεα τοῖς ἄῤῥεσιν οὐχ ὁμοίως ἐν τοῖς γυναιξίν. ἐν μὲν γὰρ τῇ μητρὶ ἐν πλείονι χρόνῳ διακρίνεται τὸ θῆλυ τοῦ ἄῤῥενος, ἐξελθόντων δὲ πάντα πρότερον ἐπιτελεῖται οἷον ἥβη καὶ ἀκμὴ καὶ γῆρας τοῖς θήλεσιν ἢ τοῖς ἄῤῥεσιν.* Vbi versio Thomae diuersam lectionem exhibet his verbis: *in aliis autem animalibus similiter, nihil enim tardat femella plus masculo sicut in mulieribus.* Legit ergo scriptum: *ἐν τοῖς γυναιξίν. ἐν δὲ τοῖς ἄλλοις ζώοις ὁμοίως. οὐδὲν γὰρ ὑστερίζει τὸ θῆλυ πλέον τοῦ ἄῤῥενος ὥσπερ ἐν τοῖς γυναιξίν. ἐν μὲν γὰρ* etc. Propter similitudinem postremorum verborum membrum hoc excidit et omissum fuit a librariis. Approbat ipse Aristoteles hoc additamentum in sequentibus, vbi differentiam gestationis in femina et animalibus spectari ait etiam in eo, quod diuersi sexus foetus gemini nati rarius in humano genere seruentur quam in animalibus reliquis. De lectione igitur et sententia postremi huius loci dubitatio nulla esse potest. Haec vero plane contraria est lectioni alterius loci in H. A. et vulgatae et nouae. Vulgata enim sine controuersia habet equi pullum femineum quinto anno, igitur celerius adolescere et perfici, quam masculum, qui sexto demum perficiatur. Deinde subdit: perfici feminas ante mares; in vtero vero mares ante feminas, quemadmodum etiam in humano genere; idemque accidere in reliquis animalibus, quae plures foetus simul edant. At vero noua lectio, quam Plinius etiam expressit, perfici tradit feminas in vtero citius quam mares, serius mares quam feminas, sicut etiam in humano genere. Vt igitur huius loci sententia aequetur loco libri posterioris aetate, et differentia temporis gestandi appareat, quam tam aperte statuit loco posteriore philosophus, negatio est inserenda loco priore atque ita legendum: *ὡ καθάπερ ἐπὶ τῶν ἀνθρώπων non vt in humano genere.* Itaque statuit Aristoteles, masculum animalium sexum diutius in vtero esse quam femineum, contra atque in homine; eoque temporis interuallo, quo diutius esse soleat in vtero masculus animalium foetus, equae etiam foetum, ex asino conceptum, diu-

tius in vtero morari. Hinc apparet, amice cum Columella conspirare Aristotelem, qui equam, ex asino grauidam, diutius gestare et mense demum tertio decimo parere ait. Philosophus moram ipsam non satis accurate definit; cum vtroque sentit etiam Hartmann saepius laudatus p. 278. Gestandi tempus diuersum et longius an in aliis quoque animalium adulteriis, arte factis, obseruatum fuerit a quoquam ignoro. De seriore muliebris perfectione foetus exstat sententia Asclepiadis apud Plutarchum de Placitis V. 21. et apud Galenum. In ouillo genere foetum masculum diebus octo plus in vtero morari, experientia doctus affirmat Bechstein Histor. natur. Germaniae T. I. p. 652.

De forma asini admissarii antequam tradam veterum sententias, pauca de forma asinorum naturali praemittenda sunt, de qua tamen paucissima annotata reperi apud scriptores veteres. Labia asini crassa memorat lepidissimus Symposii Xenophontei locus cap. 5. sect. 7. vbi formam oris sui laudat Socrates: διὰ δὲ τὸ παχέα ἔχειν τὰ χείλη, ἐκ οἴει καὶ μαλακώτερόν σε ἔχειν τὸ φίλημα. Cui respondet formosus puer Critobulus: ἔοικα ἐγὼ κατὰ τὸν σὸν λόγον καὶ τῶν ὄνων αἴσχιον τὸ στόμα ἔχειν, i. e. Ita videor os magis deforme habere quam asinus, si scilicet tu labia crassa in facie tua laudare ad osculandum potes.

Comparationem cum equis pauci attigerunt. Ita Plinius XI. s. 111. asinis caudam tribuit longiorem quam equis. Aures praegrandes multi memorarunt. Paulo copiosior locus est Dionis in Oratione 35. p. 63. ed. Reiskii: οὐδὲ γὰρ τὸς ὄνους ἵππους γενέσθαι δυνατὸν, οὐδ' ἂν ἔτι πλέον τὰς ῥῖνας ἀνατμηθῶσιν οὐδ' ἂν τὰς γνάθους τρήσαντες αὐτῶν ψέλλιον ἐμβάλωσιν, i. e. asini nunquam fient equi, etsi magis etiam nares eorum rescindantur, et maxillis perforatis frena immittantur. Videtur igitur Dio asino et nares et fauces minus rescissas minusque patentiores quam equo tribuisse; quam quidem obseruationem in comparatione, a doctissimo Daubenton instituta, non reperio.

Ad colorem asini pertinet quod λέπαργος dicitur a Nicandro in Theriacis versu 349. quod vocabulum recte interpretantur grammatici de albo ventris atque iliorum colore, qui omnibus cuiuscunque demum coloris asinis proprius esse solet. Praeterea vulgares asini coloris murini in brachiis et cruribus gerere solent inscriptas lineas semicirculares nigras, quas Graeci appellabant μύκλας, atque inde Antimachus ejusmodi vulgarem asellum dixit ἐννεάμυκλον, qui quasi nouem eiusmodi lineas in pedibus habeat, aut omnino multas.

tas. Grammatici recte interpretantur μύκλας τὰς ἐν τοῖς σκέλεσι τῶν ὄνων περιγραφὰς, i. e. lineas, quae ambiunt asini crura. Hesychius eo vocabuli significari ait nigras lineas, quae in cruribus, pedibus et dorso asinorum conspiciantur. Sed de dorsi lineis nigris dubito, crux enim nigra omnibus asinorum coloribus communis est, lineae vero pedum nigrae murino tantum colori sunt propriae. Locum Antimachi, quem alii Callimacho adscribunt, posuit etiam Schellenberg in Reliquiis Antimachi p. 110. Murinum asinum, quem graece λευκόψαρον et vulgari sermone maronem appellat, et in eo lineas crurum diuersi coloris improbat Apsyrtus Hippiatric. p. 54. vbi admissarii asini formam eximiam describit. Post memorata enim crura addit: μηδὲ ταινίας ἔχοντα ἑτεροχρώμους, i. e. ne crura habeant villos diuersi coloris.

Sed audiamus nunc Apsyrtum, eo in loco egregie formam optimam asini admissarii pingentem. Quae quidem descriptio eo magis grata esse debet naturae curiosis, quod veteres genus asinorum silueſtrium notum magis habebant, et frequenter domesticis asinis admittebant, quo formosiores et robustiores iis nascerentur et asini et muli. Atque omnino veteres multo maiorum generi asinorum et mulorum procreando adhibebant curam, quam hodie fieri solet, ita, vt iam vir doctissimus, Daubenton, sit conquestus, tam parum constare de notis optimi asinorum generis in tam neglecta vulgo eius generis cura, vt comparare asinum cum equo, atque vtriusque generis diuersitatem tuto exquirere non liceat.

Itaque sic Apsyrtus asini, equam inituri, formam describit: *Sit oportet habitu magnus, ambitu corporis multo* (Ruellius vertit quadratis membris) *magno capite, nec equino, facie item, atque in ea malas et labia magna habeat*, (R. facie, genis item et labris ingentibus) *oculos nec exiguos nec cauos, nares magnas, aures nec paruas nec flaccidas* (κλαμβὰ), *cervicem latam* (πλατὺν) *nec breuem, pectus item latum, carnosum, musculosum, forte, quo melius equarum infestos calcitratus sustineat; scapulas grandes, et partes illis subiectas. Supra genua partes quae sunt, habeat crassas, carnosas, robustas, et quam maxima distantia separentur, siquidem opus est, quum superuenit equam, vt facile comprehendat et amplectatur. Dorsum sit grande, atque in ea spina lata* (πλατεῖα) *non gibbera, nec depressa; dorsi linea angusta nec inflexa, sed recta. Non sit humeris subsidentibus,* (κάτωμος) *sed altioribus et aequalibus* (συνωμίαν ὑψηλοτέραν καὶ ἴσην) *et pictum in ea parte* (συνωμίᾳ) *coccygem habeat latum, plenum,*

 longum,

longum, (διάμηκον) *non angustum nec arctum* (πυιγώδη) (Ruellius habet: subsidentibus, sed eminulis. excelsa armorum compagine et aequabili, ita, vt prominentiam, litura distinctam, habeat. lumbis plenis, aliquantulum se protendentibus, nec in arctum strangulatis.) *Venter non sit nimis tumidus, ilia parua, costae seu latera lata* (πλατείας πλευρὰς, Ruellius latera porrecta late costato pectore). *Coxendicibus* (ἰσχία) *magnis, aequalibus, non substrictis clunibus* (μὴ παράγλυτον) *nec in acutum porrectis.* (μηδ' ὀξύπυγον.) *Cauda melior breuior;* (μείυρος) *femina sint* (μηροὶ) *non magna, sed magis carnosa, nec extrorsum auersa, ceterum diuaricata. Ita enim firmius equae insidebit coiens; fortior etiam eiusmodi est, quam qui femina coniuncta habet.* (τῶν συμμήρων.) (Male Ruellius: Etenim ii, quibus femora paene committuntur et in arctum constricta sunt, longe maiori alacritate feminas insiliunt.) *Testiculi sint magni, pares; genua magna, rotunda; sub iisdem crura et tibia non magna, ossea, exccarnia, magis neruosa, nec vara,* (βλαισὰ) *nec diuersi coloris taeniis cincta. Mesocynia non nimis alta, nec humilia, nec sit asinus κυνοβάτης.* (Ruellius: calcibus neque — qui nec nixi talis ingrediuntur.) *Pedes habeat non scauros* (R. non introrsus contortos) *nec humiles, vnguem seu cornu crassum,* (R. durum, ergo τραχὺν legit, non παχὺν,) *subtus cauam vngulam parvamque hirundinem.* (ranam.) *Voce sit non retusa,* (μὴ μογγὸς) *sed clara. Ita enim facilius equa asinum admittet. Colore praeferuntur splendidi* (λαμπροὶ) *et quorum color in purpuram vergit, facie alba, nec fusca.* (φαιοί.) (Ruellius habet: Speciosiores sunt asini, quorum color in purpuram spectat, idque si nigram nec vllatenus in fuscum vergentem maculam fronte gerant.) *Omnium pulcherrimi sunt nigri, ventre concolore, non cano. Cui os interius cum ligua nigricat, similem sibi prolem procreat. Fuscos seu murinos,* (λευκοψάρας) *quos marones vocant, non admittere debemus; reddunt enim in sobole colores inhonestos.*

Quibuscum si descriptionem Columellae comparemus, facillus singula pulcritudinis argumenta agnoscemus. Ait igitur: *vt sit amplissimi corporis, ceruice valida, robustis ac latis costis, pectore musculoso et vasto, feminibus lacertosis, cruribus compacti, coloris nigri vel magis rubei. nam murinus cum sit in asino vulgaris, tum etiam non optime respondet in mula.* Varro II. 8. 3. simpliciter asinum admissarium quam amplissimum formosissimumque eligi iubet. Palladius Columellam, in breuitatem nimiam contractum, obscurauit. Geoponica de forma plane tacent. Igitur nunc singula Apsyrti argu-

argumenta examinabimus. Primum igitur caput maius nec equinum requirit. Esse autem asino caput pro ratione corporis maius quam equo, annotauit etiam Daubenton. Labia magna et crassa iam antea vidimus. Malas, γνάθους Ruellius genas interpretatur. Maxillas latiores et crassiores in cranio adeo reperit Daubenton; de his igitur γνάθους explicandas puto.

Oculos asini magis distantes et in cauo sitos, aureſque magis flaccidas quam in equo obseruauit Daubenton; porro ceruicem crassiorem, pectus angustius et συνωμίαν minus altam. Hanc postremam, scapularum commissuram, Galli *le garrot* dicunt.

Verba Apsyrti de coccyge: καὶ τὸν ἐν αὐτῇ (antecessit συνωμία) κατάγραφον κόκκυγα πλατὺν μεσὸν διάμηκαν, μὴ στενὸν δὲ καὶ πυγαόδη. aliter legit Ruellius; partem enim priorem ad scapularum commissuram trahit, vertens: *excelsa armorum compagine et aequabili, ita, vt prominentiam litura distinctam habeat.* Reliqua inde a verbo κόκκυγα ad lumbos retulit, seu commissuram renum, quam Galli *Croupe* dicunt, nostri *Kreutz*. Hanc commissuram in asino planam et decliuem annotauit Daubenton; ischia seu coxendices altiores quam scapularum commissuram, et crura posteriora nimis sibi propinqua nec satis distantia; quod vitium in equis Galli dicunt *crochu jarté*. Apsyrtus graece συμμήρους dixit, qui femora non satis disiuncta habent, quod vitium in equo *mal gigoté* dicunt. Quae in pedibus Apsyrtus μεσοκύνια dicit Apsyrtus, in equis Columella coronas appellavit; sensum ipsius praecepti, quod equis etiam conuenit, ita explicat Xenophon de Re Equestri I. 4. δεῖ τὰ ἀνωτέρω τῶν ὁπλῶν κατωτέρω δὲ τῶν κυνηπόδων ὀστᾶ μήτε ἄγαν ὀρθὰ εἶναι ὥσπερ αἰγός, ἀντιτυπώτερα γὰρ ὄντα κόπτει τε τὸν ἀναβάτην καὶ παραπίμπρησι μᾶλλον τὰ τοιαῦτα σκέλη, ἐὰν μὴν ἄγαν ταπεινὰ τὰ ὀστᾶ δεῖ εἶναι. Ψιλοῖντο γὰρ ἂν καὶ ἑλκοῖντο οἱ κυνήποδες, εἴτ' ἐν βώλοις εἴτ' ἐν λίθοις ἐλαύνοιτο ὁ ἵππος. Qui nimis breuia et humilia ossa, μεσοκύνια dicta, habent equi, ἐλαφήποδες dicuntur in Hippiatricis p. 262. Sunt autem κυνήποδες os metatarsi, Gallis *os de canon*; μεσοκύνια, articuli seu ossa inter metatarsum et vngulam media, Gallis *le paturon*, nobis *Fessel*. Qui nimis longas coronas (*paturon, Fessel*) habent, Gallis dicuntur *longs jointés*, qui nimis breves, *courts jointés*, qui nimis rectas, *droits sur leurs jambes* appellantur equi. Faciem albam seu frontem in quibusdam reperit etiam Daubenton, in omnibus vero oris partem extremam albam.

Satis iam feciſſe mihi videor lectorum curioſitati de forma et colore aſini admiſſarii. Superſunt quaedam alia, quae Anatolius in Hippiatricis p. 56. annotauit, tranſlata etiam in Geoponica XVI. 21. vbi ſub Apſyrti nomine leguntur.

Meminit hic ſcriptor, quiſquis demum eſt, onagri his verbis: ἔνιοι δὲ καὶ τὰς ἀγρίας ἡμερῶσι καὶ ἐστὶν αὐτῶν ἡ παιδοποιία καλλίστη, ὅτε δὴ μὴ κατακεκλεισμένων ἀλλὰ ἀφέτων. ἐξημερῶται δὲ σφόδρα τὸ ζῶον, ὑπηρετεῖ δὲ κατὰ πάντα ὁμοίως τοῖς ἡμέροις καὶ ἐδέποτε καθάπερ τὰ ἄλλα ζῶα ἅπαξ ἡμεροῦθεὶς ἀγριῶται. Ex quibus verbis intelligere mihi videor, onagrus eiuſmodi manſuefactos cum equis in paſcuis permiſtos equas, vi domitas, aſcendiſſe neque per aurigas equabus admiſſos, vt in aſinis vulgaribus manſuetis factum fuiſſe videtur. Onagrorum admiſſariorum iam meminit Varro II. 6. 3.

Deinde ſcriptor is mulum lactare vult per duos annos, idemque fieri ait in equis. Aſinos admiſſurae idoneos eſſe ab anno tertio vſque in decimum. Denique aliquos ait, cuiuſcunque coloris naſci velint foetum, eius coloris veſtimentis contegere vel aſinum vel equum admiſſarium.

Onagrum Aſiae incolam demum accurate deſcripſit et pinxit, vna cum hemiono equo, eo ſcilicet, quem Ariſtoteles et Theophraſtus hemionum ſeu mulum Syriae foecundum dixerunt et breuiter notarunt, doctiſſimus Pallas *Neue nordiſche Beyträge* Vol. II. p. 22. tab. 2. qui ſimul omnes equi, aſini et hemioni iſtius diuerſitates et ſimilitudines accuratiſſime perſecutus eſt. Cui diſputationi ſi quis haec noſtra ex antiquitate repetita adiunxerit, nihil fere ad accuratam aſini notitiam deſiderabit.

Aſinum ſilueſtrem Meſopotamiae memorat Xenophon Anabaſ. I. 5. καὶ οἱ μὲν ὄνοι ἐπεί τις διώκοι, προδραμόντες ἀνεστήκεσαν, πολὺ γὰρ τῷ ἵππῳ θᾶττον ἔτρεχον, καὶ πάλιν ἐπὶ πλησιάζοι ὁ ἵππος, ταὐτὰ ἐποίουν. ὥστε ἐκ ἦν λαβεῖν, εἰ μὴ διαστάντες οἱ ἱππεῖς θηρῶεν διαδεχόμενοι τοῖς ἵπποις. τὰ δὲ κρέα τῶν ἁλισκομένων ἦν παραπλήσια τοῖς ἐλαφείοις, ἁπαλώτερα δέ. Fabuloſa narrat de venatione Ammianus 23. c. 4. In cibo carnes pullorum onagri laudat Plinius VIII. ſect. 60 et 68. ipſius onagri carnes Celſus II. 18. Mauritanicos aſinos paruos equis item paruis in curſu capi etſi celerrimos tradit Aelianus XIV. 10. et breuius Arrianus de Venatione c. 24. Denique Pollux Onom. I. 84. aſinos ſilueſtres ait gregatim paſci, eoſque capi ab equitibus inſecutis, poſtquam deſatigati ſpiritum amiſerint, puluiſque, multitudine excitatus, illos obcaecauerit; alios enim telis confici, quoſdam viuos deprehendi, laqueis circumuentos. Interdum etiam ipſa perſecu-

secutione stupefactos et velut amentes equitem reuertentem sponte sequi.

De similitudine corporis a parentibus tracta pullorum equinorum et mulorum posuit has obseruationes Brugnone de Equitii cura p. 137. A matre scilicet accipere pullum vniuersam corporis magnitudinem, deinde formam dorsi, colli, laterum, ventris, ancharum et lumborum; contra a patre accedere pullo formam capitis, et crurum, deinde animam, robur, agilitatemque corporis. In mulis eandem obseruationem tradidit p. 200.

Asini formam eiusque cum equina comparatae diuersitatem per singulas corporis partes accurate persecutus est idem Brugnone p. 187. cuius librum demum legi posteaquam superiora scripseram.

COMMENTARIVS
AD
LIBRVM VII. COLVMELLAE.

Cap. I. *minor Arcadico*] Vulgatum *minor Arcadiae* recte ita emendauit Vrsinus. Pontedera ex varietate Codicis Polit. efficiebat: *non minor Arcadiae* aut, quod magis probauerim, *maius inter minora* sc. pecora. Deinceps legi volebat *principium praebebit.* Vulgatum *dicturus* Gesnerus iam suasu Vrsini et Pontederae emendauerat. Asinum Arcadicum in Graecia, et Reatinum in Italia praestitisse, testatur Varro II. 1. 14. II. 6. 1. et II. 8. 3.

vepatricis] Vulgatam plane absurdam ex optimo libro Sang. emendaui, cui reliqui, minus integri, accedunt.

sarmentorum] Folia sarmentorum forte depascetur, sed sicca, sarmenta ipsa non attinget. Malim igitur cum Edd. optimis *Stramentorum*, i. e. culmorum tritici etc. legere.

quae pene] Hanc lectionem Codd. vulgatae praetuli cum Pontedera.

2. *negligentiam*] Palladius Martio XIV. 4. *minor vero asellus maxime agro necessarius, qui et laborem non recusat, et negligentiam tolerat.* Ita enim recte Codex Polit. pro vulgato *laborem tolerat et negligentiam propemodum non recusat.* Pontedera ex lectione Codd. Polit. hanc exsculpebat emendationem: *imprudentiam custodis negligentiamque.* Vulgarem Palladii lectionem exhibet Isidorus XII. 1.

cum et facilem] Vulgatum *tum et facilem* recte emendari iussit Morgagni. Arando aptum asinum affirmat etiam Varro I. 20. II. 6. Plinius VIII. f. 68. XVII. f. 3.

minima pondera vehiculo] Ita volebat etiam Pontedera scribi pro vulgatis: *non nimio pondere vehicula.* Vehicula vt trahat asinus, hoc non visibus agricolae conuenit, contra pondera vehiculo imposita vectat asello. Iam olim Scheffer de re vehicul. I. 8. h. l. legi volebat: *non minima pondere*, monente Schoettgen.

3. *poeta*] Georg. I. 273. in cuius loco miror a Gesnero *incursum* Victorii toleratum fuisse; *incusum* Seruius interpretatur molam manualem, cudendo asperatam.

molarum] Adeo, vt molaris etiam lapis alter hinc fuerit *asinus* dictus.

instrumentum] Hoc addidi verbum ex libris optimis approbante Pontedera.

Cap. II. 2. *Virgilius*] Georg. II. 89.

3. *proceras oues*] Brusch. *ouis*, vt paulo antea *agrestis*, et postea *varietatis* habet.

plurimum refert] Recte Vrsinus legendum esse *differt* admonuit. De re ipsa Plinius VIII. sect. 73. sic tradit: *Lana autem laudatissima Apula, et quae in Italia graeci pecoris appellatur, alibi Italica. Tertium locum Milesiae oues obtinent. Apulae breues villo, nec nisi paenulis celebres. Circa Tarentum Canusiumque summam nobilitatem habent. In Asia vero eodem genere Laodiceae. Alba Circumpadanis nulla praefertur.* Nescio an Columella ordinem eundem pretii statuerit in nominandis ouibus. De Altinatibus Martialis XIV. 155. *Velleribus primas Apulia. Parma secundis nobilis. Altinum tertia laudat ouis.* In loco Varronis II. 2. 18. de ouibus pellitis: *vt sunt Tarentinae et Atticae.* vbi Edd. primae *Antiaticae* A. I. I. G. *Actinates* habent. Varro de L. L. 8. p. 108. *Sic enim lana Gallicana et Apula videtur imperito similis propter speciem, cum peritus Apulam emat pluris, quod in vsu firmior sit.* Milesias oues Iucundus primus huic loco intulit; quod miror interpretes non admonuisse. Editiones primae: *Generis eximii Calabras Apulasque milites nostri existimabant.* ex qua scriptura multo facilius Iucundus *Milesias*, quam veram lectionem eruere potuit. Sed inter Italicas oues, qui potuit Columella Milesias nominare? Hispanicas enim et Asiaticas deinceps seorsum posuit. Deinde aliquid deesse arguunt verba *nostri existimabant — nunc Gallicae pretiosi habentur.* Iudicium igitur suorum temporum anterio-

riorum existimationi opponit. *Milites nostri* sunt ergo *maiores nostri*, aut potius *maiores nostri* legere debemus; nam maiores non solum milites erant, sed et rusticam rem iuxta aestimabant domi. Antiquam igitur lectionem minus vitiosam habeo, vnde meliorem viri docti eruent; quanquam Milesias tuetur Sang. in cuius lectione, antiquo ordini et scripturae proxima, quam restitui, illud etiam incommodum est, quod Milesiarum optimae Tarentinae dicuntur.

Gallicae] Galliam cisalpinam intellige, etiam apud Horatium III. Od. 16. pinguia gallicis crescunt vellera pascuis. vt recte monet *Gemelli* Rifiorimento della Sardegna T. II. p. 176. contra Gallum, de sua Gallia hunc locum interpretantem.

Stabulantur] Vrsinus malebat *pabulantur*. Campos Macros nominat etiam Varro II. Praef. 6. vbi vide notam. Mutinensis lanae colorem discimus ex loco Varronis, quem posuit Gesneri Thes. L. L. vbi *toga Mutinensis* est. Nonius Merceri p. 548. *impluuiatus color quasi fumato stillicidio implutus, qui est Mutinensis, quem nunc dicimus.* Canusinam lanam fuscam multo simillimam habet Martialis XIV. 127. et epigr. 129. Canusinam rufam in vsu vestimentorum puerilium et militarium nominat, cum reliqua Roma fuscis vestiretur. Pretiosam Canusinam lanam fuisse habitam, licet arguere ex Suetonii Nerone cap. 30. vbi inter luxuriae eius argumenta posuit *muliones canusinatos*, i. e. canusinis indutos.

4. *Color*] Plinius VIII. sect. 73. *Colorum plura genera: quippe cum desint etiam nomina eis. Quas natiuas appellant, aliquot modis Hispania: nigri velleris praecipuas habet Pollentia iuxta Alpes; iam Asia rutili, quas Erythraeas vocant, item Baetica. Canusium fului: Tarentinum et suae pulliginis.* Ex quo loco apparet, natiuum colorem in lana dictum fuisse non candidum; et Nonius Marcellus, *pullus*, inquit, *color est, quem nunc Hispanum vel natiuum dicimus.* Martiali IX. 62. etiam credere possumus, affirmanti, Cordubam alere flavas oues. Quare suspicor, in Columella haesisse mendum, nec eum natiui coloris fusci aut pulli exemplum laudasse e Baetica, sed rutili ex Asia et Baetica. Quare legendum forte erit: *Sunt etiam suapte natura pretio commendabiles; pullus atque fuscus, quos praebet in Italia Pollentia.* (Forte ante haec excidit: *Hispania et in.*) *In Baetica Corduba, nec minus Asia rutilos, quos vocant erythraeos.* De Pollentia consentit etiam Martialis XIV. 157. vbi *pullo lugentes vellere lanas* appellat. Silius Italicus fusci feracem villi Pollentiam

dixit. De Baetica lana rutila iterum et ſaepius Martialis teſtatur V. 38. XII. 100. XIV. 133.

erythraeos] Quod Geſnerus reliquerat vitioſum ἐρυθρὲς, eieci libris optimis annuentibus et ſubſtitui, quod etymologia ſuadebat. Varro enim apud Solinum cap. 33. affirmat, in litore maris rubri fontem eſſe, quem ſi oues biberint, mutent vellerum qualitatem, et antea candidae amittant, quod fuerint vſque ad hauſtum, ac furuo poſtmodum nigreſcant colore. Quem locum annotauit etiam Schoettgen; etſi illae oues furuo colore eſſe dicuntur, quod ab erythraeis hiſce alienum eſt. Conſtantinus de Thematibus oues eiuſmodi vocare videtur χρυσίζοντα, ἔχοντα τὰς μαλλὰς οἱονεὶ πιννινότριχας. Cf. Salmaſ. ad Tertull. p. 218.

miri coloris] Cum deinceps paternum colorem memoret in agnis, diſtinxiſſe debet vocabulo aliquo Columella colorem, quem hodie fruſtra quaerimus. An fuit *myrtei*? qui inter flauum et nigrum eſt, dictus a colore baccarum myrti maturarum. Ita aries hic Africanus conueniret etiam colore cum Muſimone ſeu Argali, quem Pallas Spicilegio XI. p. 7. h. l. reſpici putabat, nullo addito argumento. Obiter hic addo ouem Armeniacam, a Tiberio adductam Romam, quam carmine celebrauit Crinagoras Analect. T. II. p. 146. vbi pilos eius ait eſſe hirtos et duros veluti caprarum ſilveſtrium, non ouillos, vocem accedere propius ad iuuencae mugitum et ternos anno quouis partus edere. Quam ad genus aſiaticum ouium ſteatopygarum pertinere docent notae, a Pallas poſitae l. c. p. 64.

munerariis] qui munera, ſpectacula, ludos populo dabant. Primus munerarium ita dixit Auguſtus, monente Quinctiliano VIII. 3. 34. De ouibus rutilis in agro Troiano Aſiae teſtatur locus Aeliani VIII. 21. Colorem Aſiaticarum ouium ſteatopygarum plerumque eſſe album, vel atrum vel brunneum et rutilum, teſtatur Pallas l. c. p. 75. Oues hirtas quadricornes ex Cretae regione Gortynia, colore rutilo vel purpureo, memorat Oppianus Cyneg. II. 377 ſeqq. vbi primum ὄϊς ξανθοὶ dicuntur, deinde eorum lana hirta πορφυρόεσσα dicitur. Subus Oppiani verſu 382. dictus item rutilus ſeu ξανθωπὸς, pertinet potius ad genus bouillum, propter latam frontem, a poeta memoratam. Oues ferae, a Varrone memoratae III. 12. quas ſepto concluſas habebat Q. Fulvius Lippinus, quo colore atque vnde adductae fuerint, ignoramus; adeoque origo ouium rutilarum et flauarum in Italia obſcura eſt.

6. *vel*

6. *vel emendo*] Alterum membrum *vel educando* excidisse, recte suspicatus est Gesner ex loco simili infra cap. 3. 7 et 8.

nunquam nisi] In editionibus plurimis erat *nunquam candidissimos*. Negationem inseri iusserant Vrsinus et Pontedera; equidem ex libro Goesiano et Sangerm. *nisi* inserui, Gesnerus ex optimis editionibus addiderat *non*.

Cap. III. *palatum*] De palato nihil est in Virgilii loco III. 387. Antiquissimus locus est Aristotelis H. A. III. 11. ὅσα δὲ ποικίλα τῶν ζώων κατὰ τὰς τρίχας, ἐν τούτοις καὶ ἐν τῷ δέρματι προυπάρχει ἡ ποικιλία καὶ ἐν τῷ τῆς γλώττης δέρματι. Et VI. 19. λευκὰ δὲ τὰ ἔκγονα καὶ μέλανα, ἐὰν ὑπὸ τῇ τοῦ κριοῦ γλώττῃ λευκαὶ φλέβες ὦσιν ἢ μέλαναι, λευκὰ μὲν, ἐὰν λευκαὶ, μέλανα δὲ, ἐὰν μέλαναι. Plinius VIII. sect. 72. *cuius coloris sub lingua habuere venas, eius et lanicium est in foetu.* Ad ouium praegnantium linguas respici iubent Geoponica VIII. 6. Palladius Iulio IV. *Hoc mense arietes candidissimi eligendi et admittendi sunt, mollibus lanis, in quibus non solum corporis candor considerandus est, sed etiam lingua; quae si maculis fuscabitur, varietatem reddit in sobole. De albo plerumque nascitur* (*foetus addit* Vincent.) *coloris alterius; de fuscis nunquam* (*sicut* Columella dicit) *potest albus creari.* In sacrificio etiam bidentem explorabant, an linguam nigram haberet. Seruius ad Aeneid. VI. 39. *ne habeant bidentes caudam aculeatam, ne linguam nigram, ne aurem fissam.* Credo, fissam aurem referri ad oues, quibus, suspirio laborantibus, findebant aurem. Caudam aculeatam non intelligo. In Virgilii loco forte Columella olim pro *vdo* scriptum legit *pullo.* Recentiorum scriptorum oeconomicorum assensum annotauit Becmann ad Antigonum p. 163. in canibus et ouibus comprobauit Blumenbach de Oculis Leucaethiopum p. 14. Qui mares Epaphi boues examinabant purosque atque integros probabant, inprimis signa linguae supinae et caudae pilos, εἰ κατὰ φύσιν ἔχει πεφυκυίας, spectabant, auctore Herodoto II. 38. qui III. 28. signa ista sic enarrat: ἐὼν μέλας — ἔχει — ἐν δὲ τῇ ἐρῇ τὰς τρίχας διπλᾶς, ὑπὸ δὲ τῇ γλώσσῃ κάνθαρον. Ita enim, non ἐπὶ τῇ γλώσσῃ, scribi debuisse, recte suspicatus est cum Iablonskio nostrate Wesselingius, quem publica haec et communis omnium fere bestiarum linguae nota latebat. Plinius VIII. cap. 46. *nodus sub lingua, quem cantharum appellant.* Quod igitur pastores fugiunt in foetura ouium aliarumque pecudum sub lingua signum, id sacerdotes Aegyptii in Apide expetebant et probabant.

babant. Cantharum maculam nigram appellarunt a ſcarabaei ſacri colore. Praeterea vides curioſitatem eorum in probandis geminis caudae bouillae pilis vel ſetis!

2. *niſi lauatas*] Infra ſectione 7. intonſas dixit. Geſnerus tamen malebat cum libro Lipſienſi *lauatas* legere. Verum is non recordabatur, lauatam ſeu potius lotam ouem apud antiquos paſtores romanos fuiſſe eam, quae iam detonſa erat. Noſtro contra fit more, vt lauentur, antequam tondeantur. Vide infra notam ad cap. IV. 8. et ad Varronem II. 11. ſect. 7.

3. *altus*] Palladius Iul. 4. *ventre promiſſo et lanis candidis tecto — velleris denſi.* vbi Creſcentius et Vincent. *depreſſi* habent.

intortis] Varro: *tortis cornibus pronis ad roſtrum.* vbi tamen ante Victorium legebatur rectius *intortis*

ſurrecta] A quibus boues *licini* dicti ſunt, vt contra *patuli*, graece πεταλεῖς, qui diuerſa cornua gerebant, vt docui ad Varronem II. 5. f. 7. Seruius ad Georg. III. 386. *quod autem hic colorem per tranſitum tangit, in aliis plenius legitur: maritum pecoris et cornu et vngulis et palato album eſſe debere; alioquin licet aries ſit candidus lanis, conſtat, ex eo pullos, id eſt, nigros creari.* Quae vnde ducta ſint, ſcire magnopere vellem. In bouillo quidem genere cornua nigra probat cum Varrone Columella; de arietinorum cornuum et vngium colore nihil alibi traditum legere memini; et neſcio in laude an potius in vitio ducenda ſit vngula alba. Scaeuola apud Feſtum *petilam* equi vngulam interpretatur albam. Vgutio apud Cangium *petulus equus, qui habet tantum pedes albos.* In equis tamen omnes improbant vngulam albam.

quibuſdam tamen] Ex lectione P. et Lipſ. malebat Geſner *quibus tamen regionibus caeli ſtatus* etc.

quod ea porrecta] Heinſius ad Virgilium Aeneid. X. 587. efficiebat: *quod ea proiecta lataque maximam* etc. Lata quidem cornua caput defendunt melius quam alta. Idem ex Sang. laudauit: *quae tum profecto.* De vſu cornuum altorum in regione vuida et ventoſa, ſeu, vt in capris infra cap. 6. ait, procelloſa, dubitauit etiam L. Bar. de Hohberg in Georgicis Curioſis Vol. II. p. 350. vbi ſuſpicatur, Columellam potius eo reſpexiſſe, quod oues capraeque cornutae hirtiore et denſiore pilo veſtiuntur, eoque melius frigus a corpore defendunt, vel quod cornibus audaciores lupos abigere poſſunt.

4. *na-*

4. *naturali telo*] Hanc lectionem vulgatae *naturae loco* ſubſtituerat iam olim Heinſius ad Silium VII. 566. Vitium tentauerat etiam Vrſinus, ſed fruſtra.

quoniam ſtimulatum] Ita recte Sang. Vulgo *cum*.

6. *Epicharmus*] Plinius VIII. ſ. 72. *ferocia arietis cohibetur, cornu iuxta aurem terebrato.* Geoponica XVIII. 5.

aetas ad progenerandum] Palladius Iul. 4. *aetatis trimae, qui tamen vſque in octo annis poteſt vtiliter inire. Foemina debet bima ſubmitti, quae vſque in quinquennium foeturae neceſſaria eſt, anno ſeptimo deficit.*

7. *variam canamque*] Vulgatam *et canam comam* correxi ex libro Polit. et Sang. Coma de lana nimis erat poeticum; deinde non de lana, ſed de oue ſermo eſt.

maiorem trima] Sang. *trimae dentem.* Vitium latere apertum eſſe puto. Bidens agnus bimus dicitur; ita bidens verris dicitur apud Nonium in hac voce; bouem bidentem habet Feſtus. Coruncanus omnino hoſtias ruminales (i. e. ruminantes) puras negauit donec bidentes fierent, auctore Plinio VIII, ſect. 77. Bidentes vero dicuntur, quae anno aetatis ſecundo duos dentes inciſores renatos reliquis ſeu lactentibus maiores habent bima animalia ruminantia. Sterilitatis argumentum ex dentibus ſumtum hic locus Columellae poſtulat, quod nondum reperi annotatum. De equo et aſino Ariſtoteles de Generat. I. c. 8. ἂν μὴ μετὰ τὸν βόλον τὸν πρῶτον ἄρξηται γεννᾶν, ἐκέτι γεννᾷ τὸ παράπαν. Sed haec obſeruatio huc pertinere non videtur. An ſorte ἐξόδων ouis, id eſt dente prominentiore vtrinque quaſi minans dicitur? Vnde quidam ouibus caninos dentes tribuerunt, quibus tamen carent.

Ceruice] Vulgatum *ceruice prolixa, prolixi velleris* emendaui ducibus libris ſcriptis. Palladius ex h. l. retulit *vaſti corporis et prolixi velleris ac molliſſimi, lanoſi et magni vteri.* Varro II. 2. et ex eo Florentinus Geoponic. XVIII. ouem probat *villis altis et denſis toto corpore, maximé circa ceruicem et collum.* Pontedera malebat *cauda prolixa* legere; ſed eam in ariete ſolum probant; deinde idem lectionem Codicis Caeſenatis et Vaticani, qui cum Sangerm. habent *cerui et prolixi* interpretabatur *cernui et prolixi.* Sed cernuum villum dici poſſe recte, non puto. Apicae ſunt ventre glabro. Et Gallicas oues Britannicis ventre colloque glabriore differre nouimus.

8. *aeſtiuandi*] Supra I. 6. 4. *ceteris autem pecoribus ex parte tecta loca ex parte ſub dio parietibus altis circumſepta, vt illic per hiemem, hic per aeſtatem ſine violentia ferarum con-*

conquiescant. Quid sit h. l. *vestibulum* nescio. Poterat quis intelligere locum apertum sub dio, quo pecus per aestatem immittatur; sed Columella exigit oues in cohortem. Ergo cohors non est stabulum ipsum, sed area clausa macerie sub diuo. Itaque lego: *praeponi stabulo — aestuanti.* Potest tamen et vulgatum *aestiuandi* defendi, *vestibulum* nulla ratione. Talia fere ouium stabula, versus aream apertam, quam includunt, aperta ab exteriori parte clausa, quibus conclusa est cella opilionis, descripsit et pinxit et more Normanniae Gallicae Carlier Traité des bêtes à laine. Paris 1770. T. I. p. 352. Sed ecce Palladius I. 22. *Cors ad meridiem pateat et obiecta sit soli, quo facilius hieme aliquem teporem concipiat, propter ea quae insunt animalia, quibus etiam ad aestatis temperandum colorem porticus furcis, asseribus et fronde formari debent, quae vel scandulis vel si copia suppetit, tegulis, vel si facilius et sine impensa placuerit, tegentur caricibus aut genistis.* Eiusmodi porticus dicere videtur Columella vestibulum, quo secedant oues et reliquae pecudes, vt calorem solis euitent. Vestibula in gallinariis VIII. 3. 5. in columbariis VIII. 8. 3. in aueariis IX. 12. 1. dixit Columella: et vestibulum retibus munitum dixit VIII. 4. 6. quo gallinae prodeant apricenturque. Poteris igitur simile h. l. vestibulum intelligere; etsi mihi coniectura mea adhuc magis placet, vt *stabula* legamus.

quala] In libris scriptis *quola.* Si neutro genere dicerentur *caula*, breuissima emendandi ratio erat: *caula mundissima.* Gesnerus malebat: *sintque illa mundissima.* Mihi vero tutissima ratio videtur omittendi haec verba cum libro Lipf. quia inepte repetunt, quae antecesserant. Ita vero molliter fluet oratio: *incubent foetae, neque earum valetudo* etc. Interim verba suspecta mihi inclusi; et lectionem Edd. I. B. R. Br. vulgatae *ne qua* substitui.

9. *omnia autem*] Ita ex Sang. annotauit Gronov. Vulgo *Omni autem pecudi.*

diuini carminis] Georgic. III. 384 et 442. Palladius Iulio 4. *Sed prouidendum est in hoc genere, vt pabuli vbertate saturentur et longe pascantur a sentibus, qui et lanam minuunt et corpus incidunt.*

10. *minuitur lana*] Lectionem librorum optimorum *lanae fructus* non valde approbo; deinceps vero mihi verbum *concrescit* displicet, quod in villum prolixum non convenit, sed in densum et crispum.

non paruo sumtu] Plinius VIII. sect. 72. de tecto genere: *Operimenta ei ex Arabicis praecipua.* quem locum ex hoc

hoc nostro interpretabatur Harduinus. Sed vix credibile videbitur cuiquam, pelles operimentorum ex Arabicis ouibus sumtas fuisse. Vsum eundem praebebant vulgarium ouium pelles. Igitur locum Plinii corruptum censeo. *Molle pecus* h. l. est ouis pellita seu tecta. Graeci haec tegumenta ὤας, οἴας et ἐώας vocabant teste Hesychio.

11. *Parilibus*] Palladius Aprili 7. *nunc etiam prima est admissura, quae excellit, arietum, vt agnos iam maturos hibernum tempus inueniat.* Idem Iulio c. 4. *admittendi sunt mense Iulio, vt nati foetus ante hiemem conualescant.* Plinius VIII. sect. 72. *Coitus omnibus ad Arcturi occasum, id est, a tertio Idus Maias ad aquilae occasum in X. Calend. Aug. Gerunt partum diebus centum quinquaginta; postea concepti, inualidi. Cordos vocabant antiqui post id tempus natos. Multi hibernos agnos praeferunt vernis, quoniam magis interest ante solstitium, quam ante brumam firmos esse, solumque hoc animal vtiliter bruma nasci.*

hibernum solstitium] Recte iam Victorius admonuit, primum Columellam tribus in locis hibernum solstitium dixisse, quod reliqui scriptores veteres *brumam* vocare soleant. Videtur voluisse imitari Graecos, qui τροπὰς χειμερινὰς et ἐαρινὰς dicunt, aequinoctia vero duo ἰσημερίας; quas latini scriptores antiqui similiter *aequidialia* dixerunt, teste Festo h. v.

foeta] i. e. partum enixa. Ita iterum cap. 3. sect. 26. Male Gesnerus legi volebat *sera;* nam *matura* h. l. est ouis primipara.

12. *plurimi mares*] Palladius Iulio 4. *Aristoteles asserit, si plures masculos creari velis, admissurae tempore siccos dies et halitum Septentrionis eligendum, et contra eum ventum greges esse pascendos; si foeminas generari velis, Austri captandos flatus, et in eum pascua dirigenda ac sic ineundas matres.* vbi mira varietate Codex Palat. Erford. Crescentius et Vincentius habent: *tempore sic custodies halitum.* Plinius VIII. sect. 72. *Aquilonis flatu mares concipi dicunt, austri feminas.* Idem 18. s. 76. *qui feminas concipi voles, in hunc ventum (septentrionem) spectantes iniri cogito.* vbi recte vidit Pintianus, legendum esse *mares.*

13. *regionis opilio*] Librorum scriptorum et Edd. veterum optimarum lectionem praeferebat Pontedera; sed interpretatione abstinuit. Longinquae regionis opilioni opponitur vicinia vrbis. Igitur ineptum lucundi supplementum *pascua petiturus* annuentibus libris scriptis eieci. Sed supersunt verba importuna: *pastioni reseruat suburbanae.* Qui

Qui longinquae regionis opilio, id eſt, qui gregem in longinqua et ab vrbe remota regione paſcere cogitur, ſobolem ſuburbanae paſtioni reſeruare dici poteſt? Vitium id ſenſit Iucundus, ſed medelam et violentam et ineptam attulit. Tollenda erat potius diſtinctio, vulgo poſt *ſuburbanae* poſita, et retrahenda, ita, vt feci. Ex lectione Edd. principum et Codd. *opilio villicus* malim legere: *reſeruat: ſuburbanae villae teneros agnos.* Denique verba: *quoniam et paruo* ſ. *deuehuntur* manifeſto correctionem meam approbant. Compara infra cap. IX. ſ. 4.

quintum quemque] Ita pro vulgato *quandoque* reſcribi voluit etiam Pontedera. Vitium vulgatae arguit etiam vſus aduerbii *quandoque*, a Columella alienus.

vitioſarumque] Palladius Iulio 4. *Mortuarum vel vitioſarum numerus nouella ſobole reparetur. Autumno debiles quaeque pretio mutentur, ne eas imbecillas hibernum frigus abſumat.*

15. *niſi quae validiſſima*] Hanc lectionem recte vulgatae *niſi validiſſima, quae non* praeferendam cenſuit Geſnerus. Vulgatam Morgagni emendabat legendo *nonniſi validiſſima.* Sed tum *comprehendi hieme* non licet commode interpretari. Noſtram lectionem recte Geſner explicat: *ſeruetur per hiemem.*

16. *incientis*] Recte Vrſinus ad Varronem II. 2. 8. h. l. emendauit *incientes*, i. e. parturientes. Ita etiam infra VIII. 11. 8. *incientes* librarii mutarunt in *incipientes.*

quando eſt omnis] Ita recte vulgatum *quanto* correxit Schoettgen; inepte defendit Geſner.

partibus educat] Ita per *partum educat* volebat etiam ſcribi Pontedera, et iam olim ex Sang. libro Heinſius ad Velleium II. cap. 126. p. 595. quod miror ignoraſſe Geſnerum.

ἐμβρυαλκεῖν] Sylburg in Indice poſuit ἔμβρυον ἄγειν ex varietate lectionis ductum. Eraſiſtrati medici ἐμβρυορύκτην ad hunc vſum memorat Tertullianus de Anima c. 25.

17. *humectare*] Videtur grammatica *humectari* exigere.

exiguum lactis] Palladius Nouembri 13. *Agnus ſtatim natus vberibus maternis admouendus eſt; manu prius tamen exiguum lactis, in quo ſpiſſior eſt natura, mulgendum eſt, quod paſtores coloſtram vocant; namque hoc agnis, niſi auferatur, nocebit.* vbi liber Erford. *coloſtrum* habet; et pro *quod* Editiones I. B. R. *quae* habent. Praeterea in Columella quaedam excidiſſe videntur verba de natura lactis

iſtius

illius emulgendi, quae seruauit Palladius. Colostrati pueri dicuntur, quibus colostra nocuit. Sed nisi vitium in ipso corpore matris inhaeserit, colostra nec humano nec pecoris foetui nocet, contra salutaris est ad purgandum meconium. Hinc Hispani pastores colostram hodie non emulgent, quos imitantur nunc Saxones mei. Cf. Becmanni Biblioth. Oecon. III. p. 81. Germani quidam colostram appellant *Biest*.

biduo] Palladius Iulio 13. *Ac primo per biduum natus cum matre claudatur; tunc septis obscuris seruetur, et calidis: ita secluso paruulorum grege matrices mittantur in pascua.* Postrema verba in Columella forte exciderunt. Palladii locus confirmat emendationem ex lectione Sangerm. ductam ab Heinsio Aduers. III. p. 393. in quam incidit etiam Gesner: *qui primo biduo.*

claudatur] Hanc primarum Editionum lectionem confirmat Palladius.

suum foueat — condiscat] Supplementum Iucundi nescio vnde ductum non agnoscit liber antiquissimus Sangerm. nec Palladius.

18. *virgea area*] Varro II. 3. *Circiter decem dies cum praeterierunt, palos offigunt, et ad eos alligant libro aut qua alia re leui distantes, ne toto die cursantes inter se teneri delibent aliquid membrorum.* Varronis consilium ineptum est; sed Columellae verba vitiosa merito visa sunt etiam Heinsio Aduers. III. p. 393. qui corrigit *virgea — crate in area vel virgeae — cratis area.* Mihi vero placet *virgea — crate.* Nam area claudi agni recte dici non videntur; nec intelligo quae sit area virgea.

19. *satisque*] Palladius l. c. *sufficiet autem priusquam procedant matrices mane, et cum saturae reuertantur ad vesperam, agnis vbera haurienda permittere; qui donec firmentur, intra stabulum furfuribus vel medica herba, vel si est copia, farina ordei pascantur ingesta, donec conceptum paulisper robur aetatis, pascuum matribus possint habere commune.* qui locus vulgarem loci huius lectionem comprobat, et correctionem meam *qui dum* pro *qui cum* comprobat. Deinceps *permittit* Brusch. et Aldina; recte, puto. Sic iterum est sect. 22.

continuis] Aldinum *contiguis* dare etiam voluit Gesner, sed operae aberrarunt. Equidem antiquam teneo. Ita enim Cicero pro Caecina c. 5. *qui fundo eius antiquo continens esset.*

20. *iam et ante*] Ita ex libris correxi vulgatum *vt et ante diximus, et nunc.* De re Palladius Iulio 13. *Pascua*

 omnis

omnino generi vtilia sunt, quae vel in noualibus vel in pratis siccioribus excitantur; palustria vero noxia sunt, silvestria damnosa lanatis. Nunc loco iterum considerato malim *vt et ante diximus, et nunc — meminimus.* Ita enim cap. seq. sect. 2. *vt et ante praecepimus et nunc, quia remur esse maxime salutare, iterum adseueramus.*

palustres silvestresque] Sangerm. teste Gronouio *palustris silvestrisque*, forte prati intelligi voluit herbas palustris silvestrisque.

praebito sale] Palladius l. c. *Salis tamen crebra consperſio vel pascuis mista vel canalibus frequenter oblata, debet pecoris leuare fastidium.*

velut ad] Ex lectione librorum *vel atque ac* Pontedera efficiebat: *vel aeque ac.* Deinceps forte olim fuit *ligneis*, vt in loco Virgilii a Columella laudato.

penuriae hiemis] Palladius l. c. *nam per hiemem, si penuria est foeni, vel palea vel vicia vel facilior victus vlmi servatis frondibus praebeatur aut fraxini.* quem locum ita ex sententia Pontederae emendauit Gesnerus, cum antea legeretur: *penuria est, foenum vel paleae.* Sed quoniam Crescentius habet *foeni vel paleae*, Palladium hinc vitiosum esse arguebat Pontedera. Verum hic expressit Columellae *penuriam hiemis*, quae de pabulo viridi intelligenda est.

22. *suis valuulis*] Iucundi supplementum inclusi annuentibus libris optimis, vt et sequens *vel.* Faba nunquam aliter nisi cum valuulis seu putaminibus suis frangebatur, fresa vero expurgabatur, teste nostro II. 12. 7. Hinc erui valuulas seorsum nominat VI. 4. 3. Lentem valuulis exemtam deinde minute molitam habet VI. 10. 1. De valuulis vide etiam ad Catonis c. 70. Sed vulgatam ab Aldo lectionem satis defendit locus infra cap. IV. f. 3. vnde patet, intelligi fabam fresam, cui non sunt fresae demtae valuulae.

salubri pretio] Ita pro vulgato *exiguo* scribi voluerunt etiam Heins. ad Gratii Cyneg. 121. versum et ad Virgilii Georg. III. 176.

vilitas] Ex librorum lectione malebat Pontedera *eius vilitas.* Sed debebat ita esse *eorum vilitas*, si ad hordeum simul refertur vilitas. Heinsius ad Virgilium I. p. 394. ita ex Sangerm. h. l. corrigit: *nam cicercula sumptuosior — salubri pretio — sed sicubi vilitas permittit, haud dubie est optima.* De postrema correctione dubius haereo; sed *sicubi*, cuius vestigia particulae adsunt etiam in Polit. et Lips. haud cunctanter restitui. Ernestius locum Heinsii non integrum excerpserat.

23. *du-*

23. *ducendi*] Lipſ. liber addit *per aeſtatem.* quae legiſſe etiam h. l. videtur Palladius; et ſequentia verba ſectionis 25. *Hieme et vere* ſupplementum hoc exigunt. Adde quod alieno deinceps loco librarius inculcauit verba: *etiam per aeſtatem id faciendum.* Quare addidi ex Lipſ. verba, quibus reliqui libri carent. Altero vero in loco ineptum ſupplementum deleri voluit etiam Pontedera.

Maro] Georg. III. 324. Palladius Iulio 13. *Aeſtiuis menſibus paſcantur ſub lucis initio, cum graminis teneri ſuauitatem roris miſtura commendat. Quarta hora caleſcente potus puri fluminis aut putei praebeatur aut fontis. medios ſolis calores vallis aut arbor vmbroſa declinet; deinde vbi flexo iam die ardor infringitur, et ſolum primo imbre veſpertini roris humeſcit, gregem reuocemus ad paſcua.* Ceterum rorem pecori ouillo noxium quidam noſtratium voluerunt eſſe, quos grauiter refellit Gallus in Rozier Obſervations de Phyſique Vol. XIV. p. 60.

24. *etiam per aeſtatem*] Verba haec, incluſa a Geſnero, delenda cenſuit Pontedera; recte; et omiſit Palladius. Vere enim et autumni humidis et frigidis temporibus ſemel oues aquandae ſunt.

aduerſa ſoli] Palladius Nouembri 13. *Sed caniculariibus et aeſtiuis diebus ita paſcendae ſunt oues, vt capita gregis ſemper auertantur a ſolis obiectu.* Vulgatam h. l. lectionem *ne paſcentium — obuerſa* mutaui ex libris optimis. Plinius VIII. ſect. 73. *infirmiſſimum pecori caput, quam ob rem auerſum a ſole paſci cogendum.* Idem 18. ſ. 76. *Cum meridiem adeſſe ſenties, paſtor, aeſtate contrahente ſe vmbra, pecudem a ſole in opaca cogito. Cum aeſtate paſces, in occidentem ſpecta ante meridiem, poſt meridiem in orientem: aliter noxium ſicut hieme et vere ſi in rorulentum duceres. Ne contra ſeptentrionem paueris ſupradictum. Clodunt ita lippiuntve ab afflatu et aluo cita pereunt.* vbi recte Pintianus ex Codice ſuo emendabat *vmbra ſolis pecudes in opaca — ſpectent.* Deinde idem auctore Columella tranſpoſitis verbis legit: *rorulentum duceres; lippiunt enim et aluo cita pereunt. Nec contra ſeptentrionem paueris ſupradictum. clodiunt ita ab afflatu.*

25. *hieme*] Palladius: *hieme autem vel vere niſi reſolutis gelicidiis ad paſcua prodire non debent; nam pruinoſa herba huic generi morbos creabit. ac tunc* (Creſc. *creat et tantum*) *ſemel adaquare ſufficiet.* Ex quo loco etiam intelligitur, verba *iis diebus* eſſe inutilia. Igitur incluſi. Deinde verba: *quare etiam frigidis humidiſque temporibus anni* de ver-

nis et autumnalibus esse intelligenda, vbi herba pruinosa esse solet, Palladii comparatio docet.

dies] Pro sole et calore dici admonuit Schoettgen.

grauedinem] Plinius XXI. sect. 21. *rore nimio scabiem fieri, pruina vredinem.* Columella III. 20. 1. frigore et pruina vredinem ait gigni. Vredinem et vulnuscula in elephantiasi Vegetius I. 16. 1. Infra Columella VII. 5. 21. *Est etiam mentigo, quam pastores offiginem vocant, mortifera lactentibus. ea plerumque fit, si agni vel hoedi roscidas herbas depaverint — velut ignis sacer, os atque labra foedis vlceribus obsidet.* Hoc in loco libri fluctuant inter *grandinem*, *glandinem* et *glandiginem.* Plinius plura ex eodem scriptore cum Columella transtulit lippire oues et clodere memorans. Ibi clodere Harduinus interpretatur nictatione laborare. Latet aliquid vitii, quod arguit etiam varietas lectionis.

semel tantum ei] Vrsinus malebat: *semel tamen die.*

circumspectus] Br. et Ald. *circunspectus.* quam formam hic et alibi similes plane omisit Gesner.

26. *Idemque propior*] Recepi lectionem librorum optimorum, probatam etiam a Pontedera, sed is *silent* interpretabatur cessare, quiescere, cum decumbunt et a pascuis cessant. Verum equidem significari puto pecus fere mutum, quod vel atrocissimam iniuriam rara voce arguit aut opilioni denunciat.

quandoquidem] Recte inclusit vocem *grex* Gesnerus; equidem deleui, et ex sententia Gesneri vulgatam vitiosam: *quoniam grex quidem* correxi. Alio remedio vtebatur Vrsinus, qui legi volebat: *quoniam grex, quod est custodis officium.*

foetas] i. e. partu leuatas. Male Vrsinus legi volebat *effoetas.*

Cap. IV. *Plerique*] Liber Sang. *plerumque.* Graecum pecus veterum lanas delicatissimas dedisse credere licet scriptoribus affirmantibus. Causam ex tegumento repetere debemus. Post alia experimenta lanicii ad subtilitatem et bonitatem excolendi hanc etiam veterum rationem repetere voluit *Daubenton*, quod quo successu factum fuerit nondum comperi.

ineptiam] Hoc vulgato *inertiam* praeferebat etiam Pontedera. Poterat magistrorum pecoris inertia dici, sed non dominorum simul. Ineptia vero et domino et magistris conuenit.

2. *rare*

2. *raro foris*] Plinius VIII. sect. 72. *Ouium summa genera duo, tectum et colonicum; illud mollius, hoc in pascuo delicatius, quippe cum tectum rubis vescatur.* quem locum Gesnerus etiam suspectum vitii habuit ad h. l. Palladius Iulio 13. *graecas oues sicut Asianas vel Tarentinas moris est potius stabulo nutrire quam campo.*

cui siquid] Ex Goes. inserui *quid.* Malim tamen cum Pontedera: *cum quid detrahitur.*

valuulis] Vide ad cap. III. sect. 22.

ita vt et aridam] Malim ex libris et Edd. optimis *sextariis; aut aridam frondem.* Deinceps lego *praebent.* Vulgatam *praebeat* non habet, ad quem referatur, singularem casum.

3. *parta*] i. e. enixa, foeta. Ita infra cap. IX. s. 9. *harae faciendae sunt, quibus aut a partu aut etiam praegnantes includantur.* vbi L. et Pol. habent *a parte,* vnde corrigo *aut partae.* Sic Varroni II. 5. 7. *expartae* dicuntur.

non amantibus] Vrsinus malebat *non alentibus* vel *lactantibus.* Vulgatam defendit Gesner.

4. *mares castrati*] Pontedera distingui volebat haec: *mares castrati cum bimatum* etc. Sensum non explicuit vir doctus. Equidem geminam rationem edi video, cur maior marium numerus sit educandus. Primum arietes teneri statim castrantur, et post bimatum lanio traduntur et pellis pretiosa venditur. Igitur ante bimatum castrantur, post bimatum lanio traduntur. Propter reditum carnis et lanae arietes plures educantur, quam admissurae sunt necessarii.

5. *detegenda*] Quod ex Lips. et Sang. restitutum fuit a Gesnero, coniectura assecutus fuerat Vrsinus. Vulgo *detergenda.*

diducenda] Heinsius ex Sang. malebat *deducenda.* Si esset *pectine* additum, vt in Ouidii locis vel simile vocabulum, probarem.

vino et oleo] Palladius: *Sed tribus per annum totum diebus, aprico die lotas oues vngere oleo oportebit et vino.*

diuerrendus est] Ita etiam liber Sang. qui tamen omittit *est.* Malim tamen cum Vrsino *deriuandus.*

perforatis tabulis] Palladius Iul. 13. *et pertusis tabulis solum, in qua claudentur, insternere,* (Erford. liber *instruere*) *vt sic tuta cubilia propter iniuriam pretiosi velleris humor reddat elabens.*

6. *Disce*] Georgic. III. 414. Repetiit locum Columellae Palladius Iulio 13.

7. *Tonsurae*] Palladius Maio 8. *Locis temperatis nunc ouium celebranda tonsura est. Sed tonsas oues hoc vnguine medicemur. Succum decocti lupini, feces vini veteris — miscebis, et in vnum corpus omnia redacta curabis adlinire. — Ktori mergantur extremo si in mediis terris pascimus, aqua coelesti cum sale paululum decocta sub dio debebit pecorum tonsa et vncta membra diluere. Hoc enim modo curatum pecus toto anno nec scabrum fieri dicitur, et prolixas lanas creare fertur ac molles.* quem locum referens Crescentius IX. 70. sic habet: *mense Maio celebranda est tonsura — quandocunque id fiat — sed tonsas oues hoc modo iuuabis.* vbi antiqua mea Editio habet: *Maio nam celebranda — quandocunque* omissis verbis *id fiat.* Ceterum de cura tonsurae vide ad Caton. c. 96. et Varronem II. 11. 7.

imbuitur] Sangerm. *imbibitur.* Deinceps Edd. principes *media sudabant.* Etiam L. et Pol. *media.* Quid si fuit olim *perbiberit sudando?* Noster enim cap. seq. sect. 5. *si aestiuum sudorem mari vel flumine non abluas.* et Cato c. 96. de eadem re: *vnguito totas, finito biduum aut triduum consudent.*

si minus est] Ex lectione Sang. suspicor olim scriptum fuisse *sin, caelestis aqua* etc.

8. *durata*] Cato habet cap. 96. *facito aquam salsam.* Ita pisces sale durati, caseus sale durus dicitur pro salsus monente Salmasio ad Solinum p. 245.

Celsus] Cur Celsum nominat, vbi Catonem poterat, qui eadem prior tradidit cap. 96. addens: *Si haec sic feceris, neque scabrae fient, et lanae plus et meliorem habebunt, et ricini non erunt molesti.* Virgilius eodem consilio lauat oues dulci aqua Georg. III. 445. *dulcibus idcirco fluuiis pecus omne magistri perfundunt, vdisque aries in gurgite villis mersatur, missusque secundo defluit amni.* vbi Seruius *arieti partem aliquam lanae pastores solent relinquere. nam semper oues tonsae lauantur.* Vide supra ad cap. III. sect. 2. notam.

Cap. V. *exordii*] i. e. libri. Male igitur Vrsinus corrigi volebat *exordio.*

2. *quia remur*] Hoc voluerant cum Sang. liber etiam Lips. et Polit. Vulgo *quod remur.*

quod est — praes.] Haec verba vt superuacua cum Edit. H. inclusérat Gesner.

si inuasit] Malim *sin inuasit;* et deinceps *prosequi* cum libris optimis. Sed repetitum *inuasit* minus decet elegantiam Columellae.

3. *agi-*

3. *agitare et extendere*] Expressit graecum ἐκτείνειν δρόμῳ. Xenophon Cyrop. V. 4. 5. ἐκτείνων τὸν ἵππον σὺν τῷ βασιλεῖ ἐδίωκεν.

5. *poeta*] Georg. III. 441.

6. *porrigo*] Hanc libri optimi lectionem vulgatae *prurigo* praetulit etiam Vrsinus et Heinsius. Vide Rhodium ad Scribonium Comp. 243. p. 319. Graece dicitur πityρίασις a furfurum seu squammarum specie. Iuuenalis locum II. 78. *grex totus in agris vnius scabie cadit, et porrigine porci* adnotauerat Schoettgen. In Plinio 31. sect. 46. *porriginem alumine permixto tollit nitrum* diu ante Harduinum ex libro Vossiano correxerat I. Fr. Gronouius, vbi vulgo erat *pruriginem*, etsi vulgarem lectionem defendere videtur locus Marcelli Empirici p. 40. qui in eadem medicina *prurigines capitis* dixit.

si quidem] Hanc libri Goes. scripturam vulgatae *et quidem celeriter, cum et alia* recte praetulit Pontedera. Pertinent enim haec non ad medendi celeritatem, sed contagionis. Igitur distinctionem etiam mutaui.

7. *ex pluribus*] Gesner cum Vrsino malebat: *vt ex pluribus*. recte, puto.

8. *illinitur scabrae*] Ita recte Sang. pro *linitur*.

9. *duabus partibus*] igitur ad tertiam. Celsus V. cap. 16. de scabie: *si nihil aliud est, amurca ad tertiam decocta partem.*

figularis triti] Ita scribi volebat etiam Gesner pro *figularibus* tritis. Sic *triti lateritii* VI. 14. 7. In sequentibus vitium latere arguit librorum scriptura *picis esus* (vel *eius*) *liquaminis in singulos fricti salis.*

sulphuris] Celsus l. c. *vel sulphur pici liquidae mistum, sicut de pecoribus proposui, hominibus quoque scabie laborantibus opitulantur.* Vide infra ad cap. XIII. s. 2.

10. *Georgicum*] III. 453. Os vlceris reserare et purgare iubet poeta. *Coctus* ex libris dedi pro *coactus*. Sang. libri lectionem memorauit Drakenb. ad Liuium T. V. p. 789. Calpurnius Ecloga V. 78. de eadem cura loquens: *Prouidus, hoc moneo, viuentia sulphura tecum et scillae caput, atque intacta bitumina porta vlceribus laturus opem: nec brutia desit dura tili, et liquido simul vnguine terga memento, si sint rasa, linas.*

vt cetera] Haec verba ex Goes. libro addidit Schoettgen et Gesner.

11. *Subluuies*] Plinius 30. sect. 23. *dentis caballini contusa farina priuatim subluuium sanat.* Marcellus Empiricus

c. 34. *dentes caballini tumfi hulcera pernionum, si sunt tumidi, vtiliter curant.* Idem cap. 18. *ad digitorum et articulorum subluuiem vel suppurationem sedandam atramentum scriptorium ex aceto tempera et de pinnula inline.* In Hippiatricis p. 170. est locus: γίνεταί τι διφθέριον ὑπὸ τὴν βύρσαν λευκὸν ὡς μυδᾶν τὸν τόπον, ἔνθα ὑπόκειται ὁ ἔρπυστής. περίτεμνε ἐν κύκλῳ. Sed an similis sit morbus, dubito. Tuberculum hoc, cui vermis subesse dicitur, in pecore dici herinaceum, tradit Conr. Gesner in Oue p. 886. Nescio an idem an cognatum vitium sit, quod Galli *fourchet* appellant, cum in initio vngularum discriminis positus sinus tortuosus inflammatur, et collecta ibi materies sebacea in pus abit. Morbum docte explicuit *Chabert* Mémoires d'Agriculture 1785. Trimestre d'Automne p. 145 seqq.

curentur] Audacter ita vulgatum *eruentur* correxi, sententia postulante.

aeris rubigine] Vulgo erat *aeris aerugine*, quod nimis est ineptum pro elegantia Columellae. Ita etiam infra s. 32. *rubiginis aeneae* substituimus ex libris vulgato *aeruginis*.

13. *circumsecari*] Aldina *circunsecari* habet forma in eiusmodi compositis verbis solenni.

ardentem tedam] Vrsinus malebat *candentem testam*. Sed alibi per lucernam ardentem instillat.

14. *consiliginem*] Hodie opiliones in morbo quodam helleborum nigrum per auriculas transfigunt. de Consiligine vide supra ad VI. 5. 3.

16. *sacer ignis*] Intelligi variolas (la vérole) ouium, monet Bourgelat Annot. ad Barbereti scriptum de morbis epidemicis veterin. Wittenbergae 1770. p. 60. Alio sensu Calpurnius Eclog. V. 74. *circumspice ne sit acuta forfice laesa cutis, tacitum ne pustula virus texerit occulto sub vulnere; quae nisi ferro rumpitur, ah miserum fragili rubigine corpus corrodet sanies et putrida contrahet ossa.* Rusulam duci ex graeco πύσαλος, φύσαλος, φυσάω recte monuit Pontedera. In Sang. esse scriptum *punculam*, ita, vt literae *st* suprascriptae sint, quasi *pustulam* sit legendum, et deinceps *pusillosa* supra *i* apposita *t* monet Gronov.

sola tamen fomenta] Vulgo interfertum *ea* (*fomenta*) incluserat Gesner, et liber Sang. omittit. Deinceps vitium in verbis *tantum valet vt eblandiatur* latens arguit librorum lectio: *tactus volet eblanditur.* Olim legebatur: *et blandiatur*, quod ex emendatione Vrsini mutauit Gesner. Ex lectione Sangerm. idem coniecerat Heinsius Aduers. II. p. 261.

12. *Bo-*

17. *Bolus*] Ita vulgatum *Dolus* emendauit Reinesius Var. Lect. I. 25. p. 122. M. Cagnatus Obs. Var. II. 7. Gale ad Iamblich. de Myster. p. 183. Infra XI. 3. 53. pro *Bolus* est in libris *Uolus*.

Χειρόκμητα] Ita ex Sang. scripsi. Sub Democriti nomine chirocmeta haec laudauit Plinius 24. s. 102. et Vitruvius IX. 3. Scholia Nicandri ad Theriaca de Persea laudant Βῶλον τὸν Δημοκρίτειον ἐν τῷ περὶ συμπαθῶν καὶ ἀντιπαθῶν, cui similem titulum libri Democrito adscribit noster XI. 3. 64. In Scholiis βῶλος legi debere, recte monuit Alb. Fabricius. Boli Democritei meminit Stephanus Byz. in voc. Ἀψίνθιος, et Theophylactus Simocatta Quaest. Natur. c. 19. Varroni *Bolum* pro *Eubolo* temere reddere voluit Reinesius, qui sibi ab omni errore non cauit in disputatione de Bolo vtroque, cuius nomen corruptum in multis scriptorum locis latere, velut apud Tzetzen ad Theogoniam Hesiodi, vbi Βῶλος vocatur, monuit Meursius ad Apollonium Dyscolum cap. 1. Locum addo Suidae, qui Mendesio Bolo, Pythagoraeo, librum περὶ συμπαθειῶν καὶ ἀντιπαθειῶν ascribit; et deinde Bolum Democriteum memorat. In Suida corrige lectionem: περὶ θαυμασίων διμερῆ. ἔχει δὲ περὶ συμπαθειῶν καὶ ἀντιπαθειῶν λίθων κατὰ στοιχεῖον. recte enim ibi φυσικὰ δυναμερὰ scriptum legit et prodidit Eudocia in Violeto p. 94. Zosimi Alexandrini χειρόκμητα memorat Suidas et Eudocia p. 205. Locum Vitruuii ponam: *admiror etiam Democriti de rerum natura volumina et eius commentarium, quod inscribitur χειροκόμητον, in quo etium vtebatur anulo, signans cera ex milto, quae esset expertus.* Sic in versione italica March. Galiani legitur locus, vnde quis suspicari possit, titulum fuisse libri χειροκόμητον, quod signo apposito experimenta comprobarentur. In altera tamen scriptura consentiunt Codices Columellae optimi et Plinii.

meare] Hanc lectionem comprobat etiam vocabulum *obrutam*. Altera *meiere* est inepta, quoniam super obrutam meiere non licet, vt vrina ad obrutam perueniat. Sententiam loci pertertit interpretatione vulgaris *meiere* Ol. Borrichius in Hermete p. 165. quasi ipsa ouis obruta ita curari dicatur a Columella, vt recte monuit Gesner.

18. *molesta*] Horatius I. Epist. I. *nisi cum pituita molesta est*, quo respexisse Columellam putat Gesner. Paulo antea in Codd. est *arquato*. Ex Varrone Nonius p. 77. locum laudat, vbi *arci* sunt fornices, seu arcus. Idem p. 35. alium ex Varrone de morbo arquato habet, et ab arqui coelestis similitudine vocatum censet. Idem repetit p. 424. et

arcum fornicem arquum coeleſtem ſeu erin dici monet. In Cicerone de N. D. III. 20. arqui ex Codd. dedit Dauiſius, atque ita olim ſcriptum legerunt Priſcianus et Chariſius.

ſternuat] Ita libri optimi pro *ſternutet*. Etiam in Plinio libri meliores *ſternumenta* habent, non *ſternutamenta*, monente Harduino T. II. p. 216. Plinio 28. cap. 2. ex egregio Voſſiano libro: *cur ſternuentes ſalutamus* reſtituit I. Fr. Gronouius, qui p. 771. monuit, eundem librum cum aliis Codd. in Plinio vbique *ſternumenta* dare, non ſternutamenta. Idem monuit Heinſ. ad Ouidium T. I. p. 285. Ceterum Sangerm. male inuolutis habet ſcriptum. Remedium ipſum vi ſternumentorum agit. Plinius enim auctor eſt 28. ſect. 15. ſternumenta grauedinem emendare. Scholia Ariſtoph. ad Plut. 313. *μινθώσομεν ὥσπερ τράγυ τὴν ῥῖνα* annotant, paſtores caprarum, perfrictione laborantium, nares ſtercore ipſarum perfricare, donec ſternuant, atque ita morbum pellere. Sternumento ex clematide ſicca moto equorum pituitam ruſtici Prouinciae Gallicae curant, teſte Garidel p. 120.

lanis oleo] Celſus VII. 26. *inducendus hapſus lanae mollis tepido oleo repletus* etc.

19. *ſanguinariae*] Geoponica 18. 17. *ἐὰν δὲ ἐκ βλαβέστερας νομῆς διοιδήσῃ τὴν κοιλίαν, αἵματος ἀφαιρέσει θεραπεύσεις αὐτὰ ἀμυχθεισῶν τῶν ἐπάνω τῆ χείλεϊ φλεβῶν καὶ τῶν ὑπὸ τὴν ἐρὰν παρὰ τὴν ἕδραν.* Vides, nihil ibi de ſanguinaria peculiariter tradi, ſed de omni herba noxia. Sanguinalem herbam noſter ſupra VI. 12. 5. nominauit, Graecis *πολύγονον*. Ita etiam Plinius 27. ſ. 91. qui ſanguinariam vocat cum Marcello Emp. c. 9. Celſo II. 33. Apuleio c. 18. ſed de noxa, ouibus inde contracta, tacent. Dubitat etiam de herba Conr. Geſner in Oue p. 883. Linnaeus in Itiner. Suecico p. 237. verſ. germ. ad ranunculos refert ſanguinariam. Gleditſch Vermiſchte phyſikal. botan. Abhandl. T. III. p. 169. ſanguinariam hanc de anemone nemoroſa Linn. explicat, idemque facit enneaphyllum Plinii; contra ſanguinalem Columellae et Celſi de polygono auiculari Linn. interpretatur. Forte ſanguinariam noſtram intelligit Plinius 8. ſ. 44. no. 2. *naſcitur et herba quaedam alba panico ſimilis occupans arua pecori quoque mortifera.* Sed haec omnia dubitationem magnam habent commenta. Ceterum pro *expeit* libri optimi habent *expernit*, in quo forte latet *exſternuit*. In Sang. eſſe *quae ſi paſta eſt* teſtatur Gronov.

Suſpirioſe] Recte vidit Geſner, legendum eſſe *ſuſpirio*. Geoponica 18. 17. *ἐὰν δὲ δύσπνοιαν ἔχῃ, τὰ ὦτα διδόῃ τριπτέον καὶ μετακτέον αὐτὰ εἰς ἄλλας τόπους.*

21. *men-*

21. *mentigo*] Pruinosa herba adultis ouibus grauedinem creat ventremque proluit, teste nostro supra cap. 3. 25. vbi vide notam. Plinius 21. s. 21. rore nimia scabiem fieri, pruina vredinem ait; et noster III. 20. 1. frigore et pruina vredinem ait gigni. Plinius 26. s. 1. quasi de nouo et antea Italiae incognito morbo in facie hominum: *grauissimum ex his lichenas appellauere graeco nomine, latine, quoniam a mento fere oriebatur, ioculari primum lasciuia mox et vsurpato vocabulo mentagram, occupantem in multis totos vtique vultus oculis tantum immunibus, descendentem vero et in colla pectusque ac manus, foedo cutis furfure.* Martialis XI. Epigr. 99. *triste mentum sordidique lichenes.* Mentagram Plinii recte iam olim comparauit Beroaldus ad h. l. *ostiginem* esse puto pro *vstigine*, eandemque dici vredinem; de qua supra dixi. *Vredinem* et grandinem in herbarum noxis iungit Cicero N. D. III. 35. Ceterum intelligitur genus illud aphtae, quod pullorum equinorum etiam os et linguam occupat, cum primum herbam depascuntur, docente Brugnone. In equis ἄφθας vocant Hippiatrica p. 174. *Alcola* interpres Italicus; sed eadem p. 235. συγχρίασις ἥν τινες ἄφθαν καλοῦσι. vbi Ruellius *sigriases* habet. Corrige igitur σειρίασις. Plinius 13. s. 43. de thapsia: *faciem inuadunt ignes sacri.*

22. *Hyssopus*] Vrsinus malebat *oesypus*, i. e. sordes, lanis ex sudore pecoris adhaerentes, quas contra vlcera oculorum et oris commendat Dioscorides II. 84. Plinius 26. s. 87. 29. s. 10.

adipe suillo] Mos Columellae suadet *suilla* scribere.

Cap. VI. *ouiario*] Quod habent Edd. *ouiarico* nescio an praeferendum. Pecuarias ouiarias habet Varro II. Praef. 6. sed recte dicitur res pecuaria et ouiaria, an item pecus ouiarium, dubito. Duplex caprinum genus. Varro memorat II. 3. *videndum vt sint firmae, magnae, corpus lene vt habeant, crebro pilo, nisi si glabrae sunt. Duo enim genera earum.* In quo loco vertendo Geoponica XVIII. 9. omittunt duo genera et mammulas sub mento pendentes. *Corpus leue* Crescentius ex Varrone, et Geoponica χρῶτα λεῖον ἔχουσας, δασύτριχας. Genus duplex memorat accuratius noster I. Praef. 26. *aliud caprinum, et id ipsum aliter curatur mutilum et raripilum, aliter cornutum et setosum, quale est in Cilicia.* Varro II. 11. 11. *capra pilos ministrat ad vsum nauticum et ad bellica tormenta et fabrilia vasa. — Tondentur quod magnis villis sunt in magna parte Phrygiae*, vnde Cilicia et caetera *eius generis ferri solent. Sed quod primum*

ea

ea tonsura in Cilicia sit instituta, nomen id Cilicas adiecisse dicunt. Geoponica XVIII. 9. ἡ δὲ θρὶξ ἀναγκαία πρός τε σχοίνους καὶ σάκκους καὶ τὰ τέτοις παραπλήσια καὶ εἰς ναυτικὰς ὑπηρεσίας, ἔτε κοπτόμενα ῥαδίως ἔτε σηπόμενα φυσικῶς, ἐὰν μὴ λίαν κατολιγωρηθῇ. Virgilius Georg. III. 313. *nec minus interea barbas incanaque menta Cinyphii tondent hirci setasque comantes vsum in castrorum* etc. Plinius VIII. sect. 76. *In Ciliciaque Syrtes villo tonsili vestiuntur.* vbi Parmensis liber habet *circa Syrias.* Aristoteles H. A. VIII. in Syria capras ait habere aures mensura palmari et dodrantali, quibusdam adeo demissas inuicem se tangere. In Cilicia tonderi capras, vt alibi oues. Ibi Codices optimi *Lyciam* nominant pro Cilicia; Lyciam etiam Callisthenes apud Aelianum XVI. 30.

prosilierunt] Vulgatum *prosiliunt* damnauit Pontedera, frutices interpretatus h. l. qui in caeduis siluis nati seu ab armentis teneri depasti sunt.

2. *Caper*] Palladius Nouembri 13. 7. *Sed caper eligendus, cui sub maxillis duae videntur pendere verruculae, magni corporis, crassis cruribus, breui plenaque ceruice, auribus flexis et grauibus, paruo capite, nitido, spisso et longo capillo.* vbi Crescentius *flexis et grandibus*, liber Erford. *grauibus et cornibus grandibus* habet. Sed antiqua mea Crescentii Editio habet *grauibus.* Ceterum caper proprie dicitur hircus castratus auctore Varrone apud Gellium IX. 9.

verruculae] Varro II. 3. *sub rostra duas vt mammulas pensiles habeant; quod eae foecundiores sunt.* Festus: *noneolae vocantur papillae, quae ex faucibus caprarum dependent.* vbi Scaliger suspicabatur *naeuolae* legendum esse. De capris Libycis auctore Aristotele refert Aelianus H. A. XVI. 33. ex pectore pendentes habere mammas, (μαζὸς) quae videntur ad has verrucas referendae esse. Latino-barbaris vocantur *barbaca*, *praestirium.* Vide Cangii Glossar. Plinius VIII. sect. 76. *feminarum generositatis insigne laciniae corporibus a ceruice binae dependentes.* De capro ita Varro II. 3. *hircus molliori et potissimum pilo albo, ac ceruice et collo breue, gurgulione longiore.* vbi interpres Graecus Geopon. 18. cap. 9. plura olim legit: habet enim: τῶν δὲ τράγων τὰς μεγάλας καὶ ἐμπλεύρας. ἰσχία τε μείζονα ἔχοντας, δασύτριχας, μακρότριχας, λευκότριχας, αὐχένα καὶ τράχηλον βραχὺν καὶ παχὺν ἔχοντας, βρόγχον δὲ μακρότερον. vbi vides, densum, longum et album pilum plane vt a Columella probari. Recte enim vocem *nigro* omittit Sang. liber cum Palladio; eamque iam olim damnauit Cannegieter ad Auiani Fabulas p. 93.

flacci-

flaccidis] Palladius *flexis et grauibus*. In equis signum morbi praebent aures flaccidae nostro VI. 30. 5. sed in canibus aures flaccae probantur a Varrone II. 9. 4. In lynce καμπύλον ἔας, i. e. aurem flexam memorat Oppianus Cyneg. III. 92. Plinius VIII. sect. 76. *Mares quam maxime simos, longis auribus infractisque, armis quam villosissimis* probat. Vnde lectio *flaccidis* satis defenditur: *Caput exiguum* forte olim fuerat *simum* et quidem rectius, etsi paruum caput hinc retulit Palladius.

3. *progenerandum*] Ita pro *procreandum* ex libris scripsi, quia Columella hoc verbo vtitur fere semper, vbi casus non additur nominis alicuius.

mensium septem Palladius: *Ad ineundas feminas et ante anniculum congruus; non autem durat vltra sexennium.* vbi recte liber Polit. et Crescent. *ante annum;* sed male idem Crescent. *decennium* habet. Plinius VIII. sect. 76. *Caprae pinguitudine sterilescunt. Ante trimas minus vtiliter generant, et in senecta vltra quadriennium. Incipiunt septimo mense, adhuc lactentes.* vbi primum legendum est: *capri — sterilescunt.* Ita enim tradit Aristoteles H. A. V. 14. et addit, emaciatos prius mares admitti. Deinde ex antiqua lectione: *trimae minus vtiliter generant et in senecta, nec vltra quadriennium.* corrigo: *trimi vtiliter generant; minus in senecta, nec vltra quadriennium.* De mare enim haec omnia vera sunt; de femina postea ex Nostro itidem tradit Plinius. Nunc demum video, Pintianum iam olim monuisse, in libro Toletano esse: *ante trimos;* itaque recte monuit, Plinium de hircis loqui, non de capris. In Crescentio antiqua mea Editio habet longe rectius *ante sexennium alias vltra decennium.*

4. *Capella*] Palladius: *Capella similis corporis, sed magnis vberibus est eligenda.* Ceterum si comparamus loca, paulo antea allata, apparet, genus duplex caprarum in Italia Varronis etiam aetate cultum fuisse. Alterum flaccidis et grauibus auribus, longis pilis, cornutum; alterum mutilum, raripilum, quale est genus vulgare nostrum. Illud dici solet a patria Mambricum seu Syriacum et Angoricum. Capros in Italia solos tondere soliti videntur fuisse, vt ex Columella et Virgilio licet arguere. Genus peregrinum non solum ex Asia, sed Africanum etiam habuisse videntur; vnde Cinyphius hircus Virgilio dicitur. Angoricarum caprarum cultum tentarunt nostrarum regionum agricolae prudentiores, sed pauco cum fructu. Nouissima Galliarum tentamina et cultum enarrauit Gallus in Mémoires d'Agriculture.

Paris

Paris année 1787. *Trimestre de Printemps* p. 1 seqq. Austriaca conamina retulit *Ioh. von Hornek* Bemerkungen über die Oesterreichische Staatsökonomie. Berolini 1784. p. 85.

mutilam] Libri optimi variant scripturam inter *mitilam* et deinceps inter *mutiles*. Graece est ἄγα τὰν μιτύλαν apud Theocritum VIII. 86. Sed graeci etiam vocabuli scriptura variatur; hinc *Mitylena* et *Mytilena* scriptum nomen vrbis legitur. Diuersa forma dixerunt etiam *muticus*.

mutilos esse] Plinius: *mutilum in vtroque sexu vtilius — non omnibus cornua; sed quibus sunt, in his et indicia annorum per incrementa nodorum. Mutilis lactis maior vbertas.* Ceterum recte Vrsinus admonuit, h. l. ita esse legendum: *coeli statu: procelloso atque imbrifero cornutam. Nam semper et omni — oportebit.* Ita enim supra etiam de ariete dixit cap. 3. sect. 4. Grammatica etiam ratio postulat hanc emendationem, vt mirer libros scriptos tacere.

5. *sub vno clauso*] Palladius: *non tamen ita multae caprae, vt oues vna statione claudantur, quam luto et stercore carere conuenit.* Varro II. 3. *numerus in gregibus minor est caprino, quam in ouillo, quod caprae lasciuae et quae dispergant se. — in Salentinis et in Casinati ad centenas pascunt.*

gregem totum] Varro II. 3. *Melior fit grex, si non est ex collectis comparatus, sed ex consuetis vna.*

magis frigus] alsiosum pecus nominat Varro; Aristoteles H. A. VIII. 10. ouium laticaudas et breuiore villo minus esse ait alsiosas quam longicaudas et longo villo praeditas; alsiosas etiam esse capras, et minus sanitate constare quam oues, robustiores tamen. Idem IX. 3. asserit, capros esse magis alsiosas quam oues.

quia gelicidio — vitiat] Ita scribi ex libro Sang. voluit olim Heinsius ad Ouidii Nucem versu 23. Pontedera praeferebat *gelidior hiems*. Idem deinceps probabat Edd. lectionem *creat*, et lectionem *hiemis* pro *hiems* defendit exemplo cap. III. vbi *atrocior hiemis* est in Codd. et cap. IV. vbi malebat: *siue id fuit hiemis, vertatur aestate, siue autumnum, vere mutetur.*

glans] In boue supra VI. 3. 5. *glans nisi ad satietatem detur scabiem parit.* De suibus et ouibus Aristoteles H. A. VIII. 31. affirmat, glandes auide quidem deuorari a sue, facere tamen carnem humidam, et nimia copia ingestas abortum; idem manifestius accidere ab esu glandium in ouillo genere. Partum difficilem reddere glandium esum, testatur etiam *Abilgaard* Unterricht von Pferden. 1771. Tom. I. Idem etiam capris mortalem ait esse esum plantaginis psyllii

Linn.

Linn. et atractylidis foliorum et fructus. Quod de euonymo affirmat Theophrastus H. P. III. 18. et Plinius 13. f. 38.

6. *vt propinquante*] Palladius Nouembri 13. *nunc hirci admittendi sunt, vt foetum primi veris fouere possit exortus.* Ceterum verba inclusa a Gesnero damnauit Pontedera, velut a glossatore addita. Deinde *praecipuum* malebat Vrsinus legi. Plinius VIII. sect. 76. *Concipiunt Nouembri mense, vt Martio pariant, turgescentibus virgultis, aliquando anniculae, semper bimae; in trimatu inutiles. Pariunt octonis annis. Abortus frigori obnoxius.* vbi recte Pintianus legendum vidit *in trimatu vtiles.* Inepte vulgatam defendit Harduinus, quem sequitur Brotier.

7. *matres binae*] Ita pro *bimae* legi iam voluit Vrsinus et Morgagni.

super lactis] Palladius: *Hoedis supra lactis abundantiam edera et arbuti et lentisci cacumina sunt saepe praebenda.* Vnde patet, *arbutum* h. l. excidisse, nisi latet in lectione Polit. *altaeque tenue.* Inepte Isidorus XVII. 9. hederam dictam ait, *quod hoedis supra lactis abundantiam in esca a veteribus praebeatur.* Caprarum lac edera et lentisco pastarum in vsu medico etiam commendat Plinius 28. sect. 33. ex Scribonio Compos. 132. et libro 24. f. 28. Catalogum herbarum et fruticum, quas depascuntur caprae, ex Eupolidis Comoedia, Capris inscripta, dedit Macrobius Saturn. VII. 5. et Plutarchus Sympos. Q. IV. 1. In Epigrammate Mucii Analect. Brunckii T. II. p. 265. est: αἱ χίμαροι τί ποτ' ἄρα τὰ μὲν θύμα καὶ τιθύμαλλα λείπετε, καὶ χλοερὴν αἰγινόμον βοτάνην. vbi thymus et tithymalus inter cibos, capris dilectos, ponuntur. Caprarum scamoniam et tithymalum depascentium lac alui profluuium ciere, monet Galenus Alim. Facult. 3. 14.

8. *anniculae*] Palladius: *trimae educare optime possunt; quod teneriores matres generant, transigendum est. sed vltra octo annos seruandae non sunt matrices, quia genus hoc longiore sterilescit aetate.* Octo annos vitae caprarum definit Aristoteles H. A. VI. 19. Idem V. 14. Oues, inquit, et caprae anniculae coeunt, atque vterum ferunt, sed caprae magis. Mares quoque in iis ipsis generibus eodem illo tempore ineunt, sed proles maribus progenita differt in his et aliis generibus: τὰ δὲ ἔκγονα τῶν ἀρρένων διαφέρει ἐπὶ τέτων καὶ τῶν ἄλλων. οἱ γὰρ ἄρρενες βελτίως γίνονται ἢ τῷ ὕστερον ἔτει ὅταν γηράσκωσιν. quem locum sic vertit Albertus: filius, quem primo generat, antequam coitu et aetate exsiccetur, est melior et fit fortior et grossioris corporis omnibus postea generatis. Haec Albertus priuatim de capris. Thomae

versio

verſio expreſſit graeca verba omiſſo tamen ἢ ante τῷ ὕστερον, cum qua facit Codex Mediceus. Gazae verſio habet: *ſed proles differt; quatenus praeſtantior ea eſt, quam ſeneſcentes mares et feminae procrearint.* Videamus num aliunde loci ſenſum conſtituere liceat. Plinius VIII. ſect. 72. *arieti naturale agnos faſtidire, ſenectam ouium conſectari, et ipſe ſenecta melior, mutilus quoque vtilior.* vbi Vincentius cum Edd. quibuſdam Plinii habet: *et ipſe ſenecta melior et vtilior* reliquis omiſſis. Ex locis Columellae et Varronis patet, feminas ante bimatum non edere foetum probabilem in vtroque genere; caprum citius ſeneſcere quam arietem. Ariſtoteles ipſe nimis iuuenum et marium et foeminarum foetum improbat, vt imbecillem. Igitur videtur in loco hoc vexato generatim docere, *bimum* meliorem eſſe marem in ouillo et caprino genere, quam anniculum et ſenem. Quare legendum puto βελτίονες τῷ ὕστερον ἔτει ἢ ὅταν γηράσκωσιν. Plinii verſionem non curo. Is enim loca plurima Philoſophi peruertit.

9. *alacer*] Geoponica II. 2. 6. τὰς αἰπόλας ἐλαφρὰς εἶναι δεῖ καὶ ποδώκεις, ἵνα τῇ ὀξύτητι τῶν αἰγῶν παρακολουθῶσι.

maxime ſtrenuum pecus eſt] In lectione huius loci conſtituenda multo minus mihi ſumſi licentiae quam Iucundus, qui locum contra librorum auctoritatem interpolauit et corrupit. Primum igitur dedit: *quare cum eſſe maxime ſtrenuum opus eſt.* At Columella de magiſtro iam antea praeceperat: *durus, ſtrenuus.* Quid opus erat id repetere? Igitur antiquam lectionem reſtitui.

pecus eſt capra, praecedens ſubinde, quae compeſci] Plus in hoc loco miſi ſumſi ſanando, quam priore. In libris optimis eſt: *pecus eſt capellae caprae cedent* (*praecedent* Sang.) *ſubinde quae cedit.* Sang. *quem cedit.* vnde Iucundus fecerat: *Capellae, dum dumeta paſcunt capris cedent.* vbi *dumeta paſcunt* latinum non eſt, et arguit Iucundi interpolationem. Pontedera malebat: *Capellae capris praecedent:* vulgatam etiam ita poſſe explicari cenſens, vt ante capros procurrere capellae dicantur. Quam interpretationem improbat Virgilii *dux gregis ipſe caper*, et narratio Aeliani VII. 26. vbi hirci ſemper capras antecedere aſſeruntur. Equidem ſuſpicabar primum in vulgata nominari capellas veluti iuuenculas, quas inprimis peti a ſalace capro opinabar, vt contra in ouillo genere arieti naturale faſtidire agnas, ſenectamque ouium conſectari, teſte Ariſtotele H. A. V. 14. Plinio VIII. ſ. 72. Geoponic. XVIII. 33. Sed nunc acquieſco vnice ea lectione, quam veſtigia lectionis antiquae ſecutus reſtitui, faci-

faciliore lectoris cum venia, quam Iucundus, qui de suo multa addidit.

procurrat] Manilius V. 139. *vt noua per montes quaerunt arbusta capellae semper et vlterius pascentes tendere gaudent.*

Cap. VII. *opimae*] Pontedera malebat reuocari lectionem Edd. primarum et Sangerm. libri *optimae*. Sed macies plerumque signum habetur pecoris minus recte valentis. Ideoque reuocaui lectionem primarum Edit. *macescunt*, etsi *marcescunt* vulgatum idem fere significare videtur.

nec tota die] In Sang. *nec toto die* esse testatur Gronouius.

2. *poculo*] Ita ex libris optimis scribi pro *pabulo* voluit Pontedera probante Gesnero. Noster VII. 10. 7. *large canalibus immissa praebenda sunt pocula*, i. e. potiones. De ouibus aegris Geoponica 18. 13. καὶ καλάμῃ σκληροτάτῃ ῥίζαι ἁπαλώταται εἰς τὸ ποτὸν διαβρεχόμεναι ὠφελῶσιν.

autumni, vere] Libri Polit. Lipſ. *autumnum* habent; eandem lectionem ex Sangerm. praetulit Heinsius ad Ouidii Metamorph. III. 729. atque inde efficit *autumnum verno mutetur*. Vtriusque formae exempla alia dabit Index.

3. *singulae domo*] Recte Pontedera emendat *modo*. Gesner antea tentauerat *domi*, mutata distinctione, vel *denuo*.

4. *effoetae*] i. e. enixae, monente Gesnero. Ita infra VII. 12. 11. *primus effoetae partus*. VIII. 7. 15. *gallina effoeta* similiter dicitur, et IX. 1. 7. Hoc vero in loco libri optimi habent *et foetae*. Ipsum remedium *ageratori liquido* vitiosum esse vidit iam olim Beroaldus, et arguit scripturae varietas. Beroaldus coniiciebat legendum esse *laserato* vel *cerato*. Posteriorem emendationem receperunt Editiones reliquae. In libris scriptis est: *ageratori*, *geratori*, *gerratori*. Ceratum quidem liquidum Celsus habet IV. 3. cui opponitur spissum. Sed suspicor, in varietate vocabulum aliud latere. Ageratum lapidem Galeni de Comp. Medic. s. loca p. 456. Cornarius ignorat mecum, nec is huc pertinere videtur.

defruti] Sapam, cum bulbis potam, secundas partumque euocare refert Plinius 23. s. 30.

Cap. VIII. *Casei*] Caseum vsibus domesticis quando praeparare oporteat, docet infra XII. 13. Caseus ouillus quo ouium pabulo conficiatur et quo pretio vendatur in

insula Ceo ex Aeschylidis opere rustico docet Aelianus XVI. 32. Ceus is dicebatur etiam Cythnius; hic enim inprimis e cytisi pabulo aestimabatur teste Plinio XIII. sect. 47. Varro breuiter de hoc opere tradit II. 11. *Caseum facere incipiunt a vergiliis vernis exortis ad aestiuas vergilias. Mulgent vere ad caseum faciundum mane, aliis temporibus meridianis horis, tametsi propter loca et pabulum disparile non vsque quaque idem fit.* Ceterum rationem omnem Britannicam quidem casei, quanquam bubuli tantum, conficiendi rationibus physicis satis commode explicuit *Twanley* Business of Cheese-making. Warwick 1784. cuius versionem vernaculam habemus, qua equidem vsus excerpsi breuiter inde, quicquid ad rationes Columellae interpretandas facere intelligebam. Artificium omne redit eo, vt lac temperatum iusto calore coaguletur modico coagulo. Nimis enim vel calidum vel frigidum male cogitur, minusque casei efficit, quam debet. Coaguli nimia multitudo et acrem facit caseum, et male coagulat lac, partem etiam iam coagulatam resoluere solet. Sales additi coagulo adiuuant congelationem lactis. Caseus, formis seu fiscellis inditus, non nimis refrigerari, sed iusto vapore temperari debet; aestus enim pariter ei nocet. Denique lac recentissimum quodque statim cogi et bene coactum purgari a sero debet, quae quidem cautelae omnes efficiunt saporem dulcem, nec acidum fieri patiuntur caseum.

sincero] Palladius Maio 9. *hoc mense caseum coagulabimus sincero lacte coagulis vel agni vel hoedi vel pellicula, quae solet pullorum ventribus adhaerere, vel agrestis cardui floribus vel lacte ficulneo.* Mirum in hoc loco Columellae, vnde sua duxit Palladius, ventriculi pelliculam non memorari, quam tamen Geoponica etiam habent XVIII. 19. quae ἐχῖνον echinum appellant communi ventriculi alicuius ruminantium nomine. Sed is echinus inprimis reperitur in ventriculis gallinacei generis. In Kyranidibus latinis p. 129. etiam echinus ventriculi ciconiae dicitur, et apud Plinium 29. sect. 33. ventriculus iuxta pecoris coagulum nominatur. Ficulneum lac Graeci simpliciter ὀπὸν, i. e. succum dixerunt.

opimo] Pontedera praeferebat lectionem *optimo*, quia pinguis idem, qui opimus. Male tamen idem *patimur* praeferebat. Ad hanc lactis custodiam pertinere puto verba Geoponicorum 18. cap. 19. haec: Lac durat ad triduum, si pridie quam transferas, in vas infusum ac feruefactum rursus in aliud transfuderis et ferula aut arundine agitaueris, donec frigescat. Ceterum caseus, ex lacte opimo et pingui factus, is est, qui materiem butyraceam omnem lactis in se habet con-

congregatam; eique opponitur, qui fit ex *tenui liquore*, i. e. cui ante ablata fuit ſupernatans pinguedo. Butyrum enim ex lacte caprino fieri ſolitum fuiſſe, ex Dioſcoride tradit Plinius. — Ceterum caſeum, recens coagulatum, a forma metam lactis appellat Martialis III. 58. nec miſit fiſcina metas. Idem I. 44. Caſeum ex lacte ouillo et caprino mixto coactum in oppido Gallico Roquefort eiuſque cogendi rationem deſcripſit et iudicauit *Chaptal* in Vol. IV. *Des Annales de Chimie.*

acorem] Ex eiuſmodi lacte coactum acidum puto dici caſeum Plinio 28. ſ. 34. Ceterum librorum lectionem *quam maximum celeriter acorem* praeferebat Pontedera; vbi dubium eſt, quae mixtura intelligatur. Equidem Heinſii correctionem, ex Sang. ductam, ſequi non dubitaui. Ita enim recte lac aqua mixtum ſincero opponitur. Quanquam ille plura hoc loco tentabat: *nam ſemiuietum vel aqua immixtum* etc. Sed *requietum* bene habet. Vide ad VIII. c. 5. *aquorem* ex Sang. annotauit Gronov.

agreſtis cardui] Geoponica XVIII. 19. *καὶ τῆς κινάρας αἱ ἐν τοῖς σπονδύλοις ἐκφυόμεναι τρίχες αἱ πρὸς βρῶσιν ἀνεπιτήδειαι.* Galenus ſua aetate *κυνάραν* appellari eiuſque caput *σπονδύλες* tradit Tom. VI. p. 363. ed. Charterii. Pili illi cinarae ſunt ſemina pappoſa, quae pericarpio edendo auferuntur, vt docui ad Columellam X. 235. vbi de cinara vide. Scolymi cinarae flore hodieque lac coagulant agricolae Etruſci ſeu Toſcani. In Hiſpania cynarae cardunculi flores adhiberi, teſtatur Townſend Itiner. T. I. p. 297. qui *the down of the cynara* adhibere nimis obſcure ait. In Alexandri Aphrodiſ. Problem. II. docetur, lac non coagulo animalis, ſed ſucco ficulneo aut gutture gallinae aut cnico cogendum eſſe; ſic enim caſeum concoqui digerique expeditius poſſe. Graeca ad manum non habeo; ſed guttur gallinae videtur male a Gaza nominari pro cuticula ventriculi gallinacei. De coaguli effectu in lac, num acori an aliis viribus debeatur, vide diſputantem *Storr* in Itinere Alpino Helvetico T. II. p. 84. De portione caſei in lacte bubulo et caprino locus eſt Ariſtotelis H. A. III. 20. cuius vt et Halleri ſententiae contrariam ex Sardico opificio tuetur Cetti T. I. p. 116. verſ. germ. Cardui flores agreſtis, quos adhibent hodie Tuſci *Preſame* vel *Preſura* vocant, alibi plantam ipſam *Sgalera.* Vide de modo parandi iſto modo caſei Tozzetti ſull' agricolt. Toſcana p. 163 ſeqq.

cneci] Dioſcorides IV. 190. ſemen cneci, ait, aqua reſolutum lac coagulare. Hinc *κνῆκος* dicebatur olim *πιτύη*

vel πυτίνη, teste Hesychio, quia coaguli, πυτίας, vicem sustinebat in lacte cogendo. Quae in Geoponicis XVIII. 19. sect. 5. leguntur verba, quasi ad caseum tenerum seruandum: κνήκε σπέρματος ὕδατι χλιαρῷ ἀναληφθέντος ἢ καὶ μετὰ μέλιτος χλιαρῶς ἐμβληθέντος, loco suo mota sunt, vt vel ista structura verborum turbata arguit, et ad lac cogendum pertinent. Cnecus est cartamus tinctorius Linnaei. *Safflor.*

2. *medicaminis*] i. e. coaguli. Alio sensu Plinius XI. sect. 97. de caseo: *Galliarum sapor medicamenti vim obtinet — Inesse pabulis salem, etiam vbi non detur, ita maxime intelligitur, omni in salem caseo senescente, quales redire in musteum saporem aceto et thymo maceratos certum est.* Gallicum caseum in condimento laudat noster XII. 57. 3. Medicaminis seu coaguli iustam portionem addere multum interest. Recte enim Aetius Alexiph. c. 75. πυτία γὰρ τὸ πρόσφατον γάλα πήγνυσιν ἐμβληθεῖσα, τὸ δ' ἤδη θρομβωθὲν διαλύειν πέφυκε. Itaque coagulo vtuntur medici graeci ad lac recens in ventre coagulatum dissoluendum, vt docui ad Nicandri Alexiph. versu 373.

fici ramulis] Plinius XXIII. sect. 64. *surculo caprifici lac coagulatur in caseum.* Ipsum succum lana excipiebant olim, pauxillo lacte abluebant lanam, idque lac additum cogulabat reliquum in caseum, teste Aristotele H. A. III. 20. vbi Alberti versio addit florem cardui alicuius in agris crescentis in altum flore rubeo, qui lac coagulet. Ceterum Philosophus ibidem monet, ex amphora lactis caprini caseos oboli pondere vndeuiginti, ex bubulo triginta confici. Caseus, lacte ficulneo coactus, ὀπίας graece dicebatur, eumque δριμύν, i. e. acrem, seu acidum appellat Athenaeus XIV. libro. Pro coagulo alios addidisse acetum, et aliis aliquot rebus aspergere ait Varro. Dioscorides II. 72. aceti mulsi singulos cyathos in singulas cotylas lactis addit vt coeat. Teneros fici ramulos aut folia adhibent Geoponica XVIII. 19. Varro II. 11. in duos congios coagulum addit magnitudine oleae.

3. *admouenda est flammis*] Plinius XI. s. 96. *lac omne igne spissatur, frigore serescit.* Vbi Parmensis liber habet *spissatum humore feruescit.* In libris scriptis est *spissaturum ore feruescit.* Idem 28. sect. 35. *Fit butyrum et ex caprino lacte, sed hieme, calefacto lacte, aestate tantum expresso crebro iactatu.* Idem 28. sect. 33. de lacte schisto: *fictili nouo feruet caprinum maxime lac, ramisque ficulneis recentibus miscetur, additis totidem cyathis mulsi aceti, quot sunt heminae lactis. Cum feruet, ne circumfundatur praestat cyathus argen-*

argenteas cum frigida aqua demissus, ita ne quid infundat; ablatum deinde igni refrigeratione diuiditur et discedit serum a lacte. In Geoponicis XVIII. 12. est, lac ad ignem tepefactum et fici ramulo agitatum coagulari.

percolari] Palladius: *cui serum debet omne deduci, vt et ponderibus vrgeatur. Vbi solidari coeperit loco opaco ponatur aut frigido, et pressus subinde pro acquirenda soliditate ponderibus, trito ac torrefacto sale debet aspergi, et iam durior vehementius premi.*

4. *pigro humore*] i. e. lento, tardo fluxu, recte monente Gesnero. Vrsinus corrigebat *humori*. Forte voluit *pigrum humorem.*

formis] Formas fagineas Florentini *Cascine*, alibi Cassini nominant, referente Tozzetti p. 178.

tritis] Palladius: *trito ac torrefacto* rectius; et noster deinceps *et rursus torrido sale.* An igitur pro *tritis* fuit olim *torridis?* Varro II. 11. 6. aspergi ait solere salem, et meliorem esse fossilem quam marinum. Sales torrefactos lac cogere tradunt Geoponica XVIII. 19. eadem paulo post addunt, caseum tenerum permanere longius tempus asperso sale modico. Ceterum salem addit Columella, quo citius siccetur caseus, siccatumque deinde aqua dulci eluit, ne acorem ex sale trahat.

5. *aqua dulci eluitur*] Haec omisit Palladius, qui breviter post supra posita pergit: *post aliquot dies solidatae iam formulae per crates ita statuantur, ne inuicem se vnaquaeque contingat. Sit autem loco clauso et a ventis remoto, vt teneritudinem seruet et pinguedinem.* Geoponica XVIII. 19. τυρὸς διαμένει πλυθεὶς ὕδατι ποτίμῳ καὶ ξηρανθεὶς ἐν ἡλίῳ, ἐν κεραμίοις τε συνταθεὶς μετὰ θύμβρας ἢ θύμου, κεχωρισμένων κατὰ τὸ δυνατὸν τῶν τυρῶν. ἔπειτα ὄξει γλυκέος ἢ ὀξυμέλιτος ἐπιχυθέντος, ἕως τὸ ὑγρὸν διὰ πάντων χωρῆσαν ὑπερέχῃ. Sed haec ad aliam rationem spectant. Nempe caseos senescentes, aceto et thymo maceratos, redire in musteum saporem annotauit Plinius. 11. f. 97.

Fistulosus] Palladius: *Vitia casei sunt, si aut siccus sit aut fistulosus, quod euenit, si aut parum prematur, aut sales nimios accipiat, aut calore solis vratur.* vbi quaedam excidisse veluti *aut salsus.* recte admonuit nostro loco comparato Pontedera. Fistulas in caseo oculos vocant Florentini; genus casei, quod in loco ventis obnoxio expositum fermentare coepit et dirumpitur, *cappato* vocant teste Tozzetti p. 180.

6. *permitti*] Malebat promitti Heinsius Aduers. II. p. 375.

inducant] Recte Broukhus. coniecit legendum esse *induant*. Designat tempus, quo accedunt ad pecus mulgendum, quod induitur numellis, quo quietius consistat.

pineas nuces] Palladius: *in recenti caseo conficiendo aliqui nucleos virides pineos terunt, atque ita misto lacte gelant.*

7. *thymum*] Palladius: *aliqui thymum tritum et frequenter colatum congelant.*

condimento] Palladius: *qualemcunque etiam saporem velis efficere poteris, adiecto quod eligeris condimento seu piperis seu cuiuscunque pigmenti.*

tepefacta] Mulctra cum lacte calefit, quo facilius lac coeat; igitur vulgatum *tepefactus* correxi.

feruente aqua] Quia scilicet lac paulum gelatum nec satis duratum erat; feruente aqua perfunditur nunc. Sed hanc rationem plane improbat, caseumque ita tenacem et corii duri fieri monet *Tiramley* p. 115.

figuratur] Plinius XVI. sect. 72. *Cortici ficorum lacteus humor; huic ad caseos figurandos coaguli vis.*

malini] Recte emendare puto Gesnerum *maligno fumo*, i. e. parco.

fumo] Plinius XI. sect. 93. *et caprarum gregibus sua laus est, Agrigenti maxime, eam augente gratiam fumo, qualis in ipsa vrbe conficitur, cunctis praeferendus.* De caseo isto, Velabrensi scilicet, ita Martialis XIII. 32. *non quemcunque focum, nec fumum caseus omnem, Sed Velabrensem qui bibit, iste sapit.* Geoponica XVIII. 19. τινὲς τυρὸν εἰς θαλάσσιον ὕδωρ βαλόντες διαφυλάττουσιν. λευκὸς δὲ διαμένει εἰς ἅλμην ἐμβληθείς. στερρότερος δὲ καὶ δριμύτερος ὑπὲρ καπνῷ τιθέμενος. Gesnerus locum attulit ex Pandectis libri VIII. §. 2. Si servitus vindic. vbi casearíae tabernae fumus memoratur.

originem] vnde orta erat, ad pecora.

Cap. IX. *quadrati*] Palladius Februar. 26. *nunc verres maxime feminas inire debebunt. Legendi sunt vasti et amplii corporis, sed rotundi potius quam longi, ventre et clunibus magnis, rostro breui, ceruice glandulis spissa, libidinosi, anniculi, qui vsque ad quadrimos inire feminas possint.* vbi Vincentius habet *ceruicis glandulis spissis.* et Crescentius *ad quadriennium.* In vulgata h. l. lectione *totius quidam — exiimii,*

mii, et qui — potius quam qui longi aut rotundi sunt recte iam olim Vrsinus *quidam* mutandum censuit in *quidem;* deinde recte Gesnerus comparato Palladio, lectionem eam ingenio assecutus est, quam restituimus. Vestigia emendationis lectionis latent etiam in libris scriptis. Video nunc Abr. Gronouium ex Sang. praeferre *ventre sunt promisso.* quam lectionem, mutato tamen *sunt* in *sint*, ipse etiam probo. Varro II. 4. *ea est olim amplitudine membrorum praeterquam pedibus, et capite, vnius coloris potius quam varii.* Vulgo ibi est *pedibus, capite, vnicoloris potius quam varias.* sed recte Crescentius IX. 77. habet *vnius coloris — varii.* Pergit Varro de verribus: *sint ceruicibus amplis.* Geoponica 19. 6. locum Varronis repetierunt, sed addunt: *τὰ περὶ τὸν αὐχένα καὶ τὰς ἐπωμίδας μεγάλα.*

glandulosae] Geoponica l. c. haec ita reddunt graece *ὅταν ἔχωσι τὸν λεγόμενον κόλλοπα πολύν.* et addunt, vulgari sermone dici eam partem *callosum.* Cangii Glossarium graecum *τραγανὸν* interpretatur callosum. In Hippiatricis p. 89. vbi emphysemate curatur equus, aperiri iubet medicus cutem a iuba vsque *μεταξὺ τῆ δέρματος καὶ τῆ τραγανῆ.* Graece *κόλλοψ* dici solet corium durum in ceruicibus et tergis boum, ouium aliorumque pecorum, vnde glutinum excoqui solebat. Glandia suum in coenis lege censoria vetita habet Plinius XVI. f. 79. et XXXVI. f. 2. Plautus Captiv. IV. 4. 4. *arripuit gladium, praetruncauit tribus pecoribus glandia.* vbi alii *tergoribus* legunt. Idem Curcul. II. 3. 44. *pernam, abdomen, sumen, suis glandium.* Idem Menaechm. I. 3. 27. *glandionidam suillam, laridum pernonidem.* Glandia in carne dixit Plinius 16. sect. 73. Idem de marga 17. sect. 4. *est autem quidam terrae adeps ac velut glandia in corporibus, ibi densante se pinguitudinis nucleo.* Veteres grammatici varie interpretati sunt glandia. Dicta fuerunt a glandium similitudine et densitate glandia; deinde glandulae vsu frequentatae magis fuerunt. Glandia in coenis veterum Romanorum apposita de ceruice suum fuisse excisa docet hic Columellae locus. Glandulas porcellinas in cibis habet Apicius IV. 3. A cocis suum linguas exscindi cum epiglottide, gutturis summa parte, et glandulis, linguae, gutturi et faucibus adhaerentibus, atque ita apparari ad cibum, testatur Galenus Aliment. Fac. III. atque haec esse glandia suspicor.

semestres] Varro: *Verres octo mensium incipit salire; permanet, vt id recte facere possit, ad trimatum.* Plinius VIII. f. 77. *mares non vltra trimatum generant.* paulo post: *apris maribus non nisi anniculis generatio.*

2. *Scrofae*] Palladius: *scrofas vero longi lateris debemus eligere, et quibus ad sustinendum foeturae onus magnus se venter effundat, cetera verribus similes. Sed in regionibus frigidis densi et nigri pili, in tepidis qualescumque prouenerint. Femina ad creandum vsque in annos septem partus onera gestare sufficiet; ad concipiendum annicula debet incipere: quarto exemto mense pariunt, vbi quintus incipiet.* Ex quo loco apparet, quo pertineant verba *et vt sint;* quae structuram reliquorum turbant. Scilicet latet in iis vera lectio: *et vteri capacis, reliquis membris similes* etc.

glabrum — pistrinale] Pistrinale recte restituit Beroaldus comparato Plauto in Captiuis IV. 2. 27. vbi pistores scrophi pasci audiunt. Glabras densasque sues supra etiam distinxit Columella I. Praef. 26. In Calabria suillum pecus tam glabrum quam est elephantus vidit Swinburne Itinerar. Neapolit. T. I. p. 384. In Carniolia nigrescentes pilo crispo Hacquet Itiner. per Alpes Carniol. 1785. T. I. p. 36. auribus praeterea pendulis, latis, maxillis latissimis. Guineensem porcum glabrum descripsit et pinxit Marcgraf. — *Colluuiaris porcus dicitur, qui cibo permixto et colluuiaris nutritur.* Festus. Ceterum Sang. *Foemina suus habetur*, teste Gronouio.

3. *quatuor quoque*] Gesnerus malebat legi *quatuor quippe mensibus foeta*, sc. debet. Mihi ne sic quidem vitium omne sublatum esse videtur.

herbae solidiores] Varro: *Optimum ad admissuram tempus a Fauonio ad aequinoctium vernum; ita enim contingit, vt aestate pariat: quatuor enim menses est praegnans, et tunc parit, cum pabulo abundat terra. neque minores admittendae quam anniculae. melius XX. menses expectare, vt bimae pariant. Cum coeperunt id facere dicuntur vsque ad septimum annum recte.* Palladius: *Incipiunt, sicut dixi, mense Februario, vt solidioribus herbis nati et stipula succedente pascantur.* Iterum Varro post superiora: *Porci qui nati sunt hieme, fiunt exiles propter frigora.* Plinius VIII. sect. 77. *aetas octauo mense, quibusdam in locis etiam quarto, vsque ad octauum annum.* Ceterum de tempore foeturae contrarium docet Aristoteles H. A. V. 14. τὰ ἔκγονα βέλτιστα ὅσα τῦ χειμῶνος ἀρχομένυ γίνεται. χείριστα δὲ τὰ θερινὰ, καὶ γὰρ μικρὰ καὶ λεπτὰ καὶ ὑγρά. vbi auctor libri de rerum natura apud Vincentium XVIII. c. 80. satis prudenter addit: In calidis regionibus melior est foetus porcae in hieme, quam in aestate; in frigidis autem contrarium, et hoc propter intemperiem regionum.

cadu-

caducis frugibus] Paleas intelligi leguminum, patet. Sed Palladius haec verba omisit, et fruges hac significatione aliunde ignoro, etsi *fruges minutas* ex Ciceronis Verrina III. 18. recte interpretatur Seruius ad Aeneid. I. 181.

bis anno] Varro: *natura diuisus earum annus bifariam, quod bis parit in anno; quaternis mensibus fert vterum, binis nutricat.*

mares] Varro: *Castrantur verres commodissime anniculi, vtique ne minores quam semestres.*

5. *feminis*] Plinius: *castrantur feminae quoque, sicuti cameli, post bidui inediam, suspensae pernis prioribus, vulua recisa. celerius ita pinguescunt.* Aristoteles H. A. IX. 50. ἐκτέμνεται δὲ καὶ ἡ καπρὶα τῶν θηλειῶν ὑῶν ὥστε μηκέτι δεῖσθαι ὀχείας, ἀλλὰ πιαίνεσθαι ταχέως. ἐκτέμνεται δὲ νηστεύσασα δύο ἡμέρας. εἶτα κρεμάσαντες τῶν ὀπισθίων σκελῶν τέμνουσι τὸ ἦτρον, ᾗ τοῖς ἄῤῥεσιν οἱ ὄρχεις μάλιστα φύονται. ἐνταῦθα γὰρ ἐπὶ τοῖς ἡμέραις ἐπιτέφυκεν ἡ καπριά. In camelo femina dicuntur exscindi partes ad venerem stimulantes apud Aelianum IV. 55. Scriptor anonymus apud Suidam in voce καπρέαι, inquit, carnes sunt eminentes infra pterygomata, quas exscindunt ne amplius coire possint. Pterygomata in pudendo muliebri explicat Fallopius Observ. anatom. p. 193. Partem vuluae, quae eiici possit in pruritu, quod de sue tradit Aristoteles, patet, intelligi a Columella; de Aristotele mihi aliter videtur. Is enim ventrem imum rescindi iubet, et eam partem, vbi testes marium siti sunt, rimari. Itaque ouaria aut tubas fallopianas resecari iubet, quod hodieque fieri in feminis subus, vaccis, equabus ouibusque castrandis monet Bartholinus Epistol. medicin. III. p. 259. Recte etiam iam olim Gabriel Alfonso de Herrere in libro Hispanico de Agricultura 1520. Italice verso Venetiis 1568. forma quarta libro V. cap. 40. Aristotelis καρπιὰν interpretatus est *veluti cumulum minutorum ouorum.* Itaque non primus Nicolaus Stenonis, vti vulgo putant, testiculos feminarum, vti olim audiebant, ouaria dixit. Denique Galenus de Semine I. cap. 15. in Asia refert castrari scrophas, quo citius pinguescant et carne suauiore delectent. Ipsam castrationem difficiliorem esse ait, quam in verribus; deinde accurate ouariorum sedem definit, denique monet, vtrumque ouarium exscindi debere. Horum partem disputauit etiam egregius vir Brugnone de Cura equitii p. 254. qui recte de obscuritate huius loci conqueritur. Forte Columella nusquam scrophas castrari viderat, et de re sibi ignota obscure loquebatur.

aere mutandus] Palladius: *vbi facultas est transigendi, venditis qui subinde nati sunt, celerior matribus foetura reparatur.*

6. *omnem situm*] Palladius: *genus hoc omnibus locis haberi potest: melius tamen agris palustribus quam siccis, praecipue vbi arborum fructuosarum silua suppetit, quae subinde maturis fructibus alterna per annum mutatione succurrat.*

subere] Plinius 26. c. 8. *glandem, quae intelligitur ferunt robur, quercus, esculus, cerrus, ilex, suber.* deinde sect. eadem: *glans fagea suem hilarem facit, carnem coquibilem ac leuem, et vtilem stomacho; iligna suem angustam, nitidam, strigosam, ponderosam, querna diffusam. Proximam huic tradit cerream Nigidius, nec ex alia solidiorem carnem, sed duram. Iligna tentari sues, nisi paulatim detur. fungosam carnem fieri esculo, robore, subere.* Cerream glandem noster nominat IX. 1. 5. In lege Longobardica apud Cangium sub voce *Faia* legitur: *cerrum, quod est modo laiscum.* An quercus cerris Linnaei, quae calyces echinatos gerit?

tamaricibus] Tamaricum fructus nec ad poma nec ad glandes referri posse, vtpote exiguos et lanugine obtectos, nec suillo pecori cedere posse in cibum, recte monuit Pontedera, qui praeferebat Edd. primarum et optimorum Codicum lectionem *termitibus*, nisi quod Goesianus habet *terimitibus*, ita tamen, vt legeret *oleastri termitibus.* Termitem enim proprie dici taleam oleagineam. Horatius Epist. 16. *germinat et nunquam fallentis termes oliuae.* Sed Festus *termes*, inquit, *ramus direptus ex arbore, nec foliis repletus nec nimis* (alias *minus*) *glaber.* Attamen non pars aliqua arboris h. l. memorari debet, sed arbor, pomum ferens silvestris, velut oleaster. Igitur restitui lectionem *termitibus*, qua terebinthum significari puto, quae Graecis est τέρμινθος. Noua haec est notio et hucusque non annotata. De olea termitem dici proprie volunt etiam antiqui Interpretes Horatii; sed spadicem palmae termitem cum fructu vocauit Gellius II. 26. Siluanum inculto termite gaudentem habet Gratius Cyneg. versu 20. Idem versu 131. arbores silvestres hastilibus aptas enumerans cornum, myrtum, taxum, pinum nominat, deinde: *et magis incomtus operae lutoser agrestis termes.* vbi scriptura miris modis variatur in libris. Idem versu 138. *nunquam sponte sua procerus ad aera termes exit.* Versu 446. *ipse manu ramum pallente sacerdos termiteum quatiens.* vbi oleae ramum significat. Ammianus 24. 3. *et quaqua incesserit quisquam termites et spadica cernit assidua,*

dua, quorum ex fructu mellis et vini conficitur abundantia. vbi de palma dici termitem, et eundem esse cum spadice, docent sequentia. Presta in libro secundo: Memoria intorno ai Sessanta due Saggi p. 88. monet obiter, oleam quamcunque sponte natam, quae fructum paulo maiorem afferat, hodie in Salentina peninsula vocari *Termetone.* Et olea stelli (Cellina) species altera *Termetara* ibidem vocatur, (p. 98.) quia baccam legitima Cellina minorem gerit.

corylis] Cato 18. 9. orbem ex corylo fieri iubet aut vlmo. vbi Pontedera carpinum vel cornum substitui voluit. Carpinum et corylum facibus familiarissimam dixit Plinius 16. s. 30. hastis vtilem sect. 83. Corylum intortam vitibus alligandis aliisque vinculis seruire monet sect. 69. corylum odisse vitem 17. s. 37. secutus Virgilium Georg. II. 299. *neue inter vites corylum sere.* Coryli cinerem ad salem faciendum laudat Plinius 31. s. 40. Quae loca omnia videntur esse de corylo silvestri intelligenda; contra auellanam, longam intelligi et domesticam, docebo ad Palladium III. 25. 31. Vide et ad Catonem c. 8. 2.

spinae albae] Radicem florem et cauliculos memorat Plinius 21. s. 31. flore coronarios vti annotat, et cauliculos condi in cibum. De eadem iterum 24. s. 66. ex Dioscoride III. 14. vnde in Plinio lege: *candidior et fruticosior in saepibus viret — aduncis. Foliis maioribus alterum genus est silvestre nigrius et quodammodo rubens.* cum Pontedera Antiqq. p. 612.

Graecae siliquae] Ita appellat etiam V. 10. 20. et alibi, vt a vario siliquarum genere distingueret Ceratoniam siliquam Linnaei.

lotus] Cerasi instar fructum proferens, auctore Plinio 13. s. 32. de cuius prouentu Siciliensi Sestini Epist. Sicul. T. II. p. 196. vers. germ. Putatur esse celtis australis Linnaei. Seruius ad Georg. II. 84. loton arborem ait vulgo fabam Syriacam dici. Virgilius ipse l. c. plures loti species esse ait. Plinius l. c. quasi de loto Aegyptiaca: *nec aliunde magis quam purgamentis eius sues crassescunt.* Ceterum in Sangerm. *iunipirus* et *paliaris* esse monet Gronouius. Prior scriptura ducere videtur ad veram iuniperi etymologiam.

pinus] Codices optimi *pampinus* habent, quod vocabulum praeferebat Pontedera, qui vtinam docuisset, quae silvestris arbor eo significetur. Crispam vel cripam pampinaceam XII. 30. 5. aeque ignotam habet Columella. Pinum quidem inter arbores pomiferas memorari absurdum est; praeterea fructus pineus vix idoneum subus cibum praebet.

Vix

Vix me continui, quo minus rescriberem *spinus*. Ita Virgilius Georg. IV. 145. *spinos iam pruna ferentes*. vbi Seruius ait prunorum arborem genere masculo dici spinum. Spinos steriles dicit Palladius Insit. 63. et spino inserit pirum Febr. 25. 6. Seruium falsum esse, docet hic Columellae locus. A voce praecedente absorpta fuit prima litera vocabuli *spinus*. Spinum igitur Columella a spina alba distinxit. Sed prunum etiam silvestrem separat a spino, si lectio vera est ea, quam reponi volebam. Spinae albae flores coronario in vsu et cauliculos inter gulae oblectamenta ex Plinio nouimus, fructuum formam coloremque ignoramus. Inter poma silvestria noster infra VIII. 17. 13. vnedonem enumerat, quem arbuti fructum interpretatur Plinius 15. s. 28. Sed epimelidis fructus in Calabria praecipue frequentes a romanis rusticis vnedones vocatos fuisse, ex Galeno docuit Cornarius ad Galen. de Compos. Medic. p. 340. Columella etiam arbuti baccas dixit VIII. 10. 4. igitur ab vnedone distinxit. Vnedonis nomen male interpretatus est Plinius inde esse ductum, quod vnum tantum comedatur. Potius ab vnionum similitudine dictae sunt baccae epimelidis vnedones; quin etiam ipsae vniones a pomorum quorundam similitudine baccae fuerunt dictae. Ita spina appendix apud Plinium 24. s. 70. vocata, quod baccae puniceo colore in ea appendices vocabantur. Appendices interpretor baccas, auribus feminarum appendi solitas, seu vniones. Haec spinarum nomina et fructus apposui, quoniam suspicor, in hac varietate confusam latere Columellae spinam albam et spinum. — Nunc demum incido in locum Galeni de Facult. Alim. II. vbi agrestes fructus enumerans primum fagum, quercum, ilicem, cornum arbutumque inter arbores, deinde inter frutices rubum, sentem caninum, acherdum, achradem et silvestrem prunum nominat; in fine denique capitis fructus nominat hoc ordine: corna, brabyla, epimelides seu vnedonem, memaecyla, zizypha, diospyra, halicacaba, rubi canini, terebinthi acherdique fructus, quorum maximam partem ait escis suum, in montibus degentium, dicatam esse. Vbi terebinthum nominatum intelligo Columellae termitem; in reliquis nominibus partim ignotis, vt diospyris, pampinum Columellae etiam conditum latere suspicor.

prunus] silvestris, de quo vide infra ad XII. 10. 2. notam.

aquis abuti] Gronouius, nescio I. Fr. an Abr. nepos, corrigebat *ablui*, comparato cap. 10.

7. *can*-

7. *cannam vocat*] Ex libro Sangerm. *vocant* profert et probat Drakenb. ad Liuium T. V. p. 416. Palladius cannam vocare ſolet arundinem quamcunque.

nam cultus quidem] Ita vulgatam: *nam quidem cultus* correxit Geſner.

graminoſus] Palladius multo breuius poſt ſuperiora pergit: *maxime locis graminoſis et cannarum vel iunci radice nutriuntur.*

8. *foris deficit*] Palladius: *Sed deficientibus alimentis per hiemem nonnunquam praebenda ſunt pabula glandis, caſtaneae vel frugum vilia excrementa ceterarum: verno magis, cum lactent nouella virentia, quae porcis ſolent nocere.* vbi fere eadem in libris eſt varietas quae in Columella. Vincentius enim altero in loco habet: *lactant. nouella enim virentiaque ſolent porcis nocere.* altero ſic: *lactanti nouella virentia plerumque porcis ſ. nocere.* Scilicet ante Geſnerum h. l. legebatur *lactant. Viridia pabula ſuibus plerumque nocent.* ad cuius lectionis normam Palladium emendari volebat Pontedera. Sed recte contra Geſnerus docuit, ipſum Columellam noſtram lectionem approbare his verbis *quinto parere, cum iam herbae ſolidiores ſunt.* Ita enim ſimul reiicit lactentes et immaturas, quae ſuibus nocent, ventremque citant. Itaque quae primum viridia et lactentia pabula, deinde dixit immaturas herbas. Deinde recte etiam monet Geſnerus, ſcrofas nondum lactare, cum pabula ſunt nouella, herbaeque immaturae, ſed tum demum parere et lactare, cum herbae ſunt factae ſolidiores et maturae. Denique admonebo, in Palladio eſſe *frugum vilia excrementa ceterarum*, cum in Columella legantur fabae et ſimilia legumina. Ergo in altervtro loco vitium eſt. Varro pecus hoc ali ait maxime glande, deinde faba et ordeo et caetero frumento. Igitur in vtroque loco ſuſpicor vitium haeſiſſe. Geoponica ſagiñant glande, furfuribus triticeis, tritico καὶ σκυβάλοις τοῖς ἀπὸ τῆς ἅλω. vnde forte Palladius duxit *excrementa frugum; lactentes* herbas in ſimili praecepto dixit Nemeſianus Cyneg. 291 verſu. Auctor Carminis de menſibus romanis in Analectis Brunckii T. II. p. 519. menſe Decembri: γλαγόωντι γὰρ ἤδη σπέρματι ῥιγεδανὴ πηγυλὶς ἀντιάσει. In curis ſecund. Pontedera *lancinant* ex lectione Polit. efficiebat, *auide ingurgitant* interpretatus. Ceterum ex Sang. *dandum, cum foris* omiſſo *eſt* annotauit Gronov.

ciſternis] Pontedera vitium in voce *aquam* haerere ſuſpicabatur, quod in aqua nullum ſeminis genus ſeruari poſſit, niſi quod in aqua gignitur. Itaque legebat: *glans vel ciſter-*

cisternis sine aqua vel fumosis tabulatis recondenda est. Huiusmodi autem fumosa tabulata indicari supra I. 6. Sed gravius vitium latere demonstrat locus Palladii, qui *castaneam* ex h. l. excerpsit; et castaneas vulgares suum pabulo gigni monet Plinius XV. sect. 25. Vulgatam tamen licebit defendere ex Catonis c. 54. vbi post sementim glandem legi et in aquam coniici vult. Equidem malim *glans et castanea vel in cisternis aqua vel fumo in tabulatis condenda est.* Glandium in siris seruatarum meminit Galenus II. de Aliment. facult. εὐφορίας δὲ γενομένης τῶν τε βαλάνων καὶ τῶν μεσπίλων, ἐν σιροῖς αὐτὰ οἱ ἄγροικοι θησαυρίσαντες ἀντὶ τῶν σιτηρῶν ἐδεσμάτων ἔσχον ἔν τε τῷ χειμῶνι παντὶ καὶ τοῖς πρώτοις τῆς ἠρός.

9. *claudi debent*] Palladius: *neque gregatim claudendae sunt porcae more aliarum pecudum, sed haras sub porticibus faciemus, quibus mater vnaquaeque claudatur, et alumnum gregem tutior ipsa defendat a frigore; quae harae a superiore parte detectae sint, vt libere numerum pastor exploret et oppressis a matre foetibus saepe subueniat subtrahendo.* Varro: *haram facere oportet circiter trium pedum altam et latam amplius paulo, ea altitudine abs terra, ne dum exire velit praegnans abortet. Altitudinis modus sit, vt subulcus facile despicere possit, ne qui porcellus a matre opprimatur.* Columella quatuor pedum altitudinem dedit harae, ne sus transilire septa queat. Scilicet haec est tota altitudo ab infima harae parte ad summam: qua cauetur, ne sus aliena desuper insiliat in haram detectam.

per porticus] Libri variant; Palladius *sub porticibus* habet. Columella paulo post ait: *quare, vt dixi, iunctae parietibus harae construendae sunt.* In Palladio nihil variavit Crescentius, sed Vincentius ita habet scriptum: *haras interstitio sub partibus faciemus, quibus mater cum porculis claudatur, vt alumnum gregem tutior ipsa defendat a frigore.* Ex quibus lectionibus suspicor veram fere hanc existere: *haras interstinctas parietibus faciemus.* Hae scilicet sunt *harae iunctae parietibus* Columellae; minime vero adpositae aedium parietibus. Itaque harae *per porticus factae* idem significare debent; nam sanus nemo *per porticus* aut *sub porticibus* haras faciet, vt foetore ambulantes ibi infestentur. Sed porticus praeterea dicitur quodcunque munimentum, quod desuper a vento et tempestate defendit subiectam aliquam materiam. Ita in alueario dixit porticum Columella IX. Praef. 2. IX. 7. 4. IX. 4. 14. et Palladius Nouembr. 8. 2. Itaque haras Columella detectas quidem fieri voluit, sed tamen porticibus desuper tectas, id est, prominentibus aedium parti-

partibus adiunctas et tectas, ne mater cum porculis a pluviis et frigore infestentur. Ideoque Palladius addidit: *vt tutior ipsa defendat a frigore.* Deinde etiam *iunctas parietibus haras* eodem modo interpretari debemus. Hucusque bene mihi interpretari videor locum Columellae. Sed desideratur adhuc mentio interstitiorum, quibus harae in suili distinguantur, vt singulae matres cum foetu suo includi possint. Ceterum similiter VIII. c. 14. cohors clauditur maceria et porticibus circumdatur, sub porticibus deinde quadratae harae singulis anseribus matricibus exstruuntur. Deinceps *aut partae* corrigi debere monui supra ad cap. IV. sect. 3.

10. *matricum*] Pontedera praeferebat lectionem alteram: *nutricum et minorum.*

enitentem] parturientem. Male Gesnerus emendabat *incientem.* Saepius enim *enixam* dixit Columella, quae peperit.

12. *cum sua prole*] Palladius: *curabit autem vt foetius proprios cum vnaquaque procludat: plus vero quam octo, sicut Columella ait, nutrire non debet. Mihi vero vtilius probatur experto porcam, cui pabula suppetunt, vt plurimum sex nutrire debere, quia licet plures possit educare, tamen frequentiore numero sucta deficiet.* Varro: *scrofa in sua quaeque hara suos alat oportet porcos, quo alieni spernantur.*

13. *fabricare*] Varro: *Haram facere oportet circiter trium pedum altam, et latam amplius paulo, ea altitudine abs terra, ne dum exire velit praegnans abortet. Altitudinis modus sit, vt subulcus facile despicere possit, ne qui porcellus a matre opprimatur; et vt facile purgari possit cubile, in haris ostium esse oportet, et limen inferius altum palmipedale, ne porci ex hara, cum mater prodit, transilire possint.*

nec alienus] Brusch. *alienis*, deinceps *pluris — partus summittitur* habet. Etiam Aldina *summittitur*, eadem *vnunquenque* et *vnanquanque* habet.

octo] Varro: *nutricare octonos porcos paruulos primo possunt; incremento facto, a peritis dimidia pars remoueri solet, quod mater neque sufficere potest lac, neque congenerati alescendo roborari.*

hordeo] Varro: *Cum peperit, largiore cibatu sustentare, quo facilius lac suppeditare possit, in quibus hordei circiter binas libras aqua madefactas dare solent, et hoc quoque conduplicant mane et vesperi, si alia, quae obiiciant, non habuerint.* Aristoteles H. A. VI. 18. verri admittendo dari iubet hordeum, scrofae vero enixae hordeum decoctum.

14. *suile*]

14. *fuile*] Nominauit et ſupra II. 15. 7. Heſychius *συῆλαι· τοποι βορβορώδεις.* Aldina *fuille* habet.
pecoris fuilli] Br. et Ald. *fuilli pecoris.*

Cap. X. *obſtipae*] Plinius VIII. ſect. 77. *Index ſuis invalidae cruor in radice ſetae dorſo euulſae, caput obliquum in inceſſu.* Ariſtoteles H. A. VIII. 21. ſecundum ſuum morbum deſcribens et tertium: *λέγεται δὲ κραυρᾶν ἄμφω. ὧν τὸ μὲν ἕτερόν ἐστι κεφαλῆς πόνος καὶ βάρος, ᾧ αἱ πλεῖσται ἁλίσκονται. τὸ δ' ἕτερον, ἡ κοιλία ῥεῖ. καὶ τοῦτο μὲν δοκεῖ εἶναι ἀνίατον. θατέρῳ δὲ βοηθοῦσιν οἶνον προσφέροντες πρὸς τὰς μυκτῆρας καὶ κλύζοντες τὰς μυκτῆρας οἴνῳ. διαφυγεῖν δὲ καὶ τοῦτο χαλεπόν. ἀναιρεῖ γὰρ ἐν ἡμέραις τρισὶν ἢ τέτταρσι.* Proluuiem ventris foriam dixit et cum febri nominauit Varro II. 4. febrem eſſe puto, quae graece proprie *κραῦρος* dicatur. De foria ad Varronem videbimus.

2. *proclinentur — diuerſa*] Poſtremum pro vulgato *adverſa* probauit etiam Pontedera, idem ex Goeſiano libro malebat *proclinent.* Ex libro etiam Sang. *diuerſa parte* laudavit Drakenb. ad Liuium T. III. p. 537.

ſub cauda] Geoponica XIX. 7. *ἐὰν πυρεταίνωσιν, αἷμα ἐκ τῆς ἕρας ἀφαιρετέον.*

3. *Strumoſis*] Plinius VIII. ſect. 77. *Verum efferantur, et alias obnoxium genus morbis anginae maxime et ſtrumae.* Ariſtoteles H. A. VIII. 21. primum ſuum morbum deſcribens: *καλεῖται βράγχος, ἐν ᾧ μάλιστα τὰ περὶ σιαγόνας καὶ τὰ βρογχία φλεγμαίνει. γίνεται δὲ καὶ ὅπε ἂν τύχῃ τοῦ σώματος. πόλλακις γὰρ τοῦ ποδὸς λαμβάνεται, ὁτὲ δὲ ἐν τῷ ὠτὶ, γίνεται δ' εὐθὺς σαπρὸν καὶ τὸ ἐχόμενον, ἕως ἂν ἔλθῃ πρὸς τὸν πνεύμονα. τότε δὲ ἀποθνήσκει. ταχὺ δὲ αὐξάνεται. καὶ ἐδὲν ἐσθίει, ὅταν ἄρξηται τὸ πάθος κἂν ὁσονοῦν. ἰῶνται δὲ οἱ ὑοβόσκοι ὅταν ἀσθωνται μικρὸν ὄν, ἄλλον μὲν ἐδένα τρόπον, ἀποτέμνεσι δὲ ὅλον. — βραγχῶσι δὲ μάλιστα ὅταν τὸ θέρος ἐνέγκῃ εὖ καὶ πιότατα ὦσι. βοηθεῖ δὲ τά τε συκάμινα διδόμενα καὶ τὸ λετρὸν, ἐὰν ᾖ πολὺ καὶ θερμὸν καὶ ἐάν τις σχάσῃ ὑπὸ τὴν γλῶτταν.* vbi Codex Mediceus habet *ἐνέγκῃ σῦκα.* contra alii Codices cum Gaza *ὄρος ἐνέγκῃ εὖ.* Ex ratione medendi recte ſuſpicatur C. Geſner de Quadrup. p. 995. *βράχον* eſſe Columellae ſtrumam. Scrophulae, et graece *χοιράδες* dictae fuerunt a ſuillo pecore, eiuſque glandulis in ceruice, quae intumeſcentes anginam faciunt. Vegetius II. 23. *plerumque ſtrumae vel parotides aut ſcrophulae iumentorum guttur infeſtant et faucium tumorem producunt.* Plinius tamen ſuum ſtrumas anginaſque ſimul nominauit. In loco Ariſtotelis plura

plura mutat Albertus; sed eius versionem non vacat nunc excutere. Geoponica: ἐὰν παρισθμίοις ἐνοχλῶνται, ἐκ τῶν ὤμων τὸ αἷμα ληπτέον. Strumam eam, quam βράγχον Aristoteles vocat, ex ipsa vocis vi agnoscere licet, in glandulis thyroideae cartilaginis residentem et laryngem occludentem. Atque hac ipsa nota strumam a scrophulis distinguit *Kortum, de vitio scrophuloso*, vt scrophulae pertineant ad glandularum conglobatarum et vasorum lymphaticorum cum iis nexorum ipsiusque lymphae vitium. Sed vide ad Vegetii II. 23.

4. *sali frito*] Ita in libro vetere legi annotauit Vrsinus. Deinde vulgatum olim *minutae* emendauerat Gesnerus.

5. *tecto — stabulo*] Recte puto omitti tecto in Edd. optimis. Nam stabula suum desuper tecta non erant, vt supra vidimus. Igitur prius vocabulum incluſi. Rem ipsam repetunt Geoponica 19. c. 7. ἐὰν δὲ ἀδήλῳ νόσῳ συνέχωνται ἐγκλειστέον δι' ὅλης ἡμέρας καὶ νυκτὸς, ἔπω δὲ τροφὴν ἢ ποτὸν αὐτοῖς παραβλητέον, ἀλλὰ ῥίζας σικύων ἀγρίων κοπείσας ἐμβλητέον ὕδατι δι' ὅλης ἡμέρας καὶ νυκτὸς, καὶ τῦτο τῇ ὑστεραίᾳ ποτὸν δοτέον. πιόντες γὰρ λαμβρότερον μετ' ὀλίγον συνεξεμέσεσι τὸ αἴτιον τῆς νόσε.

muria conspersa] Vrsinus addi volebat *datur*.

6. *ingluuiem*] Vulgatum *illuuiem* nescio quomodo tolerare potuerint Interpretes. Noster infra VIII. 5. 17. guttur et ingluuiem de auibus, Virgilius de serpentibus posuit. Georg. III. 431. Sed alibi etiam ingluuies cum illuuie confusa fuit in libris. Isidorus Different. I. 112. *ingluuies ventris — ab inglutiendo dictum*. Seruius ad locum Virgilii: *Varro ad Ciceronem in libro 23. ingluuies, inquit, sunt tori circa gulam, qui propter pinguedinem fiunt, atque interiectas habent rugas*

tacu] Varro II. 4. 8. lutuosos limites et lustra vocat; vbi vide notam.

7. *repugnat*] Pontedera praeferebat lectionem optimarum Edd. et Sang. *repugnat vt ita f. p.* Poni enim vt, quemadmodum in formula *vereor vt fieri possit*.

inserta] Ex lectione Goes. et Sang. *exarta* ingeniose Pontedera effingebat *exacta*, apposito Senecae exemplo, qui dixit: *eat per artus ensis exactus meos*. Plinius 26. sect. 21. *suum quidem et pecoris omnis remedium praesens est pulmonum vitio, vel traiecta tantum in auricula*. Siliginem vocat XXVIII. sect. 2. vbi superstitiosus ritus additur in vsu.

8. *poma*] Aristoteles sues βραγχᾶν ait cum τὸ θέρος ἀνέγκῃ σῦκα καὶ πιότατα ὦσι. vnde suspiceris, branchi vocabulum lienis etiam vitium comprehendisse.

insatiabile sues] Libri Sangerm. scripturam iam olim probauit Heinsius ad Virgilium II. p. 695. qui ex Aeneid. V. 781. *inexsaturabile* comparauit et Sang. *inexsatiabile* praetulit. Vulgatam *insatiabile est. sues enim dum* interpolarunt, qui Columellae elegantiam non nouerant. Pontedera contra malebat cum libris quibusdam *inexitiabile est*, quasi *inexitiabilis* sit, qui exitum non habet aut finem. Virgilii locus, a Columella laudatus, exstat Eclog. VII. 54.

tamaricis] Hermolai Barbari Corollarii I. cap. 124. emendationem *tamaricis e trunco* recte approbauit Pontedera, eamque etiam necessariam facit librorum optimorum lectio *tamaricis*. Plinius XXIV. sect. 41. de myrice agens: *Arbitrantur quidam hanc esse tamaricen; sed ad lienem praecipua est, si succus eius expressus in vino bibatur. Adeoque mirabilem eius antipathiam contra solum hoc viscerum faciunt, vt affirment, si ex ea alueis factis bibant sues, sine liene inveniri; et ideo homini quoque splenico cibum potumque dant in vasis ex ea factis.* Eadem tradit Dioscorides I. 116. Caelius Aurel. III. 4. Marcellus Empiricus cap. 23. Serenus Samonicus cap. 24. Capras etiam, quae tamarisci frondibus vescantur, et e tamarisci vasis bibant, tradunt Constantinus et Serapion apud Vincentium Spec. natur. 18. c. 27. Ruscus ad herbas pertinet, cuius teneros cauliculos olim in cibum admittebant. Igitur non dubitaui Hermolai emendationem substituere vulgatae *tamaricibus et rusco*. Geoponica 19. 7. ἐπειδὴ ἀδδηφάγον ὂν τὸ ζῶον μάλιστα τὸν σπλῆνα νοσεῖ, ἄνθρακας μυρικίνας εἰς ὕδωρ ἀποσβέσας παράσχε πιεῖν, καὶ ἄνθρώπως δὲ οἶνος ἀντὶ ὕδατος εἰς μυρικίνας ἄνθρακας ἐμβληθεὶς καὶ ποθεὶς θεραπεύει. τῦτο δὲ μάλιστα Δημόκριτος μαρτυρεῖ. Ex Sang. *stromariciis* laudat Gronouius.

Cap. XI. *tradidimus*] Supra VI. 26. Ceterum cur speciosior altera ratio dicatur, nondum satis intelligo. Videtur potius breuior et minus operosa dici posse.

2. *mediam quasi cutem*] Intelligi membranam inter vtrumque testiculum in modum siue septi communis, siue, vt alii volunt anatomici, sacculi peculiaris, traiectam annotavit Morgagni Epistol. I. 32. Ceterum methodum hanc sequi plerumque scroti abscessus, aliaque incommoda expertus affirmat Brugnone p. 253.

3. *non*

3. *non habetur prodigium*] Plinius 8. c. 77. *comesse fetus his non prodigium est.* Aristot. H. A. V. 13. Aelianus X. 16. Experientia hodierna id confirmat in subus, felibus et pluribus animalibus, cum sunt facta domestica.

impatientissimae] Reuocaui optimarum Edd. et librorum scriptorum lectionem approbante Pontedera.

Cap. XII. *exordio priore*] i. e. libro. Vide VI. 1. 6.

2. *triplex ratio*] Duplicem modo tradit Varro II. 9. venaticum enim et pastoritium canem memorat.

desidemque ab opere] Credo fuisse olim *avocat ab opere suo, desidemque reddit.*

5. *vt prius*] Antiquam lectionem *prius vt* veriorem puto esse, propter sequens *deinde.* Postea parua cum mutatione malim: *et nonnunquam ne visus quidem horribili fremitu suo fuget tamen insidiantem.* Ita *tamen* locum suum obtinebit.

malis eligatur] Ex Sangerm. *eligitur* annotauit Gronouius.

ne pro lupo] Interserta vulgo verba *ne si non sit albo colore conspicuus pro lupo* etc. damnauit mecum Pontedera. Varro II. 9. de pastorali: *colore potissimum albo, quod in tenebris specie leonina.* Sed is locus in lacuna iacet vitiosus.

4. *tenebris canis*] Vocem postremam deleri voluit Vrsinus; hinc inclusérat Gesnerus.

nigris vel glaucis] Varro oculos nigrantes aut rauos probat.

articulis] Varro probat pedes magnos, altos, qui ingredienti displodantur, digitis discretis, vnguibus duris ac curuis, solo nec vt corneo, nec nimium duro, sed vt fermentato ac molli. Ita plane Geoponica XIX. cap. 2. Vocem δρακαὶ Vrsinus mutabat in δράκες. Hesychius: δρακός· τῆς παλάμης τῆς χειρός. Inepte h. l. Columellae interpretatur Vlitius ad Gratii Cynegetic. versu 276. vbi Gratius improbat ad venatum canem *qui lata pandit vestigia planta.* Equidem h. l. vitium inesse, affirmare ausim. Nec enim articuli, nec vngues graece dicuntur δράκες, aut δρακαί, nec adeo dici possunt. A δρὰξ, δρακὸς fit δράσσειν, prehendere manu, vnde δράγμα manipulus, etiam δραγμή, δραχμή, quantum digitis comprehendi potest. De palma manus dici δράκα, recte admonuit Hesychius. Igitur solum pedum intelligi puto, de quo Varro etiam monuit, ne nimis durum nec contra molle sit. Calli in solo canum exstant plures, quos in villaticis et pastoralibus canibus exscindi iubebat lex anti-

qua Anglorum, ne lepores infectarentur. Actio haec dicebatur *Horing*, latine expediare, calli *pellotae*. Cf. Cangii Glossarium in his vocabulis.

5. *neque rursus*] In Sang. esse *nec rursus*, testatur et defendit Drakenb. ad Liuium T. II. p. 867.

adulantur] Pighius ad Valerii Maximi IV. 3. externorum 4. exemplo, vbi est: *Si Dionysium adulare velles*, quam scripturam ibi tuetur etiam Vincentius, antiquissimi Codicis vicem atque vsum mihi praebens in Valerio; ibi igitur Pighius, a Gesnero etiam laudatus, sic: Columella VII. 12. *quod illi quoque furem adulant: vt in V. C. patroni optimi Marcelli Ceruini Pontif. Max.* Vaticanum igitur aliquem Codicem videtur intelligere.

7. *in gradu*] Est ex gladiatoria disciplina ductum vocabulum; dicitur etiam *status* pugnantis.

odorantur] Ita voluerat etiam scribi Vrsinus, qui deinceps *areaeque custos* malebat, sine causa idonea.

9. *celeritate*] Ex lectione libri Politiani Pontedera effingebat: *exigit celeritate celeritatem bestiae consectandi.* At ego malim *celeritatem bestiae consectandae.*

10. *ordeacea farina*] Varro: *nec non ita panem ordeaceum dandum, vt non potius eum in lacte des infritum, quod eo consueti cibo vti, a pecore non cito desciscunt. — In foetura dandum potius ordeaceos panes quam triticeos; magis enim eo aluntur et lactis praebent maiorem facultatem.* Festus *Canicae furfures de farre a cibo canum vocatae.* Male Nonius Merceri p. 88. cacinas furfures interpretatur. *Canicaceum panem apud te quasi seruus est* ex Pacuuio affert Scaliger. Sed Festus cum Nonio male interpretatur *canicas.* Sunt enim quas Graeci κυνάδας et μαγδαλιὰς dicunt, auctore Polluce VI. s. 93. vbi vide Interpretes. Furfures proprie farreos intelligi, doceo ad VIII. 4. sect. 1.

rabiem creat] Polit. liber addit: *membra suillatica.* vnde vitium vel lacunam inesse hic suspicor. Ex lectione Sang. forte quis coniiciat legendum: *creat semperis villaticae huic pecudi. Neque foeminae* etc.

11. *carpit*] Pontedera ex Goes. libro malebat *carpendo corpus ac vires, animos degenerat.* Verbum degenerare actiua notione positum illustrauit Heinsius ad Ouidii Epist. ex Ponto III. 1. 45.

partus amouendus] Vitiose vtraque Gesneriana *admouendus* habet. Cynosophium: τὸν δὲ ὀχεύοντα δεῖ εἶναι τριετῆ καὶ μὴ ἔλαττον, ἡ δὲ θηλεία διετὴς, καὶ μὴ ἔλαττον. Atque etiam Arrianus de Venatione cap. 26 et 27. vbi addit:

ἀγαθὴ

ἀγαθὴ δὲ τῇ θηλείᾳ ἡλικία ἡ ἀπὸ διετοῦς ἐς ἕβδομον ἔτος. Septimum annum forte numerauit a biennio illo, quo poteſt admitti. Nemeſianus verſu 134. *ſed quamuis acidus, primos contemnere partus malueris.*

12. *quoniam ſemper et lac et ſpiritus maternus*] Haec non ſana eſſe, ſed verba quaedam tranſpoſita, iam olim ſuſpicatus eſt Morgagni. Quid enim eſt *ſpiritus maternus*, qui ingenii incrementa auget. Taceo ingenii incrementa, quae vix bene dicuntur; ipſa etiam formula *longe magis* ſuſpicionem vitii auget; ſequi enim debebat oppoſitum membrum praecedente *quam*. Puto igitur, fuiſſe olim: *quoniam ſemper lac maternum longe magis ingenii ſpiritus alit, quam incrementa corporis auget.* Manum tamen iniicit Xenophontis locus Cynegetici cap. 7. ὑπὸ τῇ μητρὶ ἐᾷν καὶ μὴ ὑποβάλλειν ὑφ' ἑτέραν κύνα. ἡ γὰρ θεραπεῖαι αἱ ἀλλότριαι ἐκ ἔσιν αὔξιμοι. τὸ δὲ τῶν μητέρων καὶ τὸ γάλα ἀγαθὸν καὶ τὸ πνεῦμα καὶ αἱ περιβολαὶ φίλαι. Vnde poſſit aliquis ſuſpicari, h. l. legendum eſſe *et ſpiritus complexuſque maternus.* Et ſic graecum Cynoſophium: ἃ δὲ βέλει ἔχειν, ὑπὸ τῆς μητρὸς αὐτῶν ἀνατρεφέσθωσαν καὶ μὴ ὑφ' ἑτέρας. τὸ γὰρ τῆς μητρὸς γάλα πάνυ ὠφέλιμόν ἐστι. Xenophontis locum repetiit Arrianus c. 39. et ipſum praeceptum, exceptione aliqua addita.

13. *Nominibus*] Idem eſt praeceptum Xenoph. Cynegetici cap. 7. τὰ δ' ὀνόματα αὐτοῖς τίθεσθαι βραχέα ἵνα εὐανάκλητα ᾖ. Idem conſilium repetiit Oppianus Cyneget. I. 443.

σπεδὴ] In exemplis haec tria nomina poſuit etiam Xenophon l. c. In lectione Edd. I. B. R. latent alia, veluti Φύλαξ, Σῶα aut ſimilia.

14. *mordicus*] Plinius VIII. ſect. 63. *Columella auctor eſt, ſi quadrageſimo die quam ſit natus, caſtretur morſu cauda ſummuſque eius articulus auferatur, ſequenti neruo exemto nec caudam creſcere, nec canes rabidos fieri.* Ita vulgata huius loci lectio comprobatur Plinii teſtimonio; at *ſummum articulum auferri* non vult Columella, ſed neruum abrumpi eductum. In Plinio Codicem habere *ſequi*, monet Abr. Gronouius, qui ex Plinio in Columella tentabat: *et articulo tenus eductus.* Ceterum muſculum tam longum in cauda canina non alium noui niſi coccygaeum dictum, qui, a proceſſu oſſis iſchii ortus, totam coccygis ſeu caudae longitudinem amplectitur, deſcriptus a Douglaſs in Deſcript. comparata canis et hominis p. 147. Itaque non ſerpit per articulos ſpinae dorſalis; nec caudae incrementum impeditur muſculo hoc ſolo abrupto, niſi ſimul vltimus articulus cauda abrum-

patur, vti suadet Plinius. Quare Columellae locum vitiosum censeo.

Cap. XIII. *muscis*] Plinius XI. sect. 40. *est et volucre canibus peculiare suum malum, aures maxime lancinans, quae defendi morsu non queunt.* Canum ricinos idem separatim nominat XXII. sect. 21. Aristoteles H. A. V. 32. ἐν δὲ τοῖς κυσὶν οἱ καλέμενοι γίνονται κυνοραῦσται. vbi Thomae versio muscae caninae habet; Gaza ricini genus interpretatus est. Hesychius ἀσκότονοι· κόρτος, κρότονος. interpretatur. Graece ricinus generatim dicitur κρότων, ad quod genus pertinere videtur κυνοραῦστης seu ricinus caninus. Κυνόμοια a cane dicta alas gerit, eam myopi similem facit Aelianus IV. 51. Ad tabanos Linnaei potius quam ad Hippoboscas pertinere videtur; ricinus contra ad acari Linn. genus referendus est.

2. *amaris*] Varro II. 9. *quidam nucibus graecis in aqua tritis perungunt aures et inter digitos: quod muscae et ricini et pulices soleant, si hoc unguine non sis vsus, ea exulcerare.* vbi Geoponica XIX. 20. amygdalas amaras nominant.

suillae adipi mistam] Ex Iunt. addidi cum Vrsino *mistam* quod vulgo deerat.

vt ante praedixeram] Gesnerus respici putat VII. 5. 13. At ibi de ricino non loquitur. Contra VI. 2. 6. de iuuencis tauris est: *et sub femina manum subiicere, ne ad eiusmodi tactum postmodum paueſcant, et vt ricini, qui plerumque feminibus inhaerent, eximantur.* Ibi igitur manu ricinos eximere suasit.

siue cyminum] Lectionem, a Gesnero e libris restitutam, habent etiam liber Venetus et Caesenas, a Pontedera inspecti, nisi quod in iis est *cuminum.* Geoponica XIX. 3. τὰς ψύλλας διαφθερεῖς θαλαττίῳ ὕδατι καὶ ἅλμῃ, ἔπειτα ἀλέψας κυπρίνῳ μετὰ ἐλλεβόρου καὶ ὕδατος καὶ κυμίνου καὶ ὄμφακος σταφυλῆς, ἢ φικύου ῥίζᾳ μεθ' ὕδατος. κάλλιον δὲ ἀμόργῃ χρίειν τὸ σῶμα. τοῦς γὰρ ψωριῶντας ἰάσεται.

gypsi et sesami] Vulgatum *cytisi* damnauit Pontedera, quod is lactis copiam augeat; gypsum autem reprimere, sesamum detergendi vim habere. Itaque *gypsi* praeferebat; cuius auctoritati equidem quod opponam, non habeo. Idem *sisami* corrigendum esse monuit ex libris. Supra cap. V. s. 10. triti sulphuris aequam partem cum pice liquida miscet et lento igne coctum illinit contra scabiem ouium; quod medicamentum homini etiam conuenire affirmat Celsus V. 16.

16. Gypſum cum ſeſamo in hac medicina nominata nondum reperi.

cedrino liquore] i. e. oleo cedrino, quo canum etiam ſcabiem ſanari ſpondet Dioſcorides I. 105. piſſelaeum et oleum piſſinum contra canum iumentorumque ſcabiem laudat Plinius 23. ſ. 50. et 24. ſ. 24.

COMMENTARIVS
AD
LIBRVM VIII. COLVMELLAE.

Cap. I. 2. *furculo*] Sequens *aruo* et praecedentes *vineae* poſtulare mihi videbantur *et agro ſarculari.*

eiſdem — menſamque pretioſis] De numero monuit Geſnerus, referri non ad *colono*, ſed ad agreſtes. Mihi tamen locus hiulcus videtur eſſe. Nihil adiuuant libri ſcripti, nam lectio Sangerm. *locum* pro *focum* nihili eſt. Deinceps Vrſinus malebat legi *menſaſque pretioſas.* Scilicet inſolens illi merito viſum eſt, coloni ſeu agreſtium pretioſas dapes memorari, cum pretium hoc non ad vſum commodumque agricolae pertineat. Igitur vocem *pretioſis* ſuſpectam habeo.

3. *Quare de hoc*] Pontedera ex libro Polit. et Goeſ. legi volebat: *Quo de hoc genere.* quo, i. e. quare.

ſicut auium] Videtur eſſe pro quaſi.

Cap. II. *ruſticarum*] Haec ſunt perdices vulgares griſeae, vt docui in Comment. ad Friderici II. Reliqua p. 7 et 8.

Gallinariam] De eadem meminit Varro III. 9. 17.

2. *Meleagridi ſimilis*] Varro III. 9. 16. *Gallinae Africanae ſunt grandes, variae, gibberae, quas meleagrides appellant Graeci. Hae nouiſſimae in triclinium ganearium introierunt e culina propter faſtidium hominum. Veneunt propter pecuniam magno.* quae verba Scaliger olim ita diſtingui volebat: *gibberae. Quas Meleagrides appellant Graeci, hae nouiſſimae* etc. Scilicet is ſibi perſuaſerat, Varroni vtrumque genus gallinae Africanae innotuiſſe, quorum alterum Africanum ſimpliciter, ſeu graece meleagris, alterum, multo ſerius cognitum Romae, Numidicum dici conſueuerat. Cum Scaligero facit Salmaſius ad Solinum p. 611. et male vtrumque genus a Varrone confuſum fuiſſe putat, interpunctionem tamen Scaligeri improbat. Vulgatam lectionem Var-

ronis satis defendit hic Plinii locus X. sect. 38. *Simili modo pugnant Meleagrides in Boeotia. Africae hoc est gallinarum genus gibberum, variis sparsum plumis; quae nouissimae sunt peregrinarum auium in mensas receptae propter ingnatum virus.* Meleagrides esse, quos nos hodie Gallopauones seu gallos Calecuticos appellamus, auctorem Bellonium secuti male crediderunt Aldrouandus, Scaliger, Salmasius aliique, quorum opinionem recte reiecit Harduinus ad Plinium, comparata inprimis Clyti Milesii descriptione apud Athenaeum XIV. p. 655. Quae fuerit sententia Iusti Fontanini in Explicatione Achatis Isiaci anularis, disce ex Actis Eruditor. anni 1730. p. 182. Nec extricauit aliquid Gesnerus in notis ad Varronem et ad hunc locum. Breuiter rem omnem explicabo. Meleagris esse videtur, quam nos hodie *Perlhuhn.* Galli *poules de Guinée* appellant; de quo dubitare nos non patitur locus Clyti Milesii, qui accuratissime auem pinxit. Gibberae dicuntur meleagrides propter capitis gibber; in capite enim veluti cornu exstat ab ipsis cranii ossibus productum et cute dura vestitum. Vide Comment. ad Friderici II. p. 15. 17 et 163. vbi historiam auis attigi. Numidica eiusdem generis fuit; nobis tamen hodie minus cognita. Sed antequam de genere eius disputemus, verba sunt explicanda singula. Crista in Numidica gallina, vt in vulgari gallo dicitur non plumacea illa, vt in auibus aliis, sed carnea et rubra capitis excrescentia surrecta et incisa. Cum hac crista comparauit Columella gibber capitis, in meleagride et Numidica gallina conspicuum. Ab hac crista loco et nomine diuersa est *palea* sub mento dependens, similis materiae et concolor fere cristae. Eandem primus Varro III. 9. 5. in vulgari gallo paleam dixit; vnde in tauro palearia dicuntur in collo dependentia. Sed librarii hoc in loco, vt paulo post sect. 9. *paleae* substituerant *galeam*, quod vitium iam animaduerterat Vrsinus. Galeam possis quidem interpretari capitis gibber; sed tum crista iuxta nominari non debebat, quae in nulla eiusmodi aue simul adest cum gibbere. Genus aliquod rarum meleagridis cristatum plumis habet Pallas Spicileg. Zoolog. IV. sed illud tubere verticis caret. Quare non possum assentiri eidem viro docto, qui Columellae numidicam comparauit cum mitrata sua numida, quae vulgari meleagridi cetera similis verticem ambitumque rostri sature rubrum habet. Scilicet vir doctus *galeam* in Columella ipsum auis verticem interpretari voluit. Equidem *paleam* vnice veram esse lectionem affirmo. Videndum igitur, an genus meleagridis exstet gibbere capitis rubro et coe-

coeruleo, aut crista eiusdem coloris. Equidem nec gibber *nec* cristam plumaceam rubram aut coeruleam in vllo genere adhuc reperi annotatam. Quod si vero in meleagride cristam interpreteris gibber, tum item in numidica gibber assumendum erit; contra si in illa cristam plumaceam adesse putaueris, tum necessario etiam numidica plumaceam cristam geret. Comparatur enim haec cum illa ita, vt crista in vtraque eadem intelligi debeat. Colligo igitur ex hucvsque disputatis, meleagridis genus vniuersum nos quidem cognitum habere, verum speciem eam, quae cristam paleamque caeruleam, alteramque, quae easdem partes simul rubras gerat, nos adhuc ignorare. Frischius noster in historia vulgaris meleagridis, quam Galli etiam *Peintade* appellant, meminit speciei multo minoris, extra Italiam rarae visu, palea caerulea, loca palustria amantis, malae in cibo, et pullos negligentis, quam Veterum Meleagridem esse putat, cum vulgaris meleagris nostra ex eius opinione Veterum Africana gallina sit, quae pullos ipsa suos diligenter educet. Miror Frischii non meminisse Pallasium. Ceterum Plinius X. sect. 67. separatim de Numidicis ita: *Numidicae in parte Africae Numidia, omnesque iam in Italia.* — Demum aduertit animum meum lectio Polit. *rutilam galeam et crura gerit.* Etiam Sang. *capite* omittit. Quid igitur si legamus *rutilam paleam et crura gerit?*

3. *nec tamen*] Varro III. 9. *gallos castrant, vt sint capi, candenti ferro inurentes lumbos aut calcaria ad infima crura, vsque dum rumpantur. at quod exstat vlcus, oblinunt figlina creta.* vbi vide notam. Lectionem Goes. *nec tantum*, Vrsini coniecturam adiuuantem, quominus reciperem, obstabant, quae posui ad Varronem l. c.

genitalibus] sc. partibus, seu testiculis, quos gallinaceorum lacte saginatorum amplissimos et concoctu facillimos praedicat Alexander Aphrodis. Problem. libro II.

4. *Deliaci*] Plinius X. sect. 71. *gallinas saginare Deliaci coepere.* Eosdem in hac disciplina nominat Varro III. 9. Cicero Academ. II. 18. *Deli fuisse complures saluis rebus illis, qui gallinas alere permultas quaestus causa solerent; hi, cum ouum inspexerant, quae id gallina peperisset, dicere solebant.* Deliaci igitur gallinarii et saginabant gallinas, et pugnatores gallos educabant. De posteriore cura obiter meminit Aristoteles de Generat. I. 21. διὸ ἔνιοι τοῦτον τὸν τρόπον τῶν περὶ τὰς ὄρνιθας τὰς γεννάιας σπεδαζόντων ποιοῦσι μεταβάλλοντες τὰ πρῶτα ὀχεῖα καὶ τὰ ὕστερα.

Tanagricum] De eo Pausanias aliique, vt etiam de Rhodiis et Chalcidicis Plinius X. sect. 24. In Aristophanis Auibus versu 276. Μῆδος dicitur gallus. Melicos cum vulgo appellat Plinius l. c. Pugnas gallorum, quas Britanni hodieque frequentant, Graeci olim ad insaniam vsque amabant. Ad quas qui instituebant gallos, metaphorice Columella *lanistas* appellat.

7. *ducentorum*] Varro III. 9. eundem numerum ponit.

distendant] Quod ex libris restituit Gesner pro vulgato *dispendant*, ingenio assecutus fuerat Vrsinus.

rubicundae] Varro III. 9. *foecundas, plerumque rubicunda pluma, nigris pinnis, imparibus digitis, magnis capitibus, crista erecta ampla.* quae Geoponica XIV. 7. ita reddunt: ὡς ἐπίπαν γὰρ αἱ ξανθίζουσαι καὶ περιττοδάκτυλοι τὰς ὄψεις μεγάλας ἔχουσαι καὶ αἱ μελανόπτεροι καὶ τοῖς ὄγκοις μεγάλαι, τύς τε ἄῤῥενας ῥᾳδίως οἴσουσι καὶ πρὸς ὠοτοκίας κρείττας εἰσὶ καὶ τὰ ὠὰ μεγάλα τίκτουσιν, ἐξ ὧν καὶ τὰ νεογνὰ γίνεται γεννᾶα. vnde apparet, in Varrone recte Polit. Codicem *amplas* habere scriptum, quod merito probauit Pontedera. Palladius I. 27. *Sint praecipue nigrae aut flaui coloris; albae vitentur.* qui locus negligenter fuit excerptus. Flauus enim color in reliquo corpore, niger in alarum pennis probatur. Plumae sunt breuiores reliqui corporis, pinnae caudae et alarum longiores. Plinius X. sect. 77. *gallinarum generositas spectatur crista erecta, interdum gemina, pennis nigris, ore rubicundo digitis imparibus, aliquando et super quatuor digitos transuerso vno.* vbi *os rubicundum* non est de ore proprie dicto, sed de tota corporis specie noue dictum. Recte auctor de natura rerum apud Vincentium Spec. natur. XVI. 82. *Gallina domesticis partibus sui corporis, id est, a medio dorsi superius versus imum, et a pectore subtus versus imum similiter duplicem habet pennam, ex vna canna nascentem.* De pluma hac duplice vide Comment. ad Friderici II. p. 39 et 49. Plinii locum varie tentarunt viri docti.

fuscae] Goes. et Sang. *infuscae.* Ita apes noster IX. 3. et cap. 10. infuscas dixit, quas Aristoteles μελάνας.

vitentur] Ita recte Edd. optimae et libri scripti cum Palladio. Vulgo *euitentur.* Albus color etiam in reliquis auibus et quadrupedibus mollitiei et debilitatis disciplina domestica demum quaesitae index est.

propter insigne] Vulgatum propter *quod insigni* damnavit iam olim Vrsinus. Lectionem Sangerm. praetuli receptae a Gesnero *propterque.*

8. *ro-*

8. *robusti corporis*] Recte libri scripti omittunt haec verba, quae superuacua reddunt notae reliquae. Pro *probi coloris* malebat Pontedera cum libris scriptis legere *robii coloris*, et in Palladio pro *flaui coloris* reponebat *rubei*. Priorem lectionem recepi.

paribus vngulis] impares gallinarum digitos Varro, Plinius et Geoponica probant; in gallis Varro vngues longos. Nec intelligo, qui vngues seu vngulae impares dici possint, nisi numero; adeoque ad ipsorum digitorum numerum imparem res redit. Sed quoniam deinceps separatim quini digiti memorantur, vix possunt h. l. impares vngulae ad digitos referri. Vngulae impares alio sensu possunt esse, si sint longiores breuioresque; sed tales natura omnium digitorum vngues sunt. Igitur quid sibi velit Columella nescio. Ceterum gallinae speciem pentadactylam nouimus hodieque; capum adeo vidi, cuius in altero pede digitus posticus duplex aderat, cum calcarium vestigiis non dubiis. In porphyrione domestico quinos etiam digitos memorat Aristoteles apud Athenaeum IX. p. 388. Picarum glandariarum genus, cui quini sint digiti, habet Plinius X. sect. 59. Forte quia digitus posticus geminus non ab ipsa radice geminus adest, sed alter ex altero radicatus, ideo vngues modo impares, non digitos dixit Columella. Atque ita deinde in gallo ait: *idemque numerus vnguium.*

perfringit] Geoponica: *τὰς δὲ κέντρα ἐχέσας ὄρνεις ἀοικότα τοῖς τῶν ἀλεκτρυόνων κωλυτέον ἐπωάζειν. τρυπῶσι γὰρ τὰ ὠά.*

9. *obliquae*] i. e. rectae, quales etiam in feminis probant. Geoponica *φοινικόλοφοι* habet. Plinius XI. sect. 44. *spectatissimum insigne gallinaceis, corporeum, serratum; nec carnem id esse nec cartilaginem nec vallum iure dixerimus, verum peculiare.*

rauidi] Varro: *oculis rauis aut nigris.* Geoponica XIV. 16. *εὐχάρυποί τε τῶς ὄψεσι καὶ μελανόφθαλμοι.*

breuia] Varro: *rostro breui, pleno, acuto.* vbi Edd. I. I. G. omittunt *pleno.* Crescentius *plene acuto* habet. Voluit forte *pene acuto.* Acumen intelligere oportet in adunco rostro, quale est falconum, quo melius noxia animalia propulsare possis a feminis. Geoponica *ῥύγχος βραχύ.*

paleae] Varro: *palea rubra subalbicanti.* Geoponica *γένειον ῥοδίζον.*

aures] Gallorum aures, cristas, barbas et radios memorat in medicina Plinius 30. sect. 29. intelliguntur scilicet plumae aurium meatum cingentes. Ex Sangerm. Gronovius

vius varietatem ad vocabulum *candidissimaeque* ita annotauit, vt in locum eius *quae* subire debeat. Itaque fuisse suspicor *maximaeque aures*.

iubae variae] Varro: *collo vario aut aureolo*. Geoponica: τραχήλες εὐπαγεῖς καὶ ποικίλοι τοῖς χρώμασι. Ceterum vt iubae equorum et leonum in collo sunt pili longiores, ita h. l. plumae longiores in collo gallorum iubae appellantur. Similes dependent ex collo ardearum.

10. *caudae*] Varro: *caudis magnis, frequentibus pinnis*. Geoponica: τὰς οὐρὰς μεγάλας καὶ δασείας.

femina] Varro: *feminibus pilosis*. Vulgatum *foemina* corrigi iussit Sylburg. et Morgagni.

crura] Varro: *cruribus breuibus*. Geoponica: σκέλη φολιδωτὰ, παχύτερα μᾶλλον ἢ μακρότερα. τὰ δ' ἐν αὐτοῖς κέντρα στερεὰ καὶ τὰς ἀκμὰς ὀξείας ἔχοντες.

Mares autem] Gesner vulgatae *Mores* adscripserat *mares al. Broukh.* Sed *mares* postulat sententia et sequens: *talibus maribus*.

11. *elati*] Varro: *item qui elati sunt ac vociferant saepe, in certamine pertinaces, et qui animalia, quae nocent gallinis, non modo non pertimescant, sed etiam pro gallinis propugnent*. Geoponica: ὀργίλοι καὶ πολύφωνοι — καὶ τὰ λυμαντικὰ δὲ τῶν ζώων ἐ φεύγοντες, τὰ δὲ τοιαῦτα ζῶα προσφερόμενα ἀπὸ τῶν θηλείων ἔργοντες. Ceterum *attollentem minas* noster expressit ex Virgilii Georg. III. 421. *tollentemque minas*, recte admonente Gesnero.

attollentem minas] Ex Georgico carmine III. 421. sumsisse monuit Gesner. Ex Sang. annotauit Gronouius: *quin et att. m. s. vel alium serpentem vel aliam nox*.

12. *quinae*] Geoponica: τῷ πλήθει τῶν ὀρνίθων τὸ ἕκτον μέρος ἔστωσαν ἀλεκτρύωνες.

Rhodii Martialis III. epigr. 58. de villa Baiana Faustini: *Rhodias superbi foeminas premunt galli*.

quae tamen ternae] Mihi videtur *tantum ternae* rectius scribi.

14. *pumiles*] Vulgatum *pumiliones* dederunt, quibus altera forma incognita erat. Statius Silv. I. 6. 64. *mirantur pumilos ferociores*. Apuleius Metam. V. p. 163. *maritum quouis puero pumiliorem*. Suetonius Aug. c. 83. *pumilios* nominat, vbi tamen libri plures *pumilos* nominant. Forte huc pertinet Amiternina vitis, *pumula* dicta apud Plinium XIV. c. 3. Est ab humilis factum vocabulum.

nam et — gerunt] Omittit haec Sang. liber.

Pumi-

Pumiliones]: Plinius X. sect. 77. *est et pumilionum genus non sterile in his, quod non in alio genere alitum, sed quibus certa foecunditas rara et incubatio ouis noxia.* Intelligit Adrianas, *quibus laus maxima in ouis edendis,* vt ait X. s. 74. Easdem Athenis expetitas fuisse, tradit Chrysippus ap. Athenaeum VII. p. 285. omnium minimas corpore ait Stephanus Byzant. in Ἀδρία. Aristoteles H. A. VI. 1. Adrianas ait esse paruas, quotidie parere, sed feroces saepe occidere pullos, caeterum varias colore. Idem Generat. Anim. III. 1. Adrianas paruissimas, sed foecundissimas esse ait. et cap. 2. multipararum auium oua multa fieri ait vana, quia multis excludendis non sufficit corpus paruum. Igitur in Plinio vitium, a Pintiano recte animaduersum, ita corrigo: *certa foecunditas, rara incubatio et ouis noxia.*

15. *Ampullaceo corio*] Vt pira ampullacea Plinii a forma dicuntur.

Cap. III. *Fumus*] Varro III. 9. *caueae spectent orientem versus.* Geoponica XIV. 7. ἐν θερμοτέροις οἴκοις καὶ στεγνοτέροις, ἐν οἷς καπνὸς παραφύεται.

cellae] Varro III. 9. *Si ducentas alere velis, locus septus attribuendus, in quo duae caueae coniunctae magnae constituendae, quae spectent ad exorientem versus, vtraeque in longitudinem circiter decem pedes, latitudine dimidio minores, altitudine paulo humiliores.* Vides, Varronem vtrique cellae longitudinem decem pedum, altitudinem paulo minorem, latitudinem dimidiam, i. e. 5 pedum dare; Columella contra longitudinem 12 pedum, eandem altitudinem, et dimidium in latitudinem tribuit. De tribus cellis ne mireris Columellam loqui, cum Varro duas modo memoret; sed verba eius in sequentibus mire turbata tertiam et mediam gallinarii cellam, e qua fumus in laterales gallinarum cellas peruenit, ita memorant: *Inter duas ostium sit, qua gallinarius curator earum ire possit.* Post pauca iterum: *Praeterea sit cella grandis in qua curator habitet.* Hanc gallinarii cellam Columella etiam maiorem in latitudinem et longitudinem, sed minorem altitudine facit. Ceterum Geoponica XIV. 7. quinquaginta aues vna cauea concludunt, nulla tamen addita caueae mensura. Sed nunc demum video vitium vulgaris interpunctionis: *minima esse debet in altitudinem, et quoquouersus* etc. Comma enim poni debebat post *minima,* ita, vt vbique septem pedes cellae curatoris assignentur. Ceterum Polit. liber habet *orientem sit obuersa;* atque ita etiam librum Sangerm. habere testatur Heinsius ad Florum II. 6.

qui

qui nescio vnde veluti vulgatam huius lectionem laudat *soli obuersa*.

2. *ipsa e tribus*] Ita recte Vrsinus et Broukhus. emendarunt vulgatum *ipsa tribus*.

longe] Ita recte Vrsinus correxit vulgatum *longus*.

3. *sublimitas*] Spatium omne super terra eleuatumque ab humo. Hanc notionem omisit Gesneri Thes. L. L. qui vulgarem huius loci interpunctionem, ab ipso mutatam, retulit.

quo tutius] Ex lectione Goes. *quotius*, Broukhus. efficiebat *quoties aues meant*, Pontedera *quietius*.

4. *clatris*] Varro: *vtrisque fenestrae latitudine tripedali, vno pede altiores e viminibus factae raris, ita, vt lumen praebeant multum, neque per eas quidquam ire intro possit, quae nocere solent gallinis.*

habitent: auiariusque] Pontedera malebat cum libris aliquot legi: *habitet auiarius, qui*. Sed auiarius in cella separata habitat; igitur illustria haec loca in commodum solarum columbarum sunt. Postea tamen sensi et ipse vitium latere in vulgata, quod arguit varietas. Scilicet gallinae in cellis noctu commorantur et quamdiu incubant ouis, reliquo tempore euolant et sub dio morantur. Ad commoditatem igitur gallinarum lux non immittitur, sed quo commodius curator oua et partum speculari in loco illustri possit. Vitium igitur est in *habitet*. Scilicet fuit olim *adbitet* antiquo more pro *aditet*. Sic *rebitare* dictum pro *reditare*. Lege igitur *aditet auiarius, qui subinde*.

vimineos qualos] Vtramque rationem habet Varro, sed mire vitiosus: *Contra singulas perticas* (quibus aues insideant noctu) *in pariete exsculpta* (alii libri *exclusa*) *sint cubilia earum. ante sit, vt dixi, vestibulum septum, in quo diurno tempore esse possint et in puluere volutari. Praeterea sit cella grandis, in qua curator habitet, ita, vt in parietibus circum omnia plena sint cubilia gallinarum aut exsculpta aut affixa firmiter. Motus enim cum incubant, nocet.*

6. *scandulae*] Sunt asserculi, gradibus asperati, vt recte monuit Gesner. Atque hinc apparet, quae vulgo *scandulae* tectorum dicuntur, rectius scribi *scindulas*, quam ipsam formam et Codd. plurimi prae se ferunt. Scandulae a scandendo, scindulae a scindendo sunt vocatae. Scalae gallinariae gradum habet Celsus VIII. 15.

feles habeant] Gesnerus malebat *habeat;* feles enim singulari dicitur numero. Deinceps malim legi: *et reliquae noxiae prohibeantur pestes.*

7. per-

7. *perticae dolantur*] Varro: *In caueis crebrae perticae traiectae sint, vt omnes sustinere possint gallinas. contra singulas perticas in pariete exsculpta sint cubilia earum.* Geoponica XIV. 7. *ἐν δὲ τοῖς τοίχοις καὶ νεοσσιὰς εἰς τὸ ἐν αὐταῖς τίκτειν κατασκευάσομεν, συντιθέντες σανίδας.* quae integra vix esse puto. *νεοσσιαὶ ἐν τοῖς τοίχοις* sunt cubilia, in pariete excisa; sequi debent quali viminei, super tabulis positi, aut vestibula tabulis confixa. Postea sequitur de perticis: *δεῖ δὲ πηγνῦναι ἐν τοῖς τοίχοις κάμακας, ἐφ' ὧν αὐλίζονται αἱ ὄρνεις.*

induuntur] Vrsinus malebat legi *inducuntur*. Vir doctus in Aldina mea correxit *induntur*. Perticas has Graeci *πέταυρα*, Franco-Galli *Jucs* a iugo appellant, docente Moneta ad Fabulas Bonav. des Perieres T. I. p. 161. — Deinceps *bipedali* — *spatio* ex Sang. annotauit Gronov.

8. *sunt autem qui*] Gesnerus malebat *sunto*. Vas eiusmodi in columbario describit ita Crescentius IX. 90. Debet custos tegulam figuli pro aqua habere, quae assidem (voluit apsidem) habeat supra se aliquantulum eleuatam, habentem multos et spissos pedes (foramina voluit) incisos atque adhaerentes, inter quos possunt caput ponere et aquam haurire nec in vas intrare, vt aqua munda permaneat. Sed hanc formam ipsam improbat Columella, si scilicet Crescentius foramina ipsis operculis imposita voluit intelligi; quod tamen apsidis mentio vix cogitare patitur. Ceterum antiquam lectionem temere mutauit Gesner *ligneis aut fictilibus* ex Codd. prodens, cum aquam canalibus plumbeis perductam ad vsum humanum sanitati nocere scriptores veteres tradiderint, idque experientia satis testetur. Columella autem aquam mundissimam gallinis subministrari voluit; igitur canales plumbeos vulgari in vsu improbauit. Vulgarem vsum respicit verbum *sunt*, temere a Gesnero tentatum. In loco Crescentii nil variat antiqua mea, nisi quod *aqua tenere* — *ne in vas* habet scriptum.

Cap. IV. *praebentur optima*] Malim *optime*, vt cap. 5. sect. 2.

excreta] Iterum cap. 8. s. 6. excreta tritici nominat; sed cap. 5. s. 25. sunt excrementa tritici. Frugum dixit Palladius Februario 26. 3. vuae Nouembri 20. 4. Ceterum sensum aperiunt Geoponica XIV. 7. *παραβλητέον αὐταῖς τροφὴν πτισάνην ἑφθὴν ἢ κέγχρον, ἢ πίτυρα σίτου ἢ ζιζάνια τὰ καλούμενα οἶρας, ἅπερ ἔστι κάλλιστα εἰς τροφήν.* Sunt igitur furfures tritici minuti et excreti. Nam proprie *furfures* farris esse docet sequens locus: *furfures modice a farina excreti:*

qui

qui si nihil habent farris. Hanc proprietatem vocabulo omisit annotare Gesneri Thes. L. L.

2. *ieiunis. Cytisi*] Geoponica: *καὶ κυτίσου φύλλα ὑγρά. ταῦτα γὰρ καὶ γονιμωτάτας ποιεῖ.* Vide mox cap. 5. sect. 2. et supra V. 12. vnde satis arguitur vulgaris interpunctio falsa esse, quasi ieiunis tantum cytisi folia sint praebenda.

vinacea] Geoponica: *ὅταν δὲ ὠοτοκῶσι, παρατηρεῖν μάλιστα χρὴ, ὅπως μὴ γίγαρτα φάγωσι· τὸ γὰρ γόνιμον αὐτῶν ἐπέχει.* Repetiit Palladius I. 27. Fabarum paleas eundem in gallinis effectum habere, afferit Theophrast. de Caus. Plant. V. 21. et ex eo Apollonius Histor. paradox. cap. 46. Hinc Clemens Strom. III. p. 521. et Geoponica II. 35. *Φασὶ δὲ καὶ τὰς κατοικιδίας ὄρνεις συνεχῶς αὐτὰς ἐσθιόσας ἀτόκους γίνεσθαι.* Crescentius III. 8. *abscindunt oua gallinarum cum nutriuntur ex eis.*

partus raros] Ita recte Sang. Vulgatum *raro* emendabat Vrsinus legendo: *pariunt raro.* Cum Broukhusio faciebat Schoettgen.

3. *bis diuidenda est*] Haec verba mihi non solum otiosa, sed etiam vitiosa videntur esse. Forte fuit *sic diuidenda est.*

temporius] Sang. *temperius.* Eadem varietas adfuit supra II. 18. 3. temperius sine varietate est in Palladio Februario 21. 2. et Martio 4.

4. *siccus etiam puluis*] Palladius I. 27. *Hoc de his praecepisse sufficiat, vt fimo puluere vtantur et cinere.* sed recte ibi Vincentius cum Edd. optimis habet *fumo* pro *fimo.* Ceterum exstat apud Vincentium Sp. nat. XVI. cap. 83. locus philosophi nescio cuius, sed ex graeco versus, vt puto: *dum gallinae pulueris fomento et crebra respersione fungentes vice balnei sine coitu delectantur, oua apala ponunt, sic dicta quasi sine pelle, sed prolis gratiam non consequuntur.*

porticus vel tectum] Ex Sangerm. *porticus vel tectum* et deinceps *parietem* annotauit Gronouius.

terni vel] Recte haec verba omittunt Polit. et Sang. nec ipse Columella cap. sequenti sect. 2. aliter haec laudauit, nisi vt binorum cyathorum meminerit. Igitur inclusi veluti suspecta verba. Palladius I. 27. *duobus cyathis ordei bene pascitur vna gallina quae sit vaga.*

6. *vestibulum*] Ex Varrone, cuius locus hic est: *Prodigendi* (pulli) *in solem et in sterquilinium vt se volutari possint, quod ita alibiliores fiunt. neque pullos tantum, sed omne ὀρνιθοβοσκεῖον cum aestate, tum vtique cum tempestas sit mollis, atque apricum; intento supra vete, quod prohibeat eos*

extra

extra septa euolare, et in eas inuolare extrinsecus accipitrem aut quid aliud. Vbi sterquilinii mentio est ineptissima; neque enim in eo gallinae volutantur, sed in puluere. Igitur vestibulum ibi substituo; deinde lego: *tempestas est mollis, in apricum.* Sed plura excidisse et turbata esse arguit magna lectionum varietas. Sententia constat ex hoc Columellae loco. In Aldina mea vir doctus correxit *clausum vestibulum.*

Cap. V. 2. *ordeum semicoctum*] Palladius I. 27. *ordeo semicocto et parere saepe coguntur, et reddunt oua maiora.*

3. *constratu cubilia*] Varro: *In cubilibus cum parturient, acus substernendum. cum pepererunt, tollere substramen, et recens aliud subiicere, quod pulices et caetera nasci solent, quae gallinam conquiescere non patiuntur.* Aliam causam comminiscuntur Geoponica: ὑποστρωννύντες ἄχυρα ὅπως τὸ καταφερόμενον ὠὸν μὴ κατὰ ξηρᾶ φέρηται καὶ ῥήγνυται.

assiduus] In Sang. deesse vocem *custos*, monet Gronov. qui deinceps conlicit: *obseruare* itaque *num edant oua.* De *itaque* in Sang. omisso tacet.

singultibus] Ita iterum bis cap. 11. dixit, et ex nostro Palladius. Plinius coruis singultum tribuit 18. s. 87. Idem X. s. 76. *Super omnia est anatum ouis subditis atque exclusis admiratio primo non plane agnoscentis fetum, mox incertos incubitus sollicite conuocantis, postremo lamenta circa piscinae stagna, mergentibus se pullis natura duce.* vbi ex Codice Pintiani et Chifflet. lege *incerti singultus.*

glocientibus] Festus: *glocire et glocidare gallinarum proprium est cum ouis incubiturae sunt.* Vocabulum ex sono gallinarum expressum imitatione vt graecum κλώζειν, quod gallinis etiam Plutarchus de sanitate tuenda tribuit, et vernaculum nostrum *glucken.*

4. *recentissima quaeque*] Plinius X. s. 75. *Oua incubari intra decem dies edita vtilissimum. vetera aut recentiora infoecunda.* Quae si ille ex h. l. retulit, male fecit. Diuersitatis tamen causam quaesiuit et a caultate partis obtusae oui repetiit Fabricius ab Aqua pendente p. 32. de Ouo incubato Opp. anatomic.

requieta] *semiuieta* corrigebat Heinsius Aduers. III. p. 458. qui inepte vbique semiuietum suum infercire conatus est, vbi *requietus* legitur in libris.

appellant rustici] Brusch. *rustici appellant auis eas.* et infra: *veteranas igitur auis.* Ordinem verborum eundem seruat Aldina.

nouellae] Varro: *et ea quae subiiciat, potius vetulis quam pullastris, et quae rostra aut vngues non habeant acutos, quae debent potius in concipiendo occupatae esse quam incubando. Appositissimae ad partum sunt anniculae aut bimae.* Geoponica XIV. 7. δεῖ ὑποτιθέναι τοῖς προβεβηκυίαις ἀ τοῖς ἀκμαζούσαις τίκτειν δυναμένας, ἀκμαιότατα γὰρ πρὸς ὠοτοκίαν εἰσὶν αἱ ἐνιαύσιαι, μάλιστα δὲ αἱ διετεῖς, αἱ δὲ τούτων πρεσβύτεραι ἧττον. Ceterum Heinsius ad Virgil. II. p. 58. ex Sang. libro posuit *excudendis ouis vtiles sunt.*

5. *pinnula per nares*] Guilelmus Brito Philippeid. VII. 312. *gallinae similis, quam pluma nare forata expellit Beroe nido recubare volentem.* Hodie in Tuscia recens editorum pullorum vropygium filo circumuentum adstringunt, atque arefactum recidunt; quo facto gallina cauda priuata incubandi desiderium obliuisci et deponere creditur. *Giornale* d'Italia X. p. 272.

6. *excludunt*] Vulgatum *excubant* corrigi iusserat Vrsinus, defendit tamen Gesnerus comparata vitiosa lectione sectionis 5. et cap. 14. 7. Mecum facit Morgagni et Sylburg.

7. *melior nutrix*] Varro: *Excusos pullos subducendum ex singulis nidis et subiiciendum ei quae habeat paucos, ab eaque, si reliqua sint oua pauciora, tollenda, et subiicienda aliis, quae nondum excuderunt, et minus habent 30 pullos. hoc enim gregem maiorem non faciendum.* Ita etiam verbotenus Geoponica XIV. 7. sect. 25. Quae deinde a nostro sect. 15. traduntur, non sunt his contraria, sed de bona nutrice intelligenda, cui pulli sui relinquuntur.

transferri] Brusch. hic et alibi *transferi;* eadem vbique cum Aldina *plerunque* habet; eadem paulo post et fere vbique *quattuor;* denique *rotondissima*, et cum Ald. *verumtamen.* Deinceps *seruari oportet* ex Sangerm. annotauit Gronov.

8. *numerus ouorum*] Varro: *quae velis incubet, negant plus 25 oportere oua incubare, quamuis propter foecunditatem pepererit plura. Optimum esse partum ab aequinoctio verno ad autumnale. Itaque quae ante aut post nata sunt, et etiam prima eo tempore, non supponenda.* Geoponica: ὑποτίθεται τῇ μὲν ἀγαθῇ ὄρνιθι μὴ πλέον τῶν πγ' ὠῶν (i. e. 23.) τῇ δὲ μὴ τοιαύτῃ ἐλάττονα, πρὸς τὴν ἑκάστης φύσιν, πανταχῇ μέντοι δεῖ ἄνισον εἶναι τὸν ἀριθμὸν καὶ αὐξανομένης τῆς σελήνης ὑποτιθέναι, τουτέστι μετὰ τὴν γένναν ἕως ιδ' (i. e. 14.) τῆς σελήνης. τὰ δὲ πρὸ νέας σελήνης ὑποτιθέμενα διαφθείρεται. δεῖ δὲ ὑποτιθέναι τὰ ὠὰ μάλιστα τὰ ἀπὸ Ζεφύρου πνοῆς τικτόμενα

μέχρι

μέχρι μετοπωρῖνῆς ἰσημερίας, τετέστιν ἀπὸ ζ' Φευρεαρίου ἕως κβ' Σεπτεμβρίου. — τὰ δὲ πρὸ τέτου τοῦ καιροῦ ἢ μετὰ ταῦτα τικτόμενα καὶ τὰ πρωτότοκα πάντα οὐχ ὑποθετέον. ἄγονα γὰρ καὶ ἀτέλεστα γίνεται· ὥρα δὲ ἀρίστη πρὸς τὸ ὑποτιθέναι τὰ ὠὰ ἡ τοῦ ἔαρος ἰσημερία τετέστιν ἀπὸ κδ' τοῦ Μαρτίου μηνός. Plinius X. sect. 74 et 75. *Plus vicena quina incubanda subiici vetant. Parere a bruma incipiunt. Optima foetura ante vernum aequinoctium; post solstitium nata non implent magnitudinem iustam, tantoque minus, quanto serius prouenere. — Subiici impari numero debent. — Incubationi datur initium post nouam lunam, quia prius inchoata non proueniant. Celerius excluduntur calidis diebus. Ideo aestate vndeuicesimo educunt foetum, hieme 25.*

9. *pretiis veneunt*] Vulgo sequebantur haec: *nec plerumque intereunt.* quae recte libri scripti Goes. et Sangerm. omittunt, approbante etiam Pontedera. Repetiit librarius ea temere ex superioribus.

10. *diebus quibus*] Varro: *Si oua gallinis pauonina subiicias, cum iam decem dies pauonina fouere coepit, tum denique gallinacea subiicere, vt vna excudant. Gallinaceis enim pullis bis deni dies opus sunt, pauoninis ter noueni.* Palladius I. 28. *Sed electae, si hoc placuerit, nutrices gallinae sint quae a primo incremento lunae nouem diebus habeant nouem oua supposita, quinque pauonina et caetera sui generis: decima die oua omnia gallinacea subtrahantur et alia item gallinacea totidem recentia supponantur, vt tricesima luna, id est, expletis triginta diebus possint cum pauoninis ouis aperiri.* Sed haec Palladius ex nostri cap. 11. sect. 11. traduxit, vbi paulo aliter supponit gallinis oua pauonina.

ter nouenis] Brusch. omisit *ter.*

minutae nascuntur] In libro Sang. ridicule pro *pusillis* est *pulsis* et pro *minutae* est *minillimae nascentur.* Voluitne dare *humillimae* vel *simillimae nascentur?* Sed Gronouius ex eodem libro *pusillis illis — nascenter* annotauit.

11. *rotundissima*] Horatius Serm. II. 4. 12. *Longa quibus facies ouis erit, illa memento vt succi melioris et vt magis alma rotundis ponere; namque marem cohibent callosa vitellum.* Plinius X. sect. 74. *Quae oblonga sint oua gratioris saporis putat Horatius Flaccus. Feminam edunt, quae rotundiora gignuntur, reliqua marem.* Contraria his docet vulgata Aristotelis lectio H. A. VI. 2. sed veriorem inde retulit Antigonus Carystius de Mirabilib. cap. 103. et de lectionis vitio admonuit etiam Albertus M. in versione. Vide ad Varronem III. 9. 12. vbi ex Crescentio eadem Varroni restitui.

expiatas] i. e. luſtratas, qua notione eſſe etiam videtur in loco Perſii II. 31. poſito in Theſ. L. L.

concauatis] Geſner addi malebat *et*, aut tolli veluti gloſſam vocabulum *concauatis*.

12. *clauis ferreis*] Plinius X. ſect. 75. *remedium contra tonitrua clauus ferreus ſub ſtramine ouorum poſitus aut terra ex aratro.* Geoponica XIV. 7. 11. ἐντιθέντες τοῖς ἀχύροις σιδηρῆν ἧλον. δοκεῖ γὰρ ἀλέξημα τοῦτο εἶναι πρὸς πᾶσαν κακίαν. et cap. 11. ἔνιοι καθαίρεσι τὰς οἰκίας καὶ τὰς νεοσσιὰς καὶ τὰς ὄρνεις αὐτὰς θείῳ καὶ ἀσφάλτῳ καὶ πεύκαις. ἀλλὰ καὶ σιδήρε ἔλασμά τι ἐντιθέασιν ἢ κεφαλὰς ἥλων καὶ δάφνης κλωνία τοῖς νεοττιαῖς. δοκεῖ γὰρ ἀλεξιφάρμακον εἶναι πρὸς τὰς διοσημείας. Eadem VII. 11. ferrum operculis doliorum vini imponunt, vt noxam fulguris et tonitruum arceant, item ramos lauri. Narrationem de clauo ferreo, ouis ſuppoſito, repetiit Autor libri Fragmens ſur l'electricité humaine par M. Retz. Amſterd. 1786. vt inde argumentum deduceret opinionis ſuae, in tonitru vim electricam non ex nubibus deſcendere, ſed ex terra adſcendere. Addit exemplum picae, quae, nido in arbore ſumma poſito, metalli particulam imponat, vt defendat oua a tonitru. Superſtitio veterum inde originem habuit, quod viderant aes et ferrum ictum fulminis auertere. Hinc claues ferreae ſuſpenſae plures adeo grandinem auertere dicuntur in Geoponicis I. 14. Hodieque in Anglia plures clauum ferreum doliis cereuiſiae indunt, vt potum ab acedine ex tonitru concepta defendant; alii fulmen et tonitrua occa in aruis relicta dentibuſque ferreis, coelo obuerſis, auertunt. In his omnibus ritibus obſcura veſtigia doctrinae de electricitate reperit V. D. in Gentleman's Magazine anni 1785. Iulio p. 523. Hinc explicat locum Cteſiae de ferreo quodam gladio, quem a rege Perſarum Cteſias accepiſſe gloriatur, ὅτι πηγνύμενος ἐν τῇ γῇ νέφος καὶ χαλάζης καὶ πρηστήρων ἐστὶν ἀποτρόπαιος.

14. *iuxta ponendus*] Varro: *eas includere oportet, vt diem et noctem incubent, praeterquam a mane et veſpere, dum cibus et potio his datur. Curator oportet circumeat, diebus interpoſitis aliquot, ac vertat oua, vti aequabiliter concalefiant.* quae verſa exſtant in Geoponicis XIV. 7. ſ. 18 et 19.

vndeuigeſimo] Plinius X. ſect. 74. *viceſimo die, ſi moueatur ouum, iam viuentis intra putamen vox auditur.* Ita ſcilicet Ariſtoteles, et Varro: *incubare oportet incipere ſecundum nouam lunam quod fere quae ante, pleraque non ſuccedunt. Diebus fere 20 excudunt.* Ceterum ex varietate librorum optimorum coniicio olim h. l. ſcriptum fuiſſe *id-*

que

que cum fecerit duo de viginti diebus, vndeuicesimo animadvertat.

putaminum] Ex varietate P. et Sang. malim: *putamina rumpere.* Deinceps *haerentis* Brusch.

pipiant] Libri duo optimi *pipunt* vel *pipant.* Pipatum pullorum nominat Varro de L. L. VI. 5. ex eodem Nonius *pipat gallina* laudat duobus in locis. Verbum *pipiare* ex duobus Tertulliani locis laudauit Gesneri Thes. L. L. in Catullo est *pipilare.*

16. *grex effectus*] Ita pro *effoetus* legendum esse vidit Vrsinus. Noster VIII. 11. *donec quinque et viginti capitum grex efficiatur.* et cap. 14. et longe maior grex efficitur. Similiter in Virgilii Georgicis II. 417. voces *effoetus* et *effectus* fuere permutatae, notante Vrsino. Vulgatam Sylburgius interpretabatur, effotus, fotu exclusus.

qui iam fuerit] Gesnerus admonuit, legi debere quod *iam fuerit.* De re Geoponica XIV. 9. *τὰ νεόττια τὸ μὲν πρῶτον εὐθέως εἰς κόφινον ἐμβληθέντα ὑπὲρ ὀλίγε καπνῦ αἰωρεῖται, τροφὴν δὲ ἐπὶ δύο ἡμέρας ε λαμβάνει.*

loliario] Aristophanes apud Pollucem 10. s. 114. *ὥσπερ κόσκινον αἰρόπινον τέτρηται.*

17. *farre ordeaceo*] Varro: *obiiciendum pullis diebus XV. primis mane subiecto puluere, ne rostris noceat terra dura, polentam mixtam cum nasturtii semine, et aqua aliquanto ante facta intrita, ne tum denique in eorum corpore turgescat; aqua prohibendum.*

19. *quadragesimum*] Geoponica XIV. 9. *ὑποθυμιᾶται δὲ καὶ ὁ οἶκος ἐνὶ τῶν ἀποδιωκόντων τὰ ἑρπετά, μέχρι τεσσαράκοντα ἡμερῶν πάντως ἐν σκέπῃ εἶη καὶ σφόδρα ἐν εὐδίῳ οἰκίσκῳ θρεπτέον. πολεμιώτατον γὰρ τὸ ψύχος αὐτοῖς.* Varro: *Circa caueas eorum (pullorum) incendendum cornu ceruinum, ne quae serpens accedat, quarum bestiarum ex odore solent interire.*

clunibus] Varro: *quando de clunibus coeperint habere pinnas, e capite et e collo eorum crebro eligendi pedes. saepe enim propter eos consenescunt.* vbi vitium vidit Vrsinus, qui legi volebat: *quando coeperint habere pinnas, eae de clunibus euellendae.* Sed plura ibi desunt; nec pinnae de clunibus detrahuntur a Columella, sed plumulae, quibus pulli teneri vestiuntur. Sed in ipso Columella non puto recte legi *detrahendae.* Ita enim vis facta dolorem pullis inferat. Contra *detergendae* sunt; quod fieri iubet etiam in gallinis saginandis cap. 8. 2. *pluma omnis e capite et sub alis atque clunibus detergetur; illic ne pediculum creet, hic, ne stercore loca*

naturalia exulceret. Quod si in gallinis fieri necesse est, nec plumae detrahuntur, multo magis in teneris pullis fieri debet. Ceterum ex loco postremo Columellae redintegrandum locum Varronis puto.

coinquinatae] In libro Polit. est: *conquinatae.* et sic scribi et dici voluit Victorinus Orthogr. p. 2467. Nulla vero varietas est supra VII. 5. 6. et infra VIII. 7. 2. *arbores coinquire* habet Inscriptio Fratrum Ambarualium, et Festus *conquirere, coercere* vbi Scaliger emendabat *coinquire* vel *coinquere.* Idem Festus: *coinquire, deputare.* vbi Scaliger malebat *conquinire, decubare.* Sed de isto verbo satis dictum fuit ad Catonis cap. 139. Aliud est verbum *conquiniscere,* quod inclinari et ceuere interpretatur Nonius. Vtitur eo Plautus Cistellaria IV. 1. 5. Pseudol. III. 2. 75. Hinc translatum est verbum ad turpitudinem amoris puerilis significandam, quod docuit Acidalius in Lectionibus Plautinis. Sic Graeci κυπτάζειν et κύβδα de eodem flagitio adhibuerunt, docente Toupio Emendatt. in Suidam P. II. p. 230. ed. Lipf. Deinde etiam *conquiniscunt* ventris onus deposituri; atque inde *conquinare* dictum fuit stercore foedare. Festus *Cunire est sterçus facere, vnde et inquinare.* Quod ille a *cunis* deriuat, Gesner in Thes. a *coeno* in *cuno* mutato. Scilicet videtur olim *quinire* et *cunire* dictum fuisse, vnde factum *inquiniscere, conquiniscere, incuniscere, concuniscere, inquinare, conquinare.* In vno Arnobii loco V. p. 188. seruatum *conquinauistis* temere tentarunt Interpretes. Alibi editiones *conquinare* habent. Gesnero praeiuit Dacerius ad Festum, qui recte comparauit glossam hanc Festi: *ancunulentae foeminae menstruo tempore appellantur, vnde trahitur inquinamentum.* vbi Dacerio praeiuit Scaliger. Hinc igitur patet, veram esse scripturam *coenum* seu *coinum*, non *cenum*, quod antiquo more *quoïnum* scribebatur, vt *quoi* pro *cui*, deinde *coinum, cunum, cunae*, vt *poenire, punire.* Hinc *coenulentus, cunulentus, ancunulentus.* Accedit locus Varronis III. 16. 34. vbi pro *inquinatum* Codex Polit. habet *incunatum.* Postquam haec commentatus eram, vidi Pontederam Antiq. Epist. I. p. 8. mecum sentire de verbo *incunatus*, ab eademque origine deriuare *cunum* seu *cunnum.*

20. *aquam*] Causam pituitae ab immunda aqua repetit; contra a pediculis nescio quis in Notitiis Hannoueranis Erudit. 1754. p. 757. cuius sententiam repetitam reperi a Gallo in *Sammlung von allerhand Kunststükken* Lipsiae 1784. T. II. p. 220. Vide etiam Beomanni Oecon. Elem. p. 487. edit. 1790.

fumi-

fumigabimus] Plinius X. sect. 78. *inimicissima autem omnium generi pituita maximeque inter messis et vindemiae tempus. Medicina in fame et cubitus in fumo, vtique si ex lauro aut herba sabina fiat: penna per transuersas nares inserta, et per omnes dies mota. cibus allium cum farre, aut cum semine vitis albae coctus, et quaedam alia.* Pinna naribus inserta saepius mori gallinas, monuit auctor libri *Storia naturale degli Accelli.* Firenze 1769. T. II.

21. *spicas allii*] Palladius I. 27. *Pituita his nasci solet, quae alba pellicula linguam vestit extremam. haec leuiter vnguibus vellitur, et locus cinere tangitur, et allio trito plaga mundata* (recte Codex *lingua mundata*) *conspergitur. Item allii mica trita cum oleo faucibus inseritur: staphis agria etiam prodest, si cibis assidue misceatur.* Ibi solus Crescentius *allii spicam* habet, et solus Polit. Codex *infertur.* Vulgatum *inferantur* corrigi etiam voluit Gesner, non comparato tamen Palladii loco. Geoponica XIV. 17. *θεραπεύσεις δὲ τὴν κόρυζαν σκόροδα διατεμὼν εἰς λεπτὰ καὶ βαλὼν εἰς ἔλαιον θερμὸν εἶτα διαψύξας καὶ ἀποκλύζων τὸ στόμα. καὶ εἰ φάγοιεν δὲ, μᾶλλον θεραπευθήσονται. Micas* Pontedera probauit, spicas enim grandiores esse ait.

nauseam] In Codice suo esse *nausea,* monuit Goesius ad Siculum Flaccum p. 137. vbi amarum male dici ait, quod salsum debeat. Monuit hoc Schoettgen. Alios allium cum vrina humana decoquere eoque rostrum defricare caute ne oculos tangant, monent Geoponica XIV. 17. vrina lauari nares iubent eadem cap. 12.

vua quoque] Geoponica: *καὶ σταφὶς ἀγρία κατὰ μόνας ἢ σὺν ὀρόβῳ μιχθεῖσα ὠφελεῖ.* Liguſtri acinos sanare gallinaceorum pituitas, refert Plinius 24. s. 45. Intelligi vuam taminiam, docebo ad X. vers. 373. Graeci *ἀγρίαν σταφίδα* ita vocant, non *σταφυλήν.*

22. *circumuenit oculos*] Columellam expressérunt Geoponica XIV. 17. *ἐὰν δὲ σφοδρότερον κορυζῶσι, σιδήρῳ τὰ ὑπὸ τὴν γένυν ἀμύσσεται καὶ τὰ περὶ τὰς ὀφθαλμὰς ἐκπιέζεται, ἀνατρίβεται δὲ τὰ τραύματα ἅλσὶ λεπτοῖς.* vbi vereor, vt recte intellexerit interpres et bene conuerterit *genam* Columellae; graece enim *γένυς* est maxilla. Ceterum genas intelligi puto locum cauum inter oculos et rostrum in latere positum, de quo vide ad Friderici II. p. 36. Pituitam Columella h. l. non interpretatus est; sed Palladius nescio quo auctore naturam eius enarrauit. In equis Columella VI. 8. ranas interpretatur vitiosa linguae incrementa, addens: *Haec ferro reciduntur et sale cum allio pariter trito vulnera defricantur*

tur dones lacessita pituita decedit. quam eandem medicinam Palladius auium pituitae adhibet, nisi quod cineres pro sale ponit. Scilicet pituita tam late dicitur latine, quam graece κόρυζα. Est enim pituita saepe etiam, quae graece λῆμη dicitur, humor ex abundanti oculorum humore concretus. Ita ex Hippocrate Prorhet. II. ἐνθυμεῖσθαι τὴν λῆμην, ἣν τῷ δακρύῳ τε μίσγηται καὶ λευκή τε καὶ μαλθακὴ γίνηται. ita reddidit VI. c. 6. *Si pituita alba et mollis esse incipit, lacrymaeque miscetur.*

labrusca] Plinius XIV. sect. 18. *etsi priusquam tota marcescat vua incocta datur cibo gallinaceo generi fastidium gignit vuas appetendi.* Ita ille de labrusca. vbi male Harduinus ex libris quibusdam mutauit vulgatum *maturescat vua*, vt ex h. l. apparet. In Columella lego *labruscae.* Est quae seruato eodem nomine hodieque a Linnaeanis botanicis appellatur vitis labrusca.

cum farre triticeo] In libris optimis est *hordeo triticeo.* ex Sang. *hordeo tritico* annotauit Gronouius. vnde Pontedera efficiebat *hordeo triticoue, minute cocta* aut cum *hordeo trito minute cocta.* Nullum enim esse far triticeum. Iam olim Vrsinus vulgata offensus malebat *furfure triticeo.* Gesnerus eam defendebat exinde, quod *far hordeaceum* dixit noster infra cap. 11. 14. vbi est de pullis gallinaceis: *primis diebus alantur ordeaceo farre vino respersо, nec minus ex quolibet frumento cocta pullicula et refrigerata.* Ex hoc loco retulit Palladius I. 28. 5. far hordei; eodem vtitur in phasianorum pullis cap. 29. 2. In sagina cochlearum Varro III. 14. 5. ollam incrustat farre et sapa; vnde intelligitur, esse tostum granum et molitum. Denique Cato cap. 134. villicam vult farinam bonam et far subtile facere. Hoc inprimus loco nititur Cagnatus Observ. II. 23. vt doceat, far factitium quoddam a farina diuersum fuisse. Eius annotationem retulit etiam Gesner ad Catonem l. c. et in Indicem; plura non addidit. Sed est locus Plinii XVIII. sect. 11. *far in Aegypto ex olyra conficitur — populum romanum farre tantum e frumento trecentis annis vsum Verrius tradit.* vbi Harduinus annotauit, modum conficiendi farris doceri ab Archigene apud Aetium Sermone IX, cap. 45. Quid sit, hinc fere arguas. Far, milium et panicum nisi tosta purgari non posse ait Plinius 18. sect. 10. Idem sect. 2. tradit, Numam regem primum instituisse far torrere, quoniam tostum cibo salubrius esset. Farre igitur tosto et pinsito veteres Romani pultis vice in cibo vsi esse videntur. Postea far videtur factum et dictum fuisse ex quocunque frumento tosto. De pulte habeo

aucto-

auctorem Plinium sect. 19. vbi de farre: *primus antiquis Latio cibus. — pulte autem non pane vixisse longo tempore romanos manifestum — et hodie sacra prisca et natalium pulte fritilla conficiuntur.* Ceterum deinceps *spernantur* ex Sang. annotauit Gronouius.

24. *atque etiam calcare*] Haec verba omittit Goes. et Sang. Dubito an alius bonus scriptor *calcare* dixerit hac notione. An fuit olim h. l. de calcaribus feminarum sermo, de quibus supra cap. II. sect. 8?

25. *excrementis*] Vide ad Palladii Febr. XXVI. s. 3. et supra ad cap. 1. vbi dicuntur *excreta.*

Cap. VI. *Ouorum quoque*] Geoponica XIV. 11. *τὰ δὲ ὠὰ φυλάξεις χειμῶνος μὲν ἀχύροις, θέρος δὲ ἐν πιτύροις. ἄλλοι δὲ ἀποπλύναντες ὕδατι τὰ ὠὰ ἁλσὶ λεπτοῖς καταπλάττουσι καὶ ὕτω διατηροῦσι. τινὲς δὲ εἰς ἅλμην χλιαρὰν ἐμβάψαντες τρεῖς ἢ τέσσαρας ὥρας εἶτα ἀνελόμενοι ἀποτίθενται εἰς πίτυρα ἢ ἄχυρα τῶν μέντοι εἰς τὴν ἅλμην ἢ εἰς τὰς ἅλας ἐντιθεμένων μέρος τι ἀποῤῥεῖ.* Quorum pars ducta est e Varronis his: *qui haec volunt diutius seruare, perfricant sale minuto aut muria tres aut quatuor horas, eaque abluta condunt in furfures aut acus.* Plinius X. sect. 80. *seruari ea in lomento, aut hieme in paleis, aestate in furfuribus, vtilissimum. Sale exinaniri creduntur.* vbi lomentum est ex faba fresa. Ceterum locus Geoponicorum ordine mutato ita est legendus: *ἄλλοι δὲ τὰ ὠὰ ἁλσὶ λεπτοῖς καταπάττουσι, καὶ ἀποπλύναντες ὕτω διατηροῦσι*; vt comparatio Varronis et Columellae docet.

tepefacta durant] Ex vestigiis lectionis Goesiani libri Pontedera corrigebat: *valde humectant.* Durare muriâ h. l. ineptum est; nam deinceps demum de more oua in muriam demittendi loquitur. Equidem malim *abluunt.*

Cap. VII. *rustici*] Ex Pol. libri *pastici* malim *pastoris* legere. Cum per legem Fanniam gallinam altilem in coena adhibere non licebat, in fraudem legis inuentum fuit *gallinaceos quoque pascendi lacte addito mulso. ita gratiores approbantur* teste Plinio X. s. 71. vbi vulgo est: *lacte madidis cibis; multo ita grat.* Mecum facit Pintianus. In Codd. est *addiris*, Salmant. omittit *cibis.* Pergit Plinius: *Feminae ad saginam non omnes eliguntur, nec nisi in ceruice pingui cute. Postea culinarum artes vt clunes spectentur, vt diuidantur in tergora, vt a pede vno dilatatae repositoria occupent. Dedere et Parthi cocis suos mores.* Quae postrema verba ineptissime interpretatur Harduinus: est quaedam in arte

coquorum, vt in Parthorum moribus luxuries. Quin pullum Parthicum Apicii VI. 9. intelligit Plinius; vbi eſt: *pullum aperies a naui et in quadrato ornas.* Scilicet nauis dicitur totum pectus, quod diſcinditur, vt auis reſupinata et in dorſum diuiſum clunes pectuſque conuiuis oſtendat et totum repoſitorium occupet dilatata. Ceterum in Plinio malim: *vt a pede dilatatae vnae* (gallinae) *repoſitoria occupent.*

maxime calidus] Varro: *eas includunt in locum tepidum et anguſtum et tenebricoſum, quod motus earum et lux pinguitudini inimica, ad hanc rem electis maximis gallinis.*

2. *pluma omnis*] Varro: *ego euulſis ex alis pinnis et e cauda farciunt.* quae ſunt mutilata.

ſtercore — exulceret] Malim *ſtercora — exulcerent.*

3. *offae*] Varro: *farciunt turundis ordeaceis partim admixtis ex farina loliacea, aut ſemine lini ex aqua dulci.* Victorius in Omiſſis ex libris ſuis correxit *auis ſaliuatur*, atque ita ſcriptum habent h. l. libri optimi reliqui. Vide ſupra ad VI. 9. vtraque lectio h. l. poteſt defendi, ſed de offis, gulae inſerendis, proprie ſaliuatum dici, ſupra docui.

dum plus] Pontedera malebat *dum prius.*

tentato gutture] Varro: *bis die cibum dant, obſeruantes ex quibuſdam ſignis, vt prior ſit concoctus, quam ſecundum dent. Dato cibo, quum perpurgarunt caput, ne quos habeant pedes, rurſus eas concludunt. Hoc faciunt vſque ad dies 25. tunc denique pingues fiunt.* De numero nihil Columella, niſi in verbis *quibus aues ſaginantur*, vbi libri ſcripti habent *auis ſaginatur*, lateat ſcriptura: *quibus auis bis ſaginatur.* Anſeribus vero ter praeberi potum et cibum, annotant ſcriptores noſtri omnes.

4. *mulſea*] Geoponica: *οἱ δὲ καὶ ἀλφίτων μιγνύουσιν, ἔνιοι τούτοις καὶ οἶνον προσχέουσιν. τινὲς ἄρτον σίτινον εἰς οἶνον καλὸν διαβρέχοντες διδόασιν. οἱ πλεῖστοι δὲ κέγχρῳ τρέφουσι.* Varro: *quidam et triticeo pane intrito in aquam mixto vino bono et odorato farciunt, ita, vt diebus 20. pingues reddant ac teneras.* Ceterum malim *mulſa* legere.

totidem diebus] Varro: *ſi in farciendo nimio cibo faſtidiunt, remittendum in datione proportione, ac decem primis proceſſit, in poſterioribus vt diminuant eadem ratione, vt vigeſimus dies et primus ſit par.*

Cap. VIII. 2. *conditiua*] Ita recte Goeſ. pro *condititia*. illo enim ſaepius noſter vtitur; et probauit Pontedera. Geoponica XIV. 1. *μόνας γὰρ δύο μῆνας τοῦ χειμῶνος παρὰ τῶν κεκτη-*

κεκτημένων τρέφεται, τὸν δὲ λοιπὸν χρόνον τοῦ ἐνιαυτοῦ ἔξωθεν ἀπὸ τῆς νομῆς ἑαυτῷ πορίζεται τὴν τροφήν.

in frigido] Quinctilii Geoponic. XIV. 6. κατασκευάζειν χρὴ οἶκον ἐν καιροῖς εὐδιεινοῖς καὶ πρὸς τὴν τῶν θηρίων ἔφοδον ὀχυρωμένων. Locus ſcilicet editior ab inſidiis ſerpentum aliarumque beſtiarum tutior eſt. Ariſtoteles H. A. V. 13. τίκτουσι δὲ αἱ περιστεραὶ πᾶσαν ὥραν καὶ ἐκτρέφουσιν, ἐὰν τόπον ἔχωσιν ἀλεεινὸν καὶ τὰ ἐπιτήδεια. εἰ δὲ μὴ, τοῦ θέρους μόνον. τὰ δ' ἔκγονα βέλτιστα τοῦ ἔαρος καὶ τοῦ φθινοπώρου, τὰ δὲ τοῦ θέρους καὶ ἐν ταῖς θερμημερίαις χείριστα.

hibernum meridiem] De eo vide ad I. 6. 2.

3. *tabulae*] Varro: *Singulis paribus columbaria fiunt rotunda in ordine crebra. ordines quam plurimi eſſe poſſunt a terra vſque ad camaram. Columbaria ſingula eſſe oportet, vt os habeant, quo introire et exire poſſint; intus ternorum palmorum ex omnibus partibus. Sub ordines ſingulos tabulae fictae vt ſint bipalmes, quo vtantur veſtibulo ac prodeant.* Geoponica XIV. 6. κατασκευάζειν χρὴ ἐν τοῖς τοίχοις νεοσσιὰς πυκνὰς ἀπὸ ἐδάφους μέχρι τῆς ὀροφῆς, ἄστινας καλοῦσι σηκοὺς, ἡμεῖς δὲ κυθρίνας ὀνομάζομεν, ἐν οἷς χρὴ διάγειν καὶ τίκτειν τὰς συνεζευγμένας περιστεράς. παραθετέον δὲ ἑκάστῳ σηκῷ σανίδας, ὅπως δι' αὐτῶν αἱ πάροδοι γίνωνται. Scilicet fictilia columbaria ſunt quos Quinctilii fratres appellant κυθρίνας vocabulo a voce κύθρα pro χύτρα olla deducto dialecto Ionica.

4. *circa feneſtram*] Varro: *intrinſecus quam laeuiſſimo marmorato toti parietes ac camerae oblinantur et extrinſecus circa feneſtras ne mus aut lacerta qua adrepere ad columbaria poſſit.* Scilicet Varro plures feneſtras in ornithonis ſui teſtudine ſeu camerato tecto fecit his verbis: *feneſtris puniceanis aut latioribus, reticulatis vtrinque, vt locus omnis ſit illuſtris neue quae ſerpens aliudue quid animal maleficum introire queat,* vbi verba poſtrema non ad feneſtrarum reticulatarum naturam pertinent, ſed potius ad parietes laeuigatos. Igitur alieno loco poſita ſunt.

et ea ſit] In Sangerm. deeſſe copulam, admonet Gronouius.

caueam retibus] Varro: *Item quae foetae ſunt, vt certum locum diſcluſum ab aliis rete habeant, quo tranſferantur et quo foras euocare poſſint matres. Quod faciunt duabus de cauſis. vna ſi faſtidiunt, aut incluſae conſeneſcunt, quo libero aere cum exierint in agros, redintegrentur. Altera de cauſa propter pullitiem: ipſae enim propter pullos, quos habent, vtique redeunt, niſi a coruo occiſae.* Igitur caueа, retibus munita,

matres

matres recipit apricantes ibi, aut euolaturas in agros. Rete apricantes ab auibus rapacibus defendit; quod si euolare lubuerit illis, infra rete exitus patere debebat in agros. Ceterum nescio cur Gesnerus verba huius loci *in agros* suspecta habuerit. Quod enim additur: *circa aedificia volitauerint*, agros non excludit, aedificiis adsitos. Praeterea Varro etiam agros memorat in hac re. Rectius idem cum Pontedera vulgatum *emittant* mutandum censuit in *emittat*. Itaque feci. Postea *praebetur* ex Sang. dedi pro praebeatur, quanquam me dubium nunc facit locus cap. X. sed ibi est *non dissimilia sint gallinariis*.

5. *vasa quibus aqua*] Alia ratione vtitur Varro: *Aquam puram esse oportet, quae influat, vnde et bibere et vbi lauari possint; permundae enim sunt hae volucres.* Quinctilii fratres similiter in Geoponicis XIV. 6. Χωστέον δὲ τῷ οἴκῳ λεκάνην μείζονα, ἵνα καὶ πίνειν καὶ λέεσθαι δύνωνται, καὶ μὴ προφάσει τοῦ ὕδατος συνεχῶς ἄνθρωπος παρενοχλῇ ταῖς περιστεραῖς, ὅπερ σφόδρα βλάπτει. Equidem Varronis et Quinctiliorum rationem praefero, vtpote naturae columbarum magis idoneam. Columbae enim non solum puluerari amant, vt gallinae, sed etiam lauari, vt annotauit etiam Aristoteles H. A. IX. 49. Et feras columbas non minus foecundas quam domesticas, quis lauari prohibet incubantes?

6. *iuxta parietem*] Varro: *Cibus apponitur circum parietes in canalibus, quas extrinsecus per fistulas supplent.* Multo operiosius scilicet Varro instituit pastionem columbarii sui, ne scilicet aues creber introitus curatoris turbet.

vicia] Varro nominat milium, triticum, ordeum, pisum, faseolos, eruum. Geoponica XIV. 1. lathyrum, ervum, foenum graecum, pisum, lenticulam (φακῆν) triticum et lolium. (ζιζάνια.) Palladius: *foetus frequentant si ordeum torrefactum vel fabam vel eruum saepe consumant. Triginta autem columbis volantibus diurni tres sextarii tritici sufficient, aut creturae, ita, vt eruum foetus gratia mensibus praebeamus hibernis.* vbi creturae sunt tritici excreta. Mensuram cibariorum a reliquis omitti miror.

7. *tinnunculum*] Plinius X. sect. 52. *Ob id cum iis habenda est auis quae tinnunculus vocatur. Defendit enim illas, terretque accipitres naturali potentia in tantum, vt visum vocemque eius fugiant. Hac de causa praecipuus columbis amor eorum. Feruntque, si in quatuor angulis defodiantur in ollis nouis oblitis, non mutare sedem columbas.* vbi Vincentius *tinnugulus* habet scriptum. Vulgo in Columella legebatur *tinnunculum*, quod mutaui. Auis enim a tinniendo, et voce acuta appel-

appellata fuit. Ceterum vna cum feris columbis habitantem et nidificantem in iisdem cauernis petrarum tinnunculum veteri nomine Linnaeo etiam dictum vidit et testatur *Cetti* Descript. Auium Sardicarum p. 135. vers. german.

spirantibusque] Aldina fuum *stipantibusque* in Corrigendis mutauit in *stipatisque*. Ceterum Heinsius ad Aeneid. X. 291. p. 212. ex Sangerm. posuit: *omnibusque opercula superponuntur*. vnde malebat: *spiraculisque* vel *spiramentisque op. sup.*

neque vetulae] Geoponica XIV. 6. χρὴ τὸν βελόμενον περιστερεῶνα συνιστᾶν μὴ ἀπὸ νέων ἄρχεσθαι περιστερῶν ἀλλ' ἐκ τοκάδων.

nunquam separentur] Varro: *pulli nascuntur bini, qui simulac creuerunt et habent robur, cum matribus pariunt.* Geoponica XIV. 1. καὶ αἱ ἐπιγοναὶ αὐτῶν τελειωθεῖσαι εὐθέως μετὰ τῶν τεκόντων αὐτὰς ἄρχονται τίκτειν.

8. *Campanae*] Plinius X. sect. 53. *Quin et patriam nobilitauere, in Campania grandissimae prouenire existimatae.* Alexandrinae sunt, quas supra ex Aristotele posui, Aegyptiae, foecunditate insignes, sed minores corporis statura, vt ex h. l. apparet.

impares] Vrsini coniecturam, *compares* legentis, recte reiecit Gesnerus. Facete enim alieni generis pares dixit impares, id est, coniuges, statura et moribus dissimiles. In Brusch. est *pares suos*. eamque ipsam lectionem ex Sangerm. annotauit Gronov.

9. *nam in vagis*] Varro agreste genus seu saxatile, quod habetur in turribus, sine albo, vario colore esse ait, alterum contra clementius, quod cibo domestico contentum intra limina ianua soleat pasci, maxime esse colore albo. Ex his duabus stirpibus fieri genus tertium miscellum.

octies] Varro: *nihil columbis foecundius; itaque diebus quadragenis concipit et parit et incubat et educat; et hoc fere totum annum faciunt: tantummodo interuallum faciunt a bruma ad aequinoctium vernum.* quae graece repetita leguntur in Geoponicis XIV. 1, Aristoteles H. A. VI. 4. τίκτεσι δὲ τῷ ἐνιαυτῷ καὶ δεκάκις καὶ ἑνδεκάκις, αἱ δ' ἐν Αἰγύπτῳ καὶ δωδεκάκις. ὀχεύει δὲ καὶ ὀχεύεται ἡ περιστερὰ ἐντὸς τοῦ ἐνιαυτοῦ. καὶ γὰρ ἓξ μηνῶν ὀχεύεται — ἔγκυα δὲ γίνεται δέκα καὶ τέτταρας ἡμέρας, καὶ ἐπωάζει ἄλλας τοσαύτας, ἐν ἑτέραις δὲ δέκα καὶ τέτταρσι πτερῦνται. — τίκτει δὲ καὶ ἡ περιστερὰ ἀπονευοντεύουσα πάλιν ἐν τριάκοντα ἡμέραις. vbi Codex Mediceus cum versione Thomae recte habent: ἐνιαυτῷ δεκάκις, ἤδη δέ τινες καὶ ἑνδεκάκις. adeo, vt in Graecia parere decies per annum

num affirmet Aristoteles. Dies partui, incubationi et educationi pullorum tribuit 42. Absoluta priore prole intra triginta dies iterum parere ait columbam, ita pullificationi primae ad secundam fere dies 70. attribuere, atque ita rationem foecunditatis computato dierum anni numero inire liceat. Autor libri de natura rerum apud Vincentium XVI. 57. *ipsi demum pulli trimestres foetificant*, nescio quo auctore.

Varro] III. 7. sect. 10. cuius locum respexit etiam Plinius X. s. 53. vnde quaedam huc pertinent: *et harum amore insaniunt multi: super tecta exaedificant turres iis, nobilitatemque singularum et origines narrant.*

10. *Phasin*] Similem querelam Petronii cap. 119. de Phaside, auibus suis orbato, annotauit Schoettgen. Respexit vterque phasianas aues, quarum Varro nondum meminit. Post eius igitur aeuum illatae fuerunt et frequentatae in coenis romanis. Maeoticae aues quae intelligantur, non succurrit animo nunc. Similiter Gangeticas et Aegyptiacas aues quas velit Columella nos intelligere, ignoro. Phasiani, vt recenter illati Italiae, curam omisit Columella, addidit demum Palladius. Ex Media arcessi phasianos, tradit Ptolemaeus rex apud Athenaeum XIV. p. 654.

eluant] Ex libro Sang. *Scythiae stagna Maeotis heluat.* laudat et corrigit Heinsius *Scythicae stagna Maeotidis helluant* vel *Scythiae stagna Maeotia.* Reipublicae sanguinem heluari dixit Cicero pro Domo cap. 47. Vulgatum *eluant* multo significantius mihi videtur cum Gesnero, qui comparat Plautum Rudente II. 7. 20. ante poenitet in mari, *quod elaui, ni hic in terra iterum eluam.* Eadem notione monet verbum *proluere* positum a Gellio et Tacito Manilius V. 375. *Numidarum pascimur oris, Phasidos et lucis: arcessitur inde macellum.*

11. *facilius sub*] Varro hanc et alteram rationem his refert: *Qui volent saginare pullos columbinos, secludunt eos, cum iam pluma sunt tecti. deinde manducato farciunt pane; hieme hoc bis, aestate ter, mane, meridie, vesperi. hieme demunt cibum medium. Qui iam pinnas incipiunt habere, relinquunt in nido, illisis cruribus, et matribus vberius et cibo vti possint, obiiciunt. eo enim totum diem et se et pullos pascunt; qui ita educantur, celerius pinguiores fiunt, quam alii et candidiores.* vbi Crescentius habet: *pane calido mollificato et masticato vel molli.* deinde pergit: *fractis cruribus matribus nutriendos, vel extrahunt de pennis vnius alae. nam qui ita educantur, celerius impinguantur, quam caeteri, vt ait Varro.*

Vides

Vides igitur, Crescentium verba *quam alii* legisse in Varrone, quae Vrsinus deleri volebat, sed omittere reliqua et *candidioris*, quae sensu carent. In Edd. reiiciuntur ad sequentia; in Polit. libro est: *candidae fiunt.* Quidquid sit, ea sunt ab illo loco aliena. Sed praeterea Crescentius e Varrone refert verba: *vel extrahunt de pennis vnius alae.* quae etsi ipsa Varronis esse verba spondere non ausim, sensum tamen referunt, quem ex Varrone transtulit etiam Columella, quem Crescentius non legerat. Forte in Varrone *candidiores* mutandi in *grandiores* sunt.

parentibus] Ita recte Goes. Vulgatum *parientibus* inepte defendit Gesnerus. Mecum facit Pontedera, monens, columbam marem et feminam simul pullos nutricare. In Varrone *matribus* esse de hac ipsa re, monet et improbat Pontedera.

Cap. IX. *nec parit*] Contrarium ex Varrone liquere ait Gesner, deceptus vulgari lectione loci III. 8. *Ad saginandum*, inquit, *appositissimum tempus circiter messem. Etenim matres eorum tunc optimae sunt, cum pulli plurimi gignuntur, qui ad farturam meliores. Itaque eorum fructus id temporis maxime consistit.* vbi Crescentius habet scriptum *et cum matres eorum plurimos gignunt pullos, in quibus maxime fructus consistit.* Pontedera emendabat: *tunc pulli plurimi* etc. Sed vtramuis lectionem praeferas, ex neutra tamen conficitur, in columbario parere turtures, sed matres cum ipsis pullis capiuntur et farturae destinantur, agrestes scilicet.

Volatura] Inepte vulgo *A volatura.* Recte libri scripti cum Edd. antiquis. Volatura est ipsa auium per siluas volantium et captarum multitudo. Galli similiter *volée* dicunt. Iterum noster cap. 10. 5. *volaturam auidiorem faciunt.* Plinius XI. sect. 32. *cicadarum duo genera. Minores quae primae proueniunt, et nouissimae pereunt; sunt autem mutae. Sequens est volatura, quae canunt.* Ita enim ex editione Parmensi et Codd. et Aristotelis H. A. V. 30. legendum erat pro edito: *sequens est volatu rara.* quod sensu caret. Vincentius refert inde: *Sunt autem multae quae canant.* Inepte!

per hiemem — maior turdi copia] In Italia, vbi circa aequinoctium auctumnale aduenit, circa vernale abit, auctore Varrone III. 5. sect. 7. Hinc Palladius XIII. 6. turdos laqueis capere iubet vsque in Martium mensem.

3. *mutuli*] Varro: *pro columbariis in pariete mutulos aut palos in ordinem, supra quos tegeticulae canuabinae sint impo-*

impositae. Infimum ordinem oportet abesse a terra non minus tres pedes, inter reliquos dodrantes, a summo ad camaram ad semipedem, aeque latum ac mutulus a pariete exstare potest, in quibus dies noctesque pascuntur. In quibus aperte quaedam verba sunt vitiosa. Nec rectis meminit Varro, nisi sequamur emendationem Pontederae ibi traditam in nota.

nisi sicca] Varro: *Cibatui quod sit obiiciunt triticum siccum in centenos vicenos turtures fere semodium.* Et tamen Palladius I. 25. *Sed columbarii cellae duo subiecta cubicula fiant. Vnum breue et prope obscurum, quo turtures claudi possint; quos nutrire facillimum est. nam nihil expetunt nisi vt aestate, qua sola maxime pinguescunt, triticum vel milium, mulsa maceratum, semper accipiant. Semodius vnus diurnus centum viginti turturibus sufficit. Aqua sane eis frequenter mundior debet offerri.* Errorem puto esse Palladii, hibernum cibum non satis distinguentis ab aestiuo. Geoponica XIV. 24. milio et panico (ἐλύμῳ) et potu largiore saginant.

4. *et id ipsum*] Gesner *id* veluti superfluum inclusit. Sed in lectione Codd. alia latere videtur lectio.

confirmata pullities] Ex hoc loco constituenda et emendanda sunt verba Varronis supra posita. Aristoteles H. A. VIII. 3. turturem aestate conspici modo ait, hieme latere et condi. ἀφανίζεται. Φωλεῖ γάρ; postea cap. 16. turturem latere in confesso esse ait; neminem enim vspiam vidisse turturem per hiemem. Praepinguem condi, eamque pinguedinem seruare in latebris etsi amissis plumis, dum lateat. Idem cap. 12. hieme abire ait turtures gregatim atque ita redire, nisi quae in locis apricis et calidis substiterint. Denique IX. cap. 7. ait turtures aestate locis frigidis, hieme calidis degere; addit VI. cap. 4. palumbes et turtures a quibusdam dici trimestres coire et parere. Ineptissime igitur Plinius X. sect. 36. *Perennes, vt columbae, semestres vt hirundines, trimestres vt turdi et turtures.*

Cap. X. *despondent*] sc. animum, quam vocem excidisse suspicatur Pontedera.

veterani] Palladius I. 26. *claudantur illaesi et recenter capti, mistis aliquibus ante nutritis, quorum societate ad capiendos cibos pauidam nouae captiuitatis moestitudinem consolentur.* Quod ille praeterea antea habet: *rami etiam virides saepe mutentur.* exstat etiam in Geoponicis XIV. 24. κίχλαι ἐν θερμῷ οἴκῳ νέμονται· κάμακας δὲ τοῖς τοίχοις τῶν οἰκίσκων ἐνθετέον καὶ περὶ τὰς γωνίας κλωνία δάφνης ἢ τινος ἄλλου θετέον. His scilicet ramis appositis eorumque aspectu auium moestarum

rum captiuitatem consolari volebant. De turdorum saginatione Plinius X. sect. 30. Cornelius, inquit, Nepos, qui diui Augusti principatu obiit, cum scriberet, turdos paulo antea coeptos saginari, addidit ciconias magis placere quam grues.

2. *quam columbi*] Sangerm. *columbae*. Palladius I. 26. *sit autem locus mundus et lucidus et undique laeuigatus. transversae in hoc perticae figuntur, quibus possint post inclusum volatum sedere.* vbi Pontedera ex Columella legi volebat *inclusum cibatum.* Sed praeterea male pro *munitum* legitur in Palladio *mundum* et pro *apricum*, i. e. calidum *lucidum.*

3. *permista polline*] Varro III. 5. *cibatui offas positas eae maxime glomerantur ex ficis et farre mixto; diebus viginti antequam quis tollere vult turdos, largius dat cibum, et farre subtiliore incipit alere.* Palladius: *Caricae tunsae mistis pollinibus largissime praebeantur.* In Varrone post verba *farre mixto* addit Crescentius: *caeteris tribuantur grana, quibus vti consueuerunt, et ea praecipue auide sumunt.* quae aut quibus similia in Varrone excidisse recte censuit Pontedera. Grana scilicet intelligi voluit baccas a Columella nominatas. Similiter Geoponica XIV. 24. ἐν δὲ τῷ καθαρῷ τῶ ἐδάφους ἡ τροφὴ τίθεται, τετέστι σῖκα ξηρὰ διαβραχέντα ὕδατι καὶ πιεσθέντα, (κοπέντα δὲ καὶ προσμιχθέντα ἀλεύρῳ ἢ ὠμῇ λύσει,) καὶ μύρτα καὶ ἡ σχοῖνος καὶ κισσῦ κάρπος καὶ δάφνης καὶ ἐλαίας καὶ ὅσα τοιαῦτα. πιοτέρας δὲ ποιήσει κέγχρος καὶ ἔλυμος καὶ ὕδωρ καθαρώτατον. vbi verba διαβραχέντα ὕδατι καὶ πιεσθέντα aperte vitiosa atque aliena sunt. Ceterum *far* in Varrone pollinem aut ὠμὴν λύσιν significat. Posterius malim, quia far subtilius subiungit. Palladius etiam reliqua ex Columella subiunxit his verbis: *myrti etiam, si facultas est, lentisci, oleastri, hederae, arbuti semina interdum ad excludenda fastidia, et maxime aqua munda praebeatur.* Turdos etiam fagi glandem appetere annotauit Plinius XVI. sect. 7.

4. *conducuntur qui mandant*] Veteres Interpretes loci Aristophanei Equit. 755. κέχηνεν ὥσπερ ἐμποδίζων ἰσχάδας cum Hesychio in ἐμποδίζων et Suida in ἰσχάς inter varia commenta, quae afferunt ad locum obscurum explicandum, haec etiam ponunt: τοῦτο δέ φασιν εἰρῆσθαι ἐπὶ τῶν μισθῷ τοῖς μελίσσαις ἰσχάδας μασσωμένων. Quod in apibus factum non recordor, de turdis testatur Columella.

6. *Terentius*] Varro III. 2. 15. et III. 5. 7.

Cap. XI. *eblandiatur*] Vulgatum *solitudines ruris eblandiantur* Pontedera ex Goes. corrigebat: *solitudini rus eblandiatur* aut *subblandiatur*. Vrsinus iam olim tentauerat: *voluptates ac requiem, quibus solicitudines.* Mihi placet libri Sangerm. lectio; nec reliqua Columellae verba displicent. Mecum sentire nunc video Heinsium l. c. Deinceps *paruis insulis* ex Sang. annotauit Gronouius.

itaque genus] Gesnerus malebat legi *idque genus*. Geoponica XIV. 18. *οἱ ταῶνες μάλιστα ἐν νησιδίοις χειροποιήτοις τρέφονται. πάντως δὲ τὸ χωρίον ἐχέτω πόαν πολλὴν καὶ παράδεισον.* In Planasia insula M. Pisonis gregem pauonum memorat Varro III. 6. qui multo breuius pauonum curam tractauit. Ex graecis igitur auctoribus plura Columella transtulisse videtur. In Varrone mihi mirum accidit, quod iubet stercus tolli a pastore ad agriculturam *et ad substramen pullorum.* Plinius etiam aliud habet, quod miror XXIX. f. 38. *pauones simum suum resorbere tradi, inuidentes hominum vtilitatibus.*

quia furis] Palladius I. 28. *pauones nutrire facillimum est, nisi fures aut animalia noxia inimica formides, qui plerumque per agros vagantes sponte se pascunt, pullosque educant et altissimas vespere arbores petunt. Vna his cura debetur, vt incubantes per agrum feminas, quae hoc passim faciunt, a vulpe custodias. ideo in insulis breuibus meliore sorte nutriuntur.*

3. *columbaria*] Sententiam huius loci obscuram mihi esse non diffiteor; malim tamen cum libris *quales — columbariae* scribere. Vide ad Varronem III. 7. f. 11.

4. *singulas*] Linguam, lingulam et ligulam de tenuiore ligni parte, quae in foramen alterius conuenit, dici, nostris *Zapfen*, ex Vitruuio VIII. 7. X. 8. admonuit Gesner. Pro *inducantur* ex Sang. *induantur* laudat Drakenb. ad Liuium T. IV. p. 431.

5. *trimatum*] Geoponica: *τριετεῖς δὲ αἱ θήλειαι γενόμεναι τίκτουσιν. αἱ δὲ νεώτεραι ἢ ἐκ ἐκβάλλουσιν ἢ ἐκ ἐκτρέφουσι τὰ νεόττια.* Varro: *ad admissuram hae minores bimae non idoneae, nec iam maiores natu.* vbi maiores natu generatim dici videtur de vetulis, non de maioribus quam bimis.

quinque foeminas] Palladius *vni masculo foeminae quinque sufficiunt.* Plinius X. sect. 79. *pauo a trimatu parit, primo anno vnum aut alterum ouum, sequenti quaterna quinaue, ceteris duodena, non amplius, intermittens binos dies ternosve parit, et ter anno, si gallinis subiiciantur incubanda. Mares ea frangunt desiderio incubantium. Quapropter noctu et in latebris pariunt, aut in excelso cubantes: et nisi molli strato*

to excepta, franguntur. Mares singuli quinis sufficiunt coniugibus. Cum singulae aut binae fuere, corrumpitur salacitate foecunditas. Partus excluditur diebus ter nouenis, aut tardius tricesimo. vbi Harduinus malebat legere ex Columella: *in excelso cubant: quare nisi* etc. Verum Plinius in isto loco sententias Aristotelis cum alienis permixtas temere posuit. Aristoteles H. A. VI. 9. trimum maxime parere ait, et simul pennarum pulcritudinem variam accipere, oua excludere triginta aut paulo pluribus diebus, semel anno parere, oua plurima duodecim intermissis binis vel trinis diebus. Primiparas oua parere plerumque octo. Vere coire Gallinam oua modo duo supposita excludere posse. Locum Aristotelis exscripsit vitiose Aelianus V. 32.

torreas fabam] Palladius: *Ab Idibus Februariis calere incipiunt, faba leuiter torrefacta in libidinem prouocantur, si eis quinto quoque die tepida praebeatur. sex cyathi vni sufficiunt.* Geoponica: τροφὴν δὲ δοτέον τοῖς ταῶσι διὰ μὲν τῦ χειμῶνος κυάμες ἐπ' ἀνθρακιᾶ φρυγέντας καὶ πρὸ τῆς ἄλλης τροφῆς, ἑκάστῳ κυάθες ἕξ. ὕδωρ δὲ καθαρὸν παραβλητέον· ὕτω γὰρ γονιμώτεραι ἔσονται.

7. *sine rixa*] Omittunt haec verba liber Pol. et Sang. igitur, vt superflua aut transposita inclusi. Geoponica: διακριτέον δὲ τὲς γενναίες ἀπὸ τῶν ἀσθενῶν. σφόδρα γὰρ οἱ κρείττες καταπονῦσι τὲς ἥττες. *Diducuntur* ex Sang. pro *deducuntur* probauit etiam Drakenb. ad Liuium T. III. p. 485.

8. *exstimulatae libidinis*] Palladius: *Cupidinem coeundi masculus confitetur, quoties circa se amictum caudae gemmantis incuruat et singularum capita oculata pennarum locis suis exerit cum stridore procurrens.* In vulgata huius loci lectione *mirantem* vitium latere suspicor; nec mirationis meminit Palladius, qui tamen plura de suo addidit, vera quidem.

incientes] Hanc lectionem ex primarum Edd. *incipientes* effeci cum Vrsino. Vide ad VII. 3. 16.

9. *exaggerandum*] Geoponica: τῶς δὲ ὠοτοκέσαις ἐν παντὶ τῷ οἴκῳ χόρτον ἢ ἄχυρον ὑποστρωτέον, ὅπως τὰ ὠὰ πεσόντα μὴ διαφθαρῇ. ἑστηκυῖαι γὰρ τίκτεσι. δίς τε τῦ ἔτες ὠοτοκῦσιν, ὁ πλείω τὰ πάντα τῶν δυοκαίδεκα ὠῶν.

10. *ter anno*] Palladius: *Si oua pauonum gallinis supponantur, excusatae matres ab incubatione tribus vicibus per annum foetus edunt.* et reliqua hinc traducta.

Rhodiae] Polit. liber *Odicree.* Sang. teste Gronouio *Odiacae.* Scilicet *Rodiacae* fuit olim scriptum. Deinceps ex eodem Sang. *religantur* annotauit Gronov.

11. *eligantur*] Palladius: *Sed electae, si hoc placuerit, nutrices gallinae sint, quae a primo incremento lunae nouem diebus habeant nouem oua supposita, quinque pauonina, caetera sui generis. decima die omnia gallinacea subtrahantur, et alia item gallinacea totidem recentia supponantur quot ablata sunt, vt trigesima luna, hoc est expletis triginta diebus, possint cum pauoninis ouis aperiri.* Ceterum vulgatam *veteres maxime* recte emendauit Gesnerus ex sectione 13. malebat tamen *veteres et maximae quaeque.* Recte! Geoponica: χρὴ δὲ ὑποτιθέναι τὰ ὠὰ σελήνης ἐννατάδας ἄσης τὰ πάντα ἐνιέα, πέντε μὲν τὰ ἴδια, τέσσαρα δὲ ὄρνιθος κατοικιδίου. τῇ δὲ δεκάτῃ ἡμέρᾳ τὰ μὲν τῶν ὀρνίθων ἀφαιρεῖν χρὴ, ἄλλα τε προστιθέναι, ὅπως τῇ τριακοστῇ μετὰ τῶν ταῶνος ὠῶν καὶ τὰ τῶν ὀρνίθων συνδράμῃ.

et caetera] Copulam inclusi, vt superuacaneam.

12. *versare manu*] Palladius: *Oua autem pauonum, quae gallinae subiecta sunt, saepe manu conuertantur, quia hoc ipsa facere vix valebit. vnam partem oui notabis, vt te subinde conuertisse cognoscas.* Deinceps *conuersa sit* ex Sang. annotauit Gronouius.

13. *quam maximas*] Palladius: *maiores tamen gallinas oportet eligere; nam minoribus pauciora suppones.* Deinceps malim *praeparare;* quod ipsum nunc ex Sang. annotatum a Gronouio reperio.

fecerit pullos] i. e. excuderit. An recte habet locus?

quinque et viginti] Palladius: *natos autem pullos, si ad vnam transferre a pluribus velis, dicit Columella, vni nutrici viginti quinque sufficere. mihi vero vt bene educi possint, videntur quindecim satis esse.*

14. *moueantur*] Geoponica: τοῖς γεννηθεῖσι μέχρι μὲν δύο ἡμερῶν τροφὴν ἐ χρὴ διδόναι, τῇ δὲ τρίτῃ κριθῆς ἀλεύρε φυραθέντος οἴνῳ καὶ πιτύρε πτισθέντος καὶ ἑψηθέντος καὶ πράσε τὰ ἁπαλώτατα φύλλα σὺν χλωρῷ τυρῷ κοπέντα προσφέρομεν. κριθαὶ δὲ προσκομιζέσθωσαν μετὰ ἓξ μῆνας.

ordeaceo farre] Palladius: *primis diebus far ordei conspersum vino pullis dabitur vel vndecunque cocta pulticula et refrigerata; postea adiicietur porrum concisum vel caseus recens, sed expressus; nam serum pullis nocet.* Geoponica: κριθῆς ἀλεύρε καὶ πιτύρε πτισθέντος καὶ ἑψηθέντος. igitur far ordeaceum est ἄλευρον κριθῆς. e frumento quocunque cocta pulticula πίτυρον πτισθὲν καὶ ἑψηθέν.

Tarentinum] i. e. sectile. Martialis XIII. epigr. 18. cuius lemma *Porri sectiui: fila Tarentini grauiter redolentia porri edisti quoties, osculo clausa dato.*

15. *Lo-*

15. *Locustae*] Palladius: *locustae etiam pedibus ablatis praebentur. Ita pascendi sunt vsque ad sextum mensem; deinde ordeum poteris praebere solemniter. trigesimo quinto tamen die postquam nati sunt, etiam in agrum tuto eiici possunt comitante nutrice pascendi, cuius singultu reuocantur ad villam.*

in agno satis tuto educi] Palladius: *in agrum tuto eiici possunt.* vbi Vincentius bis *deiici* scriptum habet. Saltim inde *in agrum* h. l. restituendum puto.

longa linea gallina] Sang. liber recte omittit *gallina.* Vrsinus ei substituebat *cannabina.* Recte, puto!

16. *prohibentur*] Palladius: *pituitas vero et cruditates iis remediis submouebis, quibus gallina curatur. maximum illis periculum est, cum incipit crista produci. nam patiuntur languores infantum similitudine, cum illis tumentes gingiuas denticuli aperire nituntur.* Hodie vero constat, maius esse pavoni periculum cum caudam creat aut renouat.

Cap. XII. *in seruitute non foetant*] Varro III. 11. in fine de perdicibus: *quae neque propter foecunditatem neque propter suauitatem saginantur, sed sic pascendo fiunt pingues.* At perdix auctore Plinio XI. sect. 85. non pinguescit. De rusticis iterum Varro cap. 9. sect. 7. *sunt,* inquit, *in vrbe rarae, nec fere mansuetae sine cauea videntur Romae — neque fere in villis oua ac pullos faciunt, sed in siluis.* Perdicem rubram seu graecam pinguescere et mansuescere affirmat Busbequius Epistol. III. p. 188. Alia testimonia posuit Buffoni historia perdicum.

Cap. XIII. ἀμφιβίας] Ita recte libri scripti. Vulgo ἀμφίβια. Varro III. 10. *illud genus, quod vos philograeci vocatis amphibium, quod non est vna villa ac terra contentum, sed requirit piscinas, in quibus vbi anseres aluntur, nomine* Χηνοβοσκεῖον *appellatis.*

2. *neque sine aqua*] Palladius I. 30. *anser nec sine herba nec sine aqua facile sustinetur. locis consitis inimicus est, quia sata et morsu laedit et stercore: pullos praestat et plumas, quas et autumno vellamus et vere.* vbi liber Polit. cum Cresc. habet *et stercore polluit. Praestat plumas* etc. Vnde apparet, Palladium verba Columellae integriora et pleniora olim legisse. In Sang. est *quicquid rerum.*

3. *nec nimis*] Victorianum *minus* eieci, quod ipse Columella locis consitis nocere dixerat paulo antea anserem.

Ad alienum locum retulerat varietatem lectionis Gesneriana editio.

bis anno] Plinius X. f. 27. *candidorum alterum vectigal in pluma. velluntur quibusdam locis bis anno. rursus plumigeri vestiuntur: mollior, quae corpori proxima, et e Germania laudatissima.* Oues Columellam semel anno totondisse docet hic locus. A vellendo cycni vellera dixit Gratius Cyneg. versu 77. Lanam anserinam ab Vlpiano in L. *si cui lana* ff. de Legatis et fideicommiss. §. 3. dici puto plumam corpori proximam et molliorem. Graece *μνῶς* dicitur tenerum agnorum vellus et pluma mollis anserum teste Hesychio.

ternas] Palladius: *vni masculo tres foeminae sufficiunt.* Grauitatem Columella inepte causatur etiam gallinaceis generosis et maioribus.

quin etiam] Varro: *Singulis vbi pariant, faciundum haras quadratas circum binos pedes et semipedem, eas substernendum palea.* ex quo loco recte Vrsinus vulgatam huius loci lectionem *secretis angulis* emendandam esse vidit. Praeterea verba *vt protecti sint*, vitium alunt, quod arguit etiam lectionis varietas infra annotata. Varro aut haras quadratas supra terram aut spelunças subtus construit. Vide num huic consilio *rutecta* an *frutecta* conueniant circa cohortem. *Rutetà* videntur esse *rudecta.* Sex nunc ex verbis *vt protecti sunt* vitiata mihi videntur illa *in rutectis.*

Cap. XIV. *alta*] Vrsinus malebat *alte*, vt cap. 15. est: *isque munitur sublimiter pedum quindecim maceria.* Sed ibi rectius *similiter* legitur. Ceterum male distinguebantur haec vulgo ita: *alta nouem pedum, maceria.*

pedes-ternos] Varro binos pedes et semipedem ponit. *Per focturam*, id est, dum foetus edunt et incubant.

2. *Extra villam*] Vulgo antepositum *et* recte omittit Sangerm. Palladius: *Si deest fluuius, lacuna formetur.*

inurinare] Praefero lectionem libri Lips. *innare.* Anseres enim multo minus quam anates inurinantur aquis, sed fere amant herbas et semina aquatica colligere ex aquis.

praesidio] Lectio librorum *primordio* mihi non displicet. Ita supra III. 10. 10. primordia terrena, i. e. elementa dixit. Praeterea Sang. teste Gronouio *viuere nequeunt.*

Palustris] Varro: *anseres pascunt in humidis locis, vbi pabulum serunt, quod aliquem fructum ferat, seruntque his herbam, quae vocatur seris, quod ea aqua tacta etiam cum est arida, fit viridis.* Palladius: *si herba non suppetit, trifolium, foenum graecum, agrestia intuba, lactucas seremus alimento.*

mento. Geoponica: χεινοβόσκιον ἐν χωρίῳ εὐβότῳ καὶ ἐνύδρῳ ποιητέον. — καὶ θριδακίνης δὲ φύλλα δίδε, κωλυτέον ἐσθίειν ἄγρωστιν. αἰτία γὰρ αὐτοῖς ἀπεψίας γίνεται. Ceterum post *destinetur* aliquod latere mihi videtur in vulgata lectione.

3. *amplissimi*] Varro: *vt essent ampli et albi: quod plerumque pullos similes sui faciunt. Est enim alterum genus varium, quod ferum vocatur, nec cum iis libenter congregatur, nec aeque fit mansuetum.* Palladius I. 30. *albi foecundiores, varii vel fusci minus, quia de agresti genere ad domesticum transierunt.* In Columella malim *e fero mitigato.* Geoponica XIV. 22. μεγίστας καὶ λευκοτάτας. Scilicet anseres domestici omnes e feris facti sunt domestici; sed diuturna demum captiuitate color ferarum fuscus in album transiit per varium intermedium, quem habent ex feris haud ita pridem nati. De correctione *e fero* consentit Gesner.

4. *admittendis*] Varro: *Anseribus admittendis tempus est aptissimum a bruma; ad pariendum et incubandum a Calendis Martii vsque ad solstitium.* vbi similiter libri optimi habent scriptum *anseribus ad admittendum.* Ibidem verba *a Cal. Martii* omittunt Edd. I. B. R. Palladius: *Incubant a Calendis Martii vsque ad aestiuum solstitium.* Ceterum in Sang. ordo hic est: *Anseribus tempus apt. est ad admittendum a Cal.*

ineunt] Varro: *Saliunt fere in aqua, inungentur in flumen aut piscinam.* vbi ex vestigiis librorum optimorum legendum est: *tum merguntur in flumine aut piscina.*

ter anno] Varro: *singulae non plus quater in anno pariunt.* vbi recte Vrsinus *quam ter* legendum esse vidit.

5. *maior grex*] Palladius: *plus parient, si gallinis oua supponas; extremum partum matribus iam vacaturis educare permittimus. Pariturae ad haram perducantur. cum semel hoc feceris, consuetudinem sponte retinebunt.* Plinius X. sect. 79. *si quis surripiat, pariunt donec rumpantur. aliena non excludunt.*

6. *notandi erunt*] Varro: *notandum eorum oua aliquo signo, quod aliena non excudunt.* Ita etiam Geoponica, sed refellit haec omnia vsus atque experientia.

Supponuntur] Varro: *Ad incubandum supponunt plerumque IX. aut XI. qui hoc minus, VII. qui hoc plus, XV. Incubat tempestatibus dies XXX. tepidioribus XXV.* eadem graece habent Geoponica, nisi quod ibi dies ponuntur *viginti nouem* et *triginta.* Palladius: *gallinis sicut pauonina etiam anseris oua supponas.* Plinius: *incubanda subiici vtilissimum nouem aut vndecim. Incubant feminae tantum tricenis diebus:*

bus: si vero tepidiores sunt, viginti quinque. vbi Pintianus legendum esse monuit *vicenis quinis.*

7. *vrticarum*] Geoponica: *προνοητέον μὴ ὑπὸ κνιδῶν ἤ τινος ἀκάνθης νύσσοιτο.* Palladius: *sed anserina oua, ne noceantur, suppositis subiiciatur vrtica.* vbi Vincentius habet *sed anserinis ouis ne noceant.* Plinius X. sect. 79. *pullis eorum vrtica contactu mortifera, nec minus auiditas, nunc satietate uimia, nunc suam et vi — contra vrticam remedium est stramento ab incubitu subdita radix earum.* Is igitur locus lucundi emendationem videtur firmare, *radices* pro *herbae* legentis.

satis est] Vrsinus malebat *satis sunt.*

8. *decem primis diebus*] Varro: *Cum excudit, quinque diebus primis patiuntur esse cum matre; deinde quotidie serenum cum est, producunt in prata, item piscinas aut paludes.* Sed Geoponica cum Palladio decem dies ponunt. Pergunt Geoponica: *αὐδίας δὲ ἅσης ἐπὶ τὴν νομὴν προάγωμεν, καὶ ἐπὶ τὸ ὕδωρ τροφῆς ἤδη κεκορεσμένα προακτέον. προνοητέον δὲ μὴ ὑπὸ κνιδῶν ἤ τινος ἀκάνθης νύσσοιτο.* Palladius: *parui primis decem diebus intus pascendi sunt, postea sereno eos educemus.* vbi Vincentius habet scriptum: *parui semine papaueris primis decem diebus.* sic etiam Crescentius nisi quod *parui* omittit. Pergit Palladius: *vbi vrtica non fuerit, cuius aculeos formidant.* Papaueris mentio nulla hodie exstat in Columella, nec in Varrone.

abrumpat] Varro: *Folia eius* (seridis) *decerpentes dant, ne, si eo inegerint, vbi nascitur, aut obterendo perdant, aut ipsi cruditate pereant. voraces enim sunt natura. Quo temperandum iis, qui propter cupiditatem saepe in pascendo, si radicem prenderunt, quam educere velint e terra, abrumpunt collum. Perimbecillum enim id, vt caput molle.* Ex Varrone Plinius X. sect. 79. *quando apprehensa radice morsu saepe conantes auellere ante colla sua abrumpunt.* Sed Columella in Varrone videtur legisse *frutice*, non *radice;* neque enim *radicibus* reponere in Columella sinunt additae *solidiores* herbae. Varronianum *radicem* equidem probauerim; nam Varro et Columella de agro dicunt, vbi seris sata fuit in cibaria anserum, non de omni agro, aut herba radiceue quacunque.

9. *vicenos*] Varro: *iisque faciunt haras supra terram aut subtus, in queis non includant plus vicenos pullos, easque cellas prouident, ne habeant in solo humorem, et vt molle habeant substramen e palea aliaue qua re, neue qua eo accedere possint mustelae aliaeue bestiae quae noceant.* In Columella Vrsi-

Vrſinus legi volebat *adigi*, vel *adici*, vt eſſe ait in vetere Codice. Prius illud equidem probauerim, nam in Varrone pro *includant* libri optimi cum Creſcentio habent *inducant*.

gratiſſimum quoque] Veram puto Vrſini emendationem, legentis *aridiſſimum quodque*. Lectio Sangerm. *craſſiſſimum* nihili eſt. Deinceps pro *vipera* Vrſinus malebat legi *viuerra*, approbante Geſnero. Me vero coluber iunctus impedit, quominus viro docto aſſentiar.

10. *ſunt qui ordeum*] Varro: *Cum incubant, ordeum iis intritum in aqua apponendum; pullis primum biduo polenta aut ordeum apponitur, tribus proximus naſturtium viride conſectum minutatim ex aqua in vas aliquod.* Geoponica: ἅμα δὲ τῷ προελθεῖν τὰ νεόττια ἀπὸ τῶν ὠῶν, ἄλφιτα καὶ σῖτος διαβραχεὶς διδόσθω εἰς τροφὴν καὶ κάρδαμον χλωρόν.

11. *quatuor menſium*] Varro: *ad ſaginandum eligunt pullos circiter ſexquimenſe qui ſunt natu.* vbi legendum eſt: *pullos quatuor ſexue menſes qui ſunt nati.* Palladius: *quatuor menſium bene ſaginantur. nam melius in aetate tenera pingueſcunt.*

polentam et pollinem] Varro: *eos includunt in ſaginario ibique polentam et pollinem aqua madefacta dant cibum, ita, vt per dies ſaturent. ſecundum cibum large vt bibant faciunt poteſtatem. Sic curati circiter duobus menſibus fiunt pingues.* vbi legendum *ter in die* alii iam monuerunt. Palladius: *Polenta dabitur in die ter, large vagandi licentia prohibetur. loco obſcuro claudentur et calido. Sic maiores etiam ſecundo menſe pingueſcunt. nam paruuli ſaepe die trigeſimo. Saginantur melius, ſi ad ſatietatem milium praebeamus infuſum.* quo in loco inter verbum *large* et alterum *vagandi* excidiſſe quaedam apparet ex Columella. Geoponica: οἱ δὲ χῆνες λιπαίνονται ἐν οἴκοις θερμοῖς ἀλφίτων δύο μερῶν καὶ πιτύρων τεσσάρων θερμῷ φυραθέντων. — ἐσθίουσι δὲ τρίτον τῆς ἡμέρας καὶ περὶ μέσην νύκτα. πίνουσι δὲ δαψιλῶς. Grues et cycnos ſaginabant Romani conſutis oculis etiam, vt tenebricoſum locum imitarentur. Vide ad Varronem III. 2. 14.

pingueſcunt, etiam maiores] In vulgata vitium apertum eſt; arguit etiam ſcabioſa oratio et inepta. Ex Palladii loco paulo antea allato apparet, lectum olim h. l. fuiſſe, vt eum poſui. Triginta diebus pingueſcere ponunt etiam Geoponica, et poſtea ficis ingeſtis augere docent iecur. Ex antiqua lectione Edd. primarum facilius quam ex vulgata exiſtit correctio mea.

Cap. XV. *boſcides*] Varro III. 11. poſt anatum curam pergit: *Sunt item non diſſimilia alia genera, vt querquedulae, phalerides.* vbi male editur vulgo *phalarides.* Iam olim hoc noſtro in loco H. Stephanus maluit *boſcades* legi, quas nominauit inter anatum genera Ariſtoteles H. A. VIII. 3. vbi βοσκὰς anate minor dicitur. Sed ibi Codex Mediceus cum verſione Thomae βκσκὰς habet. Phalerides nominat Ariſtophanes Acharn. verſu 857. φαλαρίδας, ſed in Auibus verſu 566. φαληρίδας. Eaſdem nominat Plinius X. ſect. 67. Inter palmipedes cum anate et boſcade nominat φαλαρίδα Ariſtotelès H. A. VIII. 3. vbi tamen Thomae verſio habet φαληρίς. Sale conditas φαληρίδας commemorat Athenaeus IX. c. 11. Ex deſcriptione ibidem p. 395. poſita, et loco Kyranidum recte Conr. Geſnerus in libro de Auibus docuit, intelligi gallinae aquaticae genus; Fulicam Linnaeus dixit. Eiuſdem generis porphyrionem Graeci ornatus cauſa colebant. Diſputaui de vtroque genere copioſius in Promptuario Lipſienſi hiſtor. natur. anni 1786. p. 471 ſeqq. Querquedulae ad anatum genus pertinent; ſpeciem definire vix licet. Hoc omne genus aquatile et amphibium ſatis graphice deſcripſit. Nemeſianus verſ. 315 ſeqq. *Dant* (pinnas) *quae fluminibus craſſiſque paludibus errant, pellitoſque pedes ſtagnanti gurgite tingunt. Hinc mage puniceas natiuo munere ſumes: namque illic ſine fine greges florentibus alis inuenies auium, ſuauique rubeſcere luto, et ſparſos paſſim tergo vernare colores.* Ariſtophanes in Auibus 1148. iocoſe anates, zona diuerſicolore per alas ducta cinctas, comparat cum fabris, truam, de cinctura pendentem, ſed in dorſo, gerentibus: αἳ νῆτταί γε περιεζωσμένα, ἐπλινθοφόρεν, ἄνω δὲ τὸν ὑπαγωγέα ἐπέτοντ' ἔχεσαι κατόπιν, ὥσπερ παιδία. vbi Scholia zonam albam alarum memorant.

ſublimiter] Recte, puto, Lipſ. Codex *ſimiliter.* Varro III. 11. *Septum altum eſſe oportet, vbi verſentur, ad pedes XV. — omnes parietes tectorio laeuigantur, ne feles aliaue quae beſtia introire ad nocendum poſſit, idque ſeptum totum rete grandulis maculis integitur, ne eo inuolare aquila poſſit, neue ex ea euolare anas.*

2. *viuerra*] Ita emendauit ex veſtigiis lectionis *vierra* Victorius, quod viperam in altum eniti poſſe non credebat, quod tamen fieri poſſe operoſe contra docuit Seuerini in Epiſtol. medicin. Centur. I. p. 179. Thomae Bartholini. Viperam tamen quod timeat tantum anas, non eſt, quantum viuerram, quae vt congeneres muſtelae occiſarum auium ſan-

ſanguinem exhauriunt, multaſque vna nocte interficiunt. Igitur probo Victorii emendationem cum Geſnero.

3. *influere*] Varro: *quae in eo ſepto erunt piſcinae, in eas aquam large influere oportet, vt ſemper recens ſit.* et paulo antea: *vbi ſit naturalis aut locus aut ſtagnum, aut manu facta piſcina, quo gradatim deſcendere poſſint.* Ora lacus veſtibula dixit. Ita enim eſt ibi: *ante eas veſtibulum earum exaequatum tectorio opere teſtaceo.*

inſtar modi] Soli ſeu fundi piſcinae duae fere partes in circuitu lapidibus inculcatis et tectorio muniuntur, ne intercreſcens herba natatum liberum anatum impediat; in media fundi parte inſula effingitur, conſita herbis variis.

4. *media terrena pars*] Geoponica XIV. 23. ἐν μέσῃ τῇ δεξαμενῇ σπαρτέον ἄγρωστιν.

inopacant] Malim *inopacent* legi.

tamaricum] Μυρίκην παρὰ λίμναις καὶ τοῖς στασίμοις ὕδασι naſci tradit Dioſcorides I. 116. de qua re vide Bodaeum ad Theophr. p. 408.

ſirporum] Variat ſcriptura. Libri enim multi *ſcirporum.* Ita etiam in compoſitis *ſirpiculum*, *ſirpea*, *ſirpare.* Graece dicitur φλέως et στοιβή. Galenus in Gloſſario φλέω. Φρυγανῶδές τι ἐστὶ τοῦτο καὶ πανυρῶδες φυτὸν, ὅπερ καὶ πλεκόμενον περιτίθεται τοῖς ἐλαιηροῖς κεραμίοις. Reſpexit locum Hippocratis Libro I. de natura muliebri: ἀπ' ἀμφορέως ἐλαιηροῦ τὸ περίθεμα τὴν στοίβην ὑποκαίων. Vaſcula igitur olearia ſirpabantur olim, vt lagenae vitreae apud nos. Hinc explicabis locum Varronis apud Nonium in Cupa: *Cupas vinarias ſirpare noli.* Scilicet in vaſis maioribus id non fiebat, quod in minoribus, ne facile frangerentur vtendo, vel potius cupae ex tabulis fiunt. De vrnis ſparteis vide ad Caton. XI. 2.

5. *quo irrepant*] Vulgo *vbi.* Sang. *qui.* vnde effeci *quo*, quod et ſententia et Columellae elegantia poſtulat, ne *vbi* ſtatim repetatur.

pedalia — cubilia] Verbum *innidificant* pro *nidificant* ex Sang. dedi, quod ſolus Gronouius annotauit. Varro: *circa totum parietem intrinſecus crepido lata, in qua ſecundum parietem ſint tecta cubilia. Ante ea veſtibulum exaequatum tectorio opere teſtaceo. In eo perpetua canalis, in quam et cibus ponitur iis, et immittitur aqua; ſic enim cibum capiunt.* Geoponica XIV. 23. τροφὴν δὲ εἰς ὀχετὸν ὕδατος ἐμβλητέον σῖτον ἢ κέγχρον ἢ κριθὰς ἢ γίγαρτα πεφυραμένα. διὰ δὲ χρόνου τινὸς, καὶ καρίδας, καὶ ὅσα λιμναῖα ἢ ποτάμια τούτοις παραπλήσια εἰώθασι λαμβάνειν.

6. *eſca*

6. *esca terrestris*] Varro: *Pabulum iis datur triticum, ordeum, vinacei, vuae. nonnunquam etiam ex aqua cammari et quaedam eiusmodi aquatilia.* vbi vocem *vuae* delendam esse vidit etiam Pontedera. Glandem miror a Columella praeberi anatibus, inprimis non adeo domesticis, quam nostrae sunt. Ille enim suas e feris educauit. Alias enim auis est omniuora fere.

aquatilis autem cibi] Hanc lectionem, quam Vrsinus coniectura fuit assecutus, ex Sang. annotauit Gronouius. Vulgo erat *aquatilibus a. cibis, si sit facultas.*

riualis alecula] Approbo Vrsini emendationem *vilis alecula* legentis. Nam alex marinus est.

7. *eadem quae ceterae*] Vulgatam *eademque* iam olim monente Vrsino emendauit Gesnerus; *ceterae* vulgato *ceteri* ex libro Sangerm. substitui.

circa paludes] Geoponica: *οἱ δὲ βυλόμενοι μᾶλλον ἔχειν αὐτὰ ἥμερα, ζητήσαντες ὠὰ περὶ τὰς λίμνας καὶ τοῖς ὄρνισιν ὑποθέντες ἀναθρεψάμενοί τε ἡμέρους ἕξουσι.*

Cap. XVI. *mugilem scarumque*] Vrsinus ex Varronis loco III. 3. quem Columella respexit, et vetere Codice *squalumque* legi volebat, quoniam Claudii demum aetate scaros litore Italico illatos et disseminatos fuisse refert Plinius IX. sect. 29. cum quo facit noster infra capite hoc ipso sect. 9. vbi veluti peregrinum scarum memorat. Itaque post Columellam demum scarus Italico litori illatus fuit. Vide Histor. litterar. Piscium a me editam p. 86. Certum igitur est, male h. l. scarum nominari. *Squalum* ex Varrone restituere dubitaui, quoniam et ibi Edd. quaedam habent *scaros;* in Columella libri alii *scaurum* nominant, plane ignotum piscem. Verum etiam squali naturam prorsus ignoramus, vt docui in Histor. litter. pisc. p. 10. Varronis locum hunc cum expendo, videtur mihi cum mugile ad fluuiatiles pisces pertinere. Post memoratos enim mugiles et spualos, piscina dulci inclusos, et lupum, e fluuio desumtum, addit: *nostra aetas luxuria — piscinas protulit ad mare et in eas pelagios greges piscium reuocauit.* Itaque pelagiis piscibus mugiles et squalos opponere videtur, nisi velis pelagios intelligi, ex alto mari sumtos, contra mugiles et squalos ex mari in stagna et fluuios subeuntes et aquam dulcem piscinae tolerantes. Verum ab initio agricolae pisces sine dubio solos fluuiatiles piscinis dulcibus inclusos coluerunt, et demum luxuria latius propagata de marinis partim dulcibus piscinis partim marinis includendis cogitarunt. Huic opinione fauet libro-

rum

rum lectio: *vt etiam dulcibus aquis fluuiatiles clauderent pisces.* Primum ad luxuriam sequentem gradum facit eum, vt semina marina in lacus dulces conueherentur; deinde demum maria ipsa eum piscibus marinis inclusa fuerunt, Verum etsi haec omnia satis probabiliter mihi dici posse videntur, in Columella tamen memorantur inprimis verba *adeo quidem vt etiam*, quibus marinos pisces inclusos iam tum fuisse dulcibus aquis significare velle videtur. Praeterea mugilem fluuiatilem aut lacustrem nemo veterum memorauit; sed mugilem tradunt ostia fluminum et stagna subire; ideo piscinarum dulcium aquas facile tolerabat.

2. *Velinus*] De quo vide ad Varronem III. 2. 3. Plinius 36. s. 49. *et alibi silices in Tarquiniensi Anicianis lapicidinis circa lacum Volsiniensem.* vbi Vitruuius II. 7. *Vulsiniensem* nominat. Volsiniense similiter vocat Plinius III. s. 8. et Volsinios vrbem Etruriae.

Sabatinus] Gesner de varia scriptura nominis laudavit Bynkersh. Observ. VI. 20. qui cum Cluuerio statuerit vocari hodie *Lago di Bracciano.* Sabatinam tribum Festus ait a lacu Sabbate dictam. Vada Sabata in ora Genuensi dicta stagna Sabatia vocat Silius VIII. 491. Lacum Sabatinum nominauit etiam Frontinus de Aquaed. p. 133. vbi situm accurate definiit Polenus. Ceterum Heinsius ad Virgilium ex Sang. laudauit *Volsiniensis — auratosque.*

Ciminius] Ita recte Sangerm. Vulgo *Ciminus.* Plinius II. sect. 98. *ad aras Mucias in Veiente et apud Tusculanum et in silua Ciminia loca sunt, in quibus in terram depacta non detrahuntur.* vbi recte Vincentius Sp. natur. VI. 25. *extrahuntur.* Virgilius Aeneid. VII. 697. *et Cimini cum monte lacus.* Ciminiam siluam commemorat etiam Liuius libro nono. Dicitur esse hodie prope Viterbum *Lago di Ronciglione.*

3. *vt iam tum*] Vulgo *et iam cum — circumfertur.* Pontedera ex vestigiis veterum Edd. emendari volebat: *etiam tum auorum memoria cum circumferretur.* Equidem propius a vero me abesse censeo. Heinsius ad Velleium p. 11. ed. Burm. ex Sangerm. legit *iam tum auorum memoria cum circumferretur.* Porro *locupletium* ex Sang. annotauit Gronov.

luxuriosissimi] Vulgatam *luxuriossimum* postposui el lectioni, quam offerunt duo libri optimi. Dictum luxuriosum non aeque bene ac factum dici mihi videtur. Deinceps Nic. Heinsius loco supra laudato malebat: *factum aeque ac dictum — factum dicto prosecutus pari.* Ceterum ex Sang. lectionem hanc memorauit Gronouius: *iam tum quorum memoria*

moria circumferretur M. Ph. — luxuriose f. a. d. n. is f. Cassini.

flumine] Varro III. 3. *non Philippus cum ad Immidium hospitem Casini diuertisset, et ei e vicino flumine lupum piscem formosum apposuisset, atque ille gustasset, et expuisset, dixit, peream ni piscem putaui esse.* vbi Victorium secutus Gesner male edidit *e tuo flumine.* Scilicet lupus hic est marinus piscis, Graecis λάβραξ, perca labrax Linn. qui fluuios subire amat. Hinc probabatur maxime, qui Tiberis aduerso torrente defatigatus fuisset ascendens ex mari, et praecipue is, qui inter duos Tiberis pontes captus fuisset, teste etiam Horatio Serm. II. 1. 31. *lupus hic Tiberinus an alto captus hiet; pontes ne inter iactatus, an amnis ostia sub Tusci.* Ceterum Brusch. *experuisset* habet.

4. *defatigasset*] In libro Sangerm. esse *aduerso flumine defetigasset* testatur Burmann ad Suetonium I. p. 142. *Flumine* equidem probo, sed antiquum *defetigasset*, quod in Suetonio etiam Codex Memm. offert, reprobo cum Burmanno.

rhinton] Varro III. 3. *Quis contra nunc Rhinton non dicit sua nihil interesse, vtrum iis piscibus* (squalis et mugilibus) *stagnum habeat plenum an ranis.* De Rhintone dicam ad Varronem, ex quo restitui lectionem *dicant* pro vulgato *ducant*, approbantibus Edd. vetustis. Vocabulum *nebulo* forte ab interprete fuit adiectum. Vocem *sua* deleri voluit Vrsinus; rationem non addidit.

5. *et ipse — quadringentorum*] In Catone laudatur, quod piscinas pupilli sui Luculli non retinuit ipse, sed venditauit. Igitur copula *et* delenda mihi esse videtur. Deinde pretium ita definiri vult Vrsinus, vt *quadragies sestertium* legatur. In Plinii loco IX. sect. 80. *Quadragies HS. piscinae a defuncto Lucullo veniere pisces.* Libri scripti similiter variant; alii enim *quadraginta* habent, vt in Varrone III. 3. et Macrobio Saturn. II. 11. Tres numeri illi, quos libri scripti exhibent in Plinio, Varrone, Columella et Macrobio decima summae totius parte differunt; et difficile est optare inter *quadragies Sestertium* et *quadringenta millia sestertium.* Nam tertius numerus *quadraginta millia sestertium* aperte nimis paruus et falsus est. Ceterum in Columella *pisces* non *piscinas* ex Varrone legi malebat Pintianus ad Plinium.

ad mare deferrentur] Ex Varronis loco: *luxuria piscinas protulit ad mare* Vrsinus legi malebat etiam hoc in loco *ad mare proferrentur.* Vulgatum *a mari deferrentur* ineptissime defendebat Gesner; equidem *deferrentur* tueor.

Quae-

Quaecunque enim versus mare portantur, graece κάτω φέρεσθαι, latine *deferri* dicuntur.

6. *iudicarentur*] Debet esse *iudicentur*. Deinde *iam* inclusi, suadentibus libris optimis.

7. *Planum*] Pisces in longos et planos distribuit etiam Plinius IX. sect. 36. Quos nominat Columella deinceps, pertinent hi omnes ad pleuronectas Linnaei, qui vno in corporis latere colorato oculum vtrumque positum habent, altero pallido.

purpurarumque] In Edd. optimis deest sequens *tum*, praeterea nihil varietatis libri offerunt in loco aperte vitioso. Vocabula enim *purpurarumque concharum* quo referantur, non habent, praeterea purpurae male post ostrea, ordine praepostero nominantur, cum deberent post conchylia, et murices poni. Omnia enim haec genera turbinata sunt. Contra conchae biualues, pectunculi forte et balani et sphondyli vniualues. De sphondylis enim omnia dubia sunt.

8. *Punicas*] Vitium in confesso est. Nonius de Re Cibar. III. 22. non inepte emendabat: *phycidasque et iulidas vmbrasque*. Vrsini coniectura, legentis *punicasque et indigenas vmbras*, vana est. Nemo enim vmbras punicas nominavit scriptorum veterum.

9. *faber*] Plinius IX. c. 18. *Zeus idem faber appellatus, Gadibus principatum obtinet*. qui locus lectionem librorum optimorum confirmat, quam substitui vulgatae: *qui et in nostro Gadium municipio generosissimis piscibus adnumeratur*. Nomen Zeum Gaditanum, ab origine graeca, quam praeseferet soni similitudo, plane alienum esse puto. De natura eius piscis vide Histor. litter. pisc. p. 117. Ceterum scripturam Codd. *zaeum* non spernendam esse, docet Hesychii Ζοῦος, εἶδος ἰχθύος.

scarus] De Scaro et elope loca veterum scriptorum collata vide in Histor. paulo antea nominata. Nihil enim, quod adderem, reperi postea, nisi locum Quinctiliani V. 10. sect. 21. *et piscium quoque genera alia planis gaudent, alia saxosis, regionibus etiam litoribusque discreta sunt, nec helopem nostro mari aut scarum ducas*. vbi Codex Gothanus *holopem* et cum Iensoniana *scaurum* habet.

10. *Tartesii*] Vulgatum *Tarsensis* damnauit iam olim Nonius de Re lib. III. 17. et *Tartesii* legi voluit. Eandem emendationem ex lectione libri Sangerm. *parte sit pelagi* repetiit Oudendorp ad Suetonii Vitell. c. 13. et Wesseling. ad Diodori Siculi T. II. p. 472. qui locum Suetonii cum Budaeo

daeo ita legit: *Muraenarum lactes a Carpathio vsque fretoque Hispanico petitarum commiscuit.* Aristophanis in Ranis versu 478. μύραινα Ταρτησία.

Cap. XVII. *construitur*] Supra cap. 15. f. 3. ora lacus opere signino consternuntur. Sic saepius variant libri in verbis sternere et struere. Infra IX. 1. 2. *signino lacus consternuntur.* vbi Edd. primae *construuntur* habent.

2. *riget*] Vrsinus malebat *viget.* Contra Gesner *rigoris quam recentissimi aquam* ex libro IX. 17. 4. attulit, quam tamen equidem recentissimi frigoris potius esse debere putauerim. Igitur probo emendationem Vrsini, et *vigere* ita opponitur aquae *pigrae, stanti et stagnanti.* Sed ex Sang. *influentem gurgitem riget, haberi,* annotauit Gronouius.

rabie] Primum muraena squammosis piscibus opponitur, quia cum congeneribus anguilla et congro squammas minus conspicuas cutemque laeuem et lubricam gerit. Deinde rabiem Rhodius ad Scribonium Comp. 171. interpretatur hyperbolice dictam de mordacitate, quoniam rabies vera in animal aquaticum non cadat. Aceti gustu praecipue in rabiem agi muraenam, tradit Plinius, sed eam rabiem recte interpretatus est L. Th. Gronouius in Comment. ad Plinii libr. IX. p. 88. Eadem rabie exagitari licet dicere anguillam et petromyzontes sale perfricatos. Morsum muraenae, eius symptomata et remedia memorant medici graeci, Aetius cap. 38. Nicander Theriac. vers. 825 seqq. Plinius 32. sect. 20.

4. *cuniculis riui perducantur — veniant*] Hanc edit. vetustarum lectionem vnice veram puto esse. Vulgatam *cuniculus riui perducatur — veniant* ineptam esse quis non videt? Non cuniculus riui perducitur in piscinam, sed rivus aquae marinae perducitur cuniculis. Nec iuuat quod Morgagni *veniant* mutari voluit in *veniat,* vt concineret verbo *perducatur*, sed vulgaris lectionis ineptiae augentur ita. Pontedera malebat: *intra duos a summa parte cuniculos riui perducantur.* quasi *duos* in vulgata non haberet, quo referretur. Intellige pedes.

freti] i. e. aestus, feruoris maris. Ita scilicet fretum aetatis et adolescentiae dicitur. Vide Gesnerum ad Claudianum R. P. III. 444. p. 605.

5. *opaciores*] Brusch. *operaciores.*

et difficulter] Sangerm. lectionem ita annotauit Gronov. vt in eo libro etiam *et* omittatur; quam rationem et ipse magis probo.

6. *simi-*

6. *similes velut*] Vrsinus malebat *simplices*. Recte, puto; nam similes quo referatur non habet, nisi fluxuosos recessus, quos tamen vitandos esse monet Columella, eisque adeo similes cellas.

refugientes] In Sang. *refugientis* esse monet Gronovius, qui exinde *refulgentis* efficiebat.

herbis algae] Inepte dicuntur *herbae algae*. In libris scriptis *verbenis algae* est. quam lectionem recipere dubitavi, quod, etsi verbenam de vario herbarum genere dici noui, de algis tamen nullibi hucusque legi. Forte alia lectio in eo vocabulo latet. Ex Sangerm. Gronouius non *veluenis algae*, sed solum *veluenis* annotauit.

7. *ferat regio*] Supplementum duorum Codicum egregiorum: *oportet si quis in ea* quo pertineat, nondum investigaui.

8. *pelagios*] Qui ex libris optimis h. l. praetulit Gesner, infra tamen sect. 14. *pelagici* non tetigit.

et si videmus scopulosum] Vulgatam: *si vitemus scopulos, an probemus* ineptissimam silentio praetermisit Gesner. Recte tamen Vrsinus vitium animaduertit, et legendum esse censuit: *si videmus scopulosam, probemus*. Equidem lectionem Sangerm. reposui, nisi quod *scopulosum* aptius putaui. Brusch. *videmus copulos*.

mugilis] Martialis X. 30. *Si quando Nereus sentit Aeoli regnum, ridet procellas tuta de suo mensa: piscina rhombum pascit et lupos vernas; natat ad magistrum delicata murena, nomenculator mugilem citat notum, et adesse iussi prodeunt senes mulli.*

mustelas] Ex graeco γαλεοί. Sed quae sint, ignoramus. Vide tamen Histor. literariam Piscium, vbi de lupi variis generibus dixi.

flutas] Codicum *plautas* fluxit ex graeco πλῶτας. Vide Histor. liter. Pisc. p. 44.

sunt alia] scilicet genera, quod fortasse excidit. Vulgaris lectio *sint aliae — quarum* nullo modo tolerari poterat. *Alia quorum* recte etiam corrigi voluit Vrsinus. Ceterum genera intelligi patet ex sequenti *nam vile quidem — Possunt ista eadem genera*.

9. *lutescunt*] In Sang. esse *lita sunt* annotauit Gronovius. In Furio poeta reprehendebat olim nescio quis apud Gellium XVIII. 11. versum *caua terra lutescit* ob verbum *lutescere*, haud scio an recte. In Columella propter limum coenumque praeferrem lectionem Sangermannensem.

iacentibus] i. e. planis piſcibus, in fundo ſemper iacentibus et raro et obliquis nantibus, quos noſtri, vt olim graeca antiquitas, piſces dimidiatos vocant.

neque eadem] Ita vulgatam: *atque eadem — cibaria et proſtratis — et erectis — ſimillimis* corrigendam eſſe viderat etiam Geſner. Piſces proſtrati et cubantes opponuntur erectis, ſeu vt Sangerm. habet *rectis*, et ſunt plani, quos deinceps nominat auctor.

profluo] Ex Edd. primarum *profundo* et Sang. *frundi* (ita enim annotauit Gronouius) legendum ſuſpicor *profundi*, videlicet maris.

10. *moles*] Genus aggerum, quod hodieque Itali *molo* vocant mari oppoſitum; Graeci χῶμα.

11. *tranſmittant*] Ita plane eſſe in Sang. teſtatur Gronouius. Deinceps idem *nam quae dentibus carent*. Molliores quidem dentes gerunt piſces plani, quam ſaxatiles et recti, qui dentibus adeo duriſſima conchylia confringere valent.

12. *ſardinam*] Vulgatum *ſardiniam* correxi. σαρδίνες et χαλκίδες vna nominat Epaenetus apud Athenaeum VII. p. 328. Putris eſt eadem, quae exeſa ſalibus chalcis. Rectum *ſardinam* habet Sang. qui deinceps *ſarorum branchiam — palemis — et laptae venterculos* habet. Ex branchiis et inteſtinis thynnorum cum ſanguine ex aceto conditis garum fiebat, quod μέλαν αἱματίον dicebatur. Geoponica XX. 46.

carcharique] Videtur eſſe ſqualorum ſpecies, carcharias alibi dicta. Vide Hiſt. liter. Piſc. p. 139. κάρχαρον ῥῆτορα habet Lucianus de mercede conductis c. 35. idem multis aliis in locis καρχάρες homines memorat.

elacatae] Helacatenas inter marinos piſces nominat Plinius 32. ſ. 53. Athenaeus VII. p. 301. ἠλακατῆνες ἰχθῦς κητώδεις ἐπιτήδειοι εἰς ταριχείαν. Sed Euſtathius ad Odyſſ. p. 64. ed. Baſil. ἠλακατῆνες ἰχθύες ἤτοι θαλάσσιοι κωβιώδεις ταριχευόμενοι, ὡς φησι Παυσανίας. At ſi gobii figuram et magnitudinem habent, cetacei dici non poſſunt commode. Mneſimachus apud Athenaeum IX. p. 403. ἠλακατῖνον vocat piſcem; contra Feſtus *elacatena* genus ſalſamenti ait eſſe, quod vulgo appelletur *melandrya*. Eſſet igitur pars aliqua piſcis conciſi et ſaliti cetacei.

exeunt] Vix ſanum puto eſſe verbum.

13. *viridis — vnedo*] Inepte vulgo *viridibus*, quaſi aut omnia poma ſint viridia, aut ſemper viridia tantum praeberi conueniat piſcibus. In ficu matura etiam viridis color conſpici-

ſpicitur. Deinceps vulgatum: *et nuces digitis infractae ſunt dandae* ex Polit. libri lectione correxi. Quid enim nuces inter poma includae ſibi volunt? et quis eas ad cibos ſorbilibus proximos retulerit? In libro ſcriptum eſt: *infractus vinedo*, quod de fructu forte arbuti probandum erat. Eodem enim nomine arbor arbutus eiuſque fructus dicitur, illa forte genere foemineo, hic maſculo. Graeci fructum μεμαλάκυλον dicunt, vulgo contemtum. Deinde etiam vulgatam lectionem *elixum* expuli et reſtitui *eliſum* ſeu conquaſſatum. Elixum enim ſorbum cibum non ſorbili proximum, ſed ſorbilem praebet. Et ficus modo aperta praebetur; vnedo digitis infracta; quid igitur opus ſorbum elixare? Nunc video emendationem meam confirmari lectione Sangerm. a Gronouio annotata. Obiter addam ex Plinio XX. ſect. 44. piſces ſi aegrotent in piſcinis, apio viridi recreari. Sed Cornarius ad Galenum de Compoſit. Medic. ſec. loca p. 340. docuit ex Galeno, vnedonem a Romanis appellatum fuiſſe fructum epimelidis, de quo vide ad Palladium Decembri 4. et Plinium erraſſe.

e mulctra] in ipſa mulctra lac concreſcere patitur noſter VII. cap. 8. ſect. 3. Vide ad Nicandri Alexiph. verſum 310.

14. *ſaxatiles aut pelagici*] Ex Sangerm. pro *pelagici* Erneſti retulit *peſci*. Sed Gronouius hanc eius annotauit lectionem: *pelaſii* (vel *pelaſci*) *ſatis et his, ſed et recentibus*, vnde corrigo: *pelagii ſatis et his, ſed et recentibus*. Pelagicos enim piſces idem Codex iam ſupra fecit *pelagios*. Deinceps pro *cammarus* optimae editiones *cantariis*, recte puto. Cammarus enim ad teſtacea pertinet genera; cantharus contra ingratus ſucco piſcis et vilis eſt. Cf. Hiſtor. litter. Piſc. p. 91. Hiemis ſaeuitia eſt de tempeſtate. Horatius Serm. II. 2. 17. *defendens piſces hiemat mare*.

15. *temporis poma*] ſc. eius. Expreſſiſſe videtur graecum καὶ εἴ τις ὥριμος καρπός.

eximie] Ita recte pro *eximia* voluit legi Geſner, vt ſect. 1. ſtagnum eximie optimum. Deinceps ex Edd. optimis et Sangerm. libro *regionibus* reſtitui. Vulgo *regionum* quod reiecit etiam Pontedera, qui tamen malebat reliqua diſtinctione adiuuare, legens: *obiiciatur eximia, ſi ſit largitas*. Geoponica X. 1. cibant piſces incluſos herba tenerrima, piſciculis, branchiis et inteſtinis maiorum piſcium, ficubus mollibus diſſectis, caſeo recenti, caride, gobio, panis furfurei offis et ficubus ficcis contuſis. His ſcilicet bene nutriri aſſerunt piſces pelagios et ſaxatiles. Vbi cariis e

testaceorum seu canororum genere forte defendere cammarum Columellae quibusdam videbitur.

redibimus] Non inepte Gesnerus emendabat *reddemus* omisso *ad*; neque enim de silvestri pecore adhuc tractauerat auctor. Huc ducit lectio librorum optimorum *rediemus*.

COMMENTARIVS

AD

LIBRVM IX. COLVMELLAE.

Praef. *subus feris*] Librorum optimorum lectionem *subus feris* probaui cum Pontedera et Victorio; Columella enim veterum viuaria parua et paruis pecudibus repleta intelligi voluit, in quibus adeo Varro III. 3. adhuc aprum, capream et leporem tantum memorat. Praeterea etiam glires et cocleas olim saginabant in gliraria et cochlearum viuariis, quorum vsus exoleuisse videtur aetate Columellae.

2. *pomariis*] Nescio cur Vrsinus *aluearis* aut *apiariis* malebat. Idem rectius deinceps *inscripsimus* emendat. Equidem h. l. malim *vel protecta porticibus ac in pomariis*. Ita infra c. XIV. l. 14. *et quamuis protecta porticibus nihilominus — supertegemus*. Porticus enim sunt omnes protectae, certe a superna parte.

tituli quem scripsimus huic disputationi] Recte I. Fr. Gronouius ad h. l. monuit, alium huius libri titulum fuisse olim quam qui nunc inscriptus exstat. Scilicet is olim fuisse videtur, quem in varietate lectionis ad extremum librum VIII. posui: *L. Iuni Moderati Columellae Liber IX. de villaticis pastionibus Macellarius et Apiarius*. Idem de reliquorum librorum titulis volo dictum, quos veros seruauit liber Polit. et Sangerm.

Cap. I. *capreoli*] Distinxit igitur capreolum veluti maiorem a *caprea* Praef. 1. memorata. Et Martialis XIII. 99. pendentem summa de rupe capream nominat. Idem dorcadem ibidem epigr. 98. veluti paruam pecudem puero donat delicias. Mansueta igitur fuit. Quae caprea sit veterum, difficile est dictu; videtur tamen esse aut Antilops rapicapra, *Le Chamois*, *Gemse*, aut Capra ibex, *Bouquetin*, *Steinbock*. Capreolus est is, quem hodieque ita appellamus; dorcas esse videtur ex Moschorum genere, iam olim Aristoteli nota.

orygum]

orygum] Plinius vnicornem et bisulcum orygem vocat XI. sect. 106. Idem feram Aegyptiacam appellat II. f. 40. cum Aeliano VII. 8. et Damascio apud Photium Codic. 242. p. 1048. Plinius VIII. f. 80. *sunt et oryges soli quibusdam dicti contrario pili vestiri et ad caput verso. Sunt et damae et pygargi et strepsicerotes multaque alia dissimilia — haec transmarini situs mittunt.* Vbi damae videntur esse diuersae a vulgo dictis damis, quas Italiae indigenas tum fuisse probabile mihi fit. In Libyae Nomadibus ferae ὄρυες dictae nominantur ab Herodoto IV. 192. magnitudine boum, ex quorum cornibus citharorum punicarum cubita efformabantur. Ignorat igitur Herodotus orygem vnicornem; alias enim addidisset indicium rei singularis. Easdem enim puto intelligi, quae illi dialecto ionica ὄρυες dicuntur, vulgo autem ὄρυγες. Africae arenosae et sitientis feram orygem facit etiam Plinius X. sect. 94. et ex memoratis corporis vesicis, aqua repletis, quam latrones sitientes expetunt, intelligitur, esse animalium ruminantium ex ordine, quae aquam ingestam in ventriculum vnum diu conseruant. Plures autem habent ventriculos. Ὀρύγων πῶλος, orygum pullos ex Aristophane, Grammatico Alexandrino, memorat Aelianus VII. 47. Idem X. 28. Aegyptiacos Serapidis cultores orygem odisse refert. Oryges indicos habet Idem XIII. 25. adeoque quadricornes eos XV. cap. 14. Horapollo I. 46. orygem aquam, vnde sit bibiturus, turbare ait. Gaetulum orygem nominat Iuuenalis Satyra XI. Cornibus eius, duritia et acumine hastas referentibus, pugnare Aethiopes refert Agatharchides in Geogr. Minoribus Hudsoni I. p. 42. et elephantum orygis cornu vasto transmissum memorat Lampridius historicus. Martialis XIII. 95. saeuum orygem in circo spectatum et ab eo multos canes occisos memorat. Inter esculentas feras orygem recenset etiam Athenaeus libro V. Plinii locum de orygis pilo contrario repetiit Macrobius Saturnal. libro 3. Orygem ab Oppiano II. 445 seqq. descriptum a reliquorum scriptorum oryge distinxit Cl. Pallas Spicileg. Zoolog. XII. p. 63. sqq. qui orygis historiam antiquam satis accurate tradidit et comparata natura rerum illustrauit. Aristoteles H. A. II. 1. orygem vnicornem et bisulcum iuxta asinum indicum vnicornem memorat, ex aliorum fine dubio traditione. Miror Columellam orygem nullo adiecto vocabulo, patriae indice, inter animalia vernacula, viuario inclusa, memorare, quasi longa iam vsu oryx fuerit tum cognitus et in coenarum vsum allatus ex Africa magna copia sobolem progenerauerit in Italia.

2. *defuit aqua*] Edd. quaedam *defuerit*. Infra cap. IX. sect. 2. similiter est: *sin autem defuit custos — peregrinam petit*, vbi expectabas *deest*. Vide Gronouium ad Senecam Epist. 114. p. 240.

Signino consternuntur] Edd. I. B. R. *construuntur*. Ita VIII. 15. 3. ora locus opere Signino consternuntur; at cap. 17. 1. stagnum construitur opere Signino. Vtrumque bene dicitur, sed lacus consternitur, si solum signino opere, construitur, si solum cum lateribus munitur.

haud dubie caementis] Sang. *Modus siluae vt pro cuius facultatibus occupatur — suadet, ita, vt dubiis*. Atque ita fere Polit. liber; vnde legendum suspicor: *Modus siluae vt pro cuiusque facultatibus occupatur, si lapidis et operae vilitas suadet, ita haud dubie.*

latere ac luto] Sangerm. *lateri*. Malim *lateri aut luto*; atque esse puto de formaceis parietibus luto cum lapidibus permixto structis, de quibus vide ad Varronem I. 14. §. 4.

3. *robore*] Pontedera cum libris scriptis praeferebat lectionem *robore querceo vel subereo*. putabatque Columellae *roboris* nomen esse genericum, et complecti quercum, ilicem, fagum etc. cum Plinius a quercu distinguat. Roboreos asses habet Columella VI. 19. 1. et cap. 30. 2. roboream materiem XI. 2. 13. a pino, fraxino, cupresso, abiete et populo distinguit. Idem IV. 26. 1. praecipua ridicae cuneis fissa olea, quercus et suber, ac si qua sunt similia, robora, tertium locum obtinet pedamen teres. Qui postremus locus inprimis sententiam Pontederae comprobat; quare vulgatam mutaui, quae habebat: *robore, quercu vel subere*. Hodie tamen incolas Cisalpinae Galliae cum Plinio robur a quercu distinguere vocabulo *Rouere*, monet ipse Pontedera.

et siue teres] Vulgatum *si veteris*. recte emendauit Vrsinus, qui praeterea deinceps *perforatur* malebat legi. Similiter in loco nostri IV. 26. 1. pro *pedamen teres* Edd. I. B. R. habent *pedamenta res*.

postulauit] Ita recte libri optimi pro vulgatis *postulat, erit*. Contra I. Fr. Gronov. malebat *postulabit*.

certis — spatiis] Ex Sang. *tertiis — spatiis* annotauit Gronov. quam lectionem non intelligo.

amites] Ita solus liber Sangerm. Vulgo *ramices*. Illo vocabulo vsus est Palladius Sept. 12. Iun. II. 3. Deinde appellat feras, quia obserant exitum pecudi. Longurios Varro I. 14. 2. vbi vide. Festus in *reserare: sera namque dicuntur fustes, qui opponuntur clausis foribus.*

vacer-

vacerras inter pedes] Vrsinus malebat *vacerras tres inter pedes*. Sed ita spatia nimis angusta pro ratione rustica intercedere recte monet Gesner. In Sangerm. *vacceras* legi monet Gronouius.

4. *sicuti Galliorum*] Vrsinus emendabat: *sicut in Gallia Alpina nec non et in* etc.

5. *arboreis*] Male libri quidam *arboribus*. Foetus h. l. sunt fructus omnes, et germina terrae adeoque gramina, frutices et arbores comprehendunt. De prouentu vuarum Palladius Nouembr. 9. foetuum pauperies. De ouis Columella VIII. 11. 8. et cap. 14. 6.

frugibus roburneis] Fruges saepe dixit pro fructibus arboreis, et arbores frugiferas pro fructiferis. *Roburneis* forma mihi insolita accidit, cum alibi Columella *roboreus* dixerit. Ceterum roburneae seu roboreae fruges etiam h. l. querceam, iligneam et reliquarum arborum similium glandes comprehendunt.

cerreae] Male libri quidam *acernae* et *acerreae*. Ad glandiferas arbores cerrus, non acer pertinet.

cohortalibus subus] Sangerm. *subus* habet; recte, puto. Nam Columella has arbores enumerault VII. 9. 6. cum de suibus domesticis traderet. Igitur vulgatum *pecudibus* correxi.

6. *adoreo farre*] Hoc loco frumentum integrum far adoreum intelligi puto, non mola infractum adoreum. Nam far ita etiam dici supra vidimus. Deinceps ante *quicquid* deleui vulgo interfertum *et* ex auctoritate librorum vetustorum.

7. *sed cum etiam*] Melius legi puto *sed etiam cum*. Deinceps Sang. *educant*. Paulo post *effoetae sunt* Sangerm. pro *sint*.

ferae intubi] Ita recte scribi iusserat Vrsinus pro vulgato *fere*. *Intubae* etiam I. B. R. editiones; sed Columella vbique intubum dixit genere neutro; hinc malim etiam hoc in loco *feri*. Ex Sang. *farragini* annotauit Gronouius.

Cap. II. *curam*] Minor in hoc libro Columellae apparet diligentia, quippe qui disciplinam hanc apum omnem ex Hygino et Celso transtulisse, ipse vero nunquam exercuisse videatur. Igitur multis eam partibus mancam reliquit, nec ea perspicuitate, vt agrorum culturam explicuit. Geoponicorum liber decimus quintus pleraque ex Aristotele et reliquis, quos hodieque terimus, scriptoribus repetiit, perpauca sane, nec vlla cum subtilitate tradita. Ceterum ex

Sang. vulgatum *alueorum curam* correxi; ex qua deinceps *Higino* ſcriptum laudauit idem Gronouius.

quam Virgilio] Pontedera malebat: *quam a Virgilio*; Sangerm. *Vergilio* habet.

memorati adhibuit] Puto legendum *memoratis adhibuit*.

2. *mutila*] Pontedera praeferebat Edd. vetuſtarum *mutilata*.

3. *Meliſſa*] Meliſſei, regis Cretenſium, filia, referente Lactantio I. 22. 9. De fabula hac Cretenſi vide Heynii egregii notam ad Apollodorum p. 16.

originibus apum] Sang. librum in pleriſque locis huius libri *apium* praeferre monuit Drakenb. ad Liuium T. I. p. 998. et h. l. *apium* ex eo annotauit Gronouius.

Phryxonides] Has aliunde ignoramus. De Euhemero vide ad Varronem I. 48. 2. Dictaeum ſpecu ſeu antrum in Creta omnes commemorant in hac narratione. De nomine Euhemeri tamen ſubdubito. Eumeli βυγονίαν enim nouimus, vbi argumentum hoc commode potuit tractari.

Virgilius] Georgic. IV. 152.

4. *Ariſtaeo*] Huic veteres ſcriptores tribuunt rei agrariae et ruſticae diſciplinae culturam per Theſſaliam, Arcadiam et inſulas graecas, inprimis Ceam propagatam.

Erechthei] Ita optimi libri pro *Erichthonii*; nec aliam rationem ſecutus ſum in hac lectione probanda, cum iam apud antiquos ſcriptores ipſos nomina haec duo regum Atticorum eorumque facta permutata et confuſa fuiſſe conſtet. Vide Heynii noſtri notas ad Apollodorum p. 837. 840 et 867.

Euthronius] Recte, puto, Pontedera emendabat *Euphronius*, quem inter ſcriptores rei ruſticae commemorant Varro et Columella, et quo vſus eſt Plinius libro nono, cum de apibus doceret.

Nicander] Colophonium, cuius Μελισσεργικά, neſcio an partem Γεωργικῶν, laudauit Athenaeus II. p. 68. Idem opus reſpexit Aelianus H. A. V. 42. ἡγεμόνες καλεῖνταί τινες, καὶ ἄλλαι σειρῆνες, καὶ ἐργοφόροι τινες, καὶ ἕτεραι πλαστιδες. Νίκανδρος δὲ εὐφορεῖν τὲς κηφῆνάς φησι. vbi Geſnerus malebat legi ἐργοφορεῖν. Mihi Nicandri ſententia obſcura eſt; niſi reſpexit fabulam de Ioue, in Creta a Meliſſa educato; de qua fabula Hyginum vide cap. 139. et Boeum apud Antoninum Liberalem cap. 18. Cretenſes has apes aereo colore fuiſſe tradit Diodorus I. p. 381. et Aelianus H. A. XVII. 35. Ceterum in Alexipharmacis verſ. 446. monti Hymeto Nicander

der mellificii inuentionem vindicauit, vbi vide notam in Addendis.

floribus eligant] i. e. *e floribus legant.* Virgilii locus est IV. 202. *ipsae e foliis natos et suauibus herbis ore legunt.* Eandem quorundam sententiam retulit Aristoteles H. A. V. 21. Ad Georg. III. Philargyrius haec ab initio: *nam vt ait Cornelius Celsus apes ex floribus ceras faciunt, ex rore matutino mel.*

euomunt] Aristoteles H. A. V. 22. *Φέρει δὲ κηρὸν καὶ ἀριθάκην περὶ τοῖς σκέλεσιν, τὸ μέλι δὲ ἐμεῖ εἰς τὸν κύτταρον — τὰς δὲ χυμὰς τῷ ὁμοίῳ τῇ γλώττῃ ἀναλαμβάνουσι κομίζει.* vnde Plinius XI. sect. 12. *in vterculos congestus apum; ore enim eum vomunt.*

Cap. III. *Aristoteles*] De generibus apum is tradidit libro V. 22. et IX. 40. Priore in loco haec habet: *εἰσὶ δὲ γένη τῶν μελιττῶν ἡ μὲν ἀρίστη μικρὰ καὶ στρογγύλη καὶ ποικίλη· ἄλλη δὲ μακρὰ, ὁμοία τῇ ἀνθρήνῃ. τρίτος δὲ ὁ Φὼρ καλούμενος. ἕτος δ' ἐστὶ μέλας καὶ πλατυγάστωρ. τέταρτος δ' ὁ κηφήν, μέγιστος μὲν μεγέθει πάντων — ἡγεμόνων δὲ δύο γένη εἰσίν.* et cap. 21. de ducibus ita: *ὁ μὲν βελτίων πυῤῥὸς, ὁ δὲ ἕτερος μέλας καὶ ποικιλώτερος, τὸ δὲ μέγεθος διπλάσιος τῆς χρηστῆς μελίττης. καὶ τὸ κάτω τοῦ διαζώματος ἔχουσιν ἡμιόλιον μάλιστα τῷ μήκει.* Eadem repetit altero in loco, sed addit: *διαφέρουσι δὲ αἱ γινόμεναι τῶν μελιττῶν, αἵτ' ἀπὸ τῶν τὰ ἥμερα νεμομένων καὶ ἀπὸ τῶν τὰ ὀρεινά. εἰσὶ γὰρ αἱ ἀπὸ τῶν ὑλονόμων δασύτεραι καὶ ἐλάττους καὶ ἐργατικώτεραι καὶ χαλεπώτεραι — αἱ δὲ μακραὶ τάτε κηρία ποιοῦσιν ἀνώμαλα καὶ τὸ κάλυμμα ἀνωδηκός.* Vides igitur, Hyginum et Columellam aliunde addidisse, quae non sunt hodie in libris Aristotelis, cuius locum fidelius excerpsit Varro III. c. 16. 18. Sed praeterea in fine cap. 40. philosophus haec habet: *εἰσὶ δ' αἱ μικραὶ ἐργάτιδες μᾶλλον τῶν μεγάλων — ἔχουσι δὲ τὰ πτερὰ περιτετριμμένα καὶ χροιὰν μέλαναν καὶ ἐπικεκαμμένα· αἱ δὲ φαναὶ καὶ λαμπραὶ ὥσπερ γυναῖκες ἀργαί.*

apum siue] Haec verba omittit S. Mihi verba *siue examinum* spuria videntur, etsi deinceps Vrsinus malebat legi: *eorumque alia cuius* opinionis etiam participem fuisse editorem Heruagianae docet varietas lectionis. Totus mihi locus hic obscurus fuit, quoniam auctoritatem ignorabam; nec apparet satis, num genera apium vniuerse quot sint mansuetarum, dicere voluerit Columella, an species apum tot, quot in vnoquoque alueario vna versantur, enumerare et de-

ſcribere voluerit. Hoc tamen ſi voluiſſet, credo nomina vulgaria fucorum et reliqua addidiſſet.

hirſutas apes habent] Iunt. *alas* habent, et ſic corrigi iuſſit Aſcenſius, monente Gronouio. Sed ita ex loco Ariſtotelis eſſe debebat *eaſdemque nigras habere alas hirſutas* vel potius *attritas*.

2. *meliuſculi*] Geſnerus ſuſpicabatur legendum *melleuſculi*. Sunt quae Ariſtoteli φανοὶ καὶ λαμπροὶ dicuntur.

acuti alui] Ita cum Morgagni ſcripſi pro *aluei*. Vulgo tamen genere feminino aluus dici ſolebat. Hae ſunt quas Ariſtoteles oblongas dicit et cum veſpis comparat.

Virgilius] IV. 95 ſeqq. Sed miror Interpretes non admonuiſſe de lectione Virgiliana, vbi haec tantum ſunt: *elucent aliae et fulgore coruſcant ardentes auro et paribus lita corpora guttis*. quem locum Columella et pleniorem et diverſum a vulgari lectione reperit in ſuo Codice. Sed oblongas apes cum Ariſtotele improbat Varro et Plinius. Vide ad Varronem I. 16. ſect. 19. Cf. infra ad cap. X. ſect. 2.

3. *ſaeuior*] Vrſinus emendabat: *ſaeuiat, maxima peſſima eſt*. Geſnerus totum hoc membrum abeſſe malebat, vt ſuperfluum. Ceterum in Edd. primis eſt *atque rotundior* omiſſo *etiam*. Forte olim h. l. fuit *atque etiam oblongior*, et ſupra pro *oblongas* fuit *rotundas*. Nam rotundus caeteri ſcriptores omnes probant, oblongas improbant.

curant aluearia] Codd. optimi omittunt *aluearia*; et poſſunt abeſſe.

decem] Hunc ſummum aetatis terminum poſuit Ariſtotelis H. A. V. 19.

ad internicionem] Ita recte Sang. Vulgatum *ab internicione* tranſpoſitum omiſſo *ab* copulabat Geſnerus cum verbo *conſumitur*. Pontedera malebat legi *intromiſſione*.

Cap. IV. *Pabulationes*] Quin *ſtabulationis* voluerit, non dubito. Sic etiam Palladius; qui *ſtationem* ex h. l. tranſtulit; quanquam vulgata defendi poteſt, quod aluearia obſeri vult pabulo Columella, cuius nunc genera exponit.

Maro] IV. 9 ſeqq. Ceterum h. l. ita experpſit Palladius I. 37. *Apibus ſtationem non longe a domini aedibus vel in horti parte ſecreta et aprica et a ventis remota, et calidiore locare debemus, quae in quadratam conſtituta menſuram fures et acceſſus hominum pecudumque ſubmoueat*. vbi vocabulum *calidiore* non poſitum eſt ex mente Columellae, quem vide cap. 5. initio. Verba autem in *quadratam conſtituta menſuram* eſſe vitioſa, facile ſuſpiceris ex noſtri c. 5. §. 3. —

Cete-

Ceterum plantae, nectariae a Linnaeo dictae, variae sunt formae et positionis, in quibus tempore foecundationis mellis genus naturalis exsudat, quod collectum apes conficiunt intus, confectumque euomunt. Veruntamen sunt etiam plantae nectariis dotatae, veluti anthoxanthum odoratum, narcissus, et fumaria officinalis, quibus tamen apes abstinent. In genere Aristoteles H. A. V. 22. mel colligi ait ex plantis, florem calyce continentibus; quem locum quomodo peruerterit Plinius XI. s. 15. vide ad Varronem III. 16. 26. Varro enim multo accuratius flores digessit et frutices, vnde apes mel, ceram et propolin colligunt.

2. *fruticis exigui*] Palladius l. c. *sit abundans floribus, quos in herbis vel in fruticibus vel in arboribus procuret industria. Herbas nutriat origanum, thymum, serpyllum, satureiam, melissophyllum.* Serpyllum ipse Columella sect. 6. cum reliquis nominat, adeo, vt h. l. excidisse videatur. Melissophyllum demum cap. 9. sect. 8. memorat.

maioris surculus] Palladius: *in fruticibus* vero sint *rosae, lilia, fabae, rosmarinus, hederae.* vbi Codex Barthii, Lugd. Erford. cum Vincentio recte *violae flauae* habent pro *fabis.* Sunt quae luteolae rosae dicuntur Columellae sect. 4. Lilia male inter frutices ponuntur; cytisum omisit Palladius.

cytisus] Aldina hic et vbique male *cythisus* habet.

minor ilex] Intelligit spinosam, quam nominat VI. 3. 7. maioris non spinosae frondes pecori praebentur.

bonitatem] scilicet mellis.

arbores] Praeter librum Polit. etiam Sang. habere *arborum*, testatur et probat Drakenb. ad Liuium T. IV. p. 263.

3. *rutila atque alba*] Ex Syria Augusti nouissimis temporibus translata zizipha, testatur Plinius XV. sect. 14. Idem XXI. s. 27. *zizipha, quae et Cappadocia vocantur; his odoratus flos, similis olearum floribus.* Cyprum aegyptiacam ziziphi foliis esse ait XII. sect. 51. De vtroque zizipho dicetur ad Palladium April. IV. 1.

tamarices] Ita vulgatum *amarantus*, qui ad herbas pertinet, cum Herm. Barbaro Coroll. I. 125. et Pontedera correxi. Ita infra cap. 14. 11. pro floribus tamaricis Codex Sangerm. habet amaracis; sed Palladius XII. 8. tamarisci, vbi libri quidam *tamarici* habent, Vincentius *thamarici.* Palladius, qui h. l. transtulit I. 37. *in arboribus ziziphus, amygdalus persicus, pirus, pomiferaeque arbores, quibus nulla amaritudo respondet flore desucto.* vbi Vincentius *zizipha — flore de succo*, alibi vero habet *floridae succo.* Contra liber Polit.

et

et Cresc. habet *floris vel succi.* Deinde inter herbas amaracum memorat. Vide et infra ad sect. 6.

robora] i. e. arbores glandiferae. Palladius: *Siluestria vero, glandifera robora, terebinthus, lentiscus, cedrus, tilia, ilex minor, et linus. sed taxi remoucantur inimicae.* vbi Crescentius ante terebinthum inserit buxum. Deinde pro *linus* ibi vulgo *cinus* legebatur; Crescentius habet: *tilia, pinus et taxi.* Liber Polit. habet similiter *et taxi*, sed idem cum Erford. libro et Edd. I. B. R. et Codice Lugdunensi scriptum habet *tinus*, Vincentius *thimus.* Lectionem *pinus* praefert etiam in Palladio Pontedera. Pertinere enim recte ait pinum cum larice, abiete, ilice, cedro, lentisco et terebintho, ad eas arbores, ex quarum resinosa materia, cortice et foliis exsudante, apes ceram conficiant, quaeque nullo florum succo mellificium adiuuent. Contra tinum nullum de cortice gluten stillare, et flores inodoros ineunte vere exuere iam, dum latent adhuc torpore conditae hiberno apes. Igitur reiecit Pontedera opinionem Salmasii, in Columella et Virgilio IV. 112. *tinum* reponentis. Recte! *Pinum piceam* Linnaei pulcritudine sua et fructu probabilem intelligi censebat *Martyn* ad Virgilium.

cedrus ac tilia] Ex libro Sangerm. locum emendant approbante Palladio. Vulgo *cedrus. At tiliae solae ex omnibus sunt nocentes: taxi repudiantur.* Tiliam praeter poetam Georg. IV. 141. laudat etiam in mellificio Plinius, qui simul taxos repudiant, eodem crimine hodieque notos et nomine. Odorata cedrus esse videtur ex genere iuniperorum, quam a Latinis et Italicis suo tempore cedrum etiam dictam accurate descripsit Albertus p. 435. Habere ait poma oblonga crocea odore olibani et pastinacae. A quibusdam ait vocari *arangum*, sed arangi pomum esse breue, rotundum, truncum crassiorem et altiorem frigora magis ferre. Arangus est aurantium pomum.

irriguo solo] Victorius etiam in altero codice *virgineo*, in altero *virgeneo* scriptum reperit, quae lectio ex libris Politiani etiam annotata est. Vnde apparet, hos Politiani libros eosdem esse, quos comparauit Victorius. Ceterum locum hunc ita transtulit Palladius: *melisphyllum, violas agrestes, asphodelum, citraginem, amaracum, hyacinthum, qui iris vel gladiolus dicitur similitudine foliorum, narcissum, croçum, ceterasque herbas suauissimi odoris et floris.* vbi Codex Polit. cum Crescentio omisit verba: *agrestes, asphodelum, citraginem.* Deinde Crescent. *narcissum creticum.* In Columella non

non est *amaracus* nec *citrago*. Pro gladiolus narcissi Palladius legisse videtur *gladiolus et narcissus*.

4. *amelli*] Infra cap. 13. 8. *amelli radix, cuius est frutex luteus, purpureus flos*. Virgilius Georg. IV. 271 seqq. *Est flos in pratis, cui nomen amello fecere agricolae — vno ingentem tollit de cespite siluam, aureus ipse, sed in foliis, quae plurima circum funduntur, violae sublucet purpura nigrae — asper in ore sapor. tonsis in vallibus illum pastores et curua legunt prope flumina Mellae. Huius odorato radices incoque baccho, pabulaque in foribus plenis adpone canistris.* ex quo loco Columellam ita emendabat Pontedera: *cuius est fruticis luteus purpureusque flos*. Recte. Discum enim flauum petala in margine circumposita nigro purpurea intelligi voluit Virgilius. Asterem atticum coeruleum intelligi Tournefortii I. R. H. p. 481. intelligi censuit Pontedera Instit. R. Herbar. Differt. IX. p. 227. eumque secutus Martyn ad Virgilium. Is est aster amellus Linnaei. Sed vide infra notam.

caules acanthini] Nescio an acanthon topiariam herbam Plinii XXII. sect. 34. intelligi velit, quam Dioscorides III. 19. gaudere ait locis humidis. Branca vrsina vulgo audit, Linnaeo acanthus mollis.

scapus asphodeli] Graeci anthericum, radicem vero asphodelon dixerunt admonente etiam Plinio XXI. c. 68.

gladiolus narcissi] Inter flores gladiolum nominat et cum hyacinthis florere tradit Plinius XXI. sect. 38. Idem sect. 68. geminum gladiolum palustrem memorat, a folii similitudine dictum, quae etiam h. l. in folio narcissi, gladiolo dicto, respicitur. Palladius male h. l. interpretatus est, vt recte monuit Pontedera, aut verba Palladii sunt mendosa et transposita. — Lilii flore expressum succum olim mel vocabant, auctore Plinio XXI. sect. 74. Sed vnguento lirino eadem omnia tribuit Dioscorides III. 116.

puniceae] Ita legi voluit etiam Vrsinus; puniceis opponuntur rosae luteolae, quas flauas dixit Palladius ex h. l. Male ergo Gesnerus *luteolaeque* trahebat ad violas; etsi inter satiuas luteis praecipuam auctoritatem tribuit Plinius.

Sarranae violae] Sangerm. liber *Serranae*. Palladius *agrestes violas* ex h. l. transtulit. Sarrano ostro dixit Columella X. 287. Intelligit igitur purpureas, nigras, sponte crescentes.

luminis hyacinthus] Ita recte liber Sang. pro *numinis*. Lectionem hanc coniectura assecutus fuerat cum Morgagni Gesner. Bodaeus cum Salmasio *nominis* corrigebat, et de altero

altero nomine interpretabatur, quo iris fuerit dictus, recentioribus ſpatula foetida.

odoretque] Sangerm. *inodoret.* Sed idem infra XI. 3. 22. *inodorare* mutat in *odorare.*

5. *Iam vero*] In Sang. eſſe *Tam vero* et deinceps *cultis atque paſcuis,* annotauit Gronouius. Poſteriorem lectionem ſine cunctatione vulgatae: *cultiſque atque paſcuis* ſubſtitui, mutata etiam interpunctione. Vrſinus malebat: *cultis aeque atque paſcuis.* Ex priore Sangerm. lectione efficio *Tum vero.*

exuberant] Vrſinus malebat *cellas exuperant.* Sed de *exuberare* vide ad II. 1. 5. II. 10. 5. Ceras *fauorum* dixit etiam Palladius VII. 7. ſect. 8.

armoracia] Ita ſcripſi, vt ſupra exſtat VI. 17. 8. Geſner reliquit h. l. *armoratia.* Vide infra ad XII. 9. 3. Eſt quod vernaculo ſermone *Meerrettig*, peregrino *Green* vocamus.

6. *erat numerus*] Ex Sang. *et innumeri ſaporis praecipue* annotauit Gronouius. Forte voluit dare *ſequens, inexputabilis et innumeri ſaporis, praecipua mella reddit thymus.*

proximum thymbra] Palladius: *Primi ſaporis mella thymi ſuccus effundit, ſecundi meriti thymbra, ſerpyllum vel origanum; tertii meriti roſmarinus et ſatureia. Caetera vt arbutus et olera ſaporem ruſtici mellis efficiunt.* Ceterum Sangerm. teſte Gronouio habet *marinum ros,* (quod etiam antea annotatum fuit) deinde *cunela — ſaturaeam.*

tamaricis] Ita etiam h. l. legendum pro *amarantini* monuit Pontedera. Flores autem ziziphi mediocris guſtus mel efficiunt, etſi eius arborem ſupra probatiſſimam dixerat; nunc enim herbae et arbores comparantur inuicem; inter arbores autem probatiſſima ziziphus, vt recte monuit idem Pontedera. Sangerm. teſte Gronouio habet: *amarachinia ziziphi — cibariis.*

7. *ſparto*] Plinius XI. ſect. 8. de cera: *falſo excipitur et ſpartum; quippe cum in Hiſpania multa in ſpartariis mella herbam eam reſipiant.* Sangerm. habet *quod ſparto atque arbuſto.* Idem ante *domiciliis* copulam *et* omittit, teſte Gronouio.

Cap. V. *brumalem meridiem*] Varro: *procerum eſſe oportet aere temperato neque aeſtate feruido, neque hieme non aprico, vt ſpectet potiſſimum ad hibernos ortus.* Plinius XXI. ſect. 47. *aluearia orientem aequinoctialem ſpectare conuenit; aqui-*

aquilonem vuitent, nec Fauonium minus. De brumali meridie eadem intellige dicta, quae reperies in nota ad I. 62. Respici aedificii ipsius positionem, proiectionem humilitatemque aptam ad excipiendos solis brumalis radios h. l. monuit Gesner.

odoribus] Palladius: *sed ab his apium castris longe sint omnia odoris horrendi, balneae stabula, coquinae fusoria.* Praepositionem ante *balinei* ex Sang. addidi.

2. *congruent*] *Congruent* h. l. est *simul cadent in illum locum*, vt apparet ex sequenti: *sin cuncta fucrint inimica.* Varro: *quod ad locum pertinet, hoc genus potissimum eligendum iuxta villam; non quo non in villae porticu quoque quidam, quo tutius essent, aluearia collocarint.*

certe vicina] Ex Sangerm. *certa vicina* annotauit Gronouius.

3. *elatis*] Malim *elatus.*

4. *Palmaque*] Georg. IV. 20. vbi et alter locus exstat.

5. *extracta*] Vitium vulgatae *extructo — manu detur* apertum est, et arguunt sequentia *siue praeterfluens vnda,* (quae inducitur) *vel putealis canalibus immissa fuerit.* Puto igitur, fuisse olim scriptum *extracta puteo immittatur canali.* Edd. I. B. R. *extructa*, vnde effeci *extracta*, vt saltem hoc verae lectionis indicium exstaret. Varro: *aquam liquidam, vnde bibant, esse oportet, quae praeterfluat, aut in aliquem locum influat, ita, vt ne altitudine ascendat vltra duos aut tres digitos: in qua aqua iaceant testae et lapilli, ita, vt exstent paulum, vbi assidere et bibere possint.* Paulo aliter aquam inducit ex fonte vel riuo Palladius. Ex Sang. Ernesti annotauit *extracto* Gronouius *extructa*, vt est in Edd. primis.

6. *casiae*] Virgilius Georg. II. 213. *nam ieiuna quidem cliuosi glarea ruris vix humiles apibus caseas roremque ministrat.* vbi Martyn cum aliis censet, intelligi Daphnen Gnidium Linnaei. Sed ecce tibi Plinium XII. sect. 43. de casia aromatica: *quin et in nostro orbe seritur, extremoque in margine imperii, qua Rhenus alluit, viuit in aluearis apum sata.* qui locus saltem vitiosa interpunctione laborat.

Neptuno] Editio Iens. et Br. *Neptunno* habent, quod non contemnendum. Ita enim *Vertumnus* et *Portumnus* dicuntur, iidem Portunus et Vertunus, etsi plerumque Vertumnus scriptus legitur. Ita *autumnus* eaedem Edd. principes plerumque scriptum habent.

cunilae] Edd. principes fere vbique *cunelae* habent scriptum; graece tamen κονίλη vocatur. Ceterum *ros marinum* etiam

etiam h. l. ex Sang. annotauit Gronouius; et sic libri Plinii etiam scriptum praeferunt.

cancri nidor] Palladius: *vitetur odor coeni et cancer adustus et locus, qui ad humanam vocem falsa imitatione respondeat.* Plinius XI. sect. 19. *cancrorum etiam odore si quis iuxta coquat, exanimantur.*

rupis aut vallis argutiae] Vrsini emendationem confirmauit liber Sangerm. quanquam ex eo Gronouius tantum referat *vallis* scriptum et deinceps *vocant* ἠχῶς. Varro III. 16. 12. *secundum villam, vbi non resonent imagines. hic enim sonus harum fugae causa existimatur esse.* vbi Cresc. addit, *imagines, id est, vocis echi.* Vnde saltem addendum *vocis.* Plinius XI. sect. 21. *inimica est et echo resultanti sono, qui pavidas alterno pulset ictu.*

Cap. VI. *aluearia*] Polit. liber *albaria*; et c. VII. s. 4. Sang. *aluaria* habet. In Plinii Histor. naturali similiter Codices optimi *aluos* et *aluaria* habent, testante I. Fr. Gronovio p. 778. et Heinsius ad Petronii cap. 66. affirmat, vetustissimos Codices apum *aluos*, nuspiam *alueos* nominare. Itaque in Columella formam rectiorem vbique restitui, etiam libris scriptis non addicentibus. In cap. XV. Codices *alvare*, et *albare* similiter habent scriptum; quam formam tamen recipere non sum ausus.

siue illa] Vrsinus malebat: *sique illa — si vero ferulis. — natura corticibus.* Sed rectius idem vulgatam olim lectionem: *similes e quibus commode* emendauit legendo *aeque commode.* Varro: *aluos alii faciunt ex viminibus rotundas, alii e ligno ac corticibus, alii ex arbore cava, alii fictiles, alii etiam ex ferulis quadratas longas circiter pedes ternos, latas pedem, sed ita vti cum parum sit, qua compleant, eas coangustent, ne in vasto loco et inani despondeant animum. — quas ideo videntur medias facere angustissimas, vt figuram imitentur earum. — Optimae sunt corticeae, deterrimae fictiles, quod et frigore hieme et aestate calore vehementissime commoventur.* Cum Columella plane sentit Palladius I. 38. Plinius XXI. sect. 47. *aluos optimas e cortice, secundas ferula, tertias vimine.* Virgilius Georg. IV. 33, *seu corticibus tibi suta cauatis seu lento fuerint aluearia vimine texta.* Idem II. 453. *apes examina condunt corticibusque cauis vitiosaeque ilicis alueo.* quem locum pessime nuper interpretatus est Voss.

hieme rigent] Polit. *frigent*, atque ita etiam Sangerm. teste Drakenb. ad Liuium T. III. p. 494. Nihil interest, vtrum praeferas. A ῥιγῶν fit *rigere* et *frigere*.

tabu-

tabulas] Palladius: *aut tabulis more cuparum.* Geoponica XV. 2. 7. has aluos solas habent: ἄριστα ἐκ σανίδων ὀξυίνων ἢ συκίνων, ὁμοίως δὲ καὶ τὰ ἐκ πιτυΐνων ἢ Φηγίνων. εὖρος δὲ ἔστω πηχυαῖον καὶ μῆκος δίπηχυ.

2. *fictilium*] Quales in insulis Archipelagi repertas descripsit et pinxit *Della Rocca* in Bibliotheque Physico-oeconomique. Année 1791. Tome II.

3. *qui putat*] Puto legendum *putet*, et ad Celsum referendum; deinde *immobiles sunt.*

hoc maxime vitandum est] Haec hiulca esse facile sentio, in libris tamen scriptis medelam non reperio. Interim punctum post *poterunt* positum sustuli. Sententia haec est: sed etiam propter ipsas aues hoc maxime vitandum est, cum aut morbo etc. Ex Sang. *poterint* annotauit Gronov. ex eodem paulo antea vulgatum *aut penuria* correxi.

4. *maxime mouet*] Recte puto Sang. *mouit.* Stabula dicuntur aluearia etiam in Geoponicis voce latina corrupta στάβλα.

opere lateritio] Nullibi genus hoc commemoratum reperi alueorum. Deinceps excipit tergum cap. sequenti §. 2.

Cap. VII. *suggestus*] Palladius I. 38. *Sed inter ea loca, quae muniri debere praecepimus, podia ternis alta pedibus fabricentur inducta testaceo et albario opere laeuigata, propter lacertorum caeterorumque animalium noxam, quibus est moris irrepere: et supra haec podia aluearia collocentur, ita, vt non possint imbre penetrari, spatiolis inter se patentibus segregata.* Vides, eum verba, a nobis inclusa, omittere cum libro Sangerm. Ceterum lectionem vulgatam huius loci ex libris optimis correxi. Barbarum erat *qualiacunque vasa placuerint collocari.* Saltim esset *placuerit.*

2. *siue vt nobis*] Si nihil deest, inquit Gesner, e superioribus intelligendum est, siue ita facta, vt nobis placet, aluearia. Sed nihil deest. Superponi iubet suggestui alvearia, ita, vt aut lateribus exstructa sint immobilia, aut, ex sententia Columellae, vndique nisi a tergo opere lateritio circumstructa. Male igitur Sangerm. habet *tergo et frontibus;* quod genus tertium est deinceps a Columella memorandum.

frontes] i. e. frons et tergum. Nescio an bene habeat locus.

32. *tractatur*] Vulgatam *tractantur* emendauit Vrsinus.

conterreat] Vulgatum *conterat* correxi, quia inepte motu conteri dicuntur apes.

ruinam] Nescio quid adhuc deesse mihi videtur in lectione, ex libris emendata, forte *domibus*; quae vox in repetito Edd. principum *operibus* latere videtur. Brusch. *caeteris* pro *cereis* habet, quod ex Sang. annotauit Gronov.

tres esse] Idem sentit Varro III. 16. sect. 16.

ora cauearum] i. e. frons aluearii versus vestibulum seu aditum decliuia. Geoponica ipsum vestibuli foramen obliquum perforari iubent.

4. *aluearia*] Heinsius lectionem Sang. *aluaria portica* probabat. Ex aluo fit *aluarium*, vt ex alueo aluearium. In Virgilio Georg. IV. 34. *aluearia*, vt II. 453. *alueo* forte libraríis debentur similiter. Vide notam ad initium cap. VI. Ceterum *propter quos* ex Sang. scripsi. Vulgo est *quod*.

luto punico] Quid sit, operose docere conatus Gesnerus ad h. l. nihil prope docuit. Infra ex Columella XI. 3. 54. parietes luto structos interpretatur ipse Palladius X. 13. 2. Deinde pro *illinitis* recte puto esse in libris scriptis *inlimatis*. Nam etsi bene scio, crates parietum luto illini in loco Plinii 35. sect. 48. hoc tamen genus diuersum est ab hoc nostro. Frondibus, id est, ramis frondosis obumbrari vult aluearia vice porticus; hoc fieri vix potest frondibus ipsis luto illitis; sed puto, frondosos ramos ipsis aluearíis supremis agglutinari, ita, vt rami luto ipsi inlimentur, et quasi luto colligentur, dum extrema pars frondoso propendens alueare obvmbrat. Nunc demum video, etiam Heinsio placuisse lectionem eam, quam adeo restitui.

adumbrari] Vulgatam defendit locus nostri V. 5. 15. et XI. 2. 61. Editiones primae voluisse videntur *obumbrare*, quod habet noster IV. 24. f. 15.

tegmen] Edd. I. B. R. et Lips. *tegimen*. Ita V. 5. f. 15. pro *tegminibus* I. B. R. *teguminibus* Lips. *tegiminibus* habent. Sine varietate est *tegmina* III. 10. f. 12. Sed I. 8. f. 18. libri optimi *tegumina* habent pro *tegmina*. Sed ipsum *tegumen* VII. 4. 4. Edd. principes mutant in *tegumenta*. Itaque *tegmen* velut poeticum reiiciendum videtur mihi.

caloris aestus] Ex Polit. libro legendum puto *calor aestatis, vt hiemale frigus*.

post apiarium] Palladius: *Sane ventis frigidioribus altus paries resistat, qui locum possit defensis sedibus apricare.* Geoponica XV. 2. *θριγκὸν ἐξ ἀρραιῶν λίθων περιοικοδομῆσαι ἵνα αὐταὶ διὰ τῶν ὀπῶν εἰσπετόμεναι τάς τε ἐπιβελεύοντας ὄρνεις καὶ τὴν δρόσον δύνωνται διαφυγεῖν.* vbi vereor, vt δρόσον sanum sit. Deinceps *aedificio protegantur* ex Sangerm. annotauit Gronouius.

5. *mini-*

5. *minimum frigoris*] Palladius: *angustus tamen aditus admittat examina propter frigoris et caloris iniuriam.*

Stellio] Virgilii locus est IV. 243. vbi ignotus stellio dicitur. Pertinet ad genus lacertorum, quod Linnaeus arabico nomine Gecko appellauit. Blatta videtur eadem esse cum Linnaeana. *Piceum blattam* dixit Eugenius Toletanus Carm. XXX. Ineptissime enim cum omisco Linnaeano comparauit nuperus Virgilii interpres germanicus, Voss. Scarabaeum hodie accusant inprimis eum, quem Linnaeus attelabum apiarium appellauit. De papilione postea videbimus. Inter apium hostes Aelianus I. 15. enumerat serpentes, lacertas et crocodilos terrestres, quos interficere docet. Ceterum Sang. molliorem lectionem habet *sit neque venenatus.*

duos vel tres] Palladius: *Aditus omnes soli opponantur hiberno, qui in vno cortice duo vel tres esse debebunt ea magnitudine, quae apis formam non possit excedere. Sic enim noxiis animalibus ingressu resistetur angusto: vel si apes obsidere voluerint exeuntes, alio, vbi non fuerint, vtentur egressu.* vbi Crescentius habet: *quae ingressu apis magnitudinem non possit excedere.* Vnde lego: *ingresse apis magnitudinem.* Vocem *magnitudinem* habet etiam Polit. Codex. Deinde recte Edd. I. B. R. cum Vincentio: *alio, tum non defuerit, vtentur egressu.* Ceterum male Palladius quae Columella de ipsis domiciliis dixit, ad solos aditus retulit; et hibernum solem dixit pro hiberno oriente. Hiberhos ortus eadem in re laudauit Varro III. 16. 12. In Ald. est *scarabaei.*

6. *pro frequentia domicilii*] i. e. prouti examina inclusa sunt frequentia, copiosa. Verum infrequentia non impedit hostium insidias, nec frequentia auget. Igitur vitii aliquid latere suspicor. Sed forte exeundi sola commoditas spectatur!

operculo] Palladius corticem ex h. l. nominauit, cogitans alueum corticeum. Varro III. 16. *media aluo, qua introeant apes, faciunt foramina parua dextra ac sinistra ad extrema, qua mellarii fauum eximere possint, opercula imponunt aluis.* De opercula Columella hucusque non monuit, qua parte collocandum voluerit, igitur sensum paulo obscuriorem loci reliquit. Ianuam etiam dixit pro opercula.

vestibulo] Ita recte scribi iussit Gesnerus pro *vestibuli.* Deinceps Pontedera malebat *eoque pauciores.* Pro *pestis* Vrsinus malebat *hostis;* recte, puto. Hostis obsidet, non pestis. Aliter tamen videtur Gesnero. Video nunc Gronovium ad Plinium p. 836. maluisse legi *eiusque* et ad *pestis* referri;

ferri; quod non necesse. Idem memorat lectionem Sang. *volantibus* pro *vadentibus*. Forte fuit *euadentibus*.

Cap. VIII. *desideremus*] i. e. quaeramus. Gesner interpretatur *consideremus*, et comparat locum cap. XIII. 1. *sequitur vt laborantibus remedia desiderentur*. vbi interpretatur *circumspiciantur*. Similis est locus Ciceronis in Bruto c. 42. *nam si isto modo volumus singulas res desiderare, non modo quaerendi, sed ne lugendi quidem finem reperiemus*.

3. *nouitate lacessiri*] Palladius I. 39. *apes, si emendae sunt, prouideamus, vt plena aluearia comparentur; quam rem vel inspectio, vel murmuris magnitudo vel frequentia monstrat commeantis ac remeantis examinis: et ex vicinia potius, quam ex longinqua regione, ne aeris nouitate tententur*.

habuerimus] Cum antecedente *contingit* non bene convenit.

4. *nisi vesperi*] Palladius: *si vero longius aduehendae sunt, nocte collo portentur; nec collocare nec aperire aluearia nisi vesperi instante debemus*.

triduo] Palladius: *Speculemur deinde per triduum, ne omne iannas suas egrediatur examen: hoc enim signo fugam meditantur assumere. Contra haec et cetera suo vnumquodque mense reddemus*. vbi plurimi libri habent *post triduum*.

5. *intermiscendae*] Trimalchio apibus Atticis vernaculas iussit misceri, vt meliores fierent, diligentia portentosa et vana, apud Petronium cap. 38. quem locum annotavit Schoettgen.

respondet] Alibi terra, vineta, vituli respondent. Celsus V. 18. *eo plura esse tentata, quae in personis varie responderunt*. Petronius c. 47. *multis iam diebus venter mihi non respondit*. vbi vide notam Burmanni.

7. *mellifici*] Male Vrsinus corrigebat: *mellificio nihil antiquius, apes quam*. vt demonstrat etiam locus Palladii hinc excerptus. Male Aldina *idonei, mellifici nihil antiquius quam, apes quibus dedit, quasi mellifici sint curatores apum et mellis conficiendi studiosi*.

vicinos fontes] Palladius V. 8. *Hoc mense locis apricis apes quaeremus. sed loca mellifica indicant apes, si circa fontes frequentissimae pascantur; nam si rariores videbuntur, in his locis mellificari vtiliter non potest*. vbi recte libri cum Vincentio habent *aptis*. Addit Palladius: *quod si frequentes aquantur, vbi sint examina earum, hoc genere possumus inuenire*. Eandem plane apum silvestrium indagandarum rationem in noua Anglia sequuntur, docente *Dudley* Philosoph.

ſoph. Tranſactions no. 367. T. VII. p. 95. of Baddam's Abridgm.

8. *Primum quam longe*] Palladius: *Ac primo quam longe aut prope ſint, exploremus. rubricam liquidam breui vaſculo infuſam geramus, et obſeruemus fontes aut aquas vicinas: tunc dorſa apum bibentium tangamus illo liquore tincta feſtucula atque ibidem moremur.* Vnde h. l. emendabat Morgagni; *praeparandumque in hanc rem vaſculum cum liquida rubrica.* Vrſinus malebat *liquidam rubricam.* Sed veram lectionem ex Edd. primis reſtitui.

vicino] Edd. primae *vicinio.* Vulgo dubius Senecae locus de Breuit. vitae cap. 15. affertur, vbi pro *vicinio* Edd. aliae *vicino* dederunt. Paulo antea *apium terga* ex Sang. pro *apum* dedi.

mora temporis] Palladius: *Si cito reuerſae fuerint, quas tinximus, hoſpitia earum proxima eſſe noſcemus; ſi tarde, ſpatio longiore ſubmota; quod pro mora temporis aeſtimamus.*

9. *non aegre*] Palladius: *Ad proxima facile venies; ad longinqua hoc genere perduceris.* Ceterum ex libro Sang. *redeuntes non aegre perſequeris* annotauit Gronouius, et inde legendum coniiciebat *perſequens,* quod ipſum tamen ex Sangerm. annotauit Erneſti.

Arundinis] Palladius: *Cannae vnum internodium cum ſuis recides articulis et in latere aperies. ibi mel exiguum vel defrutum mittes, et iuxta fontem pones. Cum ad eum conuenerint apes, atque ingreſſae fuerint poſt odorem, foramen pollice claudes appoſito, et vnam tantum patieris exire, cuius fugam perſequere. ea tibi partem demonſtrabit hoſpitii. cum ipſam coeperis non videre, alteram continuo dimittes et ſequeris; ita ſingulae ſubinde dimiſſae te facient vſque ad locum examinis peruenire. Aliqui mellis breuiſſimum circa aquam vaſculum ponunt, de quo cum apis aquando guſtauerit, ad commune pabulum pergens, alias exhibebit: quorum frequentiam ſubinde creſcentem, notata reuolantium parte, vſque ad examina perſequeris.*

10. *eandem petit*] Sang. *eandem cepit,* teſte Gronouio.

ſpecu] Palladius: *quod ſi eſt examen in ſpelunca reconditum, fumo eiicietur, et cum exierit, aeris ſonitu territum in frutice vel in aliqua ſiluae ſe parte ſuſpendet, et ita admoto vaſculo recipietur.* Vides, Palladium in ſuo libro legiſſe *eiicietur* pro *elicietur,* quod habent libri quidam.

fronde conſidet] Ex Sangerm. *conſidit* et deinceps *vaſo* annotauit Gronouius.

puto in libris antiquis esse: *aut aliquo liquore simili.* Varro in eadem re *aqua mulsa* et *mulso* habet. Plinius XI. sect. 18. *quae dimicatio iniectu pulueris aut fumo discutitur; reconciliatur vero lacte aut aqua mulsa.* Ex Sangerm. Gronouius annotauit *aut aqua mulso* passoue *et alio aliquo liquore — respersa.*

saepe plures] Brusch. *plures saepe — in partis deducitur.* Eadem deinceps *maneat pax.* Paulo post *dimicanteis* Ald. quae formam hanc prima induxit; in primis enim Edd. non exstat.

7. *acie dimicanteis*] Ita iam olim Ascensius legi voluit, aut *aciem dimicantium*, vt monuit Abr. Gronouius

speciem vnius vuae] Palladius: *sed cum se agmina sic pacata in ramo aut loco quocunque suspenderint, si vnius vberis eductione pendebunt, noris aut vnum regem esse vniuersis, aut reconciliatis omnibus manere concordiam. si vero duo vel plura vbera suspendens se populus imitatur, et discordes esse, et tot reges esse, quot velut vbera videris consistentur.* Videtur Palladius pro *vuae* legisse *vberis.*

8. *glomerari*] Palladius: *vbi globos apium frequentiores videris, vncta manu succo melissophylli. vel apii reges requiras.*

quem elidere debes] haec verba, vt superflua, cum libris deleri vult Pontedera.

maiores paulo] Palladius: *Sunt autem paulo maiores et oblongi magis quam ceterae apes, rectioribus cruribus, neque grandibus pennis, pulchri coloris et nitidi, laeues sine pilo, nisi forte pleniores quasi capillum gerunt in ventre, quo tamen non vtuntur ad vulnus.* cuius loci vitia recte animadvertit etiam Gesnerus.

Cap. X. *infusci*] Palladius: *sunt alii fusci atque hirsuti, quos oportet extingui, et pulchriorem relinqui.* Aristotelis locum de duobus regum generibus supra posui ad cap. 3. quem sequitur Menecrates apud Varronem III. 16. is enim nigrum et varium posuit, et nigrum interfici iubet. Plinius XI. sect. 16. *duo genera eorum, melior niger variusque. Omnibus forma egregia semper et duplo quam ceteris maior, pennae breuiores, crura recta, ingressus celsior, in fronte macula quodam diademate candicans. Multum etiam nitore a vulgo differunt.* quem locum iterum contaminauit Harduinus cum vulgo rectius legeretur: *melior rufus quam niger variusque.* etsi video Vincentium facere cum Harduino. Idem Vincentius habet: *crura recta, nigrior in fronte macula quaedam,*

candicans diademate. et paulo antea vbi Plinius habet: *reges plures inchoantur, ne desint. Postea ex his soboles cum adulta esse coepit, concordi suffragio deterrimos necant.* Vincentius habet: *inchoantur, nec postmodum ex his soboles desinit, cum adulta esse coeperit.* sed alibi habet: *nec desunt postea soboles ex his cum adulta esse coepit.*

Namque] Locus est IV. 91 et seqq. Sed miror Interpretes tacere de insigni lectionis varietate. Vulgo sic est in loco Virgilii: *Dede neci — in aula; alter erit maculis auro squalentibus ardens: nam duo sunt genera: hic melior, insignis et ore, et rutilis clarus squamis; ille horridus alter desidia, latamque trahens inglorius aluum. Vt binae regum facies, ita corpora plebis. Namque aliae turpes horrent: ceu puluere ab alto — viator aridus.* Contra Columella versus istos hoc ordine scriptos legit: *regnet in aula. Nam duo sunt regum genera, vt duo corpora plebis* (in aliis libris est *namque duae regum facies, duo corp. gentis*). *Alter erit maculis auro squalentibus ardens et rutilis clarus squammis, insignis et ore. Alter tam turpis facie, quam puluere ab alto quum venit et sicco terram spuit ore viator, desidiam latamque trahens inglorius aluum.* Etiam reliquos versus diuerse scriptos legisse Columellam, annotaui supra ad Cap. III. s. 2. Verum de reliqua varietate potest dubitari; illud vero certum et manifestum est ex ipsa oratione Columellae, versus Virgilio dictos de apum primo genere Columellam ad regum genus alterum traxisse. Ceterum Virgilius ipse verba Aristotelis de fuco posita ad regum alterum genus retulit. Vide ad Varronem III. 16. sect. 18.

2. *vt idem ait*] Brusch. *vt ait idem.* Eadem exquisitius in *populo suae* habet.

3. *alis*] Palladius: *qui si frequenter vagatur cum examinibus, exsectis alis reseruetur. hoc enim manente nulla discedet.* vbi alii libri *exentis* alii *ereptis.* Plinius XI. sect. 17. *Si quis alam ei detruncet, non fugiet examen.*

Cap. XI. *necandus*] Ex lectione Lips. *enecandus* efficiebat Gesner; ex Sangerm. equidem malim *nonnunquam idem enecandus.* Additum *auis* ortum habet ex addita glossa *apis.*

eliditur] Male Sang. *eligitur.* Veterem enim regem vult seruari, et paulo post rationem addit.

duas vel tres] Palladius: *Sed si nulla nascuntur examina, duorum vel trium vasculorum multitudinem in vnum conferre possumus; dulci tamen liquore conspersas apes atque inclusas per triduum tenebimus, apposito cibo mellis; et exi-*

gua tantum spiracula relinquemus in cella. Male igitur Heinsius ad Virgilium I. p. 458. corrigebat: *contrahere licebit.*

2. *parere non censet*] Mirae elegantiae locum turpissime corruperant librarii, ex Sangerm. et antiquioribus libris nunc restitutum. *Parere non censent* familiaris est nostro locutio; et elegans inprimis h. l. vbi de senatu dicitur apum. Lectionem *spernendo — afficitur* spreui, quia elegantius pluralis verborum numerus iungitur vocabulo *senatus* et *turba.* Verba a nobis omissa *si elidatur* ad veterem regem referenda, non solum manca, sed etiam superflua erant. In vulgata lectione Vrsinus *afficiuntur* mutandum censebat in *afficiantur.* Verum a tota scriptoris sententia vulgata aberrauerat. De loci huius corruptela obiter questus erat iam olim Heinsius ad Virgilium I. p. 458. et nunc video mecum sentire Pontederam in Antiq. cuius notam omisit Ernesti.

3. *quod iuniori*] Quod ex Brusch. et Sang. addidi *quod* coniectura etiam assecutus fuerat Pontedera; cuius notam omisit Ernesti. Ceterum Gronouius ex Sangerm. separatim hanc lectionem annotauerat: *Illo tamen incommodo quod iuniori — defecit.* vnde recepi *defecit.* Aliter Sang. scripturam annotauit Ernesti, quam in Variet. Lect. posui.

vexata sunt] Ita Sang. pro *vexantur.* Recte! Palladius: *quod si velis aluearium, cui per aliquam pestem multitudo subducta est, populi adiectione reparare, considerabis in aliis abundantibus ceras fauorum et extremitates, quae pullos habent, et vbi signum nascituri inueneris, cum sobole sua resides, et in id aluearium pones.* ex quo loco recte Pontedera emendari iussit vulgatam Columellae lectionem: *clades infrequentis.* Accedit auctoritas libri Politiani.

4. *velut papilla*] Palladius: *est autem hoc futuri regis signum: inter caetera foramina, quae pullos continent, vnum maius ac longius velut vber apparet.* Noster infra cap. 14. 4. *in extremis partibus fauorum progenerantur amplioris magnitudinis foetus quam sunt ceterae apes, eosque nonnulli putant esse reges*, verum quidam Graecorum auctores οἴστρους appellant. Plinius XI. sect. 12. *regias imperatoribus futuris in ima parte aluei exstruunt amplas, magnificas, separatas, tuberculo eminentes: quod si exprimantur, non gignuntur soboles.* vbi Vincentius *exprimantur.* Paulo antea Plinius: *Domos primum plebeiis exaedificant, deinde regibus. Si speratur largior prouentus, adiiciuntur contubernia et fucis. Hae cellarum minimae, sed ipsi maiores apibus.* Breuiter Aristoteles IX. 40. τὰ μὲν ἐν αὐτῶν ἀεὶ πλάττεσι (τὰ κηρία) τὰ δὲ τῶν βασιλέων, ἅτιν ἢ πολυγονία, τὰ δὲ κηφήνια, ἐὰν μέλιτος ἀφθονία

ἀφθονία ἐπισημαίνῃ. πλάττουσι δὲ τὰ μὲν τῶν βασιλέων πρὸς τοῖς αὐτῶν, (μικρὰ δ' ἐστὶ ταῦτα) τὰ δὲ κηφήνια πρὸς αὐτά. (i. e. separatim) ἐλάττω δ' ἐστὶ ταῦτα τῷ μεγέθει τῶν μελιττίων. Sed rectius ille V. 21. ἐστὶ δὲ τῶν μὲν ἄλλων ἡ γένεσις ἐν τοῖς κοίλοις τῆ κυρίᾳ, οἱ δὲ ἡγεμόνες γίνονται κάτω πρὸς τῷ κηρίῳ ἀποκρεμάμενοι χωρὶς ἐξ ἢ ἑπτὰ ἐναντίως τῷ ἄλλῳ γόνῳ πεφυκότες. De fauis fucorum idem IX. 40. εἰσὶ δὲ μείζες οἱ τῶν κηφήνων κύτταροι· ἀνακλάττουσι δὲ ὁτὲ μὲν καὶ αὐτὰ καθ' αὑτὰ τὰ κηρία τὰ τῶν κηφήνων, ὡς ἐπιτοπολὺ δὲ ἐν τοῖς τῶν μελιττῶν.

5. *vermiculo*] Ita recte ex Lipſ. libro ſcripſit Geſnerus pro vernaculo. Hyginus enim tranſtulit haec ex Ariſtotele H. A. V. 19. ὁ δὲ τῶν βασιλέων γόνος τὴν χρόαν γίνεται ὑπόπυῤῥος, τὴν δὲ λεπτότητα ἐστὶν οἷον μέλι παχύ, τὸν ὄγκον δὲ εὐθέως ἔχει παραπλήσιον τῷ γενομένῳ ἐξ αὐτοῦ. σκώληξ δὲ ὁ γίνεται πρότερον ἐκ τούτου, ἀλλ' εὐθέως ἡ μέλιττα ὡς φασίν. quae Plinius vertit XI. ſect. 16. *rex ſtatim mellei coloris, vt electo flore ex omni copia factus, neque vermiculus, ſed ſtatim pinniger.*

recta foramina] Geſnerus malebat *tecta*, quia foetus reliqui in cellis primum membrana tecti latent. Sed in ſobole regia forte diuerſam naturam voluerunt agnoſci etiam hac in varietate. Potuit etiam Hyginus recta foramina ſeu rectas cellas dicere, vt opponeret tranſuerſis regum fiſtulis ſeu cellis a Celſo dictis.

Cap. XII. *longiorem fugam*] Ita recte emendauit Morgagni vulgatum *fuga;* eamque ipſam Sang. ſcripturam eſſe, nunc demum ex Gronouio cognoui.

2. *crepitaculis aereis*] Ex Sang. *aeris* annotauit Gronouius, et nunc demum patet, cur idem cum Edd. primis ſequens *ſonitu* omittat.

teſtarum] Palladius Iunio 7. *ſi autem ſe ſubitum leuabit examen, ſtrepitu aeris terreatur aut teſtulae: tunc ad alucarium redibit. aut in proxima fronde pendebit, et inde in nouum vas herbis conſuetis et melle conſperſum manu attrahatur aut trulla, et cum in eo loco requieuerit, veſpere inter alia collocetur,* vbi liber Polit. *ſonitu.*

loculamentum] Ex Sangerm. *loclamentum* annotauit Gronouius. Mirum eſt eundem vbique *tegumen* praeferre alteri ſcripturae *tegmen.*

eaque quae cum] Legendum puto *eaque cum vel pauida.* Morgagni malebat: *eaque pauida cum vel,* Vrſinus: *eaque pauida cum repetierit.*

Cap.

Cap. XIII. *nec tamen aliud*] Gesnerus emendabat h. l. legendo: *neque tamen aliud, quid fieri possit, reperio, nisi quod in cetero pecore praecepimus, vt longius* etc. Recte!

maximus autem] Malim: *maximus autem annuusque earum labor.* quo ducere videtur lectio librorum optimorum *maximusque vel minimus annuus.*

2, *tithymali*] Palladius Martio 15. *Hoc mense maxime apibus solet morbus incumbere: nam post hiberna ieiunia tithymali et vlmi amaris floribus, qui prius nascuntur, auidius appetitis solutionem ventris incurrunt, et pereunt, nisi affueris velocitate remedii.* Videtur igitur Palladius in Columella legisse, quod offerunt libri antiqui: *quo vlmi amara semina sua promunt.* Liber Sang. habet *samaras vlmis.* Sameram vlmi semen dici, annotauit Columella V. 6. 2. Plinius XVII. sect. 15. samaram dixit eundem fructum seu semen. Iterum Columella VII. 6. 7. sameram appellat, nulla librorum varietate. Fructus autem vel semina vlmi apes non attingunt, sed flores; igitur nisi Columella et semina et flores eodem nomine intelligi voluit, praeferenda erit Palladii lectio. Sed recte monet Pontedera in Antiqq. apes amarum non attingere, nec possunt inde fluxum ventris contrahere. In Palladio igitur corrigit *samaris floribus.* Palladium enim flore tithymali deceptum putat samaram pro flore vlmi habuisse. Sameram autem a Columella nominari monet, quod semen vlmi et flos fere eodem tempore prodeunt. Ceterum ipsa obseruatio non ad flores vlmi referenda est, sed de foliis vlmi aliarumque arborum melle roscidis verno et sublucano tempore, vt ait Plinius XI. sect. 12. vera et hodierna etiam experientia comprobata est. Ceterum scripturam *hybernam famem* correxi.

alioquin] Vulgo interfertum *nil* recte damnauit Pontedera cum libris optimis; damnant sequentia. Nam tithymali succus lacteus maiorum quoque animalium adeoque hominis ventrem soluit etiam citra satietatem ingestus. Varro III. 16. *Cum sunt apes morbidae propter primores vernos pastus, qui ex floribus nucis graecae* (auellanae) *et corni fiunt, coeliacas fieri, atque vrina pota refici.* Plinius XXI. f. 42. *cornum quoque arborem caueri oportet; nam flore eius degustato aluo concita moriuntur. Remedium sorba contusa e melle praeberi his, vel vrinam hominum vel boum aut grana punici mali amineo vino conspersa.* Scilicet vt recte idem XI. f. 21. *infestat et auiditas pastus, nimia florum satietate, verno maximè tempore, aluo cita.*

3. *non*

3. *non audet*] Pontedera etiam hanc praefert vulgatae *non audet*, vt ipse Hyginus culpa credulitatis absoluatur et Columella simul. *Antiquos auctores* pro vulgato *maiores* ex Sang. recepi. De apibus et muscis, aqua et imbre afflictis et necatis, remedium hoc velut expertus tradit Varro III. 16. 37. et ante eum Aristoteles de Respir. 9. qui cineres simpliciter nominat.

4. *per hiemem*] Plinius XI. sect. 22. *Sunt qui mortuas, si intra tectum hieme seruentur, deinde sole verno torreantur, ac ficulneo cinere toto die foueantur, putent reuiviscere.*

5. *grana mali*] Palladius: *praebebis ergo mali granati cum vino aminco grana contrita, vel vuae passae cum rore Syriaco et austero vino, vel simul omnia laeuigata et incocta vino aspero. quae deinde in ligneis canalibus refrigerata ponantur.* Geoponica contra diarrhoeam ex tithymali succo conceptam corticem punici mali tusum et cribratum cum melle et vino austero apponunt.

rore Syriaco] Rhodius ad Scribonium p. 182. legi malebat *rhoe Syriaco.* Scilicet graece et latine *rhun* Syriacum dicere solent scriptores, non rorem. Pertinet frutex ad genus Linnaeanum. Rhus eodem nomine dictum. Nunc video, iam olim egregium Cornarium ad Galenum de Compos. medicam. p. 449. lectionem *sutorio* reiecisse et *rhoe* legi voluisse.

6. *rorem marinum*] Palladius: *Item ros marinus aqua mulsa decoctus congelatur, et in imbrice ponitur succus huiusmodi.* Sed praeclare admonuit Cornarius l. c. rorem marinum h. l. esse rhoem marinum seu orientalem, seu Syriacum; laudat etiam Marcelli Empirici caput 27. vbi rhus marinus nominatur. Adstringentium medicamentorum vires hic implet, non ros marinus herba.

aqua mulsa] Ex Sang. pro *mulsa* Gronouius annotauit *velca*, quod vocabuli quid sit nondum excogitaui.

7. *horridas*] Palladius: *Quodsi horridae videntur atque contractae torpere silentio, et mortuarum corpora frequenter efferre, canalibus ex canna factis mel cum gallae puluere vel siccae rosae coctum debebis infundere.* vbi Crescentius habet *corpore silere.* Fere eadem remedia habet Virgilius IV. 264 seqq.

defruto] Virgilius IV. 268. *aut igni pinguia multo defruta, vel pythia passos de vite racemos.* ex quo loco Crescentius IX. 99. retulit: *aut frusta carnis assata praebeas aut vuas passam.* Itaque in Virgilio legisse videtur: *aut igni*

igni pinguia multo frusta auis et psythia. Pullum assatum enim ille apibus etiam in inedia praebet. Vide infra ad cap. XIV. 15. Paulo antea Br. *dolore* pro *odore.*

8. *frutex luteus*] Ex loco Virgilii supra ad cap. 4. §. 4. allato legendum: *cuius est fruticis luteus purpureusque flos:* esse vidit Pontedera. Vulgo cum Matthiolo interpretantur Asterem atticum; glossa antiqua apud Salmasium Exercit. p. 102. melissophyllum, alii caltham palustrem, primulam veris quidam et chelidonium minus. Denique G. W. Wedel in Disput. Ienae 1686. edita meliloton interpretatus est, folia caulis, non floris petala, et colorem purpureum e viridi nigrum, subfuscum et splendentem. Cui sane fauet versus: *saepe deum nexis ornatae torquibus arae.* quem de amello astere Linnaeo interpretari non licet. Contra melilotus apud Graecos et Romanos in coronario vsu fuit frequentissima, vnde sertae campanicae nomen sortita fuit. Reliqua etiam fauent notae, quas asteri non conuenire recte monuit Wedelius. Is enim colles magis quam humida amat; et folia omnino de caulinis, non floralibus mihi videntur etiam explicanda; quae sunt in meliloto plurima, petala autem in astere pauca, quibus non apta sunt verba *plurima circumfundunturr.* Sed fateor, illi interpretationi minime fauere locum Columellae, quamcunque lectionem sequaris. Sed potuit Columella Gaditanus in notis herbae Italicae, sub nomine amelli ceteris scriptoribus ignotae, facile aberrare, cum ipse melilotum esse forte ignoraret.

Aristomachus] Solensis, puto, quem duodesexaginta annis nihil aliud egisse, et cum Philisco Thasio de apibus scripsisse ait Plinius XI. sect. 9. Brusch. habet *Aristomacus — succurendum.*

9. *consumantur*] Hoc ex emendatione Morgagni voluerat dare Gesnerus, sed operae aberrauerant. Nunc accedit auctoritas libri Sangerm. et voluit iam olim Commelinus ita scribi in Corrigendis. Deinceps *submouere reges* Brusch. Ex Sangerm. *debent* annotauit Ernesti, sed Gronouius integriorem eius lectionem ita prodidit: *plebes regi submoueri debent.* Aldina deinceps suo more *veruntamen* scriptum habet.

10. *exerentes capita*] Palladius Iunio 7. *Sed tunc transferendi sunt, quando erosis cooperculis ad nascendum maturi capita nituntur exerere: nam si immaturos transtuleris, interibunt.*

Φαγέδαιναν] Aristoteles H. A. IX. 40. τὰ δὲ νοσήματα ἐμπίπτει μάλιστα εἰς τὰ εὐθηνοῦντα τῶν ἐμηνῶν, ὅτε καὶ ὁμο-

νος κλῆρος. τῦτο γίνεται ἐν τῷ ἐδάφει σκωλήκια μικρὰ, ἀφ' ὧν αὐξομένων ὥσπερ ἀράχνια κατέχει τὸ σμῆνος ὅλον καὶ σήπεται τὰ κηρία. ἄλλο δὲ νόσημα οἷον ἀργία τις γίνεται τῶν μελιττῶν καὶ δυσωδία τῶν σμηνῶν. et paulo antea ait: nisi apes incubent aues fauos corrumpi et araneis obduci; ἐὰν μὲν τὸ λοιπὸν δύνωνται κατέχειν ἐπικαθήμεναι τῦθ' ὥσπερ ἔκτρωμα γίνεται. εἰ δὲ μὴ, ἀπόλλυνται ὅλα. γίνεται δὲ σκωλήκια ἐν τοῖς φθειρομένοις, ἃ πτερόμενα ἐκπέτανται. Plinius XI. sect. 15. *nam nisi incubauere fauos, liuidos faciunt.* et sect. 16. *fit in fauis quibusdam qui vocatur clauus amarae duritia cerae cum foetum inde non eduxere morbo aut ignauia aut infoecunditate naturali. Hic est abortus apium.* vbi pessime mutauit Harduinus vulgatam lectionem *clerus.* In Aristotele alii libri σκληρὸς habent. Hesychius: κλῆρος· σκωλήκιόν τι ἐν τοῖς σμήνεσι γινόμενον. Idem: κάπρος — καὶ νόσημά τι γενόμενον τοῖς μελίσσαις. qui morbus an idem sit alio nomine appellatus, ignoro. Aristotelis locum ex versione Scoti posuit Vincentius 20. cap. 100. *est autem parius vermis in alueari profundo inuentus, qui, quando crescit, texturam in araneae modum similem facit et dominatur super totum aluear, ideoque mel putrefacit.* De eodem morbo iterum Plinius XI. sect. 20. *fiunt et operis morbi, cum fauos explent; cleron vocant. Item blapsigoniam, si foetum non peragunt.* Ita scilicet ex libris scriptis, quibuscum facit Vincentius, edidit Harduinus, sed rectius antea legebatur, *non explent.* Scilicet haec Plinius ex Hygino aut Celso duxit, qui κλῆρον Aristotelis retinuit, sed ἔκτρωμα dixit βλαψιγονίαν. Postremus Philosophi locus est VIII. 27. τοῖς δὲ μελίτταις ἐγγίνεται ἐν τοῖς σμήνεσι θηρία ἃ λυμαίνεται τὰ κηρία. τὸ σκωλήκιον τὸ ἀραχνιῶν καὶ λυμαινόμενον τὰ κηρία καλεῖται κλῆρος, οἱ δὲ πυραύστην καλῦσιν, ὃς ἐντίκτει ἐν τῷ κηρίῳ ὅμοιον ἑαυτῷ οἷον ἀράχνιον καὶ νοσεῖν ποιεῖ τὸ σμῆνος. καὶ ἄλλο θηρίον, οἷον ὁ ἠπιόλος ὁ περὶ τὸν λύχνον πετόμενος. ἔτος ἐντίκτει τι χνῦ ἀναπνέων. καὶ ἃ κεντᾶται ὑπὸ τῶν μελιττῶν, ἀλλὰ μόνον φεύγει καπνιζόμενος ἐγγίγνονται δὲ καὶ κάμπται ἐν τοῖς σμήνεσι, ἃς καλῦσι τερηδόνας. ἃς ὐκ ἀμύνονται αἱ μέλιτται. νοσῦσι δὲ μάλιστα ἡλιόμενα, ὅταν ἐρυσιβώθη τὰ ἄνθη ἡ ὕλη ἐνέγκῃ, καὶ ἐν τοῖς αὐχμηροῖς ἔτεσι. πάντα δὲ τὰ ἔντομα ἀποθνήσκει ἐλαιόμενα, τάχιστα δ' ἄν τις τὴν κεφαλὴν ἀλείψας ἐν τῷ ἡλίῳ θῇ. Vnde Plinius XI. sect. 21. *aranei quoque vel maxime hostiles; cum praeualuere vt intexant, enecant alueos. Papilio etiam ignauus et inhonoratus, luminibus accensis aduolitans pestifer, nec vno modo. Nam et ipse ceras depascitur, et relinquit excrementa, quibus teredines gignuntur: fila etiam aranosa, quacumque incessit,*

alarum

alarum maxime lanugine obtexit. Nascuntur et in ipso ligno teredines, quae ceras praecipue appetunt. vbi Vincentius 20. cap. 110. habet: *filo etiam aranea quocunque incesserit, alarum maxime lanugines obtexit.* Nunc locum Aristotelis propius inspiciamus. Verba σκωλήκιον τὸ ἀραχνιῶν pessime Gaza vertit: *vermiculus specie aranei — hic sibi similem forma aranei, parit in fauo.* Graece enim est: ἐντίκτει ὅμοιον ἑαυτῷ οἷον ἀράχνιον. quae sunt vertenda: parit aliquid sibi simile sub specie telae aranearum. De altero genere, quod est graece: ἐντίκτει τι χνῦ ἀναπνέων. Gaza reddidit: *haec pulverem spirando in alueo parit.* Pessime Camus ex libris quibusdam χῦ ἀνάπλεων scripsit, interpretatus: *quelque chose qu'il enveloppe de poussiere.* Lanuginem enim ex h. l. transtulit Plinius; et in libris scriptis optimis est ἐντίκτει χνῦν ἀναπνέων. In versione Thomae est: *intus parit caliginem expirans.* In eadem etiam legitur *Ipiliotis*, ita, vt in Graeco legisse videatur ἠπιλιώτης. Denique recte cum libris optimis legit νοσῦσι δὲ μάλιστα ὅταν ἐρυσιβώδη τὰ ἄνθη ἡ ὕλη ἐνέγκῃ. omisso verbo ἡλιέμενα, quod ex verbo ἐλαιάμενα corruptum et alieno loco intrusum fuit. De olei enim noxa deinceps traditur. Omisit etiam verbum Gaza. Pro ὕλη Alberti magni versio nominat *flores papaueris.* Quaedam huius loci ex versione Scoti posuit Vincentius XX. cap. 110 et 112. *Animal quod circa candelam volat, eiicit fauos in terram cum inspirat. et apes quidem non pungunt illud, sed fugit, cum apes suffumigauerit. — Aranea quae graece dicitur selidron* (pro cleron) *generatur in domibus apum, et nocet eis, corrumpens mel, facitque texturam in circuitu domorum illarum.* Vides igitur, iam olim ex mala loci Aristotelici, praecipue verborum σκωλήκιον τὸ ἀραχνιῶν, interpretatione ortam esse opinionem de noxa aliqua araneae, quae fauos nisi derelictos non intrat, quam posuit tamen etiam Virgilius Georg. IV. 246. *inuisa Mineruae in foribus laxos suspendit aranea casses.* Potest tamen defendi Virgilius, qui foribus aluearium interdum obtexi telas aranearum ait, cum scilicet negliguntur aluearia, aut morbosa et infrequentia sunt. Contra male Plinius araneas ipsos fauos aggredi et obtexere ait. Acarum telarium Linnaei quidam habuisse videntur pro Aranea. Is enim morbosos fauos aggredi videtur. Ceterum Plinius aperte in Aristotele legit: ἐντίκτει τε χνῦ ἀναπλέων, interpretatus *alarum lanugine obtexit.* et ex excrementis huius phalaenae ait nasci teredines; deinde tamen alias in ligno aluearium nasci ait teredines. Verum Aristoteles, etsi diserte satis non affirmat, teredines istas nasci ex semine

tineae,

tineae, hepioli dictae, erucas tamen nominans, manifesto mihi vermes ex tinea ortos significare videtur; nec praeterea vllas ligni teredines nominat, quas debes ineptae Plinii interpretationi. Ceterum phalaenam cereanam et melonellam Linnaei intelligi suspicor. Forte et plures eiusmodi pestes cum acaro telario populantur apum mel et fauos. De olei noxa Plinius XI. sect. 21. *oleo quidem non apes tantum, sed omnia insecta exanimantur, praecipue si capite vncto in sole ponantur. — nocent et sua mella ipsis, illitaeque ab adversa parte moriuntur.* — Morbum apum pedicularem et visus hebetudinem curant Geoponica XV. 2. 13. Apes suecicas a pediculis praecipue infestari, et phalaena melonella et sociella Linnaei, conqueritur Hagstrom in Libro de Cultura apum Holmiae 1773. edito, vbi p. 127. pediculus apis depingitur. Scilicet in Suecia per quatuor anni menses pabulantes toti anno prospicere et diu intra alueos conquiescere coguntur per nimium coeli frigus; quod quidem si et per pluuium annum iis acciderit, mirum tunc non debet esse, si apes magis a pediculis, et aluei cum ceris a tineis infestentur. Quod Aristoteles ἔκτρωμα appellat, nostri apiarii *Faulbrut* vocant.

11. *vacuae cerarum partes*] Palladius: *illud ante omnia expediet, vt putres fauorum, vel vacuas ceras, quas aliquo casu examen ad paucitatem redactum non valebit implere, semper recidas ferramentis acutissimis subtiliter, ne mota alia pars fauorum cogat apes domicilia concussa deserere.*

13. *plurimi flores*] Palladius: *nocet apibus plerumque felicitas sua; nam si nimiis floribus annus exuberat, dum solam curam gerendi (generandi* Vincent.) *exercent, de prole nil cogitant. Cuius omissa reparatione populus idem labore confectus extinguitur, totius gentis exitio. (generis* Codex Polit.)

frequentatae] Edd. primae cum Lips. *confrequentatae.* Auctoritates, in Gesneri Thes. L. L. positae, non sunt antiquae.

14. *tertio quoque die*] Palladius: *itaque cum mellis nimietatem videris ex florum grandi et continua messe defluere, interiectis ternis diebus, clauso foramine non eas patiaris exire. ita ad generandam sobolem conserentur.*

prata et arua] Ex Sangerm. *prata etiam parua* annotauit Gronouius.

auocatae] Ita voluit Morgagni scribi, et comprobat emendationem liber Sang. cuius tamen lectionem ita retulit Gronouius: *exiguis foram. relictis, per quae possint apes*

exire, aluorum exitus praecludi, vt alueo fere mellifici euocatae apes quoniam non sperent se posse. Vnde malim legere *opere mellificii.*

Cap. XIV. *duodequinquaginta*] Hic numerus aeuo Metonis et Athenarum coelo conueniens a romana discrepat diebus saltem XII. monente Pfaffio p. 49.

Purgamenta] Palladius: *nunc circa Calendas Apriles curandi sunt aluei, vt omnia purgamenta tollantur, et sordes, quas tempus contraxit hibernum, et vermiculi, et tineae et araneae, quibus corrumpitur vsus fauorum, et papiliones, qui vermiculos stercore suo faciunt nasci. Tunc fumus incensi sicci bubuli stercoris adhibeatur, qui aptus est apium saluti. Quae purgatio frequenter vsque in autumni tempora celebretur.* Varro III. 16. 17. *verno tempore et aestiuo fere ter in mense mellarius inspicere debet fumigans leuiter et a spurcitiis purgare aluum et vermiculos eiicere.* Plinius XI. sect. 15. *fumo crebriore etiam ignauia earum excitatur ad opera. Nam nisi incubauere, fauos liuidos faciunt.* vbi Vincentius male habet *vbi incubauerunt.* Aristoteles IX. 40. ἐπικάθηνται δ' ἐπὶ τοῖς κηρίοις αἱ μέλιτται καὶ συμμέττεσι. ἐὰν δὲ τοῦτο μὴ ποιῶσι, διαφθείρεσθαί φασι τὰ κηρία καὶ ἀραχνιᾶσθαι. Geoponica XV. 4. ἡριναῖς δὲ δέκα ἡμεραῖς διελθεσῶν καπνῷ βολβίτε ξηρᾷ ἐπὶ τὰς νομὰς αὐτὰς ἐξελάσας καθαρίσεις καὶ πορήσεις τὰ ἀγγεῖα· τῆς τε γὰρ κόπρε τὸ δυσῶδες ὄκνον αὐτοῖς προσφέρει καὶ τὸ ἀράχνια ἐμποδίζει. vbi verbum προσφέρει vitiosum esse videtur, si Plinii locum compares. Ceterum vulgatum *hyberno* iterum correxi, vt forma lectionis aequalis vbique seruaretur.

2. *qui tineae*] Palladius tineas a vermiculis distinxit, aliam forte lectionem secutus. De papilionibus videbimus ad sect. 9. Phalaena careana Linnaei et similes intelliguntur. Nam papilionis nomen Romani commune fecerunt phalaenis vespertiniis seu nocturnis et papilionibus diurnis. Tineas Graeci etiam in fauis dixere σῆτας. Hesychius: σής· σκώληξ ὁ ἐν τοῖς μελισσίοις γινόμενος καὶ ὑφάσμασι. Hae tineae in fauis faciunt araneosas telas, nec proprie dicta aranea facile intrabit fauos nisi derelictos. Deinde aliud araneosae telae genus facit in fauis acarus telarius Linnaei. Eum enim intelligi suspicor ab Aristotele H. A. V. 32. καὶ ἐν κηρίῳ δὲ γίνεται παλαιωμένῳ ζῶον ὃ δοκεῖ ἐλάχιστον εἶναι τῶν ζώων πάντων καὶ καλεῖται ἄκαρι, λευκὸν καὶ μικρόν. vbi Codex optimus cum versione Thomae habet ἀκάρη.

3. *qui*

3. *qui apes nutrit*] Haec verba spuria esse censet Pontedera; igitur inclusimus.

pridie castus] Dura mihi videtur locutio pro *abstinens*, etsi scio, Ciceronem *castam a cruore ciuili*, et Plautum *castam a culpa* dixisse.

nec nisi lotus] Palladius: *haec omnia caeteraque efficies castus et sobrius et alienus a balineis, vel a cibis acribus et odoris immundi atque omnibus salsamentis.* Contra Plinius: *inprimis praecipitur, vt loti purique eximant mella.*

abstineatque] Vulgo sequebatur *fere ab*, quae verba cum libris optimis omisimus, suadente etiam Pontedera, vt paulo antea *sit* post *castus*. Postea *allii* dedi cum Edd. reliquis, quanquam in Catone et Varrone alteram scripturam tenendam censeo.

4. *οἴστρος*]. Palladius Maio 10. *hoc mense incipiunt augeri examina, et in extremis fauorum partibus maiores creantur apiculae, quas aliqui reges putant, sed Graeci eos οἴστρους appellant, et necari iubent. quia requiem concutiunt quiescentis examinis.* vbi Crescentius habet: *sed Graecis κηφὴν dicitur hoc genus apis, quia* etc. Codex Erford. habet *costros*. Plinius XI. sect. 16. *nascuntur aliquando in extremis fauis apes grandiores, quae ceteras fugant. Oestrus vocatur hoc malum.* Costros nominat Isidorus apud Vincentium XX. cap. 126. Vide Cangii Glossarium in voce Chosdrus.

5. *mox dicetur*] Antiquam lectionem restitui, suadente etiam Pontedera. In Ascens. esse *dicitur* monuit Gronovius, qui Sang. hanc lectionem annotauit: *mox dicetur cum de conf. m. mox dicetur praecipiemus.* Idem ex Sang. paulo antea *faui demuntur* annotauit.

6. *amitti*] Ita vulgatum *admitti* emendauit Vrsinus, Schoettgen et Morgagni consentiente Sang. libro. Praeterea *intertrimento* malebat legi Schoettgen.

7. *fumigandae*] Plinius XXI. c. 47. *aluos hieme stramento operiri, crebro suffiri, maxime fimo bubulo; cognatum hoc iis, innascentes bestiolas necat, araneos, papiliones, teredines; apesque ipsas excitat.* Quae simillima sunt verbis nostri supra sect. 1.

rigoris] De frigida *rigere* dixit etiam Seneca Q. N. IV. 2. vbi vide Gronouium p. 277. et Plinius 31. sect. 28. Et Frontinus de Aquaeductibus habet: *vt ipsam Martiam splendore et rigore gratissimam.* Palladius Nouembri cap. 8. *eodem mense sordibus liberandi sunt alueoli* etc. quae ad c. 13. ponam. Ceterum opercula alueorum aqua inrorare vespere iubent Geoponica XV. 9. vt congregatos illuc fucos sticu-

losos necent vniuersos. Eandem aquam intelligi puto c. 6. vbi vindimiator, ne ab apibus pungatur, ita instruitur: καὶ ῥοφήσας ἐμφύσησον εἰς τὴν μελισσῶν τρὶς ἢ τέτρακις. nam vnguentum, quod praecessit, quoque facies et manus illinuntur, sorberi non potest et insufflari alueo. Quare lego ῥοφήσας ὕδωρ ἐμφύσησον.

9. *maluae florent*] Palladius Aprili 8. *hoc etiam mense purganda sunt aluearia sordibus, et necandi papiliones, qui maxime abundant florentibus maluis, quos hoc genere intercipiemus. Vas aeneum miliario simile, id est, altum et angustum, vespere inter aluearia collocemus, et in fundo eius ponamus lumen accensum; illuc papiliones conuenient, et circa lumen volitabunt, et angustia vasculi ab igne proxime interire cogentur.* Plinius XXI. sect. 47. *et araneorum quidem exitium facilius est; papilio pestis maior. Tollitur vere, cum maturescit malua, noctu, interlunio, caelo sereno, accensis lucernis ante aluos. In eam flammam sese ingerunt.* Similem modum intercipiendi phalaenas docet Aelianus I. 58. vbi vulgo φάλαγγες nominantur: καὶ αἱ λύγγαι. Intelliguntur φάλαναι, quas Latini etiam papiliones appellauerunt. Graeci dixerunt φάλη et φάλαινα. Vide Hesychium in φάλαι et φάλη. Nicander Theriac. versu 760. φάλαναν nominat.

earum] Male vulgatum *eadem* contra Vrsinum defendebat Gesner, qui deinceps male vulgatum *inter aluos* mutauit, cum deberet sect. 8. ponere *intra aluos*, vbi sensus et lectio Sang. libri a Drakenb. ad Liuium V. 27. annotata postulabat. Ceterum *tinias* ex Sang. annotauit Gronouius.

quod nec facile] Sang. teste Gronouio *quoniam nec facile ex angusto jusum euolent.* De *jusum* satis dictum ad Catonem; *euocant* Edd. primae habent.

10. *quinquagesimum*] Exortum hunc matutinum aeuo Iuliano et coelo romano conuenire monet Pfaff p. 51. et ante eum Pontedera Antiqq. p. 359. qui hinc correxit locum nostri XI. 2. sect. 52. Scilicet XIII. Cal. Sextiles sol adit leonem.

emitescit] i. e. maturescit. Vulgatum *enitescit* recte reprobauit etiam Pontedera.

octauam partem] Plinius 18. sect. 59. *horae nunc in omni accessione aequinoctiales non cuiuscunque diei significantur, omnesque eae differentiae fiunt in octauis partibus signorum.*

crabronum] Palladius Aug. 7. *hoc mense crabrones molesti sunt aluearis apum, quos persequi ac necare debemus.* vbi Polit. Codex habet *infesti.* Modum interficiendi docet Aristote-

ſtoteles H. A. IX. 40. et Aelianus I. 58. Ceterum deinceps *albaria* habet Sangerm. teſte Gronouio.

11. *diebus XL.*] Pontederae corrigenti XLIV. aſſentitur Pfaff p. 51. Vide ad II. 8. ſ. 1.

tamaricis] Palladius Nouembri 8. *huius menſis initio apes ex tamariſci floribus reliquiſque ſilueſtribus mella conficiunt: quae auferenda non ſunt, quia ſeruantur hiberno.* vbi Vincent. *thamarici* alii libri *tamarici*. Lectionem *tamaricis* probat Pontedera, et monet, tamariſcum noſtrum non pertinere ad tamaricem, quae autumno floret, cum ille prima aeſtate floreat. Plinius XI. ſect. 15. *tertium genus mellis minime probatum ſilueſtre, quod ericaeum vocant. Conuehitur poſt primos autumni imbres, cum erice ſola floret in ſiluis, ob id arenoſo ſimile. Gignitur id maxime Arcturi exortu ex ante pridie Idus Septembris. Quidam aeſtiuam mellationem ad Arcturi exortum proferunt, quoniam ad aequinoctium autumni ab eo ſuperſint dies quatuordecim et ab Aequinoctio ad Virgiliarum occaſum diebus 48. plurima ſit erice. Tetralicem Athenienſes appellant, Euboea ſiſyram, quam putant apibus eſſe gratiſſimam, fortaſſis quia tunc nulla alia ſit copia. Haec ergo mellatio fine vindemiae et Virgiliarum occaſu, Idibus Nouembris fere includitur. Relinqui ex ea duas partes apibus ratio perſuadet et ſemper eas partes fauorum, quae habeant erithacem.* Vbi Editio princeps habet *ſiſirum*; alii libri Syſyrum; deinde ex libris edidit ſcriptis Brotier *putantque apibus*. Harduinus et Brotier pro *tetralicem* malebant legi *tamaricem* ex Columella, quorum ſententiae eo lubentius accedo, quod video Vincentium XX. cap. 101. Plinii locum ita legere: *autumni, cum in Africa ſola myrica floret in ſiluis.* Forte haec ex Magone traducta Africum mel proprie ſpectant. Plinius etiam XIII. ſect. 37. *myricem*, inquit, *et Italia fert, quam alii tamaricem vocant.* Praeterea manifeſtum eſt, Plinium ſua cum Columella duxiſſe ex Hygino; igitur de eadem re eademque planta loqui debebat. Idem Plinius 24. ſect. 39. *ericen Graeci vocant fruticem non multum a myrice differentem colore roris marini et paene folio.* Quae ſunt ducta ex Dioſcoride I. cap. 117. Deinde ſect. 41. *Myricen, quam ericen vocat Lenaeus, ſimilem ſcopis Amerinis dicit. Arbitrantur quidam, hanc eſſe tamaricem: ſed ad lienem praecipua eſt — Vulgus infelicem arborem eam appellat, vt diximus, quoniam nihil ferat, nec ſeratur vnquam.* vbi libri ſcripti, ab Harduino inſpecti, habebant: *Myrice camericam Lenaeus.* Vulgo erat: *Myrice quam et tamaricem.* Vincentius habet: *Myricem quam et amaricem vocant, arbitran-*

tur quidam esse tamaricam. Vides igitur, iam olim *myrices, ericae et tamaricis* cum nomina tum naturas fuisse a scriptoribus permutata et confusa inter se; quare non dubito, tamaricem Columellae eandem esse cum erica, vnde Plinius autumnale mel seu ericaeum colligi ait; quod forte rectius myricaeum seu tamariceum appellatur. — Ceterum deinceps *frutectis* habet.

12. *eoque vsque ad*] Haec verba vsque ad finem sectionis omittunt libri optimi probante Pontedera, qui comparabat sectionis 17. haec verba: *post confectam brumam diebus fere quadraginta quicquid est repositi mellis consumunt, et saepe etiam vacuatis ceris vsque in ortum Arcturi ieiunae fauis accubantes torpent.* Sed vide, quae ad illum locum annotavimus.

Hipparchi] Cardines annuos fieri in octauis partibus signorum, brumam capricorni a. d. VIII. Ianuarii Calendas fere, monet Plinius 18. c. 59. Ceterum errore Hipparchum a Columella nominari, monet Petauius Vranologiae P. II. p. 76. quem laudauit Gesner. Pontedera in Antiqq. p. 338. docet, falli Columellam, dum antiqui Romanorum anni ordinationem Eudoxo et Metoni assignat. Totam istam rationem, quae in octauis signorum partibus anni constituit, Chaldaicam esse, Graecis secus discernentibus. Chaldaici anni et romani auctorem fuisse Numam. Ceterum ex Sangerm. *Mentonis* annotat Gronov.

13. *aperire aluos*] Palladius Nov. 8. *eodem mense sordibus liberandi sunt aluei, quia tota hieme eos mouere aut aperire non decet. Sed haec die aprico tepidoque facienda sunt, et pennis maxime auium maiorum, quae habent rigorem, vel aliquo simili omnia interiora mundentur, quo manus non valebit attingere.*

opercula] Plinius XXI. sect. 47. *operculum a tergo esse ambulatorium, vt proferatur intus, si magna sit aluus, aut sterilis operatio, ne desperatione curam abiiciant, id paulatim reduci, fallente operis incremento.* vbi Vincentius habet: *a tergo esse, etiam opus deambulatorio, vt prospiciantur intus, si magnus sit vterus aluearii, prouentus autem sterilis, ne operandi desperatione curam abiiciant — reduci oportet.* In quibus lectiones sunt quaedam vulgatis meliores.

14. *rimarum*] Palladius: *tum rimas omnes, quae sunt extrinsecus, luto et fimo bubulo mistis linamus: et insuper genistis vel aliis tegumentis similitudinem porticus imitemur, vt possint a frigore et tempestate defendi.* vbi Crescentius habet: *ad porticus similiter operiamus.* Sed vel ita discrepat a Columella

mella Palladius. Plinius XXI. f. 47. *aluos hieme straмento operiri, crebro suffiri, maxime fimo bubulo.*

frondium] i. e. virgarum frondosarum. Vide ad V. 6. 17. notam.

15. *occisas aues*] Plinius XXI. sect. 48. *gallinarum etiam crudas carnes.* (apponunt hieme, aut fame laborantibus.) vbi rectius cum libris scriptis et Vincentio leges *nudas carnes.* Voluit ita intelligi interanea exemta. Reliqui scriptores omnes apem affirmant Pythagorico more abstinere carnibus. Cum Hygino tamen facit vir doctus in Scriptis Societat. Oeconomicae Petropolit. IV. p. 82. Ecce etiam Cresc. IX. 98. *cum nimis depauperantur melle — facto supra partem mediam paruo foramine ac per ipsum munda virgula intermissa exhibeant, aut eis mel vel pullum assatum vel alias carnes.* Vide etiam supra ad cap. XIII. sect. 7. notam.

ficum aridam] Varro III. 16. 18. *ficorum pinguium circiter decem pondo decoquunt in aquae congiis sex, quas coactas in offas prope deponunt. Alii aquam mulsam in vasculis prope vt sit curant, in quae addunt lanam perpuram, per quam sugant, vno tempore ne potu nimium impleantur, aut ne incidant in aquam. — alii vuam passam et ficum cum pinserunt, affundunt sapam, atque ex eo factas offas apponunt illis cum tempestatibus et hieme non possunt in pabulum procedere.* Plinius XXI. sect. 48. *si cibus deesse censeatur apibus, vuas passas, siccasue ficos contusas ad fores earum posuisse conveniat. Item lanas tractas madentes passo aut defruto aut aqua mulsa.* Vulgo inepte legitur *vuas passas siccasue, ficosque.* Rectius Vincentius XX. cap. 87. *vuas passas siccas vel ficos tusas.* Ex eodem deinceps lege: *lanas tinctas passo, vel aqua mulsa madentes.*

17. *Arcturi qui est*] Plinius XI. sect. 15. *a bruma ad Arcturi exortum diebus LX. somno aluntur sine vllo cibo. Ab Arcturi exortu ad aequinoctium vernum tepidiore tractu iam vigilant, sed etiam tunc alueo se continent, seruatosque in id tempus cibos repetunt. In Italia vero hoc idem a Vergiliarum exortu faciunt, in eum dormiunt.* Vnde apparet, Hyginum et Columellam haec ex Graecis auctoribus transtulisse, quae caelo Italico conuenire negabat Plinius. Graecorum rationem sequitur Aelianus V. 12. Ceterum diem a Columella positum ad pedes Arcturi pertinere, ex Ouidio Fastor. II. 153. monet Pfaff p. 52.

dum Arcturi ortus] Plinius XI. sect. 5. *conduntur a Vergiliarum occasu, sed latent vltra exortum: adeo non ad veris initium, vt dixere, nec quisquam in Italia de aliis existimat.*

mat. Ante fabas florentes exeunt ad opera et labores. vbi recte edd. veteres cum Vincentio habent *non exeunt*, et locum corrupit Harduinus, docente ipso Plinio 18. sect. 67. de Vergiliarum ortu: *Hoc interuallo et apicula procedens fabam florere indicat, fabaque florescens eam euocat.*

18. *hiberna atque alia*] Recte Pontedera emendabat: *verna atque alia.* Nullae enim regiones hieme apibus pabula praebent, nisi feruidae, de quibus Columella non docuit.

19. *post veris tempora*] In Sangerm. esse *post veris si tempora.*

insulis] Plinius XI. sect. 13. de optimo melle. Atticae regionis hoc et Siculae Hymetto et Hybla, ab locis, mox Calydna insula. Strabo X. p. 489. omne quidem Cycladum mel Attico comparari posse ait, Calymnium tamen reliquo praestare. Plinius XXI. sect. 43. Padi accolas refert nauibus transuehere in pascua, in Hispania vero mulis prouehere. Ceterum lectionem *Syrum* praeferebat Heinsius Epist. ad I. Fr. Gronouium p. 396.

20. *alueos inspicere*] Ita Sang. pro *alueos*, et deinceps *praecepit* teste Gronouio.

sine concussione] Geoponica: *νυκτὸς καὶ ἠρέμα καὶ δέρμασι τὰ ἀγρεῖα περιδήσας αἰρέτω πρὸ ἡμέρας.*

Cap. XV. *maturitas*] Palladius Iunio VII. *hoc mense aluearia castrabuntur, quae matura esse ad mellis reditum,* (alii libri cum Vincentio *redactum*) *signis pluribus instruemur. Primum quidem, si plena sunt, apum subtile murmur audimus. nam vacuae sedes fauorum, velut concaua aedificia, voces, quas acceperint, in maius extollunt. quare cum murmuris sonus magnus et raucus est, agnoscimus non esse idoneas ad metendum crates fauorum. Item cum fucos a sedibus suis, qui sunt apes maiores, grandi intentione deturbant, matura mella testantur.* Varro III. 16. 37. *eximendorum fauorum signum sumunt ex ipsis, si fures aluus habent, an iam exterminarit; et si, opercula alui cum remoueris, fauorum foramina obducta videntur quasi membranis, quia tunc sunt melle repleti. Ex apibus coniecturam capiunt, si intus faciunt bombum, et cum intro eunt ac foras trepidant.* Ita enim locum vitiosissimum omnium partim ex Columella redintegrandum censeo.

immune sine industria] Etiam Pontedera probabat lectionem, ex libris optimis nunc receptam, sed suspecta habebat verba *sine industria.* Ex Sang. lectionem hanc posuit Gronouius; *etiam sine rure, sine industria* vnde efficiebat

I. Fr.

I. Fr. Gronouius *sine fruge*. sed praestat Edd. primarum lectio. Seruius ad Georg. IV. 168. *fucus est secundum Aemylium maior ape, crabrone minor, dictus eo quod sit apibus nocens, quod cum ipse nihil gignat, aliena consumat.* Esse hic videtur Aemilius Macer, quem Plinius inter auctores suos libro XI. praefatus est. Et laudat Aemilium Macrum diserte Seruius ad Aeneid. I. 439. vbi breuius eadem repetit.

2. *et educandam*] Haec spuria esse censuit etiam Pontedera, et recte omittunt Polit. et Sang. Plinius XI. c. 11. *neque in opere tantum, sed in foetu quoque adiuuant eos; multum ad calorem conferente turba. Certe quo maior eorum fuit multitudo, hoc maior fiet examinum prouentus. Cum mella coeperunt maturescere, abigunt eos, multaeque singulos aggressae trucidant; nec genus id nisi vere conspicitur.*

3. *agiliores*] Aristoteles IX. 40. κηφῆνες ὀλίγοι ἐνόντες ὠφελοῦσι τὸ σμῆνος. ἐργατικωτέρους γὰρ ποιοῦσι τὰς μελίττας.

coalescere] Recte Gesnerus emendabat: *conualescere*.

4. *matutinus*] Palladius: *castrabuntur autem alucaria matutinis horis, cum torpent apes, nec caloribus asperantur.*

culter oblongus] Ex loco altero sect. 9. vbi est: *si ceraе dependentes in longitudinem decurrunt, eo ferramento quod est simile cultro, insecantur faui — sin autem transuersi tectis cauearum inhaerent, tunc scalprato ferramento est opus, vt aduersa fronte impressa desecentur.* Ex quo loco patet, scalpratum ferramentum habere frontem planam. Contra in libro IV. cap. 25. falcis vinitoriae pars capulo proxima, quae rectam gerit aciem, culter ob similitudinem nominatur; quae vero a flexu procurrit, scalprum; pars aduncа rostrum. Cultro vti iubet cum desecari aliquid in aduersum pressa manu debet; scalpro, vbi quid laeuigandum et retrahendum. Apertum igitur est vitium huius loci, quod sic emendo: *alterum sit vno capite adunсum scalprum, alterum culter oblongus, ex vtraque parte acie lata, prima fronte planum et acutissimum, quo melius hoc faui succidantur, illo eradantur.* In altero Columellae loco pariter verba turbata esse puto, et primo loco *scalpro* altero *cultrato* legendum.

5. *parte qua*] Hunc locum ex libris optimis restitui approbante Pontedera. Firmat locus Plinii XI. sect. 10. *Primi fere tres versus inanes struuntur, ne promtum sit, quod inuitet furantem. Nouissimi maxime implentur melle; ideaque auersa aluo eximuntur faui.*

vase fictili] Palladius: *fumus admouetur ex galbano et arido fimo bubulo, quem in pultario factis carbonibus conuenit*

vel pullos habentes recidemus. nam malo sapore mella corrumpunt. Mel recens paucis diebus apertis vasculis habendum est, atque in summitate purgandum, donec refrigerato calore musti more deferueat. Nobilius mel erit, quod ante expressionem secundam velut sponte profluxerit.

saccus] Vide infra ad XII. 19. 4.

rubras sordes] Recte Schoettgen interpretatur ἐριθάκην, quam alii sandaracam, alii cerinthum vocant. *Hic*, inquit Plinius XI. sect. 7. *erit apium cibus, dum operantur, qui saepe inuenitur in fauorum inanitatibus sepositus et ipse amari saporis.* Idem sect. 15. *et semper eas partes fauorum, quae habeant erithacen, relinqui ratio persuadet.*

13. *mel*] Hoc primae notae mel Plinius XI. sect. 15. acetum dici ait; sed locus est vitiosus. Vide infra ad XII. 5. 1. stillaticium vocat Marcellus Empiricus p. 79. ed. Corn. Fauum is contundit et suspendit in linteo nitido et denso, et quod decurrerit, eo vtitur.

retractata] Ex Sang. Ernesti annotauerat *retractata remanserunt.* sed Gronouius deesse *retractata* monuit.

Cap. XVI. *Aeris exigui*] Quasi cerae Punicae, id est dealbatae vsus tunc minor fuerit, quam hodie. Artem dealbandae cerae docuit Plinius loco mox laudando cum Dioscoride. Dolia olearia cerare docet Columella Libro XII. Pretium postea cerae creuisse, monuit iam olim Crescentius IX. 104.

reliquiae] Palladius Iunio c. 7. *Hoc etiam mense ceram conficimus, quae in vase aeneo, ferventi aqua pleno, minute concisis fauorum reliquis mollietur, et deinde in aliis vasculis sine aqua resoluta digeretur in formas.* quae vitiosa esse intelligis comparato nostro loco et Plinio XXI. sect. 49. *Cera fit expressis fauis, sed ante purificatis aqua et triduo in tenebris siccatis, quarto die liquatis igni in nouo fictili, aqua fauos tegente; tunc sporta colatis. rursus in eadem olla coquitur cera cum eadem aqua, excipiturque alia frigida, vasis mello circumlitis.* Quare in Palladio legendum censeo *vasculis similiter aqua.* Haec postquam scripseram, incidi in locum Crescentii IX. 104. vbi post primam liquefactionem addit: *et si placuerit, vt pulchrior adhuc fiat, sine aqua iterum liquefiat, et in vase aqua madido cuiuscunque formae placuerit, iterum reponatur.* Variatum igitur fuisse videri potest in hac re. Crescentius tamen verba Palladii vix respexisse videtur.

2. *sub-*

2. *subest*] Ita pro *superest* scribi volebat ex Edd. primis Pontedera, qui locum Ciceronis pro Milone addit, vbi *comitiorum dies subesse*, i. e. instare dicitur.

Gallioni] Est ne is Iunius Gallio, frater Senecae?

COMMENTARIVS
AD
LIBRVM X. COLVMELLAE.

Praefat. *hac minus parte*] i. e. hac deficiente parte. Formulam multis locis comparatos illustrauerat ad h. l. Crenius Parte X. Animaduers. p. 9. Pauca indicabo. Cicero Verrin. I. 45. 57. Nepos II. 5. 2.

pauperibus] Recte vocem hanc contra Barthium delentem Aduers. 37. 7. defendit Gesner. Deinceps ex Sangerm. *ferinaeque* omissa *carne* corrigebat Heinsius Aduers. I. p. 107. In Ernestiana collatione nihil varietatis annotatum est. Sententia ipsa mihi paulo obscurior visa ita explicari potest, vt dicamus, epulis victum quasi quotidianum opponi. Licebat igitur in antiqua parsimonia etiam pauperibus epulas interdum paruo sumtu dare et frequentare, cum reliquum victum omnes aqua et frumento tolerarent. Pertinet ergo copia lactis et carnis ad epulas; quare semicolon post *epularum* sustuli, et transtuli post *carne*.

3. *quoniam et fructus*] quamuis cum Sang. *et* omiserim, nihilo tamen magis locum ita sanatum puto; certe non satis equidem intelligo, quem fructum dicat Columella. Si horti fructum voluit intelligi, vt debuit, tum deest vocula aliqua.

exordiis] i. e. libris. Ita saepe noster.

posteris se] Vulgatam *posteris post se*, sane vitiosam, ita corrigebat Pontedera, vt *posteris* deleret. Sed praestabat praepositionem *post* omittere, praeeuntibus libris scriptis, additam forte ex loco Virgilii hoc: *praetereo, atque aliis post commemoranda relinquo*, vbi libri quidam habent scriptum: *post me memoranda*.

4. *conspici*] Hoc substitui vulgato *speciose confici*. Pontedera etiam praeferebat lectionem *conspici*, sed addito *speciose* quid fieri vellet non significauit. Equidem interpretationem puto esse vulgatam elegantioris et verae, quam posui lectionis. Vide nostrum III. 10. 17. *conspici numerosissimis foetibus*. In Codice Mosq. est *spetiosi conspici*.

funis]

funis] Graecum prouerbium ex Suida: ἐξ ἄμμου σχοινίον πλέκειν atque aliunde annotauerat Barth Adv. 50. 10.

5. *adeo*] Omissum vulgo hanc particulam orationis inserendam et restituendam esse viderant Vrsinus, Morgagni et Pontedera, quos secutus est Gesnerus. Contra ea omissa locum ita sanari posse putabat Barth Aduers. I. 2. vt *consulatur* scribatur.

Versu 4. *caelestia mella*] Ex aere scilicet defluere sublucanis temporibus olim quidam putabant.

6. *numeroso*] A numero herbarum dictum Pomponius, pretiosum Barth Aduers. I. 2. XXXVII. 7. amplum, laxum in multas areas definitum interpretatur Gesner. Equidem malim numeris suis completum, seu perfectum, bonum interpretari. Paulo aliter est numerosum pectus equi VI. 29. 2. et numerosa equi femina VI. 29. 3.

7. *terga*] Graecum νῶτα θαλάσσης et similes locutiones comparauit Barth. Adv. I. 2. Sed noster etiam in prosa oratione adhibuit. Vide II. 2. 23. IV. 14. 1.

9. *ramine lacto*] Vrsinus malebat *gramina laeta*, cui oblocutus Barth Aduers. I. 2. malebat *lecto*. inepte!

12. *conuicia*] Fabulam spectat apud Ouidium Metamorph. VI. 377. *quamuis sint sub aqua, sub aqua maledicere tentant*. Querelam ranarum nouimus ex Virgilio etiam.

15. *lapidosis pomis*] i. e. quae duros, lapidosos, nucleos habent. Ita lapidosa corna Virgilio Georg. II. 34. Prunus siluestris quae sit, docui ad II. 2. 20.

16. *consternitur*] quae mala sponte nata et strata per terram sub arbore habet. Pomum mali cum vbere comparatur.

17. *helleboros*] Scilicet album et nigrum helleborum.

carpasa] Vulgata *galbana* inter siluestres plantas Italiae memorari merito mirari debebant Interpretes, si animum aduertissent. Plinius enim suo tempore e Syria galbanum, plantae ferulaceae succum, in vsum medicinae afferri refert XII. sect. 56. atque alibi propter ingens eius pretium propoli pro galbano vti vulgo ciues suos. Vitiosum igitur esse vocabulum, satis hoc ipso et solo argumento agnoscimus. De noxa succi galbanei non est, quod laboremus, etsi maior eius est vtilitas in medicina; noxam tamen aliquam vel grauis odor potest inferre incensi, quamobrem ad fugandas bestias venenatas adhibetur. Noxam aboriendi significare videtur Hesychii glossa: ἀμβλῶνες· χαλβάνη. Διονύσιος. Mel galbanatum, ex pastu galbani collectum, ad oculorum claritudinem facere refert Alexander Aphrodis. Problem.

Problem. II. libro. Praeterea libri scripti optimi habent *carbasa*; quae sunt lini tenuissimi genus, in Hispania primum repertum auctore Plinio 19. sect. 2. Sed haec non pertinent huc. Igitur *carpasa* scribendum. Dioscorides inter venena plantarum refert Alexipharm. c. 13. τὸν τῆς Καρπάσε ὀπὸν, succum Carpasi plantae; Plinius 32. s. 20. Carpathii succum dixit. Eundem opocarpathum dixit libro 28. s. 45. et 32. sect. 31. Ὀποκάρπασον ex Archigene nominat Galenus Libro I. Medic. secund. loca cap. 3. atque idem libro primo de Antidotis, vbi Archigenis theriacam interpretatur, myrrham saepissime ait succo carpasi ex ipsorum adeo medicorum consilio permisceri, vel fraude pharmacopolarum, propter magnam opocarpasi similitudinem, adulterari. In Galeni loco posteriore editio Basil. habet ὀποκάλπασον, vt in Orphicorum, si diis et Ruhnkenio placet, Argonauticorum versu 920. liber Vossianus nominat κάλπασον inter plantas veneficio aptas. Ex Galeno duxit forma mutata Καρπησίαν Paulus Aegineta V. 45. aqua καρπήσιον a Galeno alibi nominatum differre censet Gorraeus. Inter species ad vectigal pertinentes refertur etiam *carpasum* L. XIV. §. 7. de Publ. et Vectig. De carpesio plane diuerso, Pamphyliae virgulto, quod viribus cum cinnamomo, cassia, asaro et phu comparauit, Galeni loca diligenter collecta posuit Cornarius ad Galeni libr. de Compos. medic. sec. loca p. 331. Hodieque myrrham in Abyssinia adulterari gummi aliquo, *Sassa* dicto, quod antiquum opocalpasum esse censet, annotatum reperio a Iac. Bruce in Philosoph. Transactions Vol. 65. Parte II. Etsi vero ex nullo veterum scriptorum cognosci potest, carpasum Italiae indigenam fruticem fuisse, malui tamen lectionem librorum optimorum sequi, quia galbana nemo inter venena, sed inter medicinas validissimas numerant omnes. His demum scriptis vidi Abr. Gronouium ad Iustinum p. 959. ed. secund. ex lectione *carbasa* similiter efficere *carpasa* et vulgatam damnare. Altera eius coniectura *gramina* h. l. legi vult.

18. *taxos*] Hodieque taxos experimur letales homini pecorique.

toxica] Quam voluerit plantam intelligi, non est facile dicere. Scriptores alexipharmacorum multa venenorum genera toxicorum nomine nobis tradiderunt, quae nemo hodie extricauerit. Nec possum probare coniecturam Abr. Gronouii ad Iustinum l. c. qui malebat legi: *quae strenua toxica sudant*. Toxica enim ex taxo fieri, seriores Etymologi quidem tradiderunt, referente Plinio 16. cap. 10. *Sunt*

qui

qui et taxica hinc appellata venena dicant, quae nunc toxica dicimus, ſed veteres ſcriptores nuſquam; etſi etiam Lucanus falſam opinionem fuit ſecutus, vt docui ad Nicandri Alexipharmaca.

19. *ſemihominis*] Radicem ἀνθρωπόμορφον mandragorae ſomniarunt ſcriptores multi veteres nugaces. Vires plantae ſoporificas omnes memorant.

10. *cicutam*] Poenis Athenienſium capitalibus infamem, ideo moeſtam, et quod veneno ſeuo hominem interficit.

21. *ferulas*] Ludimagiſtrorum ſceptra et baculi pueris infeſti diſcentibus hinc fiebant. Vnde manum ferulae ſubducere apud Iuuenalem.

22. *terga rubi*] Rubi terga non ſatis intelligo quo ſenſu dixerit Columella, truncum ipſum an ramos. Geſnerus interpretabatur *connexos inter ſe et implicitas frutices*. Contra Barth. malebat *tela* aut *ſerta* legere pro *terga*. Ceterum *acqua* recte vulgato *aeque* ſubſtitui iuſſit Vrſinus; *aequae rubri* malebat cum Buchnero Heinſius ad Ouidii Metamorph. I. 109.

paliuron] Virgilius Eclog. V. 38. *Carduus et ſpinis ſurgit paliurus acutis*.

23. *durus attrahat*] i. e. incola ad labores induratus deriuet in hortos.

25. *illacrimet*] i. e. riget hortos.

26. *hauſturis*] Neſcio quid tantopere diſplicuerit viris doctis in hoc verſu, vt certatim emendare eum conarentur. Dicitur eſſe ſcriptum in Edd. antiquis, neſcio quibus, *tollentibus* pro *tendentibus*; vti refert Barth Aduerſ. I. 2. vnde viri docti occaſionem arripuerunt loci emendandi. Et primum quidem Leonicenus in Comment. ad Ariſtot. Mechanica voluit legi *celonius*. Graece vero κῆλων et κηλώνειον dicitur, qui latine *tolleno*. Ptolemaeus deinde Flauius Coniectan. cap. 92. malebat: *tellonibus*. Sauaro ad Sidonium Apollin. p. 321. e vetere Codice affert lectionem: *ne labus hauſturis*, ſimulque affert coniecturam viri docti, qui *latus* malebat. Io. Fr. Gronov. ad Liuium 24. 34. emendabat: *hauſturo tolleno tibi ilia vellat*. Aldinae Editioni V. D. adſcripſerat *labor* pro *grauis*. vnde efficiebat Vonck: *ne labor auſterus tendentibus* etc. Satis probabiliter, ſi locus emendatione egeret. Vonckii coniectura exſtat in Hiſt. et Comment. Acad. Theod. Palatinae Vol. I. p. 156. Is putabat in locum vocabuli *labor* gloſſam *grauis* ſucceſſiſſe. *Auſterus* vero idem ei videtur eſſe, qui *grauis*. Vulgatam defendebat etiam Barth l. c. et Pithoeus Subſeciv. II. 17.

29. *Dae-*

29. *Daedaliae*] Hanc ſcripturam praeferebat Gronovius, auus ne an nepos, dubito, quoniam *Daedalea* apud Horatium Odar. IV. 2. 2. penultimam habeat productam; igitur in Propertio etiam II. 14. verſu 8. *Daedalium iter* Codd. praeferebat. Apud Homerum ſimiliter Δαιδάλιος ſcribi malebat, vt alibi πελάγιος, ταινάγιος, Ταιναρίος. In Ouidio cum N. Heinſio *Taenarius* ex Codd. et in Claudiano II. Rap. Proſ. *Tantalius* ex ſchedis Thuaneis probat.

32. *Ithyphalli*] Priapum dicit Bacchi filium. Bacchum ſaepius hoc vocabulo indigitatum legimus. Ceterum, qui Maronis aemulationem praefatus erat, carminis dignitatem et caſtitatem male ſeruauit Columella h. l.

36. *quo ſidere*] In tota enim agri cultura ſiderum ortus occaſuſque diligenter obſeruabant. Virgilius Georg. I. 1. *quo ſidere terram vertere.*

37. *Paeſti*] Oppidum Lucaniae. *Biferique roſaria Paeſti* Virgilio Georg. IV. 119. Gemmas florum et arborum proſaica etiam oratio frequentat.

38. *Bacchi genus*] i. e. vitis, et arbores inſitae. Ceterum Heinſius ad Virgilium p. 89. malebat *alienae ſtirpe grauata.*

39. *adoptatis*] fructibus ex ſurculo alieno inſito natis.

40. *deducite*] Verbum fila ducentibus ex lana proprium. Simile ex textrina duxit infra: *gracili connectere carmina filo.*

41. *ſitiens*] reſpicit ad caniculares aeſtus, et voluit dicere caniculae occaſum.

42. *librauerit*] i. e. poſt aequinoctium autumnale.

43. *ſatur*] Quanto magis decore Horatius Epod. II. 17. *decorum mitibus caput pomis!*

44. *ſordidus*] Ouidius Faſtor. IV. 897. *venerat autumnus calcatis ſordidus vuis.* Iterum Metamorph. II. 29. monente Schoettgen. Inepte Columella vtitur epithetis rem ruſticam taedio lectorum et nauſeae tradentibus.

46. *deſeſſa*] Ita ex libris ſcribi voluerunt Pontedera et Geſner; hic quidem malebat etiam *madeſcit.*

48. *inſſi*] arte deducti. Vide infra XI. 3. 8.

51. *Iupiter*] Graeci enim dicunt ὁ Ζεὺς ὕει, Iupiter pluit.

52. *hiems*] i. e. pluuiae hiemales, vt ait XI. 3. 10. Hiemis initium refert Columella XI. 2. 84. ad V. Idus Novembres.

Gnoſius] Hanc lectionem in Codice vetuſto repertam probauit etiam Pius, qui recte comparauit locum Virgilii;

Gnosiaque ardentis decedat stella corona. Intelligitur corona, Ariadnae a Baccho donata, deinde in coelum inter stellas relata.

53. *celetur*] Occasum coronae dicit. Lectionem *celeretur* seu potius *curuetur* non solum elegantiorem, sed accuratiorem iudicauit nuperus Georgicorum interpres I. H. Voss; in occasu enim heliaco stellam prius inclinari ad horizontem, seu, vt poetae fingunt, ad oceanum. In quo iudicium hominis desidero, qui sibi ipse acutissimus visus est, et rus totum sapit ingenio et moribus, vbi rusticam disciplinam commentariis explicare conatur. Mihi versus hic Columellae ineptus videtur propter verba *vertice mundi* addita aequori.

54. *Atlantides*] Hyades seu vergilias, Atlantis filias, earumque occasum matutinum dicit. Virgilius Georg. I. 225. *ante tibi Eoae Atlantides abscondantur Gnosiaque ardentis decedat stella coronae, debita quam sulcis committas semina, quamque inuitae properes anni spem credere terrae.* vbi Columella verbum *decedat* de occasu coronae interpretatus est. Vergiliae solis exortu incipiunt occidere XIII et XII. Calendas Nouembres, teste Columella XI. 2. 77. Coronae occasus vespertinus in mensem Nouembrem incidit, diem variant scriptores.

57. *nepae*] i. e. scorpii. Solem dicit ex scorpione in sagittarium transeuntem, quod facit XIV. Cal. Decembres, teste Columella XI. 2. 88.

Croti] Sagittarius, quem alii Centaurum Chironem vocant, scorpioni dorsum obuersum habet. Alii Crotum hunc vocabant, Euphemes filium, de quo Hyginus Astronom. II. 27. et Fabul. 224.

58. *nescia*] Noli rustici parcere terrae falso matri generis humanae creditae. Genus enim istud hominum, quod ex luto Prometheus finxerat, diluuio Deucalioneo periit. Mihi quidem ineptum hoc Columellae poeticum ingenium simulantis phantasma videtur!

62. *barathrum*] Pro Tartaro dixit.

64. *streperent*] clamoribus inconditis timorem significarent.

65. *manus*] Pyrrhae proiicientis saxa, vnde genus hominum renasceretur.

67. *sed ecce*] Durus mihi videtur transitus hic poetae!

68. Mosquensis liber *eternusque — heia age segnis* habet.

72. *latis — marris*] In Codice Andronici Bononiensis peruetusto scriptum *marris — matris* reperit etiam Pius, et

et recte probauit marras, quia nuspiam clathrorum inter rustica fodiendi instrumenta fit mentio. Infra versu 89. similis est varietas in *marra*. Qui *matris* scripserunt, ad viscera terrae referri voluerunt. Marram nominauit Plinius XVII. 21. XVIII. 16. Iuuenalis III. 311. Hesychius: *μάρραν· ἐργαλεῖον σιδηρᾶν.*

et summo] In Codice prisco Pius reperit scriptum *et summo feruenti*, quod interpretari conatus est. Buchner *foetentia* legens sinum interpretabatur inepte! *et summo frondentia* praeferens de frondibus miscendis explicabat Schoettgen. Heruagianum *frequentia* posuit Gesner, etsi *feruentia* malebat, de fermentatione terrae interpretatus. Equidem cum Pontedera probaui eam lectionem, quam commodissime interpretari licet. Iubet enim poeta, vt iterum versu 88. glebas cum cespite viridi et herboso in summum egeri, et reponi Abr. Gronouius malebat: *summoque frequenti cespite mista*, comparans *summa cespitum* ex Plinio XVI. cap. 31. *et summo cespite* ibidem 33. cap. 4.

77. *frigore*] Recte vulgatum *frigora* damnauit Pontedera; *torpentia* refertur ad viscera.

79. *Lyra*] Nostro XI. 2. 14. Tertio Nonas Febr. tota fidis occidit. eidem sect. 15. Fauonii spirare incipiunt VII. Idus Februarias.

81. *rudere*] i. e. terra congesticia. Cf. ad Colum. II. 10. 18. II. 16. 5. Arbor. III. 6. Pallad. Sept. 7. Oct. XI. 2.

82. *saturet*] Ita cum Pontedera scripsi ex Edd. primis; nec deliceps opus est Gesneri emendatione *olido* legentis. Mosq. liber *holitor*.

83. *qualos*] corbes stercorarios dicit.

84. *fesso*] Gesner *fisso*, i. e. fosso, marris et bidentibus conciso praeferebat. Inepte. Stercus enim imponebatur terrae, antequam bidente colebatur. *Fesso* poetae melius convenit; imaginem enim iucundam animo lectoris praebet.

89. *fracti*] Interpretari commode non licet vocem hanc; igitur Gesner malebat *tracti* aut *forti*. Suspicabatur tamen simul fructum ligonem dici infractum seu inflexum. Equidem malim *fractam*.

90. *vbera*] i. e. vt campus in vbertatem putrescat.

91. *tritura solum*] Ita ex Edd. primis scripsi cum Pontedera pro *tunc quoque trita solo*. Neque enim adhuc sarcula primo vere adhibenda trita solo splendent, sed terent solum adeoque rastri vicem gerunt, alibi ad sarriendum seu sarculandum adhibita.

92. *foros*] Porcas inter duos sulcos elatas Schoettgen, caua contra sulcorum interpretatur Gesner; hic tamen malebat intelligi foros et tramitem de gradibus, quos alibi dixit Columella, seu spatio, quantum vno nisu effoditur. Ineptissime. Dicit poeta areas in horto distinguendas tramite parvo seu semita. Aduersum limitem dixit pro via, linea recta. Iubet igitur rastra duci in aduersum et obliquum.

94. *pectita*] Infra 148. *ferroque bicorni pectat et argentem sulcis exterminet herbam.* Pectinari segetem in herba crate dentata stilis ferreis ait Plinius XVIII. sect. 50. et occam vocat Phanias in Epigrammate κτένας ἑλκυστῆρας pectines tractiles. Sarcula antea interpretatus sum rastra pectinata; et *pectita* h. l. ad rastri dentes refert etiam Salmasius ad Solinum p. 534. qui simul monuit, *discrimen* dici in ornatu muliebri, cum acu discriminali coma in duas partes per medium caput diuiditur. Ita rastrum ductum in rectum et obliquum glebas imminuit, solumque aequat. Forte discrimen h. l. refertur potius ad semitas, quibus areae distinguuntur.

95. *depofito*] Elegantem Gronouii, Io. Fr. an Abr. coniecturam *et posito* approbare non dubito.

97. *calthae*] Infra versu 307. *flammeola caltha;* et versu 258. *phrygiae calthae gemmantia lumina promunt.* Plinius 21. c. 15. post violas luteas: *proxima ei caltha est concolori magnitudine. Vincit numero foliorum marinam quinque non excedentem. Eadem odore separatur. est enim gravis calthae.* vbi inepte Harduinus ad violarum genus refert caltham. Plinii locum tentauit I. Fr. Gronov. ex lectione libri Vossiani egregii: *conculcari amplitudine* efficiens *cochleari amplitudine.* Sed in medicina aliqua ferrem eam locutionem, non in floris magnitudine definienda. In antiquo libro exstat *similitudine*, quae lectio ad veram ducit, si *concolori* vel *conculcari* mutes in *oculari similitudine.* Scilicet intelligitur chrysanthemum, quod Dioscorides IV. 58. ἔνθη μήλινα ἰσχυρῶς στίλβοντα κατ' ὀφθαλμὸν κυκλοτερῆ habere dixit, et Neophytus graece κάλχην Romanis caltham dici annotauit apud Bodaeum p. 835. Loca poetarum graecorum apud Athenaeum XV. p. 682. in coronis adhibitae calchae colorem luteum testantur. Alii calendulam nostram interpretati sunt; quos sequitur Scopoli Flor. Carniol. II. p. 147. In Plinii loco Vincentius Sp. nat. X. 159. habet *cum coloris alias concolori amplitudine.*

98. *leonis*] Infra versu 260. *oscitat et leo.* Pomponius ad h. l. herbam leoninam in montibus nasci ait, floribus leoninum

ninum os apertum imitantibus. Videtur igitur genus aliquod antirrhini L. intelligi voluisse, cuius generis species aliquot horti nostri alunt. Germanicum nomen latinum imitatur; vocamus enim genus hoc *Löwenmaul*, i. e. os leonis. Gesnerus in indice nomen leonis herbae omiserat. Geoponica orobanchen, legumina enecantem, vocant ὀροβολέοντα, i. e. leonem leguminum. II. 41. Dioscorides II. 172. simpliciter λέοντα, leonem nominat orobanchen. Ad antirrhinum locum Columellae retulit etiam Dodonaeus p. 182. monente Gesnero. Nic. Heinsius corrigebat h. l. *et hiantes apta leones hora seri.* male de leontopetalo flore Dioscoridis interpretatus. Pontedera etiam antirrhinum interpretatur.

99. *calathis*] Virgilianum locum Eclog. II. 45. *tibi lilia plenis ecce ferunt nymphae calathis* inepte comparabat Schoettgen, *virentia* interpretatus recentia. Gesner malebat *nitentia.* Calathum de cinarae capite florescente dixit infra versu 240. Plinius 21. c. 11. de lilio; *candor eius eximius, foris striati et ab angustiis in latitudinem paulatim se laxantis effigie calathi, resupinis per ambitum labris tenuique filo et semine, stantibus in medio crocis.* De Cantabrica idem 25. c. 47. *in caule flosculi oblongi veluti calathi.* In lilio nullus est viror; igitur Gesneri emendationem probo.

100. *niueos*] Coelestis luminis hyacinthum habet IX. 4. 4. ferrugineos infra versu 305. qui videntur esse flores Aeacii versu 175. Hoc loco genera duo iridum intelligit. Dioscorides IV. 63. hyacinthum ait foliis et radice bulbis similem esse; idemque Nicander apud Athenaeum: ἔστι δ' ἐν ἀίζηοῖν ἀγαλλομένῃ ὑακίνθῳ αἰαστῆ προσέοικε.

Pallet] Ita Virgilius Eclog. II. 47. pallentes violas dixit, quas Seruius amantium colore tinctas interpretatur. Scilicet apud Horatium est *tinctus viola pallor amantium.* Inepte Heinsius ad Petronium cap. 30. legi volebat *pullat humi.* Ibidem codicis Sangerm. lectionem memorat hanc: *purputat albo.* vnde efficiebat *purpurat albo.* In collatione nostra varietas ea annotatur, quae ad Lipsiensis libri scripturam proxime accedit. Purpureum colorem h. l. Schoettgen de flauo seu igneo explicabat cum Barthio Adnerf. 37. 20. Frondentem Gesnerus interpretabatur, dubius tamen, frutescentem. De violis audiamus Plinium 21. sect. 14. *earum plura genera. purpureae, luteae, albae, plantis omnes satae. Ex iis vero, quae sponte apricis et maris locis prouenium, purpureae, latiore folio, statim ab radice carnoso, exeunt, solaeque graeco nomine a ceteris discernuntur, appellatae ion, et*

ab his ianthina vestis. E satiuis maxima auctoritas luteis. Genera iis, Tusculana; et quae marina appellatur, folio aliquanto latiore, sed minus odorato. In totum vero sine odore minutoque folio calathiana, munus autumni, ceterae veris. Scilicet graece vulgaris nostra viola dicitur μέλαν ἴον seu πορφυρεῦν, Virgilio quoque Eclogae X. nigra viola; alba viola λευκόιον dicitur. Idem Plinius 21. f. 38. *florum prima ver nuntiantium viola alba; tepidioribus vero locis etiam hiieme emicat. Postea quae ion appellatur et purpurea. Proxime flammea, quae et phlox vocatur, silvestris duntaxat.* Serotinae seu autumnalis colorem conchyliorum saturatissimum esse ait sect. 22. Nunc de Columellae loco dispiciamus. Primum illud recte vidisse puto Gesnerum, differentiam statui inter violam humilem pallescentem, et fruteſcentem ex purpureo auream. Pallentem de colore non albo, sed luteo propriorem interpretor. Ita enim Ouidius saxum auro pallere et glandes pallescere dixit. Deinde eadem violarum genera cum Columella Nicander in Georgicis apud Athenaeum descripsit verbis simillimis: ὠχρόν τε χρυσῷ τε φυὴν εἰς ὦτα ἰδέσθαι. Pallidam igitur vocat ὠχρὸν ἴον, aureum alterum. Vnde apparet, purpureum colorem h. l. de splendido aureo, vt alibi de candido splendente, dici. Quae tamen planta nomine violae pallescentis sit intelligenda, nescio. Leucoium fruticosum (nam est etiam bulbosum diversi generis, quod primum vere floret, Linnaeo Galanthus et Leucoium) putant quidam esse cum viola lutea ex eo genere, quod Linnaeus Cheiranthus appellauit, in quo nostri etiam hortulani violae similitudinem nomini seruarunt. Ceterum Vrsinus corrigebat: *quae frondent purpura et auro ponuntur violae.* cui assentiri videtur Pontedera pallentes violas Martias, reliquas interpretatus violas Trinitatis.

102. *nimium*] Inepte Heinsius corrigebat *minii*, vel *minio pudore.*

103. *panacem*] Infra XI. 3. 29. panax nominatur. Alii panaces; asclepion intelligi, docebitur infra, ferulacei caulis et vmbellifera planta, ex cuius radice succus, opopanax, colligebatur. An heracleum panaces Linnaei.

104. *Glaucea*] Plinius 27. sect. 59. ex Dioscoride IV. cap. 100. descripsit, ita, vt appareat, nisi in medicorum vsum, plantam in horto romano cultam non fuisse; de qua tamen ipsa cultura nec ipse Columella, nec alii scriptores Romani tradiderunt aliquid. Nomen ex coeruleo colore factum est graecum γλαυκεῖον et γλαύκιον, hinc h. l. malim *glaucia.* Est chelidonium glaucium Linnaeo, papaueri cognatum.

105. *ar-*

105. *armantque*] Gesner malebat *animantque*. Egregiam Sang. lectionem annotauit Gronouius, quam recepi. Bulbos languentem venerem stimulare, notum est; hinc Martiali III. 75. *erucae bulbique salaces* iunguntur. Hinc *genitalia semina* dixit Columella.

106. *bulbi*] Megaricos bulbos habet etiam Cato c. 8. Ad genus orchidum pertinere suspicantur viri docti; quod mihi non videtur. Bulbus enim vt scilla et caepa tunicati capitis sunt, teste Theophr. H. P. I. 10. ἀεὶ γάρ ἐστι περιαιρεῖν αὐτῶν.

107. *Sicca*] Et verba et sententia dubia sunt. Pomponius de sile, cypero et loto cogitasse quosdam ait. Schoettgen dubitat ad semina bulborum praecedentia referat, an ad erucam. Si ad erucam referas, monet, esse debere *quam Sicca*. Gesner antiquam lectionem probare videtur *et quae scilla*, et deinde mauult legi *latet* vel *iacet obruta*. Mihi plane non dubium est, Libyoos bulbos, a Plinio et Ouidio laudatos, hic intelligi a Columella; igitur sanam lectionem vulgarem praestare ausim.

108. *frugifero*] A spicea corona, quae Priapo imponebatur aestate, monente Schoettgen iuxta Priapi statuam seri ait erucam, quia Venerem similiter stimulat.

110. *breue chaerophylum*] Plinius 19. sect. 54. caerefolium graece paederota vocat.

111. *Intyba*] Graecae originis esse negat Plus, igitur *intiba* scribendum nomen censet. Lectio antiqua *Cicorea* vel *cichorea* ferri potest mutata in *Cichora*, etsi agreste intubum sic Latini vocant. Nicander similiter in Alexiph. versu 429. dixit κιχόρα. Virgilii *amaris intyba fibris* respexit Columella. Pomponii locum habet Nonius p. 209. *Rustici edunt libenter pedibus (dapibus* corrigit Mercerius) *tristes atros intybos*. Ibidem Lucilius p. 137. *pulmentaria vt intybus aut aliqua id genus herba, et ius maenarum, bene habet se, mittilis haec est merx*. Sic enim recte Editio Parm. 1480. vbi Mercerius dedit *Mittiris*. Praeterea Parm. *pulmentaria vtentibus — meri* vnde efficitur *vt entibus* vel *entybus*. Cod. Pol. h. l. *intiba* habet.

lactucula] A lactuca diuersa, cuius genera et sationem persequitur infra versu 179 seqq. In Palladio I. 30. f. *lactuculas* est pro *lactucas*, quod liber Exford. habet. Et lactucam simpliciter in pabulo anserculorum memorat Columella VIII. 14. f. 2. Videtur Columella sonchum intelligere. Plinius 22. f. 44. *estur et sonchos vterque, albus et niger, lactucae similes ambo, nisi spinosi essent, caule cubitali, angulosio,*

intus cauo, sed qui fractus copioso lacte manet. Dioscorides II. 130. genus agreste, et vrbanum esculentum memorat et Galenus F. S. M. VIII. inter agrestia olera recensens χλωρὸς ἔτι καὶ ἁπαλὸς ἐσθίεται. Gallice dici *Laitron* a similitudine lactucae, monuit Harduinus; Hetrusci *cicerbita* vocant inter hortensia. Vocabulum id antiquum latinum sonchi fuit; nam in Nothis Dioscoridis est, Romanos sonchum asperum vocare *cicerbitam asperam;* et apud Marcellum Empiricum cap. 8. est *cicerbitae quam Graeci souchon appellant.* Ita enim vulgatum *cucurbitae* correxit Reinesius ad Petronii c. 66. p. 328. *Lactuculae* thyrsum in cibo Augusti nominat Suetonius c. 77.

fibris] Ouidius Fastor. I. 351. *nam sata vere nouo teneris lactentia sulcis.* vbi ex h. l. *fibris* corrigit Pontedera Antiq. p. 470.

112. *infractis*] Gesner malebat *infarctis*, i. e. confertis capitis spicis.

113. *fabrilia*] Varie h. l. tentarunt viri docti. G. Pelisserius apud Turnebum XVII. 22. emendabat: *quaeque habilis beta est fabrilibus escis.* Et betas fabrorum prandia vocat Martialis XIII. 13. Vvas fabriles nouimus esse, quae in caminis fabrorum fumo durantur ad perpetuitatem. Bulbos fabriles habet Apicius VIII. 7.

114. *Assyrioque*] radicem dicit Syriacam, de qua vide ad XI. 3. 59. radicem a Palladio simpliciter dictam, Graecis ῥαφανίδα. Male Salmasius ad Solinum p. 820. gingidium interpretatur.

115. *sociata*] Gesner lectionem *satiata* praeferebat, cuius tamen interpretatione abstinuit.

116. *zythi*] Est οἶνος κρίθινος Aegypti ab Herodoto memoratus et Plinio libro 21. extremo.

117. *Salgama*] Graece sunt ἁλμᾶται radices herbaeque sale conditae in vsum hibernum; vnde salgamarius liber Matii, et salgamentarius. Pessime haec explicauit Gesneri Thes. L. L.

118. *inulae*] Sang. *inulaeque.*

120. *sparguntur*] disponuntur interpretatur Gesner, vt infra XI. 3. 25. *dispergere* eodem sensu positum.

121. *iutura*] Hanc lectionem vulgatae *victura* merito praeferebat etiam Morgagni, qui comparatis locis Catonis cap. 119. Columellae XII. 47 et 48. et Palladii XII. 22. f. 5. docuit, oliuas condiri interstrata etiam ruta cum aliis herbis. Postea tamen II. 8. vir egregius vulgatam praetulisse videtur, *victura*, interpretatus demere, minuere. Suspicabatur etiam,

etiam, a Columella imitatione expressum esse versum Virgilii Georg. IV. 101. *mella — et durum Bacchi domitura saporem.* Denique addit, scripturam libri manuscripti in Bibl. D. Marci Venetiis proxime accedere ad lectionem libri Sang.

123. *oleris pulli*] Oleris atri cum suo caule florem antequam de folliculo exeat, condit XII. 7. 1. et sect. 4. Radicem libanotidis comparat cum radice oleris atri Plinius 19. f. 62. vires eius medicas ex Theophrasti H. P. VII. 6. habet 20. f. 46. Graece alii smyrneum alii hipposelinum vocant. Olus atriplicis Graeci χρυσολάχανον dicunt similiter, id est, olus fuluum, a colore.

lacrymosaque] A lacrimoso odore, quem cepis tribuit etiam Plinius 19. f. 35. Ita graeci et latini poetae de cepis saepe locuti sunt.

124. *gustum quae condiat*] Plinius 19. sect. 51. *vsusque eius non sine lacte.* Oxygalam cum lepidio parat noster XII. 8. 3.

125. *fugarum*] Guil. Pelisserius apud Turnebum Adverf. XIII. 22. emendabat *focorum* probante Lipsio et Barthio Aduerf. V. 10. qui focorum signa interpretabatur stigmata inusta. Aliorum *fucorum* atque Vrsini *rugarum* repudiant metri leges. *Deletura quoque est fronti data signa focorum* laudat ex h. l. Lipsius Elector. II. 15. quam scripturam esse veteris Codicis ait Scaliger Lect. Auson. l. 21. Video etiam in Pii annotationibus *focorum* legendum proponi. Io. Rhodius ad Scribon. Compos. 174. corrigebat: *deletura quidem furcae fronti data signa.* Lectionem *fugarum* probatam iam olim a Dalecampio, Wowerio, Scaligero et Buchnero ex fide libri Medicei recte recepit Gesner, *fugas* interpretatus fugitiuos. Atque ita Xenophon in Histor. Graeca V. 2. 9. φυγὴν dixit pro φυγάδας. De sensu nunc videamus totius versus. Lepidium dicitur graece λεπίδιον a squammis cutis, quas tollit. Λεπὶς enim est squamma. Plinius 20. sect. 70. *Lepidium inter vrentia intelligitur. Sic et in facie cutem emendat exulcerando, vt tamen cera et rosaceo facile sanetur. Sic et lepras et psoras tollit semper facile, et cicatricum vlcera.* Pomponius et Pius lepidium graece dictum interpretantur ad h. l. quoniam lepras sanet. Sed etiam λέπρα derivatur a λεπὶς, quia cutis lepra exasperatur in squammas.

129. *Frigoribus caules*] Plinius 19. f. 41. 1. *Olus caulesque, quibus nunc principatus hortorum, apud Graecos in honore fuisse non reperio. — Brassica toto anno seritur, quoniam et toto secatur. cymas a prima sectione praestat proximo vere. Hic est quidam ipsorum caulium delicatior tenerior-*

que cauliculus. Post cymam ex eadem brassica contingunt aestiui autumnalesque cauliculi, mox hiberni, iterumque cymae, nullo aeque genere prolifero, donec sua fertilitate consumatur. Praecipuus fit caulis sapore ac magnitudine, primum omnium si in repastinato seras; dein si terram fugientes cauliculos seces, a terraque attollentes se proceritate luxuriosa exaggerando aliam ac cumules, ita ne plus quam cacumine emineat. Tritianum hoc genus vocatur, bis computabili impendio taedioque. vbi rectius Vetus Editio habet *a prima satione;* deinde *fugientes cauliculos sequaris* habet Codex Pintiani. *Cyma a prima* sectione ex editione principe et Codd. Paris. edidit Brotier, in reliquis tamen locis *cymam* reliquit. Est graecum κύημα, κῦμα, partus; vnde Latini cymata et cymas duxerunt. Cymam sinapis, napi et raporum noster dixit. Infra XII. 54. *rapa et napas condire iubet, antequam caulem agant cymamue faciant.* Raporum cymas dixit etiam Plinius 18. c. 34. Ex notione verbi et loco Columellae agnoscimus, esse cymam caulem plantae nitentis in florem et semen, seu caulis floriferi rudimentum. In asparago aliisque plantis *turionem*, *thyrsum*, *asparagum* vocant; vt contra Geoponica XII. 1. 2. κραμβοσπάρχγου et λευκὴν κράμβην iuxta nominant; deinde sect. 8 et 9. γογγυλοσπάρχγον, i. e. raporum cymam. vbi Niclas Tabernae montani brassicas VII et VIII. proliferas seu asparagoides comparauit. Noster infra XI. 3. 24. transplantari iubet brassicae plantam ab Idibus Aprilibus, saepiusque sarrire et stercorare, atque ita pleniori incrementi colicolum facere et cymam. Contra a Calendis Martiis plantatam facilius in cymam prosilire, nec postea caulem hibernum amplum facere, semel desectam. Palladius April. III. vltimo Aprili serere brassicam iubet, quae cauli seruiat, quia cymae tempus amiserit. Idem Febr. XXIV. 5. caules serit; brassicam Iunio IV. Sept. XIII. vt adeo distinguere videatur caules a brassica. Discrimen ipsum quale intelligi voluerit, ignoro. Caules prototomos habet noster versu 369. Capitatae brassicae cultum scriptores hi nostri nullum docuerunt; ignotam tamen fuisse Romanis, arguere hinc non licet contra Plinii testimonium. Italicorum caulium cymae et cauli seruientium cultum a Crescentio memorari non video; sed breuiter Italicus Herrera IV. cap. 15. sic: *se nel tempo dell' Inverno si sfrondano i cauli, ò se si descimano daranno certi bottoni ò brozzoli per la prima vera megliori, che se non se sfrondassero, dei quali brozzoli nasce la semenza, et se quei germogli si taglian dal tronco tante volte quante nasceranno fin che quella forza del seme si consumi,*

mi, torneranno à gittar altre faglie di nuovo molto gentili etc. Turiones pedum brassicarum per hiemem in areis relictorum et vere repullulantium coctos edi ex auctore Gallico tradit Beemann Elem. Agricult. p. 207. Cymas Itali hodie vocant *broccoli* vel *brozzoli*, vnde apud nos nominatum genus brassicae in vsum coenarum lautiorum colitur. In Theophrasto locum reperi H. P. VII. 2. de brassica fectili hac tradentem: *τῶν δὲ καυλῶν κολοβωθέντων πάντων μὲν ὡς εἰπεῖν βλαστάνει, πλὴν τῶν λειοκαύλων, ἐμφανέστατα δὲ ὥσπερ καὶ εἰς χρείαν ὤκιμον θρίδαξ, ῥάφανος — ἀλλ' ἐπὶ τῆς ῥαφάνου τοῦτο ὁμολογούμενον, ὡς εἰ πάλιν βλαστήσειεν ἡδίων ἀφαιρεθέντων τε τῶν φύλλων πρὸ τοῦ διακαυλίσαι.* quae ineptissime Plinius XIX. c. 7. vertit: *Caule recifo fere quidem omnia reger minant, exceptis quae non scabrum caulem habent: et in vsum vero ocimum raphanus lactuca. Hanc etiam suauiorem putant a regerminatione; raphanus vtique iucundior detractis foliis antequam decaulescat.* Ceterum de eadem brassica Theophrastus l. c. *ἀπὸ μὲν παρασπάδος ἡ ῥάφανος. ἀεὶ γάρ τι καὶ ῥιζῶδες προσλαβεῖν.* quae Gaza vertit auulsione brassica: semper enim vel aliquid radicis eius accipitur. Sed in graeco forte pro *ἀεὶ* legi debet *δεῖ*. Idem de C. P. I. 4. *ἀπὸ παρασπάδος μὲν, ῥαφάνου καὶ τηγάνου.* Auulsione brassicam nasci, testatur genus illud; quod sub nomine Gelber Blattkohl in hortos nostros venit. Cf. Walteri Olitorem p. 342. et Luederi Anleitung p. 335.

130. *Cumae*] De hoc genere Plinius 19. f. 41. no. 3. *Cumanum sessili folio, capite patulum.* Dodonaeus brassicam rubram intelligi censebat.

131. *Marrucini*] Gentis Marrucinorum Teate vrbem circa Aternum fluuium, hodie Pescara, habet Plinius 3. f. 17. Ficus amplissimas Marrucinorum idem 15. f. 21.

Signia] Campaniae, hodie *Segni*, monente Harduino. Montem *Lepinum* vel *Lepunum* aliunde non noui.

132. *Caudinis*] Taburni Caudini saxa nominat Gratius Cyneg. 509. Furcae sunt Caudinae aliis.

133. *Stabiae*] Stabianum caseum laudat Galenus in Therapeutica. Oppidum a L. Sulla in bello sociali deletum in villas abiisse testatur Plinius. Hinc agrum Stabianum Cicero aliique memorant in agro Campano.

134. *Sebetide*] Statius Silvar. I. 2. 263. *et pulchra tumeat Sebethus alumna.* Parthenope est Neapolis. Librorum *Sebethrida* ducere videtur ad lectionem *Sebethide*. Nympham Sebethidem habet Virgilius Aeneid. VII. 734. Vide Oberlin ad Vibium p. 189.

135. *Pom-*

135. *Pompeia*] Plinius: *Pompeianum procerius* (Cumano et Aricino) *caule ab radice tenui, intra folia crassescit. rariora haec angustioraque, sed teneritas in dote, si frigora non tolerat.* Brassicam cauliflorem hoc genus interpretabatur Dodonaeus, contra sentiente Harduino, qui Syria oriundum et peregrinum Italiae genus hoc censebat. Salinas Herculeas alibi nominatas non reperi; prope mare, vbi Herculaneum Pompeii, collocat Pomponius. Recte! Ita ad agrum Volaterranum pertinebant vada et salinae Volaterranae ad mare vsque excurrentes. Salinae erant pleraeque fere omnes maritimae. Hinc noster II. c. 2. s. 15. *campos salinarum* statim ipse *maritimas salinarum areas* dixit. Vide ad Varronem I. 7. 8.

136. *Siler*] Eundem cum *Silaro* Plinii III. s. 9. putabat Pomponius. Is agrum Picentinum a Brutia Lucaniaque separabat. Vide Oberlin ad Vibium p. 194.

137. *Sabelli*] Plinius: *Sabellico vsque in admirationem crispa sunt folia, quorum crassitudo caulem ipsum extenuat. sed dulcissimi perhibentur ex omnibus.*

138. *Turris lacus*] Recte Pomponius iam olim comparauit locum Plinii: *Nuper subiere Lacuturres ex conualle Aricina, vbi quondam fuit lacus, turrisque, quae remanet, capite praegrandes, folio innumeri, alii in orbem porrecti, alii in latitudinem torosi. Nec plus vllis capitis post Tritianum, cui pedale aliquando conspicitur, et cyma nullis serior.* Pomponii admonitionem spreuere Interpretes, aliena commenti ab hoc loco, vnde *Turri lacus*, nescio qua auctoritate memorauit Harduinus ad Plinium. Brassicam capitatam interpretatur hoc genus Ruellius II. p. 360. quam Galli *Choux cabus* Crescentius *Gabusiam* vocat. I. Fr. Gronouii coniecturam *Bituris* adscripserat Abramus.

139. *Brutia*] Plinius: *frigoribus aluntur etiam Brutiani, praegrandes foliis, caule tenues, sapore acuti.* Ceterum Pontedera probabat lectionem *Brutiaque et tellus.*

Aricia] Martialis XIII. 19. *Mittit praecipuos nemoralis Aricia porros. In niueo virides stipite cerne comas.* Vide etiam Plinium de porris Aricinis 19. s. 33. Idem de brassica 19. s. 41. no. 3. *Aricinum genus altitudine non excelsius,* (Cumano) *folio numerosius, quam tenuius. Hoc utilissimum existimatur, quia sub omnibus paene foliis fruticat cauliculis peculiaribus.* vbi Pintiani Codex habet: *quouiam tenuius. Hoc inutilissimum* etc.

145. *suos nexus*] i. e. cum germina sua explicat semen terrae inclusum. *Adaperta* debetur Gesnero et Sangerm. pro

pro vulgato *adoperta*. Infra 208. *sed patitur nexus flammata cupidine tellus*. Ceterum *Aut cum* legere malim, quam ipsam lectionem ex Codice annotauit Gronouius. Vbi scilicet fontes desunt, ibi aquas apportat et spargit olitor.

146. *aruo*] Restitui veterem lectionem pro *aluo*, non tam rationibus istis adductus, quas posuit Schoettgen, qui aruum etiam de materna aluo seu vtero dici monet, metaphora scilicet ex agricultura ducta, quam quod Columella reliquique huius seculi scriptores aluum genere foemineo dixere.

152. *aggere praeposito*] Gesner malebat *reposito*, ceterum recte comparans locum infra XI. 3. 10. *potest tamen etiam in siccissimis locis opus custodiri, si depressius pastinetur solum, eiusque abunde est gradum effodere pedibus tribus, vt in quatuor surgat regestum*. vbi vide notam.

155. *rubigenae*] Ex Nephele (Latinis enim nephele nubes est) nati, quem Aries transuexit, sed Helle in mare decidit et Hellesponto nomen dedit. Hinc vulgata *nec portitor Helles* explicatur a Gronouio Observ. III. 20. sed Nic. Heinsius ad Ouidii Fast. IV. 715. vulgatam improbauit. Is sine dubio lectionem Sang. ante oculos habebat, vbi est *quo portitor*, vnde facile efficitur *quum portitor Helles*. Antique scriptum fuit *quō*, i. e. *quom*. Multo tamen magis placet nunc mihi coniectura I. Fr. Gronouii ab Abrahamo annotata: *nubigenae vector, sed proditor Helles*.

156. *Signorum*] Inter signa enim coelestia fuit aries receptus.

158. *denubere*] Vrsinus ait esse in vetere codice *denubere* vel *senubere*. Vulgatum *senubere* damnauit etiam Pontedera et Gesner in Thes. L. L. *denubere* probauit Heins. ad Ouidium T. II. p. 991.

163. *priuignas*] Veluti nouerca terra herbas alienas alit, vt in dicto Aesopi ad hortulanum: ἡ γῆ τῶν μὲν αὐτομάτως ἐξ αὐτῆς φυομένων μήτηρ ἐστίν, ἃ δὲ αὐτὸς ἐμφυτεύεις, τέκνων φύνεται μητρυιά, quod ex Auctore Vitae Aesopi p. 32. refert Schoettgen.

165. *digere*] Ouidius Am. I. 14. 19. *nondum digestis mane capillis*. et metaphorice de arbusculis Virgilius II. 54 et 267. recte monente Gesnero.

166. *crispetur*] i. e. apio crispo conseratur, vel apium crispum plantetur, vt recte monet Pomponius.

167. *capitis*] i. e. porrum capitatum, cuius folia longa sunt, plantetur, recte iterum monente Pomponio.

170. *cro-*

170. *croceae*] i. e. crocus Siculus ex Hybla plantetur.

171. *sampsuca*] Aegyptiacam plantam esse, testantur etiam alii scriptores. Canopum seu Canobum (a gubernatore Menelai Canopo dictum) hilarem dixit, ob delicias habitantium, de quibus Heinsius ad Ouidii Amor. II. 13. 7.

172. *imitata*] i. e. smyrnium seu olus atrum plantetur, cuius lacrima myrrhae similis est. Cinyrae filia in myrrham transmutata fuisse dicitur. De smyrnio recte h. l. interpretatus est primus Salmasius ad Solin. p. 367.

173. *stactis*] i. e. stacte (σταχτῇ) seu gutta verae myrrhae seu peregrinae melior Graeca; intelligit nempe hipposelinum seu smyrnium.

175. *Aeacii*] i. e. Aiacis, nisi malis cum N. Heinsio ad Ouidii Metam. X. 215. *Aeacidae* legere. *Ex cruore caesi Aiacis* (et male in iudicio de armis Achillis facto damnati) *statim dicitur nata herba hyacinthus*, auctore Plinio. In delphinio Aiacis Linnaei inscriptae leguntur petalis literae graecae AIAI. Gemma antiqua Hyacinthum mutatum in florem habet cui Amor illud AI inscribit, alter Amor adstat spectator. Vide *Description des Pierres gravées du Cabinet du Duc d'Orleans* Tom. I. tab. 47.

amaranti] Geoponica III. 6. Iulio mense plantant amarantum. Cyanum in Italia ab amarantho excipi monet Plinius 21. c. 39. Quia flos aqua madefactus reuiuescit et hibernas coronas facit, eodem teste c. 23. immortalis dicitur. Gallis *Passe velours*, Italis *Fior di velluto*.

178. *coramble*] De crambe primus recte interpretatus est Iacobus Constantius Fanensis Annot. cap. 14. Suidas: κράμβη οἷον κορώμβλη τις ἔσα, ἡ ἀμβλύνουσα τὸ διορατικόν. Eadem Scholia Aristophanis ad Equites versu 536.

179. *sapore*] Veterem lectionem restitui, quanquam damnatam a Victorio, Vrsino et Gesnero. Soporificam lactucae virtutem bene noui, sed ea h. l. non conuenit, nec ea potest longa stomachi fastidia leuare.

180. *releuat*] Recte, puto, Vrsinus corrigit *releuet*. Plinius 19. c. 38. *Est quidem natura omnibus refrigeratrix et ideo aestate gratae stomacho fastidium auferunt cibique appetentiam faciunt. Diuus certe Augustus lactuca conseruatus in aegritudine fertur prudentia Musae medici, cum prioris Camelii religio nimia eam negaret.* Ita enim verba postrema ex Apuleio cum Salmasio correxit Harduinus, cum in libris scriptis omnibus sit: *cum priores Cameli religio minime omne caret* vel *nimia*. In Codice Pintiani erat: *medici indicium prioris Cameli rel. minime omnem caret.* In nomine igitur medici

medici *Cameli* consentiunt libri scripti omnes, et laborant viri docti, etiam nuperus interpres Brotier. Mihi nulla superest dubitatio, *Camelii* nomen leui mutatione ita esse corrigendum, vt legamus *Aemilii*. Ecce enim Scholiastes Cruquianus ad Horatii Epist. I. 15. vers. 3. de Antonio Musa, Augustum curante: *cum dolore arthritico laboraret, et ad summam maciem perductus esset, curante Aemilio medico, qui eum adeo calidis curabat, vt tectum cubiculi eius velleribus muniret: hic postea in contrarium versis omnibus non solum perfusionibus frigidis* etc. De morbo ipso dissentit Suetonius cap. 81. Is enim destillationem ex vitiato iecinore nominat.

181. *crebra viret*] Altera Caeciliana crinem frequenter viridem, altera fuscum habet. Crinis vero folium crispum et veluti crinitum significat. Noster XI. 3. 26. *eorum quae fusci et veluti purpurei, aut etiam viridis coloris et crispi folii, vti Caeciliana mense Ianuario recte differitur.* Itaque non opus emendatione Pontederae: *crispa viret.*

183. *spisso sed puro vertice*] Noster infra: *At Cappadocia quae pallido et pexo densoque folio viret, mense Februario.*

186. *vibrato discrimine*] i. e. vertices foliis crispis et candidis et caule candido. Noster infra: *quae deinde candida et crispissimi folii, vt in prouincia Baetica et finibus Gaditani municipii mense Martio recte pangitur.* Discrimen recte Gesnerus verticem interpretatur, vbi capillorum discrimen solet esse. Comparat Ouidii Artem Amandi II. 303. *compositum discrimen erit.* Deinde vibratum ex eadem esse monet disciplina, vt vibratos calido ferro crines apud Virgilium XII. 100. Thyrsum denique recte idem caulem interpretatur, quam poeta paulo post crus vocat. Thyrsos vel folia lactucarum condi monet Plinius 19. sect. 39.

187. *Paphio*] Vrsinus malebat *Paphie* probante Gesnero.

188. *punicea*] Noster infra: *est et Cyprii generis ex albo rubicunda leui et tenerrimo folio, quae vsque in Idus Apriles commode disponitur.* Hoc vero loco poeta caulem candidum, folia pexa et punicea Cypriae lactucae adscribit. Infra XI. 3. 26. pexum folium lactucae Cappadociae tribuit.

190. *primo anno*] i. e. ineunte, seu Ianuario.

191. *premit*] i. e. deprimit, plantat. Lupercalium et feralium dies festi in Kalendariis vetustis ad Februarium referuntur.

193. *tu-*

193. *tuque tuis*] Vulgatum *suis* suadente Gesnero correxi, qui praeterea malebat *Paphien*, *Paphie*, *depange Kalendis*. Recte, vt puto. Veneri mensis Aprilis sacer olim fuit.

198. *Veneri*] Tota mundi anima ruit in Venerem. Vrsini emendationem, *Veneris* legentis, recte improbauit Schoettgen.

200. *regnator*] Intelligit Oceanum, cuius vxor Thetys, et Neptunus, cuius erat Amphitrite.

203. *reserat*] Nauigationi aperit.

205. *Acrisioneos*] Ab Acrisione, Acrisii filia Danae.

206. *defluit*] Vulgatum *depluit* mecum damnauit Pontedera; *defluit* poetam et fabulam magis decet. Maritos imbres et similes alias imagines e poetis adposuit Schoettgen, quas omitto breuitatis studiosus.

217. *maiore*] Ita ex Edd. primis scribi debere, viderunt Barthius, Daumius, Buchnerus aliique. Calliopem suam rusticam nen audet comparare cum Delphico Apolline.

220. *exstimulat*] Pessimam huius loci distinctionem vulgarem sustuli, vt pluribus in locis. Post *sacdera caeli* punctum positum vulgo conspicitur.

221. *Nysaeaque*] Heinsius corrigebat *Nyseia* ad Ouidii A. Am. I. 563.

222. *per sua Parnassi*] Satis dure refertur ad Delphicum laurum.

234. *Delie te Paean*] Heinsius malebat *Delie io Paean; teque Euie Euoë Euan.*

231. *colubris*] Lumbricos intelligi, recte monuit Victorius et locum Dioscoridis II. 149. annotauit, qui contra lumbricos nasturtium commendat.

232. *indomito cibo*] lumbricos fere nasci cruditatibus supra VI. 25. dixit.

235. *Hispida cinara*] De cultura infra dicemus ad XI. 3. 28. et ad Palladium. Nunc genera persequamur cinarae, quam Palladius et Plinius carduum simpliciter dixere. De cultura cardui Plinius breuiter XIX. sect. 43. Idem de medicina et generibus carduorum ita libro 20. sect. 99. *Silvestrium genera sunt duo, vnum fruticosus a terra statim; alterum vnicaule crassius. Vtrique folia pauca, spinosa muricatis cacuminibus. Sed alter florem purpureum mittit, inter medios aculeos, celeriter canescentem et abeuntem cum aura, scolymon graeci vocant. — Radix cuiuscunque ex aqua decocta potoribus sitim facere narratur. — Ita enim Chaereas Atheniensis scripsit et Glaucias, qui circa carduos diligentissimus*

mus videtur. Cinaram nusquam nominauit Plinius. Galenus sua aetate cynaram, eiusque capita σπονδύλους dici tradit de Aliment. Facult. II. 51. Geoponicor. XVIII. 19. ad lac coagulandum adhibentur τῆς κινάρας αἱ ἐν τοῖς σπονδύλοις ἐκφυόμεναι τρίχες αἱ πρὸς βρῶσιν ἀνεπιτήδειαι. vbi scilicet Columella VII. 8. 2. agrestis cardui florem adhibet cum Palladio. Pili illi cinarae seu τρίχες sunt illa semina papposa, quae cacti pericarpio edendo auferri docet Theophrastus H. P. VI. 4. De gemino carduorum genere quae tradit Plinius translata sunt ex Theophrasto, qui de scolymo primum sic tradit VI. 4. H. P. Scolymus peculiare sibi habet, quod radicem esui habet et crudam et decoctam, sed eandem etiam optimam, dum floret; eadem tandem durescens lacteum fundit succum. Singulari etiam ratione floret circa solstitium. Caput eius (ἡ τοῦ ὄγκου κίνησις) carnosum atque esui est, oblongum, non spinosum, (ἀκανώδης) contra morem reliquarum omnium plantarum, quae folia spinosa habent. Flos senescens in pappos conuertitur; sine interuallo per aestatem floret aliud in hoc genere, aliud concipit, aliud parturit; folium exsiccatum deponit rigorem nec amplius pungit. Quae quidem verba breuiora fecit et partim mutilauit interpretatus Plinius XXI. sect. 56. Altero vero loco, quem supra posui, addidit quaedam ex Chaerea Atheniensi, vt scolymi florem purpureum inter medios aculeos celeriter canescentem et abeuntem cum aura. Idem etiam huius et alterius generis carduorum siluestris, quod memorat, radicem cum aqua decoctam edi et potoribus sitim facere ait. Verum hic plane confundit genera duo diuersa. Scolymus enim Theophrasti caput (ὄγκου κίνησιν) carnosum, oblongum, et sine spinis (ἀκανώδης) habet; cum de vtroque siluestri genere carduorum, quo scolymum comprehendit etiam, Plinius asserat *vtrique folia pauca spinosa muricatis cacuminibus — et florem scolymi purpureum inter medios aculeos emergere.* Scilicet Plinius hic dixit scolymum eum, quem Dioscorides III. 16. descripsit caule longo, foliis pleno, capite aculeato, radice crassa nigra dulci; herbam recentem, addit, oleris vicem, vt asparagum coctum gerere. De hoc iterum Plinius XXII. sect. 43. *Scolymum quoque in cibos recipit Oriens et alio nomine limoniam appellat. Frutex est nunquam cubitali altior, cristisque foliorum et radice nigra, sed dulci, Eratostheni quoque laudata in pauperis coena. Vrinam ciere praecipue dicitur.* (ideo potoribus gratam fuisse puto.) De hoc scolymo intellige locum Hesiodi in Operibus versu 582. Pratensem seu λειμωνίην nominat semel

Theophrastus H. P. VI. 3. inter plantas foliorum spinosorum. Ibi scilicet est: σκόλυμος ἡ καὶ λειμωνία. vbi forte olim fuit scriptum: καὶ ὁ λειμωνίας. vt duplex scolymi genus sit, alterum simpliciter scolymus, alterum pratense appellatum; ad quod posterius transtulit Plinius verba Dioscoridis III. 16. Hoc vero capite aculeato differt a scolymo proprie dicto. Dioscoridis scolymum etiam Bodaeus ad Theophrastum p. 620. monuit esse genus istud, quod in Creta sub nomine ascolimbros adhiberi tradit Belonius Observ. I. 18. in Lemno insula cap. 25. Tenellam plantam cum radice edi a Salmanticensibus, testatur Clusius Histor. pl. var. V. 43. In graecis insulis, quae ἀσκόλυμβρος corrupto nomine vocatur planta, esse scolymum Chrysanthemum C. Bauhini in Pinace monuit Tournefort Itinerarii T. I. p. 25. Is est scolymus hispanicus Linnaei.

Nunc de cacto videamus; de quo locus classicus Theophrasti ibidem exstat hac fere sententia. Quae cactus appellatur, in Sicilia tantum nascitur, in Graecia vero sua sponte non prouenit. Peculiaris est eius natura. Statim enim a radice submittit caules repentes et humiles, folio lato et spinoso. Caules hos cactos appellant, qui decorticati cibo idonei sunt, subamari. Muria etiam conditos seruant. Praeterea caulem rectum emittit, pternicem appellatum, etiam edulem, qui tamen condiri non possit. Pericarpium, cui semen adhaeret, forma muricatum seu spinosum, et ablatis seminibus papposis esui esse, et simile palmarum cerebro, Ascaliam appellant. Theophrasti locum recitauit etiam Athenaeus II. p. 71. transtulitque Plinius 21. sect. 57. Spinam cactum nominat Dioscorides Alexipharm. cap. 33. et ex eo Paulus Aegineta 5. cap. penultimo. Cerebrum etiam cinarae a similitudine palmarum dictum habet aenigma vetus, editum in Analectis Brunckii T. III. p. 318. Esse vero cactum, quam Graeci cinaram, Romani carduum dixerint, monuit Athenaeus l. c. Atque si compares, quae de cinarae et cardui cultu tradunt Geoponica XII. 39. et ex iis Palladius IV. 9. 2. magna opinioni isti accedit probabilitas. Ita enim Palladius: *singulis annis a codice auferendae sunt plantae, vt nec matres fatigentur et soboles per alia spatia digeratur. cum aliqua tamen radicis parte vellendae sunt.* Ita Geoponica: τὰ φυτὰ τὰ παραπεφυκότα τοῖς μείζοσι στελέχεσιν — καὶ συναναφαίρει μέρος τι τῆς ῥίζης. Videtur igitur codex esse quem Siculi pternicem dicebant; plantae, quos Theophrastus καυλὲς ἐπιγείους vocat. Nec equidem argumentum vllum a Cl. Beckmanno allatum video, quo vinci possit

possit id, quod vir doctus statuit, nec cynaram scolymum L. nec carduncolum L. scriptoribus antiquis fuisse memoratum. Vide Disputationem eius de historia harum plantarum in libro vernaculo: Beyträge zur Geschichte der Erfindungen Vol. II. p. 195 seqq. Idem tamen in Elementis Oeconomiae rusticae p. 244. editionis quartae cynaram carduncolum scriptoribus nostris notam fuisse censebat. Huius vero folia tantum carnosa et caules in vsum cibi veniunt. Ego vero persuasum mihi habeo, cactum Theophrasti eundem esse cum cinara, et carduo romano, quem nos *Artischocke*, Itali *Carciocco*, Galli *Artichaut* appellamus. Atque in eam plantam omnia conueniunt, quae de cultu Palladius cum Geoponicis et Columella tradidit, fatente adeo ipso *Beckmanno* Hist. Inuent. Vol. II. p. 199. Contra Dioscoridis scolymum a Theophrasteo diuersum, et a Plinio confusum cum Theophrasteo censeo; esse autem scolymum Hispanicum Linnaei. De Cynarae scriptura hoc praeterea moneo, simpliciter carduum siluestrem, agrorum sterilium pestem, a Sophocle in fragmento, quod retulit etiam *Brunck* Sophocl. Fragment. T. III. p. 727. κύναρον ἀκάνθαν dici; quae scriptura mutata in Graecia deinde in κίναρα, postea praeualuit in Asia Galeni aetate, vt supra vidimus. Haec vero paulo copiosius explicaui, quoniam harum plantarum historiam a Salmasio et Bodaeo mirum in modum perturbatam, nec satis accurate demum a Cl. Beckmanno explicatam reperiebam.

Nunc genera cinarae a Columella tradita interpretabor. Primum genus capita in morem corymbi glomerata, ergo plura, et foliorum aut florum colore purpureo habet. Malim tamen de colore foliorum interpretari, quia florem hortulanus et coquus non expectant in capite. Alterum genus folia, myrteo colore virentia, habet, et caput deflexum seu nutans, foliis apertis; alibi caput ipsum folia appressa habet in pineae nucis effigiem fastigiatum, et mucronatum; tertia capitis forma est patula in morem calathi, hoc est suprema parte latissima, vt recte Gesnerus monet, qui *adapertam* interpretatur semihiantem. Vltimi generis caput pallidum acanthum tortum imitatur. Quae similitudo quam partem acanthi spectet, equidem nondum excogitaui. In scolymi cynarae capitibus hortulani nostri spectant etiam capitum numerum, magnitudinem, figuram, foliorumque colorem et spinas. Sed vix licet veterum genera cum nostris comparare; nondum enim omnes cynarae varietates, vtpote peregrinae plantae, satis notas habemus in Germania. Hoc vnum addo. In Apicii libro II. c. II.

20. et X. 20. praeparantur ad coenam sphondyli seu spondyli; et altero quidem loco post carduos inter herbas nominantur. Sed Hummelberg, et qui eius editionem nuper recoxit, supposuerunt iis inepte *spongiolos*; fungos interpretati, quasi non Apicius de fungis ipse demum libro VII. 13. tradidisset. Videtur igitur Apicius carduos a sphondylis distinguere ita, vt carduos caules teneros, sphondylos capita diceret. Elixatis sphongylis eximi iubet nerues, id est, partem foliorum lignosam et duram.

236. *potanti*] Locum Plinii XX. cap. 23. *Radix ex aqua decocta potoribus sitim facere narratur* annotauit Schoettgen.

grata canenti] i. e. cuilibet canenti ex munere Phoebi, vt recte Pius, qui amaritiem cinarae in causa esse censet, cur sit ingrata canenti, et vocem strangulet exasperata arteria. In Fabriano Thes. exstare lectionem *nec Phoebo ingrata* admonuit Gesner, eamque ipsam I. Fr. Gronouii conlecturam annotauit Abrahamus. Gesner eam ita probabat, vt hauftibus luculentis vocem amplificari videri annotaret.

241. *acanthos*] caules acanthinos supra dixit IX. 4. 4. Virgilius Georg. IV. 123. flexi vimen acanthi. rutilum acanthum dixit Calpurnius Eclog. IV. 68.

242. *imbuit*] Ita infra XI. 3. 42. malo punico florente betam serendam esse monet. Sanguineos flores dixit, respiciens fortasse ad fabulam Phrygiam, quae narrat, ex sanguine genitalium amputatorum Agdestis natam punicam, *et quia de rubro exorta sunt sanguine, idcirco illis color est purpurei luminis offectione subluteus*, auctore Arnobio aduersus Gentes V. p. 164.

243. *mitescit*] Vide ad Palladium IV. 10. 7. Ceterum infra XI. 3. 17 et 42. seri betam ait optime malo punico florente.

244. *aris*] Vulgatum *haris* Vrsinus in *aris* mutabat; Sylburgius item, aro et arisaro interpretatus. Contra Pontedera monet, arum extremo autumno prodire, prima aestate arescere, antequam punica floreat; praeterea non seri arum, sed sponte nasci. Itaque corrigit *api satui*. Nam apium circa Idus Maias seri, quando punica floreat, teste nostro XI. 3. 34. At potuit Columella arum vocare colocasiam, quam Februario XXIV. 14. serit Palladius. Ipsa tamen dictio nimis dura atque insolens est, quam vt vitio carere putem; quanquam Virgilianum *vere fabis satio* comparare licet.

245. *grata cumino*] similia interpretatur Gesner; inepte, puto esse, quae cumino iungi solent in condimentis.

247.

247. *molochae*] Graeci μαλάχην et μολόχην maluam dicunt.

250. *Achradas*] Ita recte vulgatum *achrados* corrigi voluit Vrsinus. Supra versu 15. *aspera siluis achrados*. Supra VII. 9. 6. *achrades pyri*. Piros siluestres dixit III. 11. 5. et Palladius. ἀχράδα oppositam ἀγρίῳ pirum siluestrem interpretatur in Theophrasto Plinius. Graeci etiam ἄχραδον vocant, ad sepes adhibitam; auctore etiam Homero Odyss. XIV. 10. Theocrito XXIV. 88. Cf. Beckmann. ad Aristot. Auscult. p. 321. et Antigon. p. 32.

254. *pede candida*] Hinc Varrone I. 2. 27. pedes betacei. Pedem betae etiam de L. L. V. p. 55. habet Varro *betaceos* simpliciter dixit Apicius III. 2. IV. 5. Maluaceum similiter dici, monet Priscianus I. 3. Cf. Salmasius ad Solinum p. 553.

258. *Phrygiae loti*] Pontedera recte monuit, lectionem hanc vulgatam esse vitiosam. Nullam enim esse ait lotum Phrygiam, nec stirpem aquatilem hic locum habere. Mihi vero haec validissima videtur esse ratio, cur vulgatam vitiosam putemus, quod inter flores lotum nemo nominauit. Praeterea tribus in locis noster eosdem flores vna nominat, supra versu 97. et infra 307. Scilicet *calthae* legendum censeo cum Pontedera. Supra de iis exstat: *flauentia lumina calthae*. Infra *flammeolam caltham* appellat. De flore ipso vide adnotat. 97.

259. *violario*] Pontedera interpretatur leucoium.

261. *praebet*] Pontedera antiquum *praestat* praefert. Recte!

277. *aptate*] Gesner *artate* praeferebat; recte! Deinceps Aldina *Hinc nullae*.

281. *vigent*] Quod ex Sang. posui, voluit etiam reponi Vrsinus. Vulgatam *virent* inepte ex graeco θάλλω, θαλλῶ defendit Gesner.

282. *egelidum*] Ita cum Beroaldo recte correxit Gesner vulgatum *est gelidum*.

283. *Phoebus tener*] Sol tepidus, non ardens.

284. *arguto gramine*] A flumine seu fonte, cum murmure praetereunte, dixit gramen ipsum argutum, vt Virgilius nemus, et ilicem. Sed durior mihi videtur haec ratio, quam Virgiliana.

287. *mitescit*] Ita primus Beroaldus correxit vulgatum *hiescit*. Liber Sang. eam lectionem confirmare videtur; nihil enim mutatis inde annotauit Ernesti. *Emitescit mihi* ex libris restitui nostro IX. 14. 10. vbi vulgo erat *emitescit*.

ostro] i. e. purpura tyria. Ex Georg. II. 506. Sarranum ostrum habet. Ostrum proprie est, quod Graeci ὄστρεον, Latini ostreum et ostream dixere biualue animal testaçium; sed ostrum etiam de muricum genere, purpurae saniem fundente dicitur. Hinc ostrifer Abydus Virgilio aliisque, ostreorum ferax. Ab ostro e muricum genere sunt *ostrinae* vestes dictae.

296. *amaracus*] Aegyptus sampsuchum vocabat, quem Sicilia et Cyzicus amaracum, teste Dioscoride et Plinio. Vmbram, aquam et fimum amare ait Plinius 21. f. 35.

297. *narcissique comas*] narcissum sera comantem dixit Virgilius Georg. IV. 122. vbi narcissum serotinum album in Hispania crescentem intelligi puto, pictum a Clusio Hisp. 251. fig. 252. Vide etiam Loefling. Itiner. p. 26. Album videtur etiam arguere ὑδατίνη κόμισσα Epigrammatis Analector. T. III. p. 303, no. 705. Φιλαύβρος est Meleagro T. I. p. 26. no. 92. Plurimum in sepulcralibus nasci monumentis, tradunt Scholia ad Sophoclis Oedip. Colon. versu 683.

balausti] Siluestris punicae flos proprie dicitur, nunc vero ipsa punica siluestris. Videant doctiores, num punica nana Linn. intelligatur, quae tota aestate floret?

300. *violam*] scilicet serotinam.

nigro ligustro] Cum Parrhasio *albo* malebat Gesner. Vbique enim ligustrum album dicitur esse. Aliam interpretationem vulgatae attulit Bodaeus ad Theophr. p. 63. quam probare non possum.

301. *balsama*] De vera balsamo Plinius XII. sect. 54. sed eam hic intelligi non puto, quia alibi quam in Iudaea nasci fastidit, prodente Plinio. Geoponica XI. 27. balsamum cum costo vinaticibus plantant Nouembri. vbi ex Salmasio de Homonym. c. 32. monet Niclas, genus esse mentae vel similis mentae plantae, quod hodieque Itali *balsamo* vel *balsimo* vocent.

casia] Iudaeam casiam in Italiae hortis lautioribus nascentem memorat noster III. 8. et testatur Plinius XII. f. 43. Sed Columellam nunc dicere libanotin coronariam seu rorem marinum cum Bodaeo ad Theophr. H. P. VI. 2. censet Schoettgen.

croceosque corymbos] i. e. hederae racemum, quem Graeci κόρυμβον vocant. Hederae flores croceos dicit, qui quomodo mixti colore albo nascantur, docet Nicander apud Athenaeum XV. 9. in loco vitiosissimo. Aliud artificium habent Geopon. XI. 30.

302.

302. *condit*] Alias oleo odores condi, ex Theophrasto tradit Plinius.

303. *et vos*] Rustici et vulgaris horti flores nunc enarrat; praecedentes rariores fuisse et in diuitum hortis cultos, apparet hinc.

305. *ferrugineis*] Vide ad vers. 100. Hoc loco intelligit flores Aeacios versus 175. πορφυρέην ὑάκινθον vocat Meleager Epigr. T. I. p. 30. nº. 105.

308. *Vortumnus*] Recte hunc versum ita correxit iam olim Pius Annot. Poster. c. 33. qui se in libro Columellae, minutissimis literis exarato, non infideli, ait reperisse *Vortumnus* scriptum. Idem Vortumnum h. l. memorari censet, quia Vertumnus hortis praeerat; vnde illud Propertii IV. 2. *hortorum manibus dona probata meis;* igitur pomorum et florum primitiae illi ponebantur; sed quia *merces* poeta memorat, rectius idem Pius ad Vertumni signum in foro positum in vico thurario respici monet. *Vortumum* h. l. reposuit etiam Turnebus 23. 6. probante Broukhusio ad Propertii l. c. Eandem cum Pio emendationem proposuit Heinsius Adv. I. p. 9. Sacellum in vico turario Vertumni habet Scholiastes Horatii ad Epist. I. 20. 1. *Vertumnum Ianumque liber spectare videris.* Cicero Verr. I. 59. *Quis a signo Vertumni in circum maximum venit, quin is in vnoquoque gradu de auaritia tua commoneretur. quam tu viam thensarum atque pompae eiusmodi exegisti, vt tu ipse illa ire non audeas.* Ceterum poma et mel in via sacra vendita fuisse, monui ad Varronem. *Vortumuum* nominat etiam Inscriptio Gruter. p. XCVI. 3. Pone veteres tabernas ad Vertumni signum aedem P. Africani collocat Liuius libro 44. In octaua igitur regione fuit signum Vortumni, monente etiam Victore.

310. *gerulus*] Hortulanum, qui flores ad forum portauit, interpretatur cum Scheffero Schoettgen. Sed hortulani mentio non praecessit; igitur vitium latere suspicor.

312. *gemino*] Solstitium signari puto, quod noster XI. 2. 49. ponit VIII. VII. et VI. Calendas Iulii; sol vero in cancrum introitum facit XIII. Cal. Iulias, ibidem; eodem temporis articulo messem ordei assignat ibidem noster.

313. *Lernaei*] Cancrum ex palude Lernae pedem Herculis mordicus arripuisse, cum hydram impugnaret, deinde ab Hercule interfectum a Iunone inter sidera relatum fuisse, ex Hygino bene annotauit Beroaldus.

314. *cereale*] Ita Virgilius Georg. I. 211. vbi Seruius; *vel quod est esui, sicut frumentum, vel quo Ceres vsa est ad obliuionem doloris.* De vsu rustico Plinius 19. cap. 8. *hoc*

et panis rustici crustae inspergitur adfuso ouo inhaerens, vbi inferiorem crustam apium githque cereali sapore condiunt. Alcman Lacon μηκωνίδας ἄρτας habet apud Athenaeum III. p. 111. et inter cibos Lacedaemoniorum μήκωνα μεμελιτωμένην καὶ λίνου σπέρμα κεκομμένον habet Thucydides 4. c. 26. Cibum ex melle et lini semine confectum, χρυσοκόλλαν habet Athenaeus ibidem et Hesychius. Papaueris semen melle conditum in cibis habet etiam Galenus S. M. Facult. libro 7.

315. *virent*] Ad papauer vix pertinet epitheton; etsi viridis papaueris caput foliis seu petalis purgatum reponi iubeat Nicander in Georgicis apud Athenaeum XV. c. 9.

deferte] venales in forum. Seneca Epist. 42. *videamus hoc, quod concupiscimus, quanti deferatur.*

316. *Fortis fortunae*] Bonae, Fruterius Verisim. II. 19. iunctim Fortis Fortunae interpretatur Schoettg. quem sequor.

317. *exactis*] Adultis interpretabatur Schoettgen, qui praeterea coniiciebat *exauctis* legendum esse. Gesner extrudere ex Horatio Epist. II. 2. 11. interpretabatur. Neuter bene! Rectius in Thesauro L. L. Gesner comparauit locum Liuii 34. 9. *mercarique et ipsi, quae externa nauibus inuehherentur, et agrorum exigere fructus volebant;* et Quinctiliani Decl. I. 2. *mercator opportunum mercis exactum inuenit.*

319. *Oeima*] Oeima sata statim cylindris seu pauiculis conculcari iubet, vt XI. 3. 34. vbi vide notas.

320. *pulex*] Vide infra ad XI. 3. 60. Est genus chrysomelae, a saltu nostris etiam pulex dictum.

324. *implicitus*] conchae inhaerens et adnatus.

tampe] eruca pilis horrens; sunt enim multae etiam laeues.

331. *grauidis*] semine scilicet noxiorum insectorum, quae superstitio etiam nostrorum hominum animis insedit.

333. *volucres*] Volucrae et volucres legi posse, et vtrumque vocabulum intelligendum de scarabaei genere, de quo Columella Arbor. 15. recte monet Pius. Conuoluulum vocat Cato 95. 1. In loco Plinii 17. sect. 47. *alii volucre appellant animal praerodens pubescentes vuas.* olim *voluocem* legebatur, cui Harduinus ex libris scriptis substituit *volucre.* Sed Pius ad h. l. testatur, in Codice Bononiensi esse scriptum *volucrem.* Quod vero eaedem volucres infestae non solum viti, sed etiam glaucis falictis dicunt, egebat interpretatione. Scilicet arundinem, quae pedamento vitis adhibetur, siccatam vtiliorem quam viridem esse affirmat Plinius 17. sect. 33. Geoponica vero addunt III. cap. 53. arundines, fumo siccatas, ideo praeferri, quia non generent ἕρα genus insecti,

fecti, vlti noxium, quod aiunt ex putrescentibus arundinibus nasci. Similem narrationem de salice et enato inde ἴπι, quem Latini volucrem seu conuoluulum interpretati sunt, salice scilicet a pluuiis computrescente, secutus esse videtur Columella. Alias non apparet ratio, cur salicta nominentur, et noxa volucrum in iis caueantur. Recte ἴπα cum conuoluulo comparauit Moenen in Ephemerid. Natur. Curiof. Dec. II. Ann. V. p. 220. Crescentius IV. 17. vermes virides et azureos vocat, paruos, qui natos cum vuis palmites deuorent et deficcent, Bononiae *taiaturi* appellari addens. Denique Geoponica V. 22. iubent palum viti adiungere decorticatum, quia soleant in corticem irrepere et latere cantharides et reliqua insecta, quae vitibus nocere solent. Palum qualem intelligi velint, non additur. Nasci dicuntur volucres ex imbribus nociuis, vt hodieque vulgus vinitorum vermes, (phalaenae alicuius laruas) vitium gemmis et germinibus nociuos ex nebulis et pluuiis originem habere putat, quia aqua calori mixta oua excludit citius, monente Sprenger Praxis cultur. vitium p. 49. Aliud coleopheri genus, vitibus nociuum Galli *Gribouris* vocant, sed hoc insectum folia non conuoluit, quod faciunt laruae phalaenae et curculiones. Cryptocephalum vitis Fabricius et Geoffroi T. I. p. 233. vocant Gallicum insectum *Gribouri*. Denique vbi Virgilius Georg. II. 358. vitibus adiungit *rasae hastilia virgae*, Servius haec annotauit: *praecipit et canimas et virgas radendas ne ex corticibus rubigo aduersa vitibus possit creari.*

333. *eruca*] A campe distincta forte laeue erucarum genus notat, forte etiam aereo colore splendens; hinc in libris modo *erugo* modo *aeruca* scripta.

334. *femina*] i. e. plantas teneras.

343. *catuli*] Plinius 18. sect. 69. no. 3. rubigalia a. d. VII. Calendas Maii, cum canis in coelo occidit, celebrari refert et catulis lactentibus sacra fieri. vbi vide notam Harduini; Ouidium Fastor. IV. 907. et supra ad Varronem I. 1. 6. Verrii Flacci Fasti p. 63. Robigalia assignant diei 25 Aprilis his verbis: *Feriae robigo via Claudia ad miliarium V. ne robigo frumentis noceat, sacrificium et ludi cursoribus maioribus minoribusque fiunt. Festus est puerorum lenoniorum*, i. e. lenoniorum. Festus: *Catularia porta Romae dicta est, quia non longe ab ea ad placandum caniculae sidus frugibus inimicum rufae canes immolabantur, vt fruges flauescentes ad maturitatem perducerentur.* Hac igitur porta exibant et per viam Claudiam incedebant ad lucum Robigi. Idem Festus: *rutilae canes, id est, non procul a rubro*

colore, immolantur, vt ait Ateius Capito, canario sacrificio pro frugibus deprecandae saeuitiae caussa sideris caniculae. Proprie autem canes hi lactentes robii dicti fuerunt, monente etiam Foggini ad Verrii Fastos l. c. In commentariis Pontificum scriptum refert Plinius: *Augurio canario agendo dies constituantur priusquam frumenta vaginis exeant, et antequam in vaginas perueniant.* Vnde cognoscimus, robiginem existere in frumentis, dum in vaginis latent; simul inde colligere licet diem, quo in vaginas ire frumenta solebant in Italia. Vocabulum *agnas* de spicis in iisdem commentariis Pontificum, de canario vt suspicor augurio, lectas posui ad Varron. I. 48.

344. *aselli*] Caluariam asinae habet Palladius I. 35. 16. sed alio consilio is ponit intra hortum; igitur non est necesse cum Scoppa Collect. I. 27. legere h. l. *Arcadicas asellae.*

345. *Tages*] Vide Ciceronem Diuin. II. 23. De Tarchone vide Cerdam ad Aeneid. VIII. 506. et Drakenborg. ad Silium VIII. 474. vbi eadem est scripturae varietas *Tarcho* et *Tarcon.*

347. *Saepe — vitibus*] Pessime inuexerat Gesnerus *sepe* quasi per appositionem iunctum *vitibus*; recte tamen *praecinxit* posuit pro *percinxit.* Palladius I. 35. 1. *omne horti spatium alba vite praecingitur.* Plinius 23. c. 16. de vite nigra seu bryonia: *aiunt, si quis villam ea praecinxerit, fugere accipitres, tutasque fieri villaticas alites.* De vite alba ponam locum Alberti Vegetab. p. 458. *inuoluit grana sua infra lanuginem, quae super grana sua continuatur et paulatim expandit post casum floris, qui flos sine siliquis egreditur et post casum quarundam spicarum floris vitis albae, quae circumstat pullulationem lanuginis, tunc expanditur lanugo.* Haec ille, vt doceret diuersitatem albae et nobilis vitis.

348. *Amythaonius*] Scilicet Melampus, Amythaonis filius, quem Chironi iungit etiam Virgilius Georg. III. 550. Rem ipsam seu superstitionem habet Palladius I. 35. 1. *noctua pennis patentibus extensa suffigitur.* Scilicet, vt ait Apuleius Libro 3. Asini: *vt quod infaustis volatibus familiae minantur exitium, suis luant cruciatibus.*

353. *sine fruge*] i. e. amurca insulsa. Vide ad Pallad. I. 35. 2.

354. *laris*] Malim cum Gesnero *lari* legere. Palladius ex *cameris fuliginem* habet; noster XI. 3. 60. *fuligo quae supra focos tectis inhaeret.*

356. *sedi*] Lectionem hanc recte asseruit Pius. Vide supra ad II. 9. 10.

358. *Dardanicas*] A Dardano, quem Apuleius in Apologia inter magicae artis auctores recenset, et Plinius 30. c. 1. recte monente Beroaldo et Brodaeo Miscell. IV. 10.

359. *iustis*] quae primum menstruorum fluxum patitur. *Feminarum iusta* vocat similiter Plinius Valerianus IV. 50. monente C. Barthio Aduers. I. 2. et IV. 14.

361. *resoluta sinus*] Geoponica XII. 8. λυστρίχα — μήτε περίζωμα ἔχεσαν. Vide infra ad XI. 3. 64. notam.

moesta] veluti moesta, habitu moestae.

364. *decussa*] Est pro *decussus nimbus*, nec opus emendatione Carnegieter, proposita ad Auiani Fabulas p. 36. *non aliter quam dequassa*. Recte tamen idem monet, expressum esse locum Virgilii Georg. IV. 81. *nec de concussa tantum pluit ilice glandis*. Sed video nunc eadem plane ratione h. l. laudare Heins. ad Ouid. II. p. 70.

366. *distorto corpore*] Gesner putat, alludi ad etymum campae, a κάμπτεσθαι seu flexuoso incessu dictae; quod mihi non videtur. Potius ad vim magicam menstrui sanguinis respicit, qui torsionem campis excitare dicitur.

368. *Iolcos*] In Thessalia, Iasonis patria, qui vellus aureum ex Colchide raptum retulit.

369. *prototomos*] Ita etiam Martialis XIV. 101. Lister ad Apicium III. 9.

371. *secto cingere*] sectuo seu sectili cum Salmasio ad Solin. p. 709. interpretatur Schoettgen. cingere est h. l. in fasciculo colligare, recte monente Gesnero.

373. *lubrica*] Ventrem enim lubricum facit et mollit.

tamni] Ita legi voluit Pontedera, recte damnans rhamnum. In Plinio etiam 21. c. 50. ex libris scriptis vulgatum *tamum* mutauit in *tamnum*; monuitque ex Dodonaeo III. p. 401. et Matthiolo in Dioscor. T. II. p. 621. esse eam herbam, cuius vua taminia dicatur. Verum addere debebat ex eodem Matthiolo, cui scriptura *tamus* probabatur, hodieque in Etruria *tamaro* dici, eiusque asparagos vere venales prostare. Etiam Daleçampius in Plinio *tamum* praeferebat, ceterum Matthiolo assensus. Quod si taminia vua hinc dicta fuit, scriptura *tamus* praeferenda erit. Taminiam vuam Festus vuam silueſtris generis interpretatur ex Verrio, *quae tam mira sit, quam minium*: vbi recte Gesner in Thes. L. L. corrigit: *rubra sit*. Inepte Dacerius omisso vitio vult dici *taminian* a *tamina* macula. Vitis nigrae germina condiri solita fuisse, monet Dioscor. IV. 177. eiusque vuas rubras facit.

Post

Post albam vitem nominat Columella infra XII. 7. cuius germina similiter condiebantur. Plinius 23. c. 13. *cum taminide rubentes norimus acinos sciamusque — hanc non nisi in opacis nasci.* Ibidem a staphide agria Graecorum distingui voluit Plinius; contra Celsus III. 21. *vua taminia. quam σταφίδα ἀγρίαν Graeci nominant.* Ita ille iterum VI. 6. 15. Addit Plinius l. c. sect. 14. de labrusca: *hanc potius crediderim esse, quam vulgus vuam taminiam vocat.* Idem tertio loco 26. sect. 85. taminiae succum contra phthiriasin laudat, quo eodem in medicamento Galenus Medic. sec. loca I. 7. ex Armigene σταφίδα ἀγρίαν nominat; vbi vide Cornarii notam p. 308. In loco Plinii 19. c. 61. pro *thymi* ab Harduino restituto ex Theophrasto, male libri quidam, etiam scripti *tamum* nominant. Vitis alba est, quae Linnaeo Bryonia alba dicitur, Gallis *Couleuvrée.* Hanc supra nominauit Colum. versu 250. bryoniadem; alibi vitem albam. Nostri vocant *Stichwurz.* Tamnum esse bryoniam nigram, eiusque caulem hodieque in Italia in rusticas coenas legi sub nomine *Tanno* monet Pontedera.

374. *rusco*] Rusci caules inter olera numerat Columella XII. 7. vbi vide notas. Ceterum recte vidit Pontedera, *hirsuta* vitiosum esse; nec enim conuenire rusco, nec sepem nunc desiderari, sed thyrsum seu turionem tenerum rusci in cibo sumendum, vt ad XII. 7. dixi. Alteram lectionem *hirsuto* ideo reiiciebat Pontedera, quod rusco non conveniat. Verum nisi eam probaueris, versus vacillabit. *Sepes* enim primam syllabam longam habet, quod miror a viris doctis non fuisse animaduersum. Contra obstat illi lectioni, quod sepes rusci nunc alieno loco commemoratur, cum cibis idoneum aliquid esset commemorandum. Igitur Pontedera praeferebat lectionem *tyrsuto*, putabatque ita intelligi debere thyrsum rusci seu turionem. Verum ita sepes relinquitur, ab hoc loco aliena, et scylla violenter cogitur vtramque syllabam breuem habere, nisi cum libris *et scyla* legere malis. Deinde formam thyrsuta, ex Graeco Θύρσωτος, an alibi reperiatur, et analogiae latini sermonis congruat, ignoro, et dubito. Quod si omissam scyllae mentionem negligas, possis locum ita ex vestigiis lectionis librorum sanare: *et stilo thyrsata* (aut thyrsuta) *seges nunc horrida rusci prodit.* Sed vel ita relinquitur *horrida seges rusci*, quam interpretari nequeo. Videantque rusci turiones nouerunt, an cum turione sepi quid simile, asperum et horridum folium prodeat; quod si ita est, vulgatam eam, quam pessul secutus vestigia librorum, satis commode explicabam.

375.

375. *Corruda*] Plinius 19. sect. 19. *Siluestres fecerat natura corrudas, vt quisque demeteret passim; ecce altiles spectantur asparagi; et Rauenna ternos libris rependit.* Silvestrem asparagum Graecis vocari hormenon, myaconthon aliisque nominibus, idem refert sect. 42. De Rauennatibus asparagis idem sect. 42. *nullum gratius his solum quam Rauennatium hortorum.* Rauennae autem solum fuit vliginosum. Martialis XIII. 21. de asparagis: *mollis in aequorea quae creuit spina Rauenna non erit incultis gratior asparagis,* i. e. corruda. Corrudam filo simillimam dicit Columella, vnde intelligitur, sylvestrem asparagum turionem seu thyrsum multo graciliorem edere, quod etiam in asparago videmus illo, qui frequens in locis iis reperitur, vbi cadauera armentorum abiecta computrescunt. Hoc igitur siluestre genus prima hominum cura fuit satum inter arundines; deinde in hortos translatum, multoque diligentius cultum. Diuersa tamen genera in Asia, Graecia et demum in Italia fuisse culta, non est quod dubitemus. Multa enim in asparagi descriptione habet Theophrastus et Dioscorides, quae nostro asparago, officinali Linnaei, non conueniunt. Vide etiam ad Catonis locum notam.

376. *antes*] De hac voce vide Gesneri Thesaurum L. L. vbi tamen hic locus omissus est. Festus: *antras conualles vel arborum interualla* interpretatur. Sed Placidus in Glossis habet *aruorum.* Sidonius Apollin. VIII. epist. 8. *quousque pondus ligonis obtusi nec perfossis antibus ponis.* Hoc vero in loco significat areas horti. Andrachne est Latinis portulaca, vt ipse Plinius monet XIII. sect. 14. Sed altero in loco 20. sect. 81. vbi ex Dioscoride II. 150. sua transtulit, et agrestem speciem graece peplin seu peplion appellari ait, libri scripti omnes porcilacam nominant, non vt ante Harduinum editi libri *portulacam.* Ibi igitur sitim arcere dicitur; quod de fosio supposito linguae asserunt etiam Geoponica XII. 42. Tertio in loco 23. sect. 74. similiter est porcilaca. Portulacam constanter nominant libri in Columella XII. 13. 2. et in Palladio XII. 8. Lectionem tamen alteram *porcilacam* magis probauerim, quod Graeci recentiores interpretati sunt χοιροβότανον, et Apuleius de Plantis cap. 103. portulacam latine etiam porcastrum dici ait. Ita simul origo nominis apparet. Charisius I. 17. *hiantes, οἱ στίχοι τῶν ἀμπελῶνος, ἢ διάταξις ἀμπέλων.* Vide Schotti Observ. Hum. I. 14. Cato apud Seruium ad Georg. II. 417. *Peditos quatuor agminibus, equites duobus antibus duces,* i. e. ordinibus.

377.

377. *grauis*] Pomponius interpretatur, faſelum, ſi ſit nimis propinqua, atriplicem necare. Meliorem equidem interpretationem non reperi. De faſelo dixi ad II. 10. 4. vbi monui fruſtra ac ſine ratione diſtingui faſelum vel phaſelum a faſeolo et faſiolo; quam diſtinctionem ſecutus etiam Bradley Survey p. 94. faſelum eſſe ait Britannorum *Dwarf kidney-bean*, faſeolum vero alterum genus, quod perticam appoſitam aſcendit. Diſtinctionis falſae auctor eſt Galenus de Alim. fac. I. 28. qui triſyllabum phaſelus diuerſum genus prodi ait, et a quibuſdam idem dici cum lathyro ſeu cicercula, ab aliis vocari ſpeciem lathyri. Sed recte idem Galenus ibidem docuit, phaſeolum eſſe Theophraſti Dioclis atque Hippocratis δόλιχον. A longitudine caulis δόλιχον interpretatus Columella faſelum longam dixit, et aperte Galeni opinionem confirmat. Eundem faſeolum ab aliis vocari ait λοβὸς et σμίλακα κηπαίαν, quo nomine deſcripſit Dioſcorides II. 176. qui plantam circumuolui monet fruticibus adſtantibus et perticis, ſiliquam ferre cum ſeminibus coctam mandendam; ſemina ex parte purpuraſcere, ſiliquas foeno graeco ſimiles eſſe, ſed longiores et magis curuas. De ſiliquis vna cum ſeminibus mandendis idem teſtatur Galenus. De dolicho in altum ſurgente et circumplicato perticis eadem Theophr. H. P. VIII. 3. qui fructum rubigine laborare alt, niſi planta in altum ſurgere poſſit. Ceterum Georg. Alexandrinus grauem interpretatur accuſatam a Pythagora, ſcilicet ex antiqua Plinii lectione 20. ſ. 83. vbi hodie aliter legitur. Ibidem eſt: *Pythagoras — ac ne in hortis quidem iuxta atriplicem naſci quicquam, niſi languidum culpauit. — Miror quare difficulter in Italia id naſci tradiderit Solo Smyrnaeus.* Si liceret atriplicem interpretari de halimo fruticoſo genere atriplicis, in altum ſemper nitente, fortaſſe poſſemus dicere conſurgere faſelum in atriplice iuxta poſito. Sed de halimo in Italiae hortis culto tacent ſcriptores.

378. *trichilis*] Id eſt in trichilas ſeu pergulas eductum genus. Recte Geſnerus genus *camerarium*, *leui vmbra cameras et pergulas operiens* comparauit apud Plinium 19. ſect. 24. Vide mox ad verſum 394.

chelydri] Idem, qui mox verſu 389 et 390. liuidus et hirtus dicitur, recte monente Geſnero.

383. *Ex tenui*] In editione Geſneri legebatur *Et tenui*, errore typothetae; quoniam ex Edd. vetuſtis eandem lectionem commemorauit. Ceterum rem ipſam breuiter expreſſit Plinius 19. ſect. 24. *Semina quae proxima collo fuerint, proceras parient; item ab imis, ſed non comparandas ſupra dictis:*

dictis: quae in medio rotundas: quae in lateribus, crassas breuioresque. Vide ad nostri XI. 3. 49. vbi etiam vsum cucurbitarum siccatarum explicui. Sententiam de seminum electione repetiit, sed paulum variauit Herrera Italicus IV. cap. 16. *delle zuche a cocozze.* vbi ita ait: *che essendo le calebazze da un capo è lunga et stretta, et dall' altro piana, cosi son le semenze di ciascuna di queste parti che tal nascera la zucca secondo del capo che è la semenza; che se la semenza è di collo, nascerà la calabazza lunga, che se del ventre, larga; et se del suolo delle zuoche, sarà larga, e latal semenza accio che nascan larghe, si ha da seminar di punta; et acciò si sappia da qual parte è la semenza, dopo che è ben secca la calabazza, aprasi, et si trovera la semenza ciascuna attaccata alla sua banda; et sempre ha da esser la semenza delle prime zucche che nasceranno, et di quelle che son piu vicine alle radice.*

386. *Naryciae*] Eandem habet Virgilius Georg. II. 438. Naryx fuit Locrorum oppidum. Vide Heinsium ad Ouidii Remed. Amor. 264.

387. *hamulam*] Ex graeco ἄμη. Vsum hunc tangit Plinius 19. sect. 24. *Nuper in balinearum vsum venere vrceorum vice, iam pridem vero etiam cadorum — condendis hortensiorum seminibus.* Ad vini vsum intus picari iubet *Herrera* Italus, quem solum comparaui.

389. *Liuidus*] Idem forte, qui Plinio *niger.* Ita enim ille 19. s. 23. *In Italia virides et quam minimi: in prouinciis quam maximi: et cerini aut nigri. Placent copiosissimi Africae, grandissimi Moesiae: cum magnitudine excessere, pepones vocantur.* vbi tamen rectius antiquae Edd. *citrini* habent, vt deinceps videbimus. Virgilio, cuius locum expressit Columella, IV. 122. *tortus per herbam crescit in ventrem cucumis.* Scilicet nomen cucumis commune habet cum vase ventricoso *cucuma* vocato. Propertio IV. 2. *caeruleus cucumis tumidoque cucurbita venire* idem esse videtur, qui liuidus Columellae.

grauida aluo] Puto simpliciter ventrem tumidum intelligi, in quem cucumis crescere dicitur a Virgilio. Possis etiam de seminibus inclusis interpretari, adeo vt σικυὸς σπερματίας intelligatur, de quo deinceps dicetur. Firmare videtur opinionem, quod sequitur: *pingui quoque semine fartus.*

390. *hirtus — nodoso gramine*] De eodem versus 378. *modo more chelydri — gelidas per graminis vmbras intortus cucumis.* Sed scire velim, quodnam gramen nodosum Columellae dicatur? deinde quid nodi in gramine faciant ad cucume-

merem? Gramen ipſum commemoratur, quod cucumis herbis iuuatur, nec ſarculo runcationeue indiget. Idem eſt σίκυος δρακοντίας, quem ex Euthydemo memorat Athenaeus III. p. 74.

391. *flexo*] Heinſii coniectura *flexos — orbes* corrigentis Aduerſ. II. p. 282. mihi non placet. Ventrem Columellae dicere videtur totum cucumeris corpus.

394. *trichila*] Pergulam ad aquam manantem exſtructam cogitare oportet. Camerarium hoc cucumeris genus intellexit Palladius IV. 9. *longi et teneri fiunt, ſi aquam in patenti vaſculo ſub eis ponas, duobus palmis inferiorem.* et Plinius: *ſi vas cum aqua ſubiiciatur a quatuor digitorum interuallo, deſcendentibus ante poſterum diem.* Pariter cucumeris genus eſt cucurbitae camerarium, alterumque humile vel plebeium, tradente Plinio.

395. *tenuatur*] fit longus et tenuis.

396. *candidus*] Palladius l. c. dulcem et candidum fieri ait, ſemina ſi lacte ouillo et mulſa aqua macerentur.

388. *riguoque madeſcit luteus aruo*] Geſner interpretatur: ſub maturitatem fit lutei coloris. Sane madeſcere dicitur de maturitate aeque ac coctura, vt docuit iam olim Rhodius ad Scribon. c. 41. Verum hoc in loco ambiguo verbo vſus eſſe videtur Columella, quoniam riguum ſimul aruum reſpiciebat. Atque omnino diuerſum genus cucumeris nunc Columella memorare videtur, luteum ſcilicet, quod in aruo riguo creſcit, aut matureſcit, adeoque genus peponis. Plinius citrinum appellare videtur, vbi Harduinus *cerini* poſuit ex Codice Thuaneo. Apicius III. 5. poſtquam cap. 4. de cucurbitis egerat, *citrinos* condire docet; deinde cap. 6. *cucumeres rajos*, cap. 7. *pepones et melones.* vbi libri manuſcripti *Citrium* nominat. Hinc ortum *Citrullorum* nomen eſt. Albertus de Vegetab. p. 467. *Citrulus eſt pepo viridis plani corticis; ſed pepo communiter eſt croceus et inaequalis ſuperficiei, quaſi ſit ordinate compoſitus ex ſemicirculis rotundis.* Ceterum malim h. l. legere *madeſcet*, vt conueniat verbi forma cum *dulcis erit* et *feret.* Peponis genus aliquod intelligi apparet, quod maturum et molle comeditur, cum prius genus immaturum veniat in cibum.

399. *et feret auxilium*] i. e. refrigerabit ſucco ſuo per aeſtiuos calores. Nunc breuiter hiſtoriam cucumerum enarrabo, quae multis difficultatibus laborat, adeo vt ne nomina quidem ſatis explicare potuerint viri docti, ex quorum commentariis materiam rudem coaceruauit Bodaeus ad Theophr. p. 781 ſeqq. ad quem cum Salmaſio lectores ablegare

legare ſolent vulgo, qui veterum ſcripta interpretantur. In rectam inſtitit viam Latinus Latinius in Epiſt. T. I. p. 260 ſeqq. multa tamen nomina omiſit.

Primum igitur animaduertendum eſt, Graecos cucumeres in duo diuiſiſſe genera, σίκυον et πέπονα dicta; melopeponis autem vocabulum primum a Plinio vt recens cum novo fructu repertum ponitur. Palladius aliquo poſt tempore *melones* vocaſſe videtur, quos Plinius *melopepones*. In Geoponicis XII. 20. exſtat quidem μηλοπέπονος nomen, verum auctoritatis aetate dubia et incerta. Latini rei ruſticae ſcriptores cucumerum nomine comprehenderunt pepones, nullo vocabulo diſtinguentes. Deinde dubitatum olim fuit de pepone, num is genere ſit a cucumere diuerſus, an ſola maturitate? Multi maturitate tantum diſtinxerunt; recte tamen genere diſtinxit Latinius, nec ſe Plinii auctoritate abduci a vero paſſus eſt, qui: *cum magnitudine exceſſere, pepones vocantur*. Scilicet Latinus cum Ioanne Coſtaeo peponem et melopeponem dictum arbitrantur, quod vterque maturus et mollis, cucumis contra acerbus et crudus comedatur. Vterque peponem anguriam, melopeponem melonem interpretantur; ſimulque monent, meloni exactam maturitatem multum de ſuauitate detrahere, in eoque ſolam reſpici mollitiem, cum πέπων dicitur addita mali comparatione. Supereſt igitur, vt tria eſſe dicamus argumenta, quibus peponum et melopeponum genus a cucumere diſtinguatur, maturitatem videlicet, mollitiem et magnitudinem. Haec tria argumenta variis modis tracta fuerunt in comparationem a poetis, quorum loca aliquot deinceps ponentur. Nunc exemplis paucis id agam, vt σίκυον a πέπονι σικύῳ, qui plerumque breuius πέπων dicitur omiſſo σικύῳ, vel σικυοπέπονι, quod vocabulum Galenus poſuit, genere et natura ſucci diuerſum eſſe doceam. Hippocrates igitur, aut Polybus, vt Galeno videtur, περὶ παθῶν ſic ait: σίκυος ὁ πέπων καὶ διερητικὸν καὶ διαχωρητικὸν καὶ κεφον, ὁ δὲ ἕτερος πέπων ψύξιν τινὰ παρέχει. vbi in altero membro additum πέπων recte damnant Vaticani Codices. Idem II. de Diaeta: σίκυοι ὠμοὶ ψυχροὶ καὶ δύσπεπτοι, οἱ δὲ πέπονες ἐρέονται καὶ διαχωρέονται, φυσώδεις δέ. vbi vide, peponibus opponi cucumeres, qui crudi ſeu immaturi comeduntur. Deinde Ariſtoteles in Problematibus, poſtquam XX. c. 9 et 14. de σικύῳ quaedam docuerat, capite demum 32. quaerit: διὰ τί οἱ σίκυοι πέπονες ἄριστοι γίνονται ἐν τοῖς ἑλώδεσι πεδίοις, ἔστιν ἐνύγροις, οἷον περὶ Ὀρχομενὸν καὶ ἐν Αἰγύπτῳ — οἱ δὲ σίκυοι αὐτοὶ ὑγρότεροι διὰ καὶ οἱ κηπαῖοι φαῦλοί εἰσιν. Vnde apparet, pepones amare

OXFORD

loca rigua aut paludosa, contra in hortis male prouenire et degeneres. Galenus denique, qui tria cucumerum genera nouerat, ita de Simpl. facult. I. 23. μηλοπέπονές τε καὶ σίκυοι ἤν τε καὶ πέπονες ἤν τε καὶ μὴ πέπονες ὦσιν, i. e. melones, cucumeresque siue ii sint pepones aut non pepones.

Theophrastus vocabulum et distinctionem peponis ignorat; contra is aliam differentiam annotauit VII. c. 4. τοῦ δὲ σικύου τρία γένη, Λακωνικὸν, Σκυταλίαν, Βοιώτιον. τούτων δὲ ὁ μὲν Λακωνικὸς ὑδρευόμενος βελτίων, οἱ δὲ ἕτεροι ἀνύδρευτοι. vnde Plinius: *Cucumerum graeci tria genera fecere, Laconicum, Scytalicum, Boeoticum. Ex his tantum Laconicum aqua gaudere.* Videtur σκυταλίας esse genus longum et teres cucumeris, instar baculi, σκυτάλης. Ita enim αὐλὸς σκυταλίας dicitur. Pertinet igitur ad idem genus, quod Columella versu 395. descripsit, quanquam amare aquas illud addat, quod de solo Laconico genere annotauit Theophrastus. Contra Boeoticum peponem meliorem prouenire in paludosis tradit Aristoteles. Verum id de toto genere cucumerum meminisse oportet, quod Columella XI. 3. 48. posuit: *Cucumis et cucurbita, cum copia est aquae, minorem curam desiderant: nam plurimum iuuantur humore.* Deinceps rationem docet, quo modo sicco loco seri debeant, quo rigationem ministrare non expediat; eandem scilicet, quae traditur in Geoponicis XII. 19. ἐὰν θέλῃς ἀνύδρους σικύους ἔχειν. De cultura quaedam obiter docuit Theophrastus, quorum partem omissam aut neglectam video a scriptoribus seriioribus. Quale est id, quod H. P. I. 22. ἔστι δὲ καὶ ἁπλᾶ ἔνια τῶν ἀνθῶν, καθάπερ ἐπὶ τῶν σικύων, ἃ ἐκ τῶν ἄκρων φύεται τοῦ κλήματος. διὸ καὶ ἀφαιροῦσιν αὐτά. κωλύει γὰρ τὴν τοῦ σικύου βλάστησιν. vbi flores simplices dicit masculos, ex quibus fructus prodit nullus, quos hodieque olitores decerpunt, nimis abundantes numero cum femineis. Diu enim et per partes floret cucumis, teste Theophr. VII. 3. ἀνθεῖ δὲ καὶ ὁ σίκυος καλέμενος. καὶ γὰρ ἐπιβλαστάνειν τούτῳ γε συμβαίνει. vbi animaduerte, additum καλέμενος videri peculiare genus cucumeris significare. Gaza peponem interpretatus est. Plinius tamen simpliciter: *cucumis particulatim floret, sibi ipse superflorescens: et sicciores locos patitur, candida lanugine obductus, magisque cum crescit.* Theophrastus C. P. VI. 14. καὶ ἐν τοῖς σικύοις ἢ ἐν τῷ χνοῖ πικρότης. Quae idem C. P. V. 6. de cucumerum cultura tradit, eadem verbotenus leguntur in Aristotelis Problem. XX. 9 et 14. vnde excerpta suis singula locis Columellae apposui.

Alia

Alia superest cucumerum distinctio in σίκυον ἄγριον, ἥμερον et ἐδώδιμον. Agrestis cucumis est, qui et anguinus dicitur, in medicina tantum expetitum succum, elaterium, praebens, momordica elaterium Linnaeo. Contra satiuus et edulis vnus idemque esse videtur. Quae Galenus de pepone tradit, eadem de σικύῳ ἐδωδίμῳ docere Aetius cum Paulo videtur Latino p. 265. Sed ex Galeni VIII. de Simpl. Medic. facult. apparet, ἐδώδιμον seu edulem cucumerem comprehendere acerbum seu vulgarem nostrum cucumerem alterumque maturum seu peponem. Melopepones Galenus minus noxios stomacho minusque vomitum excitare pronuntiat quam pepones, addens de Alim. Fac. II. τῶν δὲ πεπόνων οἱ ἐσθίοντες οἱ ἄνθρωποι τὸ τῆς σαρκὸς ἔνδον ἐν ᾧ τὸ σπέρμα. τὰ τῶν μηλοπεπόνων ἐσθίουσι. καὶ τοῦτ' αὐτοῖς συντελεῖ πρὸς διαχώρησιν. οἱ δὲ τὴν σάρκα μόνον ἐσθίοντες αὐτῶν, ἧττον τῶν πεπόνων διαχωροῦσιν αὐτήν.

Peponem Galenus ibidem vomitum excitare scribit atque vrinam mouere, multo magis quam melopepo et cucumis. Denique idem negat, pepones et melopepones siccos seruari posse, contra cucumeres veluti cucurbitas siccatas seruari, in libro de bono humore. Sed cucumeres non solum sicci, sed et virides seruabantur, docentibus Aristotele cum Theophrasto in locis supra laudatis. Accedunt Geopon. XX. 19. et Plinius XIX. sect. 24.

Cucumeres scriptores Graeci recentiores ἀγγέρια et τετραγγέρια dixerunt. Simeon Sethi p. 4. ἀγγέρια τὰ λεγόμενα σίκυα κατὰ κοινὴν δὲ τετράγγερα ψυχρά ἐστι. Suidas: σίκυα· τὰ τετράγγερα. Moschopulus: σίκυα· οἱ νῦν ἰδίως πέπονες καὶ τὰ κοινῶς τετράγγερα. Constantinus de administratione Imperii: τετράγγερον δὲ καλεῖται διὰ τὸ εἶναι αὐτὸ δίκην ἀγγερίου. Igitur a vasis ventricosi similitudine anguria dicta sunt, et pepones significari videntur. Idem Sethi: Σαρακηνικὸς πέπων ψυχρός ἐστι καὶ ὑγρὸς καὶ ὠφέλιμος εἴς τε τὰς καύσεις πυρετὸς καὶ τὰς ἀκριβεῖς τριταίους καὶ τὰς θερμὰς γαστέρας. quae fere eadem de melopeponibus Geoponica XX. 20. tradunt. Isaac de diaetis apud Vincentium Sp. nat. X. 91. Est apud Saracenos genus melonis, cuius humiditas minor est caeteris. *Citrolos* ex Charta anni 1178. posuit Cangius, atque alivnde *citrullos*. In Vincentio etiam *cicroli* vocantur. Cucumeres citrullis iungit Crescentius VI. melones separatim tractans, quorum genus longum, viride et curuum *melangulos* vocari ait. Citroli et citrulli ex vetere vocabulo *citrei* (cucumeres) superesse videntur; seminibus nigris vel rufis facile agnoscendi.

Scaliger ad Phrynichum p. 109. affirmat, melones nostros veteribus ignotos, contra pepones et melones eorum esse, quos Hispani *Albadegas* vocent. Nunnes Hispanus ibidem suspicatur, σίκυον σπερματίαν et melopeponem esse genus illud melopeponis mollioris, quod Valentini *albudecam*, alii vero Hispani *badeam* appellent; contra σίκυον δρακοντίαν Athenaei esse Hispanorum *Alficos*. Anguria Simeonis interpretatur idem cucumeres vulgares, qui hodieque a Graecis *anguri* dicantur. Matthiolus cum Dodonaeo melopepones Galeni censuit esse quos nunc melones vocamus, quanquam Matthiolum dubium faciebat locus Galeni supra positus, vbi homines dicuntur in peponum esu abstinere a carnis parte ea, quae semina inclusa gerit, cum in melopeponibus eandem comedant. Hodie enim Itali carnem eandem peponis et melonis vel edunt vel repudiant, prouti fructus ii plus minusue maturitatis sunt adepti. Cum Costaeo Latinus Latinius in Biblioth. II. p. 78. et in Epistolis l. c. censuit Galeni pepona esse Hetruscorum et Romanorum *Cocomero*, Insubrium *Anguria*, melopepona esse Romanorum *melone*, Etruscorum *pepone*, σίκυον Etruscorum et Romanorum *cedruolo*.

Plinius melones nostros tam manifestis signis describit, vt vix dubitationi locus esse possit XIX. sect. 23. *Ecce cum maxime noua forma eorum in Campania prouenit mali cotonei effigie. Forte primo natum ita audio vnum: mox semine ex illo genus factum, melopepones vocant. Non pendent hi, sed humi rotundantur. Mirum in his praeter figuram colorem-que et odorem, quod maturitatem adepti, quanquam non pendentes, statim a pediculo recedunt.* vbi Dalecampius monuit, Plinium cucumerum nomine comprehendere melones nostros, cucumeres et angurias, alio nomine bathecas dictas. Citrinos cucumeres esse Gallorum *Sucrades blanches*, nigros *Sucrades rouges*.

In cucumerum genere memoratur σίκυος σπερματίας, semine fartus, et εὐνεχίας, semine carens. Athenaeus II. p. 69. in loco Cratini σίκυον μέγιστον σπερματίαν interpretatur πέπονα; nescio quam recte. σικύε πέπονος εὐνεχία meminit ibidem Plato Comicus. Magnitudinem tumidam peponis arguit dictum Anaxilae τὰ δὲ σφῦρ' ὧδε μᾶλλον ἢ σίκυος πέπων. Quicquid denique molle et mite est, Graeci cum pepone comparant, in bonam scilicet et in contrariam partem. Hesychius σίκυον σπερματίαν interpretatur τὸν μέγαν σίκυον. alibi tamen μηλοπέπονα. Pollux VI. 46. cum Herodiano Piersoni p. 463. σπερματίαν interpretatur πέπονα. Eunuchias

muchias pepon gracilis et longus intelligendus videtur cum Casaubono; quoniam Meleagri crura Comicus Plato cum eo comparauit. Ibidem exstat Phaniae Eresii locus de esu peponis et cucumeris, sed vitiosus: *βρωτὰ μὲν ἁπαλὰ τῷ ἐπικαρπίῳ σίκυος καὶ πέπων ἄνευ τοῦ σπέρματος, πεττόμενον δὲ τὸ περικάρπιον μόνον.* quae Dalecampius vertit: *cucumerem immaturum cum carne quae semen ambit, in cibo lautum esse, peponem vero detracto semine: minime vero carnem eius, quae semen amplectitur, nisi matura sit.* Quae duxisse ille videtur ex recordatione loci Galenici, quem supra posui. Casaubonus coniiciebat legendum: *βρωτὰ μὲν ἁπαλὰ τῷ περικαρπίῳ σίκυος καὶ πέπων μετὰ τοῦ σπέρματος. πεττομένων δὲ τὸ περικάρπιον μόνον.* Quae tamen sententiam Galeno contrariam fundunt.

Nomen latinum ex graeco deriuatum esse suspicor; Varronis certe etymologia inepta est. Hesychius *κύκυον* interpretatur *σίκυον*; vnde *cucuma* et *cucumis* Latinorum potuit oriri. Alias *σίκυς* Graeci Attici *σικυὸς* dixerunt. Hesychius etiam *ἡδυνέον· ὁ σίκυος.* vbi Interpretes non meminerant loci apud Athenaeum III. p. 74. Ἡρακλείδης ὁ Ταραντῖνος ἐν τῷ συμποσίῳ ἡδύγαιον καλεῖ τὸν σίκυον. nec ibi Casaubonus recordabatur Hesychii. Denique admonendus est lector ex Athenaeo II. p. 68. Speusippum peponem nullibi, sed pro eo *σικύαν* nominasse, contra Dioclem omissa *σικύᾳ* peponem appellasse. Inde factum puto, vt postea *σικύας* nomen ad cognitum Indicae cucurbitae genus longum transiret, vt ex Menodoro aliisque docet Athenaeus II. p. 59. Quid quod ipse Theophrastus nullibi peponis meminit, sed pluribus in locis *σίκυον*, *κολοκύντην* et *σικύαν* iungit, vbi *σικύα* esse videtur pepon, aut cucurbita Indica, quae Alexandrina forte est Columellae.

402. *sanguineo cruore*] i. e. succo mororum sanguineo; simul alludit ad fabulam de Thisbe, ex cuius sanguine nigrum colorem traxisse dicuntur mora; recte monente Pomponio. Fabulam narrauit Ouidius, cuius vnicus exstat locus ex antiquitate de moris albis. Raram eorum mentionem Mercurialis V. L. I. p. 26. explicabat inde, quod alba morus ex insitione super albam populum facta enata fuerit, quam sub imperii romani ditione fere apparuisse vti plures alias insitiones ait.

403. *bifera*] Horatius Epist. I. 7. 5. *dum ficus prima calorque* (canicularis) *designatorem decorat lictoribus atris.* Suetonius Aug. 76. *ficos virides biferas* habet.

404. *Armeniis*] Pruna *armeniaca*, quae ſpia et odore commendantur habet etiam Plinius 15. ſ. 12.

cerealis] De ficis quae ſeruant flauae cognomina cerae infra verſu 417. mentionem alienam iniicit Schoettgen. *Prunum magis cera luteum* nominat cum ſorbo carmen Priapeium 51. verſu 9. Vt vulgaria nominat Copa verſu 18. *autumnali cerea pruna die.* Autumnalia pruna Propertius II. 9. 13. Pruna ſilueſtria, onychina memorat Columella XII. 10. ſed purpurea, quae ibidem vulgo leguntur ſect. 4. ſpuria ſunt. Vide ibi notam. Plinius l. c. candida, etiam hordearia dicta, quoniam cum hordeo maturantur, et alia candida, ſeriora et maiora a vilitate aſinina dicta habet; deinde nigra, et laudatiora *cerina atque purpurea.* De perſicis prunis, malinis, amygdalinis et nuciprunis et Damaſcenis vide ad Palladii Nouembri VII. 16. *Cerea pruna* nominat Virg. Eclog. II. 53. Ouidius Metam. XIII. 817. poſt nigra, magis generoſa cerea nominat.

405. *Perſis*] Plinius XV. ſect. 13. *in totum quidem Perſica peregrina etiam Graeciae Aſiaeque eſſe ex nomine ipſo apparet, atque ex Perſide aduecta. — nam Perſicae arbores ſera et cum difficultate tranſiere, vt quae in Rhodo nihil ferant, quod primum ab Aegypto earum fuerat hoſpitium. Falſum eſt, venenata cum cruciatu in Perſis gigni et poenarum cauſa a regibus tranſlata in Aegyptum terra mitigata. Id enim de Perſea diligentiores tradunt, quae in totum alia eſt, myxis rubentibus ſimilis, nec extra Orientem naſci voluit. Eam quoque eruditiores negauerunt ex Perſide propter ſupplicia tranſlatam, ſed a Perſeo Memphi ſatam. — Semper autem folia habet et poma ſubnaſcentibus aliis.* De Perſea, quam perſicam arborem dicit, aegyptiaca accurate tradit Plinius XIII. ſect. 17. ex Theophraſti H. P. IV, 2. Sub nomine arabico Laebach accuratius arborem cum fructu deſcripſit Abdallatif in Memorab. Aegypti p. 41 ſeqq. verſionis germanicae, qui graecas etiam fabulas de ea arbore refert. Columella poetam hic ſimulans fabulam de perſica arbore traditam nunc ſecutus eſt, quam alii de perſea non maiore iure retulerant, vt recte annotauit Plinius. De Perſea enim h. l. loqui Columellam, non eſt veroſimile, quod ea arbor extra Orientem non prouenit, teſte Plinio. An huc pertinet locus Ariſtotelis de Plantis I. 7. βελτίστον δὲ τὸ βαλανιῶδες τὸ γινόμενον ἐν τῇ Περσίδι, μεταφυτευόμενον ἐν Αἰγύπτῳ ἢ ἐν Παλαιστίνῃ γίνεται βρώσιμον, vbi Alberti verſio *belenum* nominat.

at nunc] Violenta medicina Salmasius Exercit. Plinian. p. 426. h. l. sanatum volebat ita: *expositio patriae discrimine, laeta* etc. Vitiosum locum esse omnes fatentur, et vitium arguit verbum *expositi*, quod ad poma male refertur. In Salmasii emendatione male *expositio* dicitur pro depositio; cuius notionis exemplum nullum attulit, etsi tralaticiam eam affirmat esse. Malim igitur legere: *deposito paruo discrimine leti.*

410. *mitescere praecoqua*] Cum in Sangerm. libro sit *praecoca*, lubenter recepi lectionem eam, quam iam olim h. l. restitui volebat Salmasius. Ex genere enim Persicorum nunc species singulas enumerare incipit, et primam praecocem. Persica praecoqua habet etiam Palladius Nouembri VII. 6. Plinius XV. sect. 11. *persicorum palma duracinis. Nationum habent cognomen gallica et Asiatica. Post autumnum maturescunt; aestate praecocia, intra 30 annos reperta et primo denariis singula venumdata.* Praecoqua minora fuisse, et gallicorum Asiaticorumque discrimen ex solo Columella discimus. Adde tamen Apicium IV. 5. vbi gustum de praecoquis praeparat his verbis: *duracina primotica pusilla praecoqua purgas* etc. vbi vox *primotica* a glossatore addita fuit. Fuerunt autem persica praecocia, item armeniaca praecocia, quae non vbique recte distinxerunt scriptores post Columellam. Plerumque enim postea praecocium cognomen armeniacis adhaesit siue malis siue prunis. De genere enim iam olim fuit disputatum. Graeci dixerunt praecocia corrupto vocabulo βερίκοκκα; hinc vulgatum nomen *Abricots*, *Apricosen* deriuant. Calpurnius Eclog. II. 43. *et modo cogit insita praecoquibus subrepere persica prunis.* Martialis XIII. 46. *vilia maternis fuerimus praecoqua ramis nunc in adoptiuis persica rara sumus.* Ita is de persicis nuciperficis. Sic nuciprunum est prunum nuci insitum apud Plinium 15. cap. 13. Armeniaca vulgo interpretantur *Amarellen*, *Marillen*, sed id genus melius conuenire videtur praecocibus Columellae.

411. *madent*] i. e. percoquuntur, mollescunt. Mala vulgo *manent*; vt recte etiam admonuit Pontedera. Ita noster XI. 3. 23. *madescat celerius cultura*, et noster in hoc ipso carmine versu 398. *riguoque madescit luteus aruo.* de cucumere. vbi recte de hac notione admonuit Gesner, et lectorem ad Rhodium ablegat in notis ad Soribonium c. 41. Ita Virgilius Georg. I. 196. de leguminibus: *et quamuis igni exiguo, praperata madérent.* Aploius VIII. cap. V. *aprum elixas quousque madescat.* VI. 3. *perdicem cum pluma sua elixa-*

elixabis et coctura madefactum depilabis. Sic ille saepius. Hinc apparet, *madefacere* non esse aspergere humore, sed penetrare, quod egregie docuit Io. Frid. Gronouius ad Senecae Q. N. III. c. 27. p. 274. Veterem tamen errorem in Thesaurum suum transtulit Gesner. Est a Graeco μαδᾶν.

maxima Gallia] Magna, seu Transalpina Gallia interpretabatur Schoettgen, rectius vero ad ipsa mala persica refert Gesnerus.

414. *Caunis aemula Chiis*] Aut cum Vrsino *caunias* aut *Chia* legendum est. Chias ager Setinus Italiae ferebat, vinosi simul et salsi seu pungentis saporis, teste Martiali. Nigram et albam Chiam et Chalcidicam reperiri ait Macrobius. *Cortice riuidenti Chias* dixit Calpurnius Eclog. II. 81.

415. *Chelidoniae*] Plinius 15. c. 19. *nouissima sub hieme maturatur chelidonia.* Athenaeus XIV. p. 642. ἐρυθρομελάνας interpretatur. Dioscorides V. 41. φοινικὰς etiam dici ait, colore nigropurpureo. Italis dici *fico asprino* ex B. Porta annotat Bodaeus. Brotier interpretatur *la petite Bourjassotte.*

Mariscae] Has sole cum aliis in annuos vsus siccari ait Plinius 15. sect. 19. fatuas mariscas vocat Martialis VII. 24. In loco cretoso et aperto seri eas vult Cato cap. 8. Ab Italis *fico fardare* et *pallaria* ob pinguedinem dici, Io. Bapt. Porta tradit. Iuncum mariscon habet ex Magone Plinius 21. c. 69. Mariscas ridere dixit Martialis II. 19.

416. *Callistruthis*] Plinius: *callistruthiae, parum sapore praestantiores, ficorum omnium frigidissimae,* vbi Harduinus locum Capitolini in Albino posuit hunc: *ficus passarias, quas Graeci callistruthias vocant.* Brotier interpretatur Gallice *la Figue Cordeliere, la Servantine.* In Plinio cum Dalecampio Brodaeus emendat: *haud parum sapore.* Callistruthias enim, vt praestantissimas inter romana genera laudat Athenaeus. *Digitelle* Italis dici a longo pediculo, monet B. Porta.

417. *albaque*] Athenaeus III. p. 75. λευκερινεὰς memorat ex Attico non rusticae scriptore, et suspicatur esse eam, quae ferat albas ficos. Sed Columella expressit *albiceratam* Plinii, quae Italis *fico Ottana* audit, auctore B. Porta. Leonidas Tarentinus Epigr. XLV. ὡς ἡ λευκόκαρπος ἐγὼ καὶ ἐρυθρὸς ἅμα κείνῳ συνφορῶ τὰς ἀπύρους ἀκόλας.

418. *Lydia*] Lydia a Pariis πάμφυκα dicta fuerunt propter colorem rubrum teste Athenaeo III. p. 76. Plinius: *Lydiae, quae sunt purpureae,* vbi Brotier interpretatur: *la figue violette.* B. Porta Neapolitanis *fico pente* audire ait.

Libyssa]

Libyssa] Ita scripsi grammatica ratione exigente pro *Libysca*. Noster V. 10. iuxta Africanam nominat Libycam et Lydiam. Schoettgen cum Harduino scissam interpretatur candicante rima ex Plinio 15. sect. 19. vbi est: *Alexandrina e nigris est candicante rima, cognomine delicatae.* Idem antea: *nam de Africanis, quas multi praeferunt cunctis, magna quaestio est. cum id genus in Africam nuperrime transierit, patriae nomen obtinent.* vbi Codex Salmanticensis habet *obtinens.* Deinde in reliquis verbis Codices et editi libri quidam habent: *nigris est, candicans, terena cognomine delicata.* vbi postremum *delicatae* graecae vocis τέρεινα interpretationem esse censebat Pintianus. Africanam nominauit iam olim Cato; igitur diuersa haec esse debet, non ex Africa, sed in Africam translata. *Scissa* dici videtur a rima, quae hiat. Sic Hesychio κεχάνια σῦκα· τὰ αὐτόματα κεχηνότα. Philostratus Icon. I. 331. σῦκα μέλανα ὀπῷ λειβόμενα σεσώρευται μὲν ἐπὶ φύλλων ἀμπέλου, γέγραπται δὲ μετὰ τῶν φλοιῶν ῥηγμάτων· καὶ τὰ μὲν ὑποκέχηνε παραπτύοντα τῶν μέλιτος, τὰ δ' ὑπὸ τῆς ὥρας οἷον ἔσχισται — σῦκα τὰ μὲν ὠμὰ καὶ ὀλύνθους ἔτι, τὰ δὲ ῥυσσὰ καὶ ἔξωρα, τὰ δὲ ὑποσέσηρα, παραφαίνοντα τῶν χυμῶν τὸ ἄνθος. vbi ex Codice Gudiano μετὰ τῶν τῶν φλοιῶν, deinde ὑπεσέσηρε corrige. Is enim ὑποσέσυρε habet, prorsus vt apud Oppianum Cyneg. III. 442. ὑπέσυρεν ὀδόντα pro ὑπέσηρεν. vbi vide notam meam.

419. *Tardipedi*] Post Vulcanalia peracta pluuiis autumnalibus instantibus napos et rapa serenda praecipit. Rapa optima habebantur Nursina, napi Amiternini. Cf. ad Colum. II. 10. 22. et XI. 3. 16. Graece rapum dicitur γογγύλη, γογγυλίς, napus autem βουνιάς. Tardipedes est Vulcanus, idem claudus dictus.

423. *Sed iam*] Ex h. l. arguere licebat, hunc de cultu hortorum librum ante libros de vinearum cultu scriptum fuisse.

431. *Falerno*] Pro quouis vino nunc est. De Falerno Plinius XIV. s. 8. *solo vinorum flamma accenditur.* Hinc Martialis carmen de Murrhinis: *Si calidum potas, ardenti myrha falerno conuenit, et melior fit sapor inde mero.* interpretatur Cornarius ad Galenum de Compos. Medic. p. 431.

432. *pingui*] Manilius III. 662. *tum Liber grauida descendit plenus ab vlmo pinguiaque expressis despumant musta racemis.*

hortorum] Ita legendum esse pro *aruorum* aut *agrorum* monuit Pontedera, qui vulgatam ex Virgilio huc translatam temere fuisse putabat.

436. *Asseracum*] Ipsa sunt Virgilii verba Georg. II. 176.

COMMENTARIVS
AD
LIBRVM XI. COLVMELLAE.

Librum hunc XI. inscribendum esse Villicum ex libri XII. cap. 18. verbis his: *quamuis priore libro qui inscribitur villicus* arguit Morgagni; cuius opinionem confirmat Index argumentorum ex Codice Lipf. et Sangerm. positus ab initio librorum Columellae, quam vide.

Cap. I. *Augustalis*] Germanicus interpres Curtius interpretatur sodalem vel sacerdotem Augustalem; in honorem Augusti instituti collegii socium. Equidem vix dici puto Augustalem omisso vocabulo sodalis vel sacerdotis.

studiosorum — agricolarum] Ita iam Gesnerus vidit esse scribendum pro *studiorum — agricolationum*; et diserte libri duo *agricolarum* praeferunt. Sequens *extudit* pro *excudit* coniectura assecutus fuerat Vrsinus et Iunius Epist. 201. p. 378.

2. *primo*] Scilicet I. 8 et cap. 9. Vrsinus tamen malebat *priori* legi; et deinceps *ea* quam coniecturam Sang. firmauit. Deinceps *idem* omittunt libri optimi; *item* malebat Gesner.

3. *vt senem*] Libro I. 8. *Iamque is transcenderit aetatem primae iuuentutis nec dum senectutis attigerit; illa ne et auctoritatem detrahat ad imperium, cum maiores dedignentur parere adolescentulo, haec ne laboriosissimo succumbat operi.* Ceterum concinnitas orationis postulabat, vt ex Lipf. *iuuenes* adderem post *senem*. Sang. *Vilicum* habet.

4. *non discipulum*] Vsitatius erat *quam discipulum*.

Cato] Sententia exstat cap. V. 2.

5. *(vir)*] Omittit Sangerm. igitur inclusi; nam melius abest. Antea *sermone* Sangerm.

a se instituere] Haud scio an praestet *ipse instituere*, quod video nunc Gronouium etiam maluisse. Xenophon Oecon. cap. 12. ἢ αὐτὸς παιδεύεις τὴν ἐπιτρόπευσα — αὐτὸς πειρῶμαι παιδεύειν.

6. *difficile erudire*] Omnes aut simile vocabulum addi volebat Almeloueen, obnitente Gesnero.

7. *edurandus*] Comparauit Gesner ex I, 8. 2. *rusticis operibus ab infante duratus.* et *inspectus experimentis.*

9. *Libenter igitur*] Mihi haec sana non videntur. Malim: *Igitur, libenter enim eadem loquor, tam docendus* etc.

10. *pe-*

10. *pepererit*] Gesnerus malebat *sed forte — peperit*. Posteriorem partem emendationis probo.

11. *consummatae sapientiae*] Ex Sangerm. *scientiae* annotauit Gronouius.

13. *domestici — exteri*] Ita recte Sangerm. liber pro *domesticum — externum*. Supra noster: *ne conuictum eum domestico multoque minus cum extero habeat.*

somniculosum — effugiunt] Ita recte Edd. optimae. Vulgatam *somniculoso* damnauit etiam Pontedera. Libri duo scripti habent *somniculoso afficiunt.*

dormiens] Xenophon: τὸ γὰρ μεθύειν ἐμποιεῖ λήθην πάντων τῶν πράττειν δεομένων — ὅτε γὰρ ἂν αὐτὸς δύνωμαι καθεύδων τὰ δέοντα ποιεῖν ὅτε ἄλλος παρέχεσθαι.

14. *venereis amoribus*] Xenophon: καὶ οἱ τῶν ἀφροδισίων δυσέρωτες ἀδύνατοι διδαχθῆναι ἄλλο τινὸς μᾶλλον ἐπιμελεῖσθαι ἢ τούτου, ὅτε γὰρ ἐλπίδα ἔτ' ἐπιμέλειαν ἡδίονα ῥᾴδιον εὑρεῖν τῆς τῶν παιδικῶν ἐπιμελείας. Haud scio an praestet legere *venereis a rebus*, vt XII. 4. sect. 3.

15. *agilem industriam*] Recte interfertum *atque* omittunt optimae Edd. Vrsinus malebat *nauam* interseri. Gesnerus vulgatam defendebat.

16. *tricandi*] Vrsinus malebat *meridiandi* pro vulgata *meretricandi*. Praetuli lectionem Polit. Pontedera malebat *mane tricandi*. quod maxime rei aptum puto inuentum.

18. *relinquat*] Sang. *reliquerit.*

tum vero] Sang. *tunc vero.*

caeteram] Vocabulum mihi hoc videtur abundare. Sed plura huius loci verba vitiosa sunt, quae magis etiam interpolauit Iucundus. Edd. primae: *siue alterum languidiorem aut valetudinarium.* sed Bononiensis et Regiensis *alterum languidiorem in valetudinarium.* quae lectio iam experta videtur manum interpolatoris. Ecce enim Sang. teste Gronouio habet *siue aliter languidiorem vt valetud.* Hinc apparet, ex quo fonte ducta sit correctio I. Fr. Gronouii ad Senecae Q. N. Praef. I. proposita, vbi h. l. legi volebat *siue aliter.* Hinc igitur vulgatam huius loci lectionem *siue alter languidior est.* correxi. Sic XII. 3. f. 7. *vel simulantem languorem in valetudinarium deducat.* Videtur Columella graecum ἔτ' ἄλλως πως μαλακιᾷ reddere voluisse.

19. *circa larem domini*] Meursius ad Catonem p. 2. corrigebat *larem domi.* Horatius Serm. II. 6. versu 65. *quibus ipse meique ante larem proprium vescor, vernasque procaces pasco libatis dapibus.* Ante larem seu focum seruos coe-

coenasse testantur loca Martialis III. Epist. 58. Horatius Epod. II. 65. Propertius III. 5. 69.

conspectu eorum] Supra: *ne cibum nisi in conspectu familiae capiat, neue alium, quam qui ceteris praebetur.*

accubans coenet] Reliquis stans coenabit? Noster supra: *nonnunquam tamen eum, quem assidue sedulum et fortem in operibus administrandis cognouerit, honoris causa mensae suae die festo dignetur adhibere.* Antiqui Romani coenabant sedentes; igitur villicum etiam reliquis diebus sedentem et in conspectu familiae reliquae coenare voluit Columella.

20. *plus in operis*] Supra I. 8. 8. *ita exhortandus est ad instrumenti ferramentorumque curam, vt duplicia quam numerus seruorum exigit, refecta et reposita custodiat, ne quid a vicino petendum sit: quia plus in operis seruorum, quam in pretio rerum eiusmodi consumitur.*

21. *id est munitam*] Supra I. 8. 9. *munitamque diligenter a vento, frigore pluuiaque, quae cuncta prohibentur pellibus manicatis, centonibus confectis vel sagis cucullis.*

sagatis cucullis] Ferrarius hic et supra I. 8. 9. malebat *sagis cucullatis*, alii *sagis aut cucullis.* Liber Sang. habet *sagaceis cucullis.* sed ita scriptum, vt literae *c* puncta sint supposita, monente Gronouio.

hiemalis dies] Sang. *hiemalibus diebus.* Supra I. 8. 9. *id si fiat nullus dies tam intolerabilis est, quo non sub dio moliri aliquid possit.*

22. *ergastuli*] Vrsinus malebat *ergastulis.* Supra: *omnibus circumspectis vt ergastuli mancipia recognoscant, vt explorent, an diligenter vincta sint, an ipsae sedes custodiae satis tutae munitaeque sint. num villicus aut illigauerit quempiam domino nesciente aut reuinxerit.* Vnde apparet, verba *vincta quae sunt* ab inepto glossatore addita fuisse; igitur inclusi.

resoluat] Sang. *soluat.*

facere nesciat] Supra I. 8. 6. est *ne fecerit — aruspices sagasque, quae vtraque genera vana superstitione rudes animos ad impensas ac deinceps ad flagitia compellunt, ne admiserit.*

23. *amicitia*] i. e. ex amicis. Supra fuit: *hospitem nisi amicum familiaremque domini necessarium receperit.*

24. *occupet*] Supra: *neue negotietur sibi, pecuniamue domini aut animalibus aut rebus aliis promercalibus occupet. Haec enim negotiatio — nec vnquam patitur eum — sed vbi numeratio exigetur, rem pro nummis ostendit.*

aeris

aeris numeratio] Cum Lipſ. libro *aeris* omitti malebat Schoettgen, et ſupra omittitur. Sed ex varietate libri Sangerm. ſuſpicor legendum: *ſed vbi aes eſt numerandum, res pro nummis oſtenditur.*

25. *Iam illa*] Sangerm. *Illa iam.* contra morem Columellae.

minus probis] Supra: *vt neque remiſſe neque crudeliter imperet, ſemperque aliquos ex melioribus foueat, parcat tamen etiam minus bonis, ita, vt potius timeant eius ſeueritatem. — Id contingere poterit, ſi maluerit cuſtodire ſubiectos, ne peccent, quam negligentia ſua committere, vt puniat delinquentes. — exactio, vt iuſta reddantur, vt villicus ſemper ſe repraeſentet.*

cuſtodire] Malim ex altero loco *contingere*, i. e. conſequi.

26. *iſtaque*] Malim *idque.* In Edd. optimis eſt *itaque.*

27. *et familia*] Supra: *et caeteri poſt defatigationem operis quieti ac ſomno potius quam deliciis.* vbi peius eſt *deliciis* quam noſtrum *maleficiis.*

28. *nam etſi multum*] Supra: *nam cum multum prodeſt perite quid facere, tum plus obeſt perperam feciſſe.*

cuius eſt] Supra: *vnum enim ac ſolum dominatur in ruſticatione, quicquid exigit ratio culturae, ſemel facere.* ex quo loco apparet, veram eſſe eam lectionem, quam poſuimus, quamque Geſnerus etiam probabat, male tamen interpretatus, quoniam alterum locum non comparauerat.

emendata — facti] Ita recte Sangerm. liber, et ipſe noſter ſupra: *quippe cum emendatur vel imprudentia vel negligentia, iam res ipſa decoxit. — vt et ſe amiſſam reſtituat et quaeſtum temporum praeteritorum reſarciat.* vnde verba *praeteritorum temporum* h. l. reſtituenda eſſe recte monuit Pontedera.

29. *Heſiodus*] Ἔργων II. 31.

Serere ne dubites] Cato cap. 3.

30. *totius anni*] Augent Geoponica noxam II. 45. ἀλλὰ καὶ αὐτὴν τὴν γῆν χείρω κατασταθήσει.

et coeli] Copulam inſerui ex Sangerm.

31. *Virgilius*] Georg. I. 204 ſeqq.

32. *quantumuis*] Cum verbis *pingui Minerua* copulari malebat Geſner.

Cap. II. In hoc capite deficit Geſneri diligentia et patientia, quam ſuppleuit Pontederae eruditio egregia, ad cuius Epiſtolas ablegare lectorem ſtudioſum nobis etiam con-

consultius visum est, quam difficultatibus ad rem rusticam non pertinentibus et rebus nec mihi nec multis aliis satis intellectis diutius immorari. Addidi tamen breuiter, quae post Pontederam monuit Pfaffius nostras. Contra omisi Kalendarium Farnesianum rusticum ab Vrsino editum, repetitum a Grutero p. 138. omissis tamen Vrsini notis, quod Gesnerus Columellae subiecerat paucis annotationibus adiectis. Non paucis argumentis nec leuibus νοθείαν huius monumenti docere conatus est Pontedera in Epistolis p. 393. atque ipse adeo Gesnerus non satis emendatum sibi videri hoc Kalendarium fassus erat. Nuperrime autem Foggini ad Verrii Flacci Fastos p. 104. hoc Kalendarium non tam spurium, quam minus perite et sequiore aetate compositum fuisse censuit.

qui ait ille] Haec verba ex margine intrusa esse suspicatus est Vrsinus, quem secutus Gesnerus ea inclusit.

2. *noui veris*] incipientis recte interpretatur Schoettgen.

3. *Idibus Ianuariis*] Plinius 18. sect. 64. *Idem ad VI. Idus Ianuarii eiusdem delphini occasu vespertino continui dies hiemant Italiae et cum Sol in aquarium transire sentitur, quod fere XVI. Calendas Februarii euenit.* Cum Plinio Ouidius Fastor. I. 651.

praefestinatum] Sententiam hinc repetiit Palladius I. 6. 15.

4. *XV. Cal. Febr.*] In Sang. est XII. Cal. Febr. teste Gronouio.

significat] ἐπισημαίνει ortu suo testatur venturam esse tempestatem; Geoponici I. 2 et 3. saepe vtuntur voce σημαίνει et προσημαίνει; Hippocrates Aphor. IV. 36 seqq. simplici σημαίνει. Vide Salmasium ad Solin. p. 516. Distinguitur ab eo, quod exstat sect. 5. *facit tempestatem*, quod significat, eo ipso momento, quo hic vel ille ventus aut stella oritur, tempestates affert. Ita ad h. l. Schoettgen. Aristoteles Problem. XXVI. 13. τὸ δὲ ἐπισημαίνειν ἐστὶ μεταβολὴν τοῦ ἀέρος ποιεῖν. Hinc Geoponica VI. 10. περὶ πάσης ἐπισημασίας καὶ ἀπὸ καύματος καὶ ψύχους. ἢ λάβρων ὄμβρων ἢ διὰ βίαιον πνεῦμα ἢ σκληρὰν βροντήν. Hinc Plinius 18. c. 64. *a bruma in Fauonium Caesari nobilia sidera significant.* vbi de vsu verbi hoc bene disputauit Harduinus. Atque ita nostet infra sect. 94. Polybius vbi causas cladis, classi romanae inflictae, in mari Siculo affert, I. 37. 4. ἅμα δὲ (διὰ) καὶ τὴν μὲν ἐδέπω καταλήγειν ἐπισημασίαν τὴν δ' ἐπιφέρεσθαι. μεταξὺ γὰρ ἐποιοῦντο τὸν πλοῦν τῆς ὠρίωνος καὶ κυνὸς ἐπιτολῆς. Ceterum

rum Pontedera in Antiqq. p. 403. verba *interd. etiam tempestas* aut abiicienda censet, vti glossam aut in *temperies* mutandam tempestatem. Deinceps idem ex Ouidio malebat numerum XI. mutari in X.

5. *Pristini sideris*] Esse a *pristi* ceto deriuatum vocabulum, recte monuit Schoettgen.

Leonis quae es] Plinius: *VIII. Calendas Febr. stella regia appellata Tuberoni in pectore leonis occidit matutino.* Cum Plinio facere Ouidius I. 655. videtur Harduino. Regulus tunc cum sole occidebat IX. Cal. Februar. Vide Pfaff p. 94.

bipertitur] Ita h. l. distinxit et correxit ex libris Pontedera. Ita infra s. 36. *XI. Calend. Maias ver bipartitur.*

Fidicula] Plinius: *et pridie nonas fidicula vesperi.* Noster infra sect. 14. *III. Nonas Febr. fidis tota occidit.* et paulo antea: *Calendis Febr. fidis incipit occidere.* Hic Columella Euctaemonem sequitur, monente Pfaff p. 87. qui dies Graeciae coelo tum conueniebat.

6. *semestrium*] Librorum *semi menstruum* probabat Gesner, quoniam h. l. dimidius mensis intelligi debet, semestris vero est ἑξάμηνος. Sed in indice recte comparauit ipse *semodium* pro modio dimidio. Verumtamen vel sic malim *semestre* vel *semenstruum.*

7. *regelatae siccantur*] Ita scripsi cum Pontedera ex libris optimis.

apricis] Palladius: *Ianuario 2. apricis aut aridis locis prata iam purganda sunt et a pecore vindicanda.*

8. *proscindere*] Palladius Ianuario 3. sed idem Martio 2. *locis gelidis (calidis* Vincent. bis habet) *colles pingues et agros vliginosos proscindere atque exarare conueniet. veruacta etiam, quae Ianuario mense sunt facta repetere.* Vides ergo, idem esse veruagere et proscindere. De reliquis agrorum conditionibus idem Aug. I. Sept. I. Sed Pontedera in Curis Sec. obtestatur, *veruagendi* verbum esse ignotum Latio, et *vereue agendi* antiquum recte habere, *agendi* interpretatus *tractandi.*

9. *far*] Pallad. Ianuar. 9. simpliciter *far* vocat ex h. l. *fibras* interpretatur folia, et *farrire segetes* reddit per *farcular frumenta.* De farre vide ad II. 6. 3.

10. *creuerit*] Sang. *creuit.* De eruo consentit Palladius Ianuario 8.

11. *cerasorum*] Varro I. 39. 2. brumalibus diebus cerasos inseri iubet. Sed de cultura cerasi vide ad Palladium Oct. XII. 4. qui accuratissime omnium eam tradidit.

tube-

tuberum] Infra sect. 96: *possunt etiam his diebus cerasi et tuberes et Armeniacae atque amygdalae ceteraeque arbores, quae primae florent, inseri commode.* vbi Edd. I. B. R. *tubures* habent scriptum, vt Codices Plinii libri XV. c. 14. *Aeque*, inquit, *peregrina sunt zizypha et tuberes, quae et ipsa non pridem venere in Italiam, haec ex Africa, illa ex Syria. Sex. Papinius, quem Consulem vidimus,* (anno vrbis 789. extremis Tiberii temporibus) *primus vtraque attulit, diui Augusti nouissimis temporibus in castris sata, baccis similiora, quam malis, sed aggeribus praecipue decora. Tuberum duo genera, candidum et a colore Syricum dictum.* Idem XVI. sect. 42. *Ab ea* (amygdala mense Ianuario) *proxime florent Armeniaca, dein tuberes et praecoces, illae peregrinae, hae coactae.* Idem XVII. sect. 14. *tuberes melius inseruntur in pruno silvestri et malo cotoneo et in calabrice. ea est spina silvestris.* Tuberes nominat Palladius Februar. 25. sect. 32. Idem Ianuario 15. sect. 20. *hoc mense tuberes inseruntur cydoneo.* Idem denique Septembri cap. 14. operose culturam tuberum docet, et habet eadem quae Plinius de insitione. vbi Codex Lugd. et Erford. similiter *tuberes* appellant. Praeter Palladium nemo veterum accurate de tuberibus tradidit. Inter poma refert etiam Plinius. Tuberes vernas Libycis opponit Martialis XIII. epigr. 42 et 43. In Suetonii Domit. c. 16. tuberes oblatos imperatori, quos seruari ille iusserat in crastinum, aliqui de his tuberibus interpretantur. Quae si sit interpretatio vera, fructus raritatem arguit. Harduinus nuciperfica vulgo dici seu *pesches - noix* ait, nescio quo auctore; contra Brotier suspicatur esse persica odorata, *le Brugnon musque.* Vtrumque falli exinde patet, quod Palladius primum *nucleos* tuberum, deinde *grana pomis decussa* memorat. Pomi genus igitur est, quod nucleo seu loculamentis ligneis grana seu semina plura inclusa gerit. Matthiolum, zizypha interpretatum tuberes, refellit Latinius Biblioth. T. II. p. 77. In eiusdem Latinii Epistolis T. I. p. 233. reperio H. Mercurialis epistolam, qui tuberes esse censet, Albarcocos Alexandrinas nuncupatas, quae ex Alexandria in Siciliam primum, deinde Neapolin transuectae, non admodum procerae sint, folia armeniacorum fere gerant, persicis inserantur et prunis, granis seminentur Septembre et Octobre, nascantur calidis locis et apricis, siccam terram, sed arte irroratam ament, fructus, nuce pontica paulo maiores, rubeos, cute laeui ac dulces ferant. Contra quem monet Latinus ibidem p. 235. ex loco Martialis, vbi cum punicis apyrenis lecti tuberes mittuntur, et loco Suetonii, vbi

vbi Domitiano tuberes mense Septembri offeruntur, tuberes videri eodem tempore, id est, autumno maturos gerere fructus. Ceterum locum Plinii XV. c. 14. *tuberum duo genera* etc. vitiosum censebat Mercurialis, et in locum *tuberum* vocabulum *zizyphorum* succedere malebat. Recte, puto!

trigesimam] Vegetius de re milit. V. 5. de materia ad Liburnas caedenda: *Obseruandum praecipue vt a quinta decima luna vsque ad vigesimam tertiam arbores praecidantur. — his enim tantum octo diebus caesa materies immunis seruatur a carie; reliquis autem diebus praecisa etiam eodem anno interna vermium labe exesa in puluerem conuertitur.* Sed is forte solam superstitionem respexit eam, quae regulam istam ex celebratione festi paschalis repetebat.

12. *vtraque parte*] Geoponica etiam V. 27. ἑκατέρωθεν ἐξύνειν iubent, scilicet, vt altero anno conuerti possint ridicae. Superiorem partem feruente pice illinunt Geoponica. Ceterum Plinius 18. c. 63. *ridicas praeparare interdiu XXX. palos LX. in lucubratione vespertina ridicas V. palos X. totidem antelucana.* Apparet, numeros ridicarum interdiu praeparandarum, in Plinio esse vitiosum; quod etiam de numero palorum Columellae suspicatur Pontedera. Duplex scilicet palorum numerus praeparatur, quam ridicarum ab eadem opera. Igitur in Columella numerum CXX. restitui malebat; qui Plinio etiam reddi debet pro XXX.

13. *ad vnguem*] Sang. *in vnguem.* Dolare per quadrata latini architecti vno vocabulo quadrare dixerunt in lignea et lapidea materia. Vehis est, quantum vectura vna transportari potest. Ita lapis, qui apud Aegospotamus olim decidit ex caelo, vehis magnitudine fuisse dicitur apud Plinium. Alia ligna non quadrantur, sed rotunda adhibentur in aedificiis.

populus] Ad materiem caedi et quadrari testatur Plinii locus 16. c. 81. quanquam vitii suspectus. Sed sculpturas probat Palladius Nouembri 15. cum Vitruuio II. c. 9. Ceterum altitudo diuersa seu mensura, quae ponitur a Columella, diuersam trunci singulorum arborum altitudinem significat. Pino igitur est altior vlmus et fraxinus; vtroque cypressus; deinde abies et populus.

14. *III. Nonas*] Ex Ouidio IV. Nonas corrigebat Pontedera Antiqq. p. 403.

charactere] Palladius Ianuario 16. *hoc mense sicut Columella dicit, maturi agni et animalia omnia minora atque maiora charactere figuentur.* Virgilius Georg. III. 158. de vitulis: *continuoque notas et nomina gentis inurunt, et quos*

aut pecori malint submittere habendo, aut aris seruare sacros, aut scindere terram. vbi nuperus Interpres huc traxit locum Horatii Odar. IV. 2. 59. *qua notam duxit niueus videri, caetera fuluus.* Festus: *dignorant signa imponunt vt fieri solet in pecoribus.* Oues post tonsuram in armis signari pigmento aliquo supra vidimus; equis in femoribus notas inurebant, teste etiam Anacreonte. Instrumentum Graeci τρυσλιπτιον appellant.

Eurinus] In Sang. libro *Euroo* pro *Eurino* bis terue legi, monet Heinsius ad Virgil. T. II. p. 487. vt sit Eurous, qui ab oriente voluitur.

III. Nonas Febr.] Pontedera corrigit *IV. Nonas.*

15. *VII. Idus*] Plinius 18. c. 65. no. 2. *interim ab eo die, quisquis ille fuerit, quo flare coeperit, non vtique VI. Idus Februarii, sed siue ante, si quando praeuernat, siue post, quando hiemat, post eam diem, inquam, innumera rusticos cura distringat.* vbi Pintianus monuit ex h. l. et Varrone I. 23. legi debere *VII. Idus.* In seqq. ex Sang. dedi *ac siccis* pro *et siccis.*

Callisto occidit] Gesnero mirum videbatur vrsam occidere dici, quae vsque inde ab Homerica aetate poetis auctoribus. Oceanum nunquam attigerit.

16. *vel frigora*] Duo haec verba inclusit Gesner, quoniam ex interpretatione orta censebat.

tumentes gemmae] Haec repetiit Palladius Febr. XX.

includenda] Ex glossa Lips. *concludenda.* Celsus I. 2. extr. *si quidquid adsumsit, potione aquae frigidae includit.* Plinius II. Epist. 11. *huius actionem vespera inclusit, non tamen sic vt abrumperet.*

operis LXXX.] Ex ratione reliquarum operarum, quas altitudini dupondii et semissis, deinde bipedalis apposuit Columella, numerum LX. verisorem esse efficiebat Pontedera; idem tamen non diffitetur, rationes has mutari altitudine fossionis maiore, quae diutius fossorem moretur, quam prima fossio. Addit Gesnerus, fossoribus iis, qui iugerum ad trium pedum altitudinem moliuntur, id est, pedes cubicos 864000. assignari cuique pedes 1080. secundis et tertiis 1440. quoniam primi in maiorem altitudinem maiore cum difficultate nitantur, quam ceteri. In Plinii loco mox ponendo similem difficultatem facit variatio scripturae; auget etiam, quod terreni mentio non addita est vt a Columella.

17. *bipalium, cui*] Hoc vulgato *bipedalium* praeferebat etiam Gesnerus; *quae* pro *cui* dat Sangerm. Sed vide ad Librum de Arboribus c. V. sect. 5. Supra III. 5. 3. est qui-

quidem: *bipalio prius ſubigi debet, quae eſt altitudo paſtinationis, cum in duos pedes et ſemiſſem conuertitur humus.* Sed et ibi legendum cenſeo: *cui eſt altitudo.* Plinius 18. ſ. 64. *huius temporis nouiſſimis diebus vbicunque patietur caeli ratio, terram ad roſarum et vineae ſatum vertere bipalio oportet. Iugero operae LX. ſufficiunt.* Sed ibi Brotier ex emendatione Petauii poſuit *operae IX.* In editione principe et Codice Regio eſt: *operae LXX.* Sed omnes hi numeri cum Columellae rationibus non conſentiunt.

18. *malleolus — pangendus*] Ita ex libris optimis ſcripſi probante Pontedera.

19. *populos et ſalices*] Plinius 18. ſ. 65. no. 2. de hoc tempore: *Arundines, ſalices, geniſtae ſerantur caedanturque; ſerantur vero vlmi, populi, platani, vti dictum eſt.* vbi recte Pintianus monuit, ſubſtitui debere platanis *fraxinos* ex eo ipſo loco, quem Plinius reſpexit 17. ſect. 15. et Columella. Ceterum h. l. *Populus — fraxinus* ex Sangerm. annotauit Gronov.

aeſtiuas] Palladius Febr. XX. *amputandi eis rami ſuperflui vel radiculae quas circa in ſuperiore parte miſerunt.* Aeſtiuas iterum vocat infra Arbor. V. 4. et ſupra IV. 8. 1.

arbuſtis et] Ita h. l. ex libro Sang. emendaui, addicentibus et reliquis libris, optimis quidem. Vulgatam ita ordinauerat Geſnerus, vt verba *vineis nondum foſſis* includeret, cum pendeant tamen a verbo *egerere.* Non ſolum enim arbuſta et ſub eis conſitae ſegetes ſunt purganda ramis et rubis, ſed etiam vineae, ſed nondum foſſae. Cato cap. 37. per hiemem iubet *de vinea et arboribus putatis ſarmenta degerere.* Palladius III. 15. *ſtatim poſt putationem ſarmenta deciſa a vineis et rubi et impedimentum foſſoris omne tollatur.*

deputata runcare] Ita vulgatum *deputare* ex Sangerm. correxi, qui deinceps *geneſtam.*

20. *trimeſtrium*] Sang. *trimenſtruum — adminiſtraretur.* Pro *Martii* idem bis notam *SS* poſitam habet.

XVI. Cal. Martii] Saepius in hoc capite ex libro Sangerm. Kal. Martias et Apriles reſtituendas eſſe monuit Drakenb. ad Liuium T. I. p. 1016.

21. *grandine et nimbis*] Cum Pontedera praefero antiquum *niuibus.*

ornithiae] Ab auium aduentu dicti venti. De Graecia Ariſtoteles Meteorol. II. 5. μετὰ τὰς χειμερινὰς τροπὰς πνέουσιν οἱ ὀρνιθίαι. καὶ γὰρ ἔτοι ἐτησίαι εἰσὶν ἀσθενεῖς, ἐλάττους δὲ

καὶ ὀψιάτεροι τῶν ἐτησίων πνέουσιν. ἑβδομηκοστῇ γὰρ ἄρχονται πνεῖν, — ἢ συνεχῶς δ' ὁμοίως πνέουσιν — διὸ διαλείποντες ἔτοι πνέουσιν, ἕως ἂν ἐπὶ τροπαῖς πάλιν ταῖς θερινοῖς πνέωσιν οἱ ἐτησίαι. In libro de Mundo est c. 4. οἱ Ἐτησίαι λεγόμενοι μίξιν ἔχοντες τῶν τε ἀπὸ τῆς ἄρκτου φερομένων καὶ ζεφύρων. οἱ δὲ ὀρνιθίαι καλούμενοι ἐαρινοί τινες, ὄντες ἄνεμοι, βορέαι εἰσὶ τῷ γένει. Ex priore loco sua duxit Apuleius: *Ornithiae venti appellantur Aquilonum genus ex aere prolati minori nisu nec iugi perseuerantia spiritus perferentes.* Plinius II. sect. 47. *Fauonium quidam a. d. VIII. Cal. Martias Chelidoniam vocant ab hirundinis visu: nonnulli vero ornithiam, vno et LX. die post brumam ab aduentu auium, flantem per dies nouem.* vbi numerum librorum omnium LXX. auctoritate sua et Calendarii Caesariani confisus mutauit Harduinus. Praeterea interpungere verba Plinii ita debebat: *post brumam, ab aduentu auium* scilicet vocatum, ornithiam; ne quis aues cum bruma aduenire putet. Vides igitur, Ornithias Aristotelis diutius spirare quam Plinii, huius vero, per breuius spatium quam Columellae. Variatum scilicet fuit in nominibus ventorum.

per dies triginta] Pontera ita in Cur. Sec. *Aduenit hirundo vt a Columella sect. 22. traditum est, VII. Cal. Mart. propterea non XXX. dies, sed IV. esse solent.* At hirundo VII. Cal. Mart. non dicitur aduenire, sed conspici volans; potuit igitur latere antea per dies complures frigidiores.

Arcturus] Metonis aeuo conuenit dies, a romano situ parum diuersus, monente Pfaff p. 52. Ab Eudoxo sumtum censuit Pontedera, p. 373. qui monuit in libro secundo cap. 10. f. 21. Columellam posuisse *VI. vel V. Kal.* ex Italica scilicet ratione. Malebat tamen ibi scribi *VII. vel VI.*

Halcyonei] Plinius 18. f. 62. *Circa brumam plerisque bis septem, halcyonum foetura, ventorum quiete, mollius coelum.* vbi alli libri *plerumque — molliunt.* Sed idem Plinius X. sect. 47. ex Aristotele H. A. V. 8. septem diebus ante aequinoctium autumnale et totidem post halcyoniorum dierum quietem contingere ait Siculo maxime freto. Hinc nimis longe remotas halcyonias dies a bruma h. l. esse censuit Gesner, et verba *Halcyonei dies vocantur* quasi ab aliena manu addita inclusit.

22. *hirundo*] Plinius 18. f. 64. *A Fauonio in aequinoctium vernum Caesari significat, XIV. Calendas Martias triduum varie. et VIII. Calendas hirundinis visu, et postero die Arcturi exortu vespertino.* vbi Harduinus malebat VII. numerum poni. Pergit Plinius: *Item tertio nonas Martii*

Caesar

Caesar Cancri exortu id fieri obseruauit; maior pars auctorum vindemiatoris emersu, octauo Idus Aquilonii piscis exortu, et postero die Orionis. Ouidius III. 407. tertio nonas oriri ait vindemiatorem.

24. *vindemiator*] Hunc diem Euctaemon exortui acronycho eius assignauit, monente Ponted. Ceterum Sang. *vindemitor*, monente Gronouio.

Equus] Quin *vesperi* oritur, vt eodem die Ouidius: *Iamque vbi caeruleum vallabant sidera coelum, suspice, Gorgonei colla videbis equi.* Vide Pfaff p. 93. Sed Pontedera p. 373. monet, Edd. primas habere *IV. Nonas Martias Equus mane oritur.* idque probat, nam Caesar apud Plinium III. Non. Mart. Equi exortum ponit ex emendatione Pontederae.

26. *praecipue vtiliter*] Ita Sangerm. Vulgo *praecipue vtiliterque.*

27. *Prata purgare*] Palladius Martio 2. *nunc locis frigidis prata purganda atque seruanda sunt, locis gelidis colles pingues et agros vliginosos proscindere atque exarare conueniet. Veruacta etiam, quae Ianuario mense sunt facta, repetere.* Vide infra sect. 32.

Quinquatribus] Infra cap. III. sect. 53. eandem notam apposuit, vbi Plinii locum posui, vnde apparet, post Nonas Martias fuisse diem istum, quod et Palladii locus, supra positus, confirmat. Diem quintum post Idus proprie a Tusculanis quinquatrus, vt tertium, sextum et septimum *triatrus, sexatrus, septenatrus* ex Varrone de L. L. V. p. 46. docuit Festus, cuius locum bene interpretatus est Gesneri Thes. L. L. Intelligit igitur diem aliquem post Idus Martias Columella. Minores Quinquatrus Idibus ipsis Iuniis assignat Varro L. L. V. p. 74.

28. *XIIII. ab vno fiunt*] In libro de Arbor. numerus est XII. idemque est in Edit. Iens. h. l. quem probat et rationibus subductis confirmare annititur Pontedera, quanquam simul confitetur, ad mathematicam diligentiam neutrum numerum esse exigendum; neutrum enim ita conuenire, sed potius numerum 10. Contra Pontederae rationes monet Gesner, male ab illo poni scrobes vno modo pede altos, cum quaternarii dicantur vel cubici vel certe duos minimum pedes alti. Vide sect. 17. Ita rationes subduci debent longe aliter, et summa consequitur plane diuersa. Sed neuter horum virorum calculo huic magis quam numerorum notis vulgaribus confidit.

29. *oleis laborantibus*] Repetiit haec Palladius Mart. 8. Aliter noſter V. 9. 16. vbi vide notas.

vrnae ſatiſfacient] Palladius: *quatuor*. ſcilicet congii. Congius habet 6 ſextarios; amphora 48 ſextarios, vrna 24 ſextarios.

30. *ſemina*] Edd. principes *ſeminum*. Palladius Martio 8. *nunc locis frigidis ſeminaria baccarum et ſeminum fiant et roſaria in menſis initio percolantur*. Vide eundem Febr. 21. Is igitur h. l. roſas ſolas legiſſe videri poſſit.

orthociſſos] Geſner chamaeciſſo opponi putabat, etſi nomen alibi non reperiri faſſus. In Plinio 16. ſ. 62. *eſt et rigens edera quae ſine adminiculo ſtat, ſola omnium generum ob id vocata ciſſos*. aliae Edd. habent *orthociſſos;* quod de Veneta anni 1513. teſtatur Pontedera.

Idibus Martiis] Plinius: *Caeſar et Idus Martiales ferales ſibi adnotauit ſcorpionis occaſu*.

31. *XII. Calend. Apriles*] Plinius: *XV. Calend. Apriles Italiae miluum oſtendi: duodecimo Calendas equum occidere matutino*.

IX. et VIII. Cal. April.] Edd. I. B. R. omittunt *IX. et*. Plinius: *Aequinoctium vernum a. d. VIII. Calendas Apriles peragi videtur. ab eo ad Vergiliarum exortum matutinum Caeſari ſignificant Calendae Aprilis*. Scilicet ex Iulia ratione recte IX. ponitur; alter numerus eſt ex correctione Auguſti, vt ſuſpicatur Pontedera Antiq. p. 357.

32. *vliginoſa et pinguia*] Vide ſupra ad ſect. 27.

vepribus] Vix ſanum eſſe putauerim vocabulum. An fuit *ſegetibus*, vt infra ſect. 54.

33. *ſextarii quini*] Quatuor fere poſuit II. 9. 18. vbi vide. Sed *quinos* etiam ex h. l. poſuit Palladius Martio 3.

34. *Nonis April.*] In Geſneriano *Nonas Apriles* vitium eſſe operarum, monuit Pontedera ex eoque repetiit Erneſti, nec tamen correxit.

Octauo Idus] Plinius: *Caeſari et Chaldaeis Nonis vergiliae veſpere occultantur*. Columella Graecum auctorem ſequitur, monente Pfaff p. 77.

Libra] Plinius: *Caeſari ſexto Idus ſignificatur imber librae occaſu*.

35. *Suculae*] eundem veſpertinum occaſum hyadum poſuit Eudoxus, monente Pfaff p. 77.

his diebus] Haec vſque ad *fici* excerpſit Palladius April. II. 3.

41 *radice lanaria*] Plinius 18. ſect. 67. no. 2. *et oues lauandi hoc idem tempus eſt*. Idem XIX. ſect. 18. *quae vocatur radi-*

radicula lauandis lanis succum habet, mirum quantum conferens candori mollitiaeque. Nascitur satiua vbique, sed sponte praecipue in Asia Syriaque saxosis et asperis locis. Trans Euphratem tamen laudatissima, caule ferulaceo, tenui et ipso cibis indigenarum expetito et vnguentis (Codices vnguenti Editiones tingenti) quicquid sit cum quo decoquatur, folio oleae. Struthion graeci vocant. Floret aestate, grata aspectu, verum sine odore, spinosa et caule lanuginoso. Semen ei nullum, radix magna, quae conditur ad quem dictum est vsum. quem locum Vincentius ita laudauit: *candori aeque et molliciae — Asiae Syriaeque saxosis — ferulacea, ipsisque et vnguenti. — Hanc struthion vel isatin graeci — quae conciditur, ad quem.* — De isati siluestri et satiua Plinius XX. sect. 25. *quarto*, inquit, *infectores lanarum vtuntur; simile erat lapathio siluestri foliis, nisi plura haberet et nigriora.* Isatis satiua Dioscoridis II. 215. et Galeni VI. de Facult. Medic. Simpl. folia plantaginis habet, pinguiora tamen et nigriora. *Glastum*, inquit Plinius XXII. sect. 2. *in Gallia vocatur simile plantagini, quo Britannorum coniuges oblitae.* Marcellus Empiricus c. 23. p. 162. *herba quam nos vitrum, graeci isatida vocant.* Vitrum appellat Caesar et Mela. Sed tamen haud scio, an male locum Plinii excerpserit Vincentius; dubitari enim potest, an nomen isatis struthio conueniat. Certe vulgari et satiuae isatidi tinctorum non conuenit descriptio. Auicenna apud Vincentium IX. 31. *quae nunc artanita cognoscitur, est spina spissa ac breuis, quae radicem habet, qua lana lauatur* etc. Vulgo Arabes cyclaminum vocant *artanita.* Dioscorides II. 193. de struthio: ᾧ οἱ ἐριοπλύται χρῶνται πρὸς κάθαρσιν τῶν ἐρίων. Saponariam intelligi censebat Harduinus, quae est Linnaeo eodem nomine appellata. Sed ei non conuenit caulis ferulaceus, vt nec isatidi nostrae tinctoriae. Lucianus in Alexandro sect. 17. refert, praestigiatorem istum commanducata radice στρουθίου τῆς βαφικῆς βοτάνης os spuma sibi repleuisse, vt speciem furentis mentiretur. Graeci ridiculam, ῥιζίον, ῥιζάρι, vocant enythrodanum, seu galium tinctorium, vnde eius nomen vulgare *Lisari.* Hodieque galium paschale Constantinopolitanis Graecis dicitur ῥιζάρι teste Forskäl Florae Arabicae p. 203. Huic magis conuenit caulis ferulaceus. Sed videant peritiores de lanaria radice. Saponariae officinalis et radicis decocto lauantur lanae ouium ante tonsuram in Apibus Heluetiçis, teste Storrii Itiner. Heluetico T. II. De lotura ouium vide ad Varronem II. 11. §. 7.

36. *XIV. Cal. Maius*] Plinius: *XIV. Cal. Maii Suculae Aegypto occidunt vesperi, decimo sexto Atticae, Caesari decimo quinto, continuoque triduo significat.* Diem Columellae conuenire cum aeuo Iuliano et coelo romano, monet Pfaff p. 77. Ceterum paulo antea vulgatum *Idibus Aprilis* ex Sang. correxi.

ver bipartitur] Passivam significationem verbi Pontedera statuit, Gesner ad diem refert, et actiuam defendit. Ceterum in vtraque significatione intelligere debemus non numerum dierum; (nam hoc ipso die XI. Kal. duae veris partes elapsae sunt ex ratione ap. Varron. I. 18.) sed respicitur vis ipsius tempestatis calorque minor vel maior. Sic in hoc ipso capite *hiems bipartita* dicitur eo die, cum iam ad finem inclinat. Haec monuit Ponted. Vide Cap. II. f. 5.

Vergiliae cum sole] Hoc die Alexandriae cosmice oriri monet Pfaff p. 49.

dies humidus] In Sang. esse *dies velidus* monuit Gronouius. Forte voluit *gelidus*.

Fiditula] Verus accidit Romae XI. Cal. Maias, monente Pfaff p. 88.

37. *Capra*] Plinius: *VIII. Idus Capella pluuialis.* Ouidio V. 111. noctu Calendis ipsis oriri videtur. Euctaemonem secutus est Columella; dies enim Romano situ abhorret. Pfaff p. 85.

Pridie Cal. Maias canis] Plinius: *tertio Calendas Canis absconditur.* vbi Brotier ex Codd. regiis et editione principe scripsit *quarto.* Cum die Columellae occasum Sirii heliacum romanum conuenire monet Pfaff p. 67.

38. *decuti possint*] Sang. *possunt.*

secundi] Palladius Aprili VII. *serotini foetus hoc mense signentur.*

39. *particulam*] Partes signorum elliptices singulorum, (in quantum signa intelligantur δωδεκατημόρια non ζώδια) esse 30. id est, in vniuersum 360. dies autem 365. itaque interdum duos dies vni particulae assignari monet Gesnerus.

VI. Nonas] Plinius: *VI. Nonas Maii Caesari suculae matutino exoriuntur.* sed vtrobique occasum substitutum conuenire cum obseruatione Astronomorum monet Pfaff p. 78. Nocturnum exortum habet eodem die Ouidius. Ceterum *suculae exoriuntur* h. l. legendum esse monuit Pontedera Antiqq. p. 375.

40. *totae apparent*] Plinius: *sic fere in VI. Idus Maii, qui est Vergiliarum exortus, decurrunt sidera, — tertio Idus Maii Fidiculae exortus.*

Fidis]

Fidis] Vespertinum ortum hic requiri, vel sic tamen die non congruente Italiae coelo monuit Pfaff p. 88.

foenificia] Ita scribendum erat ex obseruatis ad II. 18. 5. De re ipsa Plinius XVIII. sect. 67. *iustum est vna opera iugerum in die defecari, alligarique manipulos mille ducentos, quaterna pondo.*

vnus alligat] Ita Sang. pro *obligat*. testante et probante etiam Drakenb. ad Liuium T. II. p. 119. Plinius 18. f. 67. no. 5. *Iustum est vna opera iugerum in die defecari, alligarique manipulos mille ducentos, quaterna pondo.*

mediocres LXV.] Sangerm. LXX. Palladius Maio 4. *Hoc mense arbores et vites quae ablaqueatae fuerant occare, id est operire iam conuenit.* Aggerare postea sect. 46. dicit Columella. Idem Palladius Iulio 1. *Opera una XX. maximas arbores obruet.* Vide etiam ad Maium IV. Alterutro in loco vitium est.

41. *sed etiam nouellis*] Sang. *vineis sed etiam nouellis fossio danda*, teste Gronouio.

emuscantur] Plinius 18. f. 67. no. 2. *opera taleas olivarum ponere, ipsasque oleas interradere, rigare prata.* Palladius Maio 4. *nunc et seminaria fodiuntur assidue, et locis praegelidis et pluuiosis oleae putantur, et eis muscus abraditur.*

43. *Fidis mane*] Ortum vespertinum substituendum esse monuit Pfaff p. 88.

XII. Cal. Iunias] Plinius: *XII. Calendas Iunias capella vesperi occidens — XI. Calendas Caesari Orionis gladius occidere incipit — octauo Idus Arcturus matutino occidit, Italiae sexto.* sed ibi Brotier ex Codd. regiis posuit *septimo Idus Arcturus.*

Arcturus] Diei proximo assignauit Euctaemon, Romae Iuliano aeuo diebus abhinc tribus contigit, monente Pfaff p. 74.

Capra] A vero plane abire ortum matutinum, contra occasum vespertinum coelo Alexandrino conuenire monet Pfaff p. 86.

44. *iugerum pampinabit*] Geoponica II. 46. βλαστολογεῖσθαι τὴν πρώτην βλαστολογίαν ὑπὸ ἑνὸς ἐργάτε καὶ πολλῷ ἔλαττον τὴν δευτέραν τὸ πλέθρον. Plinius 18. f. 67. no. 2. *pampinat vna opera iugerum.*

aut amissi] Pontedera lectionem *et mulsi* probabat, quia ex amisso fructus nullus capiatur. Sed haec ratio est plane inepta. Amissi enim pecoris rationem omnino debet acci-

pere dominus. Etsi lectionem Codicum optimorum locum habere etiam posse non diffiteor.

causa serit] Palladius Maio 4. *seminauit* (alii *seminabit*) *aratro illum nunc debebit euertere.* Cf. Geopon. III. 5.

45. *Aquila exoritur*] Plinius 18. c. 69. 4. *IV. Nonas Iunii iterum Aquila exoritur vesperi.* Diem situ Italiae simul et Eudoxi aeuo congruere monet Pfaff p. 90.

Arcturus] Occasum apparentem eundem in Graecia Eudoxus posuit, monente Pfaff p. 74.

IV. Idus Iun.] Plinius: *et quarto Idus delphinus vesperi exoritur.* Quem diem et Eudoxi graeci et Columellae aeuo congruere monet Pfaff p. 91.

46. *si opere*] Recte Gesner inclusit negationem quam cum libris antiquis omisi.

operis] Vide ad II. 4. 8.

iteratur vna, lirantur] Post iterationem excidisse tertiationis mentionem, suspicabatur Gesner. Sed in terra facili non opus erat tertiatione.

47. *cum in subacta — sulcantur*] Haec verba Gesnerus ex interpretatione verbi *lirare* orta aut loco mota esse putabat; igitur inclusserat. Contra Dickson I. p. 510. defendit. Vide ad Varron. I. 29. 2.

tritici centum quinquaginta] Rationes ita comparato nostri loco II. cap. 9 et 10. collegit et subduxit Gesner. Iugerum agri mediocris obseritur tritici modiis 5. possunt igitur modiis 150. obseri iugera 30. Ex leguminibus genus frequentissimum lupinum occupat iugerum modiis 10. modii igitur eiusdem 100. occupabunt iugera 10. Haec porro 40. iugera terrae tritico et lupino consitae; si sit difficilis, proscinduntur operis 120. iterantur 80. tertiantur 40. lirantur 20. quae sunt operae 260. In facili terra proscinduntur operis 80. iterantur 40. lirantur 10. operis; conficiuntur operae 130. Sed in leguminum satione nimis variat operarum ratio, quam vt accurate eam Gesneri calculo comprehensam dicere possim, quamuis cum eo mediam proportionalem summam 195. assumas.

48 *pabulum oportet*] Haec omnia omittit Sang. liber. Locum cum Pontedera distinxi. Vulgo erat: *debet. Ante solst. pabulum* etc. Infra sect. 100. *Maio pabulum affatim, Iunio ex Calendis frondem affatim.* Solstitium vero inter Idus Maias et Iunias terminatur, recte monente Pontedera. Vocabulum *cultus* omittunt Edd. principes; potest id abesse, si *modus* cum *iteratus* iungatur.

vt

vt quaeque res — conferatur] Nisi cum Gesnero duplicem τῆς *vt* personam defendere mauis, lege mecum *vt, quaecunque.*

49. *XI. Cal. Iulii*] Plinius: *vndecimo Calendas eiusdem Orionis gladius Caesari occidere incipit. VIII. Calendas Iulii vero longissima dies totius anni et nox breuissima solstitium conficiunt.* vbi Codex Pintiani VIIII. habet, vnde Pintianus legebat *VIIII. vero Calendas Iulii.*

octauo et VII.] Hos duo numeros nec cum ratione anni Iulia nec cum Augustea conuenire docet Pontedera Antiqq. p. 357. Solstitium Iulium erat VI. Cal. Iulias.

50. *conterere*] Plinius 18. f. 67. no. 4. *in hoc temporis interuallo: vicia in pabulum secatur, faba metitur deinde concutitur.* vbi recte ex Codice suo Pintianus *cuditur* emendabat. Fabam *vellere* pro *ducere* dixit Palladius Iunio 3.

aluos] Libri optimi *alueos*, quod probat Vrsinus.

ad Cal. Maias] Ineptum praeceptum esse, vidit etiam Gesner, qui malebat *a Calendis Maiis.* Et sane Palladius Maio X. examina augeri incipere ait. Vitii notam manifestam posuit Pontedera ex Colum. IX. 14. 6. *Verum hoc tempore* (ab exortu Vergiliarum) *et vsque in autumni aequinoctium decimo quoque die alui aperiendae sunt et fumigandae.* Igitur corrigebat: *Kal. Nov.* quoniam aequinoctium est extremo Octobri. Vtram vis emendationem, elige lector!

51. *Quarto nonas*] Plinius 18. f. 68. *tertio nonas Chaldaeis corona occidit matutino.*

cancer medius] Occasum acronychum intelligi, Romano situi tum congruentem, monet Pfaff p. 92. Sed antea Pontedera Antiqq. p. 258. monuit legendum *prodit* vel *oritur*, quoniam IX. Cal. Iun. oritur, XIV. Cal. Iul. desinit oriri et III. Nonas Ianuarias nostro occidit.

Sexto Id. Iul.] Sangerm. V. Id. SS. habet scriptum. Plinius: *XIII. Calendas Augusti Aegypto aquila occidit matutino etesiarumque prodromi flatus incipiunt, quod Caesar X. Calendas sentire Italiam existimauit.* Idem II. f. 47. *Caniculae exortum* (XV. ante Calendas Aug.) *diebus octo ferme aquilones antecedunt, quos prodromos appellant; post biduum autem exortus iidem aquilones constantius perflant his diebus, quos Etesias appellant.* Numerum V. in nostro loco malebat Pontedera Antiqq. p. 389.

52. *proscissum veruactum*] Alterutrum vocabulum est superuacaneum. Palladius Iulio I. *agri qui Aprili proscissi fuerant, circa Calendas iterantur.* — *siluestres agri* etc.

Idibus

Idibus Iuliis] Plinius: *XVI. Calendas Augusti Assyriae Procyon exoritur; deinde postridie fere vbique — quod canis ortum vocamus, sole partem primam leonis ingresso. Hoc fit post solstitium diebus XXIII. die.* Ita etiam II. f. 47.

Nono Cal. — significat] Quae inclusi spuria videbantur Pontederae, et horum locum putabat obtinuisse primum caniculae ortum. Omittit etiam Sang. liber.

occidere (clare)] Sangerm. omittit *clare*. Vitium vidit etiam Gesner.

53. *Canicula*] Exoritur quidem XIII. Cal. Aug. in prima parte leonis, sed apparet VII. Cal. Ita h. l. interpretatur Pontedera Antiqq. p. 357. Infra sect. 62. *circa Idus Iulias ante Caniculae exortum.* Cf. ad IX. 14. f. 10.

Aquila] Longe a vero aberrare Columellam, monet Pfaff p. 90. sed monere debebat, Pontederam Antiqq. p. 390. correxisse *V. Kal. Aug. Aquila occidit* et deinde: *Pridie Kalend. Aug. Aquila occidit.* Occidere enim aquilam per quatriduum etiam Plinio in cuius loco ex edit. Parmensi corrigit Pontedera: *item IV. Cal. Aug. cum aquila occidit vsque in calendas easdem.*

clara stella] Ita recte Sang. pro *clarae stellae exoriuntur.* Plinius: *III. Calendas regia in pectore leonis stella matutino Caesari immergitur.* vbi recte Brotier edidit *emergit.* Vide Pfaff p. 94. Vna est in pectore leonis stella, quam alii βασιλίσκον, alii tuber leonis vocabant; hinc in Plinio inepte *Tuberoni* factum sect. 64. libri 28. monet Pontedera Antiqq. p. 359.

54. *messis conficitur*] Palladius Iulio I. *locis temperatis tritici messis expletur.*

quam defecta est] Noster VI. 3. 1. *intra dies triginta sublatae messis praecisa in aceruum exstrui debent.*

in segete] Palladius ibidem *in messe steterant.*

55. *nam de fodiendis*] Lectionem Pol. et Sangerm. ab Ernestio annotatam in Var. Lect. posui. Sed ex Sang. hanc retulit Gronov. *nam colendis nouellis vineis s. i. dixi nullum mensem esse omittendum.* quam vnice probo. Quid enim *fodiendis* opus erat addere, si *colendis* adest, quo verbo et fossio et omnis cetera cultura vineae comprenditur.

crepusculum] Palladius Iulio I. *nouellae vites mane et vespere iam calore deposito effodi debent et auerso gramine puluerari.* Plinius 17. 22. no. 25. *quae fodiantur, ante ferventes horas diei fodiendas conuenit.*

56. *Caprificum*] De caprificatione dicam ad Palladium IV. 10. 28. Caprificus est ficus sylvestris, quam Messenii

ſenii τράγον, i. e. caprum, alii ὄλυνθον vocarunt, teſte Pauſania.

57. *VII. Id. Aug. Aquarius*] Plinius: *VIII. Idus Aug. Arcturus medius occidit. III. Idus fidicula occaſu ſuo autumnum inchoat, vti Caeſar annotat; ſed vt vera ratio id fieri inuenit, ſexto Idus eiuſdem.* vbi Harduinus in Columella legi volebat *Arcturus.* Idem ſect. 69. no. 4. *nunc fidiculam occidere a. d. VI. Idus Auguſti ſeruatur.* Priorem numerum verum et Columellae ex ratione anni Iulii reſtituendum eſſe docuit Pontedera p. 360. alterum VI. monens ortum ex vitioſo *pridie*, literis extremis vetuſtate eliſis. Scilicet idem Ponted. p. 387. monet, antiquum Germanici interpretem ita locum referre: *III. id. Auguſti Fidicula occaſu ſuo autumnum inchoat, aut adnotat: ſed vera ratio id fieri inuenit pridie Idus Auguſt.* Ex hac vitioſa ſcriptura Plinii Columellam ſimul et Varronem fuiſſe deinde ab interpretibus corruptos cenſet.

occidit mane] Occaſum matutinum apparentem Alexandriae intelligit Pfaff p. 53.

delphini occaſus] Plinius 18. ſ. 74. *pridie Idus Auguſti — Aegypto et Caeſari delphinus occidens.* Plinii ratio Italiae et aeuo Caeſaris conuenit, Columella Eudoxum ſequitur. Pfaff p. 91.

58. *hoc eodem*] Sang. *et hoc eodem.* Occaſum fidiculae matutinum apparentem intelligit Pfaff p. 53.

VI. Cal. — Arcturus incipit occidere] At is omnibus et ipſi noſtro ſect. 63. Nonis Sept. mane exoritur! Igitur *incipit exoriri* h. l. corrigebat Pontedera Antiqq. p. 378. quod ab Euctemone ſumtum cenſet.

III. Cal.] In Gemini parapegmate idem exortus Callippo et Graeciae aſſignatur V. Cal. quem h. l. reſtituit Pontedera p. 254. Ceterum Sangerm. *et Eteſiae* habet, et deinceps *veſpere exoritur.*

59. *maritimis*] Repetiit Palladius Aug. 1.

60. *reſoluitur*] Occationem ex h. l. habet Palladius Aug. 2.

terra vel] Addidi *terra.* Ita enim Palladius: *ſi terra exilis in vinea eſt, et vinea ipſa miſerior — in iugero ſpargis atque ita occabis, quod vbi fraticauerit cuertitur* etc. Sed Colum. raram vitem dicit, vbi interſtitium commode arari poſſit.

prima tum foſſione] Geoponica III. 5. menſe Maio: σκάπτειν τὰς θέρμας προσήκει τὰς ἕνεκεν τῆ κοπρίσαι ἢ καθᾶραι τὴν

τὴν γῆν σταρέντας, εἶτα πρὸ τῶν εἰδῶν τέμνειν, πρὶν ἀνθῆσαι τὴν σταφυλὴν, ἔτι ὑγρὰς ὄντας καὶ ἐξῆν θερισθέντας ὀλίγον σαπῆναι, καὶ μετὰ ταῦτα ἀροτριᾶν ἕως ἐπιχωσθῆναι τὰ ἀποκοπέντα τῶν θέρμων καὶ ἕτως αἱ ῥίζαι πᾶσαι διαφθείρονται. Vide ad II. 12. 5.

61. *pampinis spoliant*] In vite serotina Augusto pampinos auferri iubent Geoponica III. 11. 4. quo maior vua fiat et citius percoquatur. Sed vide de tota hac sectione ad V. 5. 14. vbi eadem docentur. Ceterum male ex h. l. Palladius Aug. 3. *nunc Cocis frigidis pampinatur.*

adumbrantur] Rectius Palladius *obumbratur potius vua.* Idem postea *ne vi solis arescat.* Loquitur Columella de Baetica et Africa.

62. *carex*] Ex h. l. Palladius Iulio 1. Aug. 3.

63. *VII. Idus*] Plinius: *Quinto Idus Septembres Caesari capella oritur vesperi, arcturus vero medius pridie Idus, vehementissimo significatu terra marique per dies quinque.* Verius Plinius diem edidit, monente Pfaff p. 86.

virgo media] Gemini parapegma V. Id. Septembr. ex Callippo edit; igitur h. l. corrigit Pontedera p. 254.

64. *Id. Sept.*] Sangerm. *Idibus Septembribus.* vbi in margine Commel. annotauit Gronouius MS. habere *ex persino sidere.* sed prima syllaba *pers.* tantum perscripta. Ex occasu *pristini sideris* supra sect. 5. adfuit, pro *pristis* seu ceti sideris.

65. *spica Virginis*] Plinius: *XVI. Calendas Octobris Aegypto spica quam tenet virgo exoritur matutino etesiaeque desinunt; hoc idem Caesari XIV. Calendas.* Pontedera p. 254. a Caesare Columellam accepisse putat.

Vulturnus] Vegetius R. M. V. 8. *Ab orientali cardine ventus oritur ἀπηλιώτης, id est, subsolanus; huic a dextra iungitur καικίας seu erobinus* (Vincentius *calcheas siue euroboreas) a sinistra εὖρος siue vulturnus. Meridianum autem cardinem possidet νότος, id est, auster; huic a dextra iungitur λευκόνοτος, id est, albus notus, a sinistra λιβόνοτος, id est corus.* (Vinc. *austroafricus.) Occidentalem vero cardinem tenet ζέφυρος, id est, subuespertinus; huic a dextra iungitur λὶψ, siue africus, a sinistra ἰάπυξ siue fauonius.* vbi Vincent. habet: *λὶψ siue fauonius, a sinistra argestes, id est, corus.*

Pisces] Plinius: *XI. Calendas Caesari commissura piscium occidens ipsumque aequinoctii sidus VIII. Calendas Octobris.*

66. *Octauo Cal.*] Librarii exemerunt sedem aequinoctii Augustani, quae fuerat V. Cal. Octobres. Nam cum animad-

ver-

verterent, hac seruata, in VIII. Cal. Oct. perueniri non posse nisi per quatuor aequinoctia, vltimum subduxerunt, insequentibus perturbatis. Ideo V. Cal. Octobr. hoedos emergere inducunt, et IV. Cal. Virginem desinere oriri. Hoc autem cum a Callippo, cui virgo cessat oriri die Librae V. exscripserit Columella, transeunte Callippo in Libram sole IX. Cal. Octobres, V. Cal. Octobres annotabatur. Pontedera Antiqq. p. 361. Igitur corrigit p. 254. *IX. Cal. Octobr. Pisces — VIII. Cal. Octobr. Argo — VII. Cal. Octobr. Centaurus* etc.

Hoedi] Plinius: *IV. Calendas Octobr. capellam matutino exoriri et III. Calendas Hoedos.* in eaque ait consentire astronomos. *Quinto Cal. Asiae et Caesari Heniochus occidit matutino* Pontedera corrigit p. 255. *V. Cal. Oct. Virgo — III. Cal. Oct. Hoedi exoriuntur.*

67. *virescere*] Recte, puto, Gesner malebat *mitescere.*

intemperiem solis] Vrsinus: *intemperantiam soli.* vnde amplector lectionem *soli.*

69. *infuscata*] Palladius Septembri 11. *si expressa vua vinacia, quae in acinis celantur, hoc est grana sint fusca, et nonnulla propemodum nigra; quam rem naturalis maturitas facit.* Geoponica V. 45. ἐὰν τὸ γίγαρτον μηκέτι χλωρὸν διαφανῆ ἀλλὰ μέλαν; quae transtulit Crescentius IV. 21. nigrum colorem recte ex generis varietate interpretatus.

patitur] Recte Vrsinus cum Heinsio corrigit *patiatur.* Deinceps librorum *praecipi*, i. e. praeoccupare, ante tempus maturari, praeferebat Pontedera cum Heinsio.

70. *quindecim*] Viginti ponunt Geoponica VI. 10.

71. *consueuerint*] Vrsinus *consueuerit*, Gesner *consueuerunt* malebat; hanc postremam rationem amplector.

napinae] Scilicet segetes, quod et in reliquis intellige vocabulis.

farrago] Palladius ex h. l. Septembri 8. *nunc viciae prima satio est et foeni graeci, cum pabuli causa seruntur — farrago etiam loco restibili stercorato seritur. ordei cantherini integro X. modios spargimus* etc. Vnde h. l. correxi vulgatum *farraginaria*, monente etiam Pontedera et recte comparante nostri locum II. 11. 8.

siliqua] Ita recte Sang. pro *siliquam.* De vitio monuerunt etiam Pontedera et Gesner.

72. *lupini, quem*] Sangerm. *quod* habet.

faseolis] Palladius Septembr. 12. *nunc quibusdam locis panicum metetur et milium: tempore hoc faselus ad escam seritur.*

73. *Quin-*

73. *Quarto Non. Oct.*] Plinius: *Quinto Calendas Asiae et Caesari Heniochus occidit matutino tertio Calendas Caesari corona exoriri incipit, et postridie occidunt hoedi vesperi.* vbi priore in loco Pintianus emendat *Quinto Nonas;* altero vero *oriuntur* ex Columella. Contra Pfaff p. 85. monet, in Columella substitui debere ortum vespertinum.

Octauo Idus] Plinius: *VIII. Idus Octobris Caesari fulgens in Corona stella oritur. et III. Idus vergiliae vesperi, Idibus corona tota.*

74. *Vergiliae*] Hoc ipso die Thaletis aetate in Graecia accidit acronychus ortus vergiliarum, Romae vero tempore Caesaris diebus septem postea, monente Pfaff p. 77.

auster hibernus] non esse ad plagam coeli referendum, sed esse, qui afferat hiemem; id est tempestatem, cum vel sine pluuia, monuit Gesner.

75. *lupini*] Simpliciter decem modios ponit II. 10. 3. De frumentis accuratius tradit ibidem cap. 9.

faseoli] Colum. II. 10. 4. *phaselum* nominat, et modios quatuor ponit, pisi totidem vel modio minus. De faba addit ibidem discrimen soli mensuram variare.

vnum vel paulo] II. 10. 15. *Iugerum agri paulo plus quam modius occupat.* Vnde apparet, non sine causa esse in libris scriptis optimis h. l. *modium paulo amplius.* Voluerunt *modio paulo amplius.* Aut in *amplius* latet *quam plus*, hoc ordine *paulo plus quam modium.*

lini] Varietatem mensurae vide II. 10. 17. Cicerculae modios tres, ciceris vtriusque modios tres abunde esse ait iugero, sesami sextarios quatuor ponit, aliis sextarios sex serentibus in iugerum.

pabularis] II. 11. 6. pabularis modios septem, seminalis sex ponit.

farraginis] Supra II. 11. 8. modios decem, atque inde etiam Palladius Sept. 8. posuit, nullo agri discrimine annotato. Erui ibidem sect. 11. modios quinque posuit. Siliquae modios sex in messem, septem in pabulum serit ibid. 10.

76 *grana sex*] Supra II. 10. 21. De medica c. 11. 4.

Quarto et decimo] Ita etiam Sang. qui verba *tantummodo iugulae exoriuntur vespere* ante haec inserit. Iugulae sunt stellae in Orionis sidere conspicuae. Sed num haec verba huic loco et tempori conueniant, ignoro.

77. *solis exortu*] Metonis aeuo et coelo Attico convenit dies, a coelo romano alienus, monente Pfaff p. 50.

78. *Quinto Cal.*] Plinius: *VI. Calendas Nouembris suculae vesperi exoriuntur; pridie Calendas Caesari arcturus occidit,*

aidit, et ſuculae exoriuntur cum ſole; quarto nonas Arcturus occidit veſpere. Diem hic poſitum a Columella conuenire Iuliano aeuo et coelo romano monet Pfaff p. 51.

Arcturus] Totidem verbis hic occaſus in Gemini parapegmate annotatur ex Euctaemone, etſi nec Italiae nec Graeciae coelo ſatis aptus, monente Pfaff p. 74.

79. *ficorum*] De ficorum ſeminario nihil alibi Columella, obiter meminit Palladius Martio X. 25. De vitiario idem praecipit noſter IV. 6. Sequens verbum *pampinantur* ad vites ſolas pertinere videtur, et neſcio an cultura haec ficis nouellis conueniat. Quare ſuſpectum mihi eſt ficorum vocabulum. Verumtamen video nunc noſtrum de Arbor. XXV. et V. 10. 21. idem praeceptum de ſeminariis arborum fructiferarum omnium dediſſe, ibique verbum pampinare adhibuiſſe. Ceterum vulgatum *dum tenera ſunt* ex Sangerm. correxi.

81. *in flore*] Vulgo erat *in florem*. Alibi dixit antequam ſiliquet lupinum, euertendum aratro eſſe. De lupini cultu noſter II. 10.

82. *inoccare*] Noſter de eadem re II. 16. 5. *inarare* dixit.

ſarriri et occari] Haec a verbis inde *Sementi facta* etc. non pertinent a lupinum, quod ſarritione non ſolum non indiget, ſed etiam laeditur, auctore Columella II. 12. 5. Operarum numerum accurate computat noſter II. 13.

elices] Plinius 18. c. 62. *eodem tempore conuenit et arbores ſtercorare; accumulare item vineas; ſufficit in iugerum opera: et vbi patietur loci ratio, arbuſta ac vineas putare, ſeminariis ſolum bipalio praeparare; incilia aperire; aquam de agro pellere, torcular lauare et recondere.* Incilia vocat etiam Cato c. 155. et noſter V. 9. Vitioſum eſſe noſtrum locum monuit etiam Pontedera. Elices enim et ſulcos aquarios eoſdem eſſe ipſe docet Columella II. 8. Forte igitur h. l. fuit *illices* vel *incilia*.

83. *vt ait Hyginus*] Plinius 18. c. 63. *Bubus glandem tum adſpergi conuenit in iuga ſingula modios. Largior valetudinem infeſtat, et quocunque tempore detur, ſi minus XXX. diebus continuus data ſit, narrant verna ſcabie poenitere.* Male igitur h. l. Sangerm. *diebus vt ait Hyginus, praebueris, ſcabioſi boues fiunt.*

barbaricam] Similis fere locus Martialis III. 58. vbi buxetis tonſilibus, myrtetis et platanonibus opponit *rus verum barbarumque.* Vineam conſeminalem habet noſter XII. 45. 6. Siluam *viridicatam* in villa Quinti fratris nominat

Cicero ad Fratr. III. 1. vbi malim *viridaricam* vel *viridariam*. De ipsis viridariis vide ad Varron. III. 5. 10.

destringenda] Palladius Oct. X. *colligis, cum varia est.* vbi vide notam. De acerbo seu aestiuo noster XII. 50. 18.

84. *Fidicula*] Ita etiam Eudaemon in Gemini parapegmate cum eodem prognostico; Romae situi congruit ortus heliacus vere. Pfaff p. 88.

VII. Idus] Male Sang. V. habet. In VII. enim incidit ortus cosmicus cordis scorpii aeuo Iuliano Romae, monente Pfaff p. 96.

Sexto Idus] Plinius: *III. Idus Vergiliae occidunt.* Columellam ad Metonis aeuum et coelum graecum respexisse monet Pfaff p. 51.

85. *quam plenilunium*] Supra II. 10. *quinta decima luna, si tamen ea non transcurret eo die solis radios, quod Graeci ἀπόκρυσιν vocant; si minus quarta decima vtique adhuc crescente lumine spargatur, etiamsi confestim totum semen operiri non poterit; nihil enim nocebitur ei nocturnis roribus aliisque ex causis, dum a pecore et auibus vindicetur.*

vno die spargas] Lectionem Edd. principum *peragas* ex Sang. etiam positam probat Heinsius Aduers. III. p. 466. recte, puto!

et nouo loco] Malim *aut nouo loco.* Veteretum dixit II. 10. 5.

86. *vehis — stercoris vna*] Ita Sangerm. Vulgo *vehes* omisso *vna.* Noster II. 10. 6. *quatuor et viginti vehes stercoris in iugerum disponemus dissipabimusque.* Scilicet si in valle seu loco decliui seritur, vehes quatuor et viginti stercoris, in plano duodeuiginti addit Columella frumentis II. 16. 1. et cap. 5. Ex libro Lips. et Edd. primis malim etiam *comportare* pro *comparare.* Ceterum Editiones primae numeros prauos posuerunt, recte monente Gesnero. Nam in iugero pedes quadrati sunt 2880.

87. *ablaqueare*] Sangerm. *oblaqueare.* quam formam mihi rectam videri, iam alibi dictum. Saepe in libris *adumbrare* et *obumbrare* confusa a librariis annotaui, et similia verba. Deinceps iterum Sangerm. *oblaqueant.*

87. *stercoris caprini*] Vitiosum esse locum patebit comparato V. 9. 14. Quomodo sit sanandus, non habeo dicere.

columbinum] Vide ad IV. 8. 2. Deinceps *duae operae* vitiose poni videntur. De Arbor. V. 5. enim *quinque* sunt, in Geoponicis II. 46. quatuor; sed mensura interstitiorum nullibi additur.

Idibus Nov.] Sangerm. *Idus Nouembres.*

88. Se-

88. *Septimo — cum pluuia*] Hanc periodum inclusi, quia in solo Lipsiensi adest, et verba eadem deinceps repetuntur. Pontedera etiam alterutro loco vitium haesisse monet, et ex Eudoxo docet, XVII. Cal. Dec. oriri fidiculam mane, ex Ptolemaeo vero Leoniceno, spirare postridie aquilonem aut austrum cum pluuia.

XII. Cal.] Ex Callippo XIII. corrigit Pontedera p. 255. Ceterum *vespere* Sangerm.

Suculae meae oriuntur] Eodem die Euctaemon occidere scribit, monente Pfaff p. 78.

89. *Sucula mane*] Euctaemon eundem diem Graeciae coelo assignauerat, sed falso, monente Pfaff p. 77. Sed ex seqq. legendum est *Suculae*. Idem vitium erat supra s. 39.

canicula occidit] Si de occasu apparente accipiatur, aeuo Iuliano et Romano coelo conuenire diem monet Pfaff p. 67.

totae Suculae] Magis a vero hic dies occasus aberrat, monente eodem Pfaff.

90. *de longis*] Gesnero suadente addidi quod sententia postulat *de*.

corticis] i. e. suberis. Sic et Cato 120. Horatius Odar. III. 8. 9. III. 9. 22. Satyr. I. 4. 119.

91. *horarum nouem*] Horas aequinoctiales intelligit, non temporales.

92. *lentescat*] Cf. ad Caton. 31. Columella I. 6. 21. Cato 33. 5.

ferramenta] Plinius 18. s. 64. (Februario) *Anteluca-nis ferramenta acuere, manubria aptare, dolia quassa sarcire, ipsorumque laminas scabendo purgare aut nouas facere.*

93. *Octauo Idus*] Ex Callippo *Pridie Idus Dec. Sag. medius prodit — VIII. Id. Dec. Aquila.* Pontedera p. 256.

aquila] Ita etiam Euctaemon, minus tamen recte, monente Pfaff p. 90.

irrorat] Sang. *et rorat.* Virgilius III. 304. *dum frigidus olim iam cadit extremoque irrorat Aquarius anno.*

94. *totus mane*] aculeus oritur, vt Eudoxus tradidit. Vide Pfaff p. 97.

XV. Cal. Ianuar.] Non conuenire diem coelo romano, monet Pfaff p. 85.

obseruant, significat] tempestatem addi vult Morgagni Epist. I. 59. Vide supra ad cap. 2. 5.

Delphinus] Plinius 18. s. 64. *Pridie nonas Ianuarias Caesari Delphinus matutino exoritur.* Sed Ouidio Fastor. I. 457. oritur matutino VI. Idus. Columellae rationem cum

coelo Italiae congruentem contra Pontederam defendit Pfaff p. 91. Deinceps *Aquila vesperi* Sang.

tertio Cal.] Plinius 18. f. 64. *tertio Calendas Ianuarii matutino canis occidens; quo die Atticae et finitimis regionibus Aquila vesperi occidere dicitur.* Sed ortum vespertinum apparentem Romae hic substitui debere, monuit Pfaff p. 67. Contra Pontedera Antiqq. p. 374. monet omnibus astronomis antiquis vesperi celari extremo Aprili, matutino Chaldaeis Cal. Decembr. Eudoxo pridie nonas decedere; igitur *mane* h. l. praefert.

96. *tuberes*] Edd. primae *tubures.* Eadem est librorum varietas in Palladio X. 14. 3. Eandem in Palladio II. 15. 20. obtulit mihi Bruschiana.

97. *cancer occidit*] Occasum cosmicum intellige. Pfaff p. 92.

Nonis Ianuariis] Plinius 18. f. 64. *postero die* (post diem ante Nonas) *fidicula, quo Aegypto Sagitta vesperi occidit. Item ad VI. Idus Ianuarii eiusdem delphini vespertino occasu continui dies hiemant Italiae, et cum sol in Aquarium sentitur transire, quod fere XVI. Calendas Februarias euenit.* Ortum nulla ratione huic diei conuenire, sed potius occasum monet Pfaff p. 89. sed eundem errorem etiam Ouidius sequitur.

98. *auspicandi causa*] Ouidii locum Fastor. I. 165. posuit Gesner: *Tempora commissi nascentia rebus agendis, totus ab auspicio ne foret annus iners. Quisque suas artes ob idem delibat agendo, nec plus quam solitum testificatur opus.* Sic Vulcanalibus auspicandi causa lucubrare incipiebant, teste Plinio Epist. III. 5. 8. vbi vide Interpretes et Turnebum Adverf. III. 9.

99. *corbem pabulatorium*] Ita vocat etiam VI. 3. 5. Plinius 18. sect. 74. *et frondis praeparandae tempus hoc est: Vnus frondator quatuor frondarias fiscinas complere in die iustum habet; si decrescente luna praeparetur, non putrescit: aridam colligi non oportet.*

Mense Ianuario] Idem argumentum tractauit supra VI. 3. magna cum varietate ponderis et mensurae, quam ibi accurate annotauimus. Quare haec breuiter transcurremus.

ilice vel lauro] Pol. et Sang. *filiquis et lauru.* De laurea fronde viridi consentit Colum. VI. 3. sed siliquae frondem nuspiam in pabulo boum nominatam reperi. Siliqua seu foenum graecum in pabulum feritur, sed siliquae frondes sunt arboris. Praeter Columellam lauream frondem nemo memorauit in pabulo; nec liquet quae sit laurus intelligenda.

genda. Ceterum forma *lauro*, *eius laurus* exſtat etiam in Plinio aliiſque ſcriptoribus.

100. *paleas ex eruo*] Liber Sang. ita pro vulgato *paleas ex aruo*. Nominat paleas ex leguminibus etiam Columella VII. 3. 22. Contra ex aruo paleas nemo tollebat, ſed ex area; quare lectionem libri optimi recepi, quam coniectando conſecutus erat Vrſinus.

exierit] In libris eſt *exegerit*. In altero loco eſt ſimpliciter de hoc menſe et Nouembri: *lupini macerati modii* ſc. ſinguli. Pontedera lectionem *exegerit* probatam interpretatur ita: *Scilicet cum lupini macerando augeantur, non quantum ad macerandum adſumſimus, ſed quantum maceratum ſemodium implet, ſingulis bobus praebendum eſt.* Ita vulgatam etiam interpretatus eſt Dickſon II. p. 468. nec aliam interpretationem locus admittit, inprimis cum altero loco modius integer lupini macerati praebeatur. Locutio tamen ipſa inſolentior eſt; altera etiam multo durior, quam Pontedera probauit.

Cap. III. *ſuis quibuſque*] Recte Vrſinus *ſuis quaeque*.

ineniptas dapes] Georgic. IV. 133.

2. *maceries*] Ita recte cum Vrſino correxit vulgatam *materies* Geſner, qui bene monet de latere crudo et ſole indurato, non cocto haec eſſe intelligenda. Lateribus eiuſmodi crudis et Graecia et Italia olim vtebatur, vt ad Xenophontis Memorabilia et Hiſtoriam graecam monui.

impenſa] Vrſinus emendabat *lapidis impenſam*, vt eſt in libro Lipſ. Verum ita inſerendum puto *non*, vt ſit, *neque lapidea — non poſcat impenſam*.

3. *immenſis temporibus*] Vrſinus malebat *infenſis*.

4. *et latitudinis*] Recte omittit haec verba Sangerm. et Palladius I. 34. qui tamen ſeſquipedis altitudinem ponit.

5. *Horum — ruborum*] Poſterius vocabulum abundare putabat Vrſinus.

legi] Palladius: *rubi ſemina et ſpinae, quae rubus caninus vocatur, matura colligere et cum farina erui ex aqua macerata miſcere. funes dehinc ſparteos veteres hoc genere miſtionis inducere, vt intra funes ſemina recepta ſeruentur vſque ad verni temporis initia.* Diophanes Geoponic. V. 44. nominat rubum, paliurum et oxyacantham, et ſemina prodire ait poſt dies viginti octo.

nauticis] Democritus in Geoponicis: σχοινίον πολὺ ἐν θαλάσσῃ πεύσαν καὶ λεπτὸν διασεσηπός etc. quae minus accurate excerpta ſunt ex Democrito. Plinius 17. ſect. 11. *ſic et*

et spinas sepis causa serunt tomice moris spinarum circumlita. Eadem plane ratione caprificorum semina restibus circumlita in terra deponunt Calabri, teste *Swinburne* Itiner. T. I. p. 455.

quadraginta diebus] Hirundo aduenit X. Cal. Martias; supra II. sect. 21. Fauonius spirare incipit VII. Idus Febr. c. 1. s. 14. A bruma autem ad fauonium sunt dies XLV. igitur ad Idus Februarias dies non XL. sed sunt L. monente Pontedera in Antiqq. p. 355.

6. *obruuntur*] Palladius: *et per vtrosque, funes cum seminibus obruemus leui terra. Ita trigesima die procedunt sentes, quos teneros adminiculis opus est adiuuare quibus inter se sentes per spatia vacua relicta iungentur.* Postrema nimis obscure excerpsit.

enasci possint] Sang. liber *possit — citra.*

7. *virgeam sepem*] Diophanes in fossa simul defigi iubet palos (παασσάλους) nescio cui vsui. Copiose hanc sepium viuarum rationem docet Cresc. I. 6. et II. 27. An virgeam sepem interpretari licet ex loco infra s. 53. vbi Bolus Mendesius in hortis habere iubet consitas alternis ordinibus ferulas alternis rubos? Sed puto, virgeam sepem esse ex virgultis siccis interpositis, quae adminiculorum vicem gerant.

8. *iuxta villam*] Palladius: *hortus sit sterquilinio maxime subiectus, cuius eum succus sponte foecundet.* Cresc. VI. 2. *Hortus requirit terram pinguissimam, ideoque in altiore parte sui simum semper habeat, cuius succus eum sponte foecundet, et ex eo semel quolibet anno, si habetur copia eius, singula hortorum spatia impinguentur eo tempore, quo seri debebunt. Sit autem hortus domui proximus* etc. quae exstant in Palladio.

riuo] Plinius 19. sect. 20. *hortos villae iungendos non est dubium, riguosque maxime habendos, si contingat praefluo amne, si minus, e puteo rota, organisue pneumaticis, vel tollenonum haustu rigandos. Solum proscindendum a Fauonio; in autumnum praeparandum est post XIV. dies, iterandumque ante diem. Octo iugerum operis palari iustum est, simum tres pedes alte cum terra misceri.* Vides, proscindere dicere Plinium, quod Columella pastinare. Compara etiam Palladium I. 34. qui haec excerpsit.

Septembri] Palladius Augusto quaerit cap. 8.

9. *oleribus inimica*] et arboribus. Vide Palladium I. 36. 3. et Geoponica II. 26. et XII. 2. Palladius I. 34. *hortus ab area longe situs sit, nam puluerem palearum patitur inimicum.* Itaque h. l. legisse *palearum puluerem* videri possit.

ſit. Creſcentius ibi addit: *quia herbarum folia perforat et exiccat.*

10. *hiemales pluuiae*] Quin omnes pluuiae. Palladius: *piſcina ſuperius conſtruenda eſt, vt illinc aquas pluuia conferente hortus per aeſtiuos rigetur ardores.*

tribus pedibus] Palladius: *Si hac omni facultate caruceris, ſemper altius tribus vel quatuor pedibus ad paſtini ſimilitudinem fodies hortulum, qui ſic cultus negligat ſiccitates.* Vindanio Geoponicor. XII. 5. terrae in altitudinem pedis aut cubiti effoſae ſubiicere iubet tegulas; quo diutius ſcilicet humor conceptus ſeruetur; alii opere ſignino ſolum horti effoſi muniebant, eodem vtique conſilio.

11. *inſtituere*] excolere in horti areas, et ſemine implere.

gleba ſoluatur] Palladius: *ita vtraque paſtinatia decoquetur beneficio algoris aut ſolis.* Columella paulo poſt *excaquit* poſuit.

et cum ſationis] Lectionem Sang. *ſed cum ſationis* memoratam probauit Drakenb. ad Liuium T. IV. p. 742.

12. *aſini*] Geoponica XII. 4. τινὲς δὲ τὴν ὀνείαν κόπρον προκρίνεσι τῆς τῶν περιστερῶν ὡς γλυκύτερα ποιοῦσαν τὰ λάχανα.

13. *deſtinauerimus*] Palladius Maio 5. *quae per autumnum ſeminibus implenda deſtinantur.*

ſic informandae] Plinius 19. ſect. 20. *hortos — areis diſtingui, eaſque reſupinis puluinorum toris, ambiri ſingulas tramitum ſulcis, qua detur acceſſus homini, ſcatebriſque decurſus.* Cato 161. de aſparago: *cum areas deformabis, interuallum facito inter eas ſemipedem latum in omnes partes, vt poſſis dextra ſiniſtraque ſarire, runcare, ne calcetur.* Palladius ſect. 7. duodecim pedes longas, ſex latas areas facit, vbi vide notam.

14. *cinarae*] Carduum vocat Palladius Febr. 24. 2. et pro braſſica caules ſect. 5.

chaerephylli] Palladio ſect. 9. *caerefolium.*

15. *cepae capitula*] Vrſinus malebat *cepa, inula.* Puto fuiſſe *cepulla* aut *cepina.* Palladius Decembri 3. *et iam nunc allium et vlpicum et cepullae et ſinapi et cunela ſeri poterunt.* Sed *capitula* defendi poteſt inde, quod alio tempore et alio vſu modo capita cepparum, modo ſemina ponuntur, vt ad Palladium docebo Febr. 24. 2. vbi allium, vlpicum et cepulas monet vere et autumno ſeri. Et ſtatim Columella ſ. 16. cepae ſemen ſerit.

lepidium] Palladius nullibi nominauit, vt nec panacem.

16. *ſyriacae radicis*] Ita vocat etiam ſect. 59. ſed radicem ſimpliciter mox ſect. 18. Vide notam ad ſect. 59. Inter cœnae lautae delicias radices cum rapulis memorat Horatius Serm. II. 8. Radicem cum intybis Ouidius.

17. *capparis*] Infra ſect. 54. iterum genere eſt foemineo, vbi vide notam.

18. *circa Vulcanalia*] Eadem nota infra ſect. 47. Sunt χαλκεῖα Attica Polluci VII. 105. In vetere Kalendario aſſignantur X. Calendas Septembres.

20. *liratim*] Plinius 19. ſect. 34. *Quidam vlpicum et allium in plano ſeri vetant caſtellatimque grumulis imponi diſtantibus inter ſe pedes ternos. Inter grana digiti intereſſe debent. ſimulatque tria folia eruperint, ſarriri, grandeſcunt quo ſaepius ſarriuntur. Matureſcentium cauleſ in terram depreſſi in terram obruuntur; ita cauetur, ne in frondem luxurient. In frigidis vtilius vere ſeri quam autumno. Cetero vt odore careant, omnia haec iubentur ſeri cum luna ſub terra ſit: colligi cum in coitu.* vbi Vincentius habet: *caſtellatum — intereſſe quatuor digiti — ſimulque vt folia eruperint — ceterum vt odore careat.* vnde lege in Plinio *digiti quatuor*, hoc enim eſt palmare ſpatium. Palladius Nouembri 6. *Sulcos in areis facies et ſemina in locis altioribus ponis quatuor digitis ſeparata, neque altius preſſa. Sarculabis frequenter; inde plus creſcent. Si capitatum facere volueris, vbi coeperit caulis prodire, proculca, ita ſuccus reuertetur ad ſpicas. Fertur, ſi luna ſub terris poſita ſeratur, et item ſub terris luna latente vellatur, odoris foeditate cariturum.* Vides, ex communi aliquo auctore cum Plinio hauſiſſe Columellam et Palladium. Eadem Geoponica XII. 30. 9. Addit Miſaldus I. 9. ex ſuo codice, credo, haec: *ſi fractae leniter ſpicae terrae tradantur, vel in pangendo olearum fraces adhibeantur.*

21. *caulem faciant*] Sang. *faciunt*, teſte Gronouio.

22. *vt luna*] Sang. omittit *vt*, deinceps habet *fere condita — odorari.*

23. *braſſica*] Plinius XIX. ſect. 41. no. 3. *ſunt qui plantam in tranſferendo alga ſubdita pediculo nitroue trito, quod tribus digitis capiatur celeriorem ad maturitatem fieri putent. Sunt qui ſemen trifolii nitrumque ſimul tritum adſpergant foliis. Nitrum in coquendo viriditatem etiam cuſtodit aut Apiciana coctura, oleo ac ſale, prius quam coquantur, maceratis.* Idem no. 1. *vtiliſſime ſeritur ab aequinoctio autumni. tranſfertur cum quinque foliorum eſt.* Palladius Febr. 24. 6. *gaudet ſtercore et ſarculatione. rarius poſitus conualeſcit. celerius coquitur virore ſeruato, ſi dum eſt trium vel quatuor folio-*

liorum, nitrum tritum cribello desuper spargas, vt speciem pruinae canentis imiteris. Columella dicit plantarum radices alga marina inuoluendas seruandae viriditatis causa, fimo simul adhaerente. Ponendae sunt plantae maioris incrementi, quia licet serius comprehendant, fortiores tamen fiunt. Si hiems est, tepido iam die; si aestus, cum sol in vesperam declinat, planta pangenda est. Vastior fiet, si terra operiatur assidue. De nitri vsu exstat Martialis epigramma: — *ne tibi pallentes moueant fastidia caules, nitrata viridis brassica fiat aqua.* Cf. Lister ad Apicium III. 1.

24. *cuius depressae*] Vrsinus malebat legi: *depressa planta.* Sed ita etiam *tenuerit* legendum esse recte monuit Gesner, qui singularem casum ad brassicam, pluralem ad plantas referebat.

25. *autumno ponitur*] Sang. *ponuntur — dispangitur.*

26. *lactucae genera*] Plinius 19. c. 38. *alii colore et tempore satus genera discreuere. Esse enim nigras, quarum semen mense Ianuario seratur; albas, quarum Martio; rubentes, quarum Aprili; et omnium earum plantas post binos menses deferri. Diligentiores plura genera faciunt, purpureas, crispas, Cappadocas, graecas. Longioris has folii, caulisque lati, praeterea longi et angusti, intubi similis. Est etiamnum alia distinctio atrae, quae meconis vocatur, a copia lactis. — Apud antiquos Italiae hoc solum genus earum fuit, et ideo lactucae nomen adeptae. Purpuream maximae radicis Caecilianam vocant.* Lactucas Cappadocas noster habet X. 184. vbi dicuntur *spisso sed puro vertice pallere.* Mense Februario seri monet versu 191. Viles Cappadocas appellat Martialis V. Epigr. 79.

Caecilianae] Noster X. 181. *altera crebra viret, fusco nitet altera crine vtraque Caecilii de nomine dicta Metelli.* vbi Pontedera malebat *crispa viret*, vt vtraque crispa dicatur. Sed ea emendatione non est opus; viret enim altera frequenter, altera nitet fusco crine, id est, altera crinem frequenter viridem, altera fuscum seu purpureum habet. Crinis vero vocabulum arguit crispum vtriusque folium. Nigram simpliciter dixit Plinius Ianuario serendam; deinde purpuream maximae radicis Caecilianam vocari ait.

candida] Noster versu 186. *candida vibrato discrimine, candida thyrso est*, i. e. vertice crispo et candido cum caule, seu foliis crispis candidis cum caule. Hanc albam dixit Plinius.

27. *rubicunda*] Noster versu 188. *puniceа depexa coma, sed lactea crure est*, i. e. puniceo et pexo folio, caule

candido. Hanc eandem *rubentem* dixit Plinius. Eandem Columella in carmine mense Veneris, id est, Aprili dixit seri; igitur recte Gesner scripturam librorum Polit. Lips. et Sang. reiecit.

testam] Palladius Ianuar. 14. *Certum est eam toto anno bene seri si locus sit laetus, stercoratus, irriguus. — Latior fit, si rara ponatur, vel cum producere incipiet caulem, eo leuiter inciso gleba prematur aut testa.* Geoponica XII. 13. 11. ὅταν δὲ μέγεθος παλαιστιαῖον ἔχωσι περιορύξας αὐτὰς ὥστε φαίνεσθαι τὰς ῥίζας περίπασσε κόπρῳ βοείᾳ νεαρᾷ καὶ προσχώσας εὐθὺς ἄρδευε. ὅταν δὲ αὐξηθῶσιν, ἐπίσχισον τὸν βλαστὸν ὀξυτάτῳ σιδήρῳ καὶ ἐπίθες ὄστρακον ἀπίσσωτον, ὅπως εἰς τὸ πλάτος τὴν αὔξησιν καὶ μὴ εἰς τὸ μῆκος λαμβάνωσιν. Plinius 19. sect. 39. *seri etiam radices illitas fimo interest, et repleri ab laqueata humo.* Eadem de maluis Palladius Octobri 11. sed ad lactucas pertinere monuit Pontedera. In porro et beta idem artificium adhibent Geoponica XII. 15 et 29.

magis sustinet] Plinius 19. sect. 39. *intubi hiemis patientiores virusque praeferentes, sed caule non minus grati. Seruntur verno plantae eorum, vltimo vere transferuntur.*

28. *cinarae*] Supra X. 235. genera descripsit, vbi vide notas. Culturam multo accuratius docet Palladius Martio 9, et Octobri 11. qui carduum appellauit. Ibi igitur videbis notas. Plinius XIX. sect. 43. *Certum est carduos apud Carthaginem magnam Cordubamque praecipue sestertiûm sena millia e paruis reddere areis. — Carduos ergo duobus modis serunt; autumno planta, et semine ante Nonas Martias; plantaeque ex eo disponuntur ante Idus Nouembris, aut in locis frigidis circa Fauonium. Stercoratur etiam, laetiusque proueniunt; condiunturque aceto melle diluto, addita laseris radice et cumini.* Hodie cinaras decoctas muria condiunt, oleo superfuso.

circa] Ex libro Sang. annotatur *ante*, sed dubium est ad prius an ad secundum *circa* pertineat ea varietas.

29. *Sinapi*] Vulgatum *Sinape — erucam* cum Pontedera correxit Gesner. Plinius 19. sect. 54. *aequinoctio autumni seruntur coriandrum, anethum, atriplex, malua lapathum, caerefolium, ac sinapi, nulla cultura, melius tamen planta translata. Quin e diuerso vix est iato semel eo liberare locum, quoniam semen cadens protinus viret. Vsus eius pro pulmentario in patellis decocto — coquuntur et folia.* Palladius Octobr. XI. multo accuratius de sinapis cultura, vnde haec pertinent ad h. l. *de quo semen legere disponis, suo loco esse*

esse patieris, quod ad escam parabis, robustius facias transferendo.

eruca] Hodieque colunt et cum lactuca comedunt Itali *Ruchetta* appellantes. Plinius 19. s. 44. *ocimum Parilibus optime seri ferunt — eruca quoque et nasturtium vel aestate vel hieme facile nascuntur.* Erucam in cibo plerumque iungi lactucae, ibidem annotat. De ocimo vide ad Palladii April. III. 5.

melior tamen] Ita Sang. pro *melius*. De Panace Noster X. 103. *et medica panacem lacrima.* Dioscorides III. 55. et ex eo Plinius XII. s. 57. describunt panacem ita, vt appareat, esse plantam caulis ferulacei vmbelliferam, vnde succus colligitur medicatus nomine opopanacis. Asclepion panaces dici solebat hoc genus, cuius cultum in hortis romanis nec Plinius nec Palladius attigit.

30. *Porrum*] Palladius Februario 24. *hoc mense porrus serendus, quem si sectilem velis, post duos menses, quam satis est, poteris desecare manentem in areis suis. quamuis asserat Columella etiam sectiuum diutius duraturum meliorem-que si transferatur. et quoties secabitur, aqua iuuetur et stercore.* Plinius 19. sect. 33. *Seritur semine ab aequinoctio autumno; si sectiuum facere libuit, densius. In eadem area secatur, donec deficiat stercoraturque semper. Si nutritur in capita, antequam secetur, cum increuit, in aliam aream transfertur, summis foliis leuiter recisis ante medullam, et capitibus retractis tunicisque extremis.*

secari] Sang. *secare* et deinde *quatuor digitos.* Ceterum porrum sectiuum, sectile, etiam tonsile dicitur. Tarentinum porrum nominat Noster VIII. 11. 14. quod sectile esse testatur Martialis XIII. epigr. 18. *fila Tarentini grauiter redolentia porri.*

31. *fibrarum*] i. e. foliorum. Palladius Febr. 24. *cum digiti crassitudinem habuerit, a media parte praecisis foliis et truncatis radicibus transferatur, oblitus fimo liquido, quaternis vel quinis digitis separetur. cum radices agit, modice comprehendendus et alleuandus est sarculo, vt suspensus a terra, quod spatii vacuum subter inuenerit, capitis vastitate cogatur implere.* Plinius 19. sect. 33. *Antiqui silice vel tegula subiecta capita dilatabant; nunc sarculo leuiter conuelluntur radices, vt delumbatae alant, neque distrahant. Insigne, quod cum fimo laetoque solo gaudeat, rigua odit; et tamen proprietate quadam soli constant.* Columella sectiuum solum quoties demetitur, rigat. Sotion Geoponic. XII. 29. antiquam ratio-

nem

nem capitati porri efficiendi narrans addit: ὄστρακον ἢ πλατὺν λίθον ὑποθήσεις καὶ μὴ ποτίσεις.

32. *linteolis*] Palladius Febr. 24. *item plura semina in vnum ligata si deposueris grandis porrus nascetur ex omnibus.* Plinius 19. c. 36. et Geoponica XII. 29.

autumni] Palladius l. c. *si capitatum facere velis, quod vere seueris, Octobri mense transferre debebis.* Idem Octobri cap. 5. *nunc porrum verno satum transferre debemus, vt crescat in caput. sane sarculis circumfodiatur assidue, et comprehensa porri planta velut tenacibus alleuetur, vt inanitas spatii quae radicibus suberit, incremento capitis suppleatur.*

33. *secundum fontem*] Palladius Martio IX. 16. *nunc etiam serpyllum seritur plantis et semine, sed vetustate meliori, laetius frondebit, si iuxta piscinam vel lacum vel putei margines conseratur.* Sed male is aut librarius ad serpyllum transtulit, quae ad apium pertinebant, de quo etiam Plinius 19. c. 35. ex vetere semine celerius prouenire apium, betam, cardamum, cunilam, origanum, coriandrum. Ceterum heleoselinum praecipue spectare haec, arguit fontis mentio; et radicum augmentum quaeri, apparet ex eo, quod Palladius ita ait apios maiores fieri. Nam haec artificia in porro et apio facere ad augmentum radicum monet Theophrastus H. P. VII. 3. C. P. V. 7. Ceterum Graeci apium cum ruta in ambitu hortorum serere solebant, vnde prouerbium ἀδ' ἐν σελίνῳ ἀδ' ἐν πηγάνῳ apud Aristoph. Vesparum versu 486. Cf. Hesychius ἀδ' ἐν σελίνοις.

lati folii] Palladius Aprili 3. *Apios maiores facies si semen quantum tribus digitis comprehendi potest, linteolo clauseris rariore et breui fossa obrueris. ita omnium seminum germen capitis vnius soliditate nectetur.* Vides, Palladium sua aliunde hausisse, ex eodem tamen auctore, quo vsus fuerat etiam Columella et Plinius. Idem Plinius 19. c. 36. *Apium etiam paxillo cauerna facta, ac fimo ingesto acerratim seritur.* Apii vt radices grandiores fiant, tradam infra ad XII. 7. 1.

religet] Gesnerus ex lectione librorum *liget* efficiebat *riget.* Sed praestat cum Pontedera legere *rediget.*

pilo] Plinius 19. c. 46. *Aequinoctio verno seritur apium semine paululum in pila pulsato. Crispius sic putant fieri, aut si satum calcetur cylindro pedibusue. Proprium ei, quod colorem mutat.* Palladius l. c. *Crispi fiunt apii, si semina ante tundantur, vel si super areas nascentes aliqua pondera volutentur aut pedibus proculcentur enata.* Atque ita iam olim Theophrastus H. P. II. 5. et de Causis V. 6. et Geoponica XII. 23. Crispum petroselinum a vulgari specie diuersum facit

facit Miller, Britannus olitor. Simiter zeam et tiphen si pistae serantur, ad frumentum (πυρὸν) redire cum Theophr. H. P. II. 5. tradit Plinius 18. s. 25.

34. *pauicula*] Plinius 19. sect. 36. *nil ocimo fecundius. — vt laetius proueniat, sato pauitur terra.* Vt cito nascatur satum aqua calida perfundi iubet Palladius Aprili III. aceti imbre leuiter aspergit eodem consilio Octobri XI. 5. Plinius 19. sect. 44. *Ocimum Parilibus optime seri ferunt, quidam et autumno: iubentque cum hieme seratur aceto semen perfundi.* Idem sect. 60. *ocimo tantum et meridiana:* (hora rigandi) *etiam satum celerrime erumpere putant, inter initia feruenti aqua aspersum.*

35. *rarissime*] Vrsinus malebat *rarissima.* Plinius 19. sect. 28. *ex quo apparet, frigidis locis conuenire siser. Inest longitudine neruus qui decoctis extrahitur, amaritudinis tamen magna parte relicta; quae mulso in cibis temperata etiam in gratiam vertitur. Neruus idem et pastinacae maiori duntaxat anniculae. Siseris satus mensibus Februario, Martio, Aprili, Augusto, Septembri, Octobri.* Infra XII. 56. 3. radicem siseris condire docet Columella. De satu iterum Plinius l. c. sect. 29. *et inula et siser et pastinaca vtroque tempore, vere et autumno seritur, magnis seminum interuallis. siser autem transferre melius.* De satu pastinacae ex Hygino tradit accuratius 19. s. 27. Filum hodie dicimus, quem nervum dixit Plinius. De pastinaca locum nostrum transtulit Palladius Febr. 24. 9.

serpit] Vulgatae *serpit* vitium demonstrauit mihi locus Palladii III. 24. 13. *Hoc mense inula seritur, quo canneta ponuntur. Seritur oculis sicut calami, quos abscindere et terra leuiter debemus obruere, terra fossa et subacta, excitatis ad lineam puluinis, quibus eius oculos oportet infodere. trium pedum inter se spatio separantur.* Plinius 19. sect. 29. *Supervacuum inulae semen, quoniam oculis ex radice excisis vt arundo seritur. Et haec autem et siser et pastinaca vtroque tempore et vere et autumno, magnis seminum interuallis, inula ne minus quam ternorum pedum, quoniam spatiose fruticat. Siser autem transferre melius.* Legendum igitur suspicor *radicibus, vt oculis arundines seritur* aut *radicum oculis vt arundines.*

36. *maceriam*] Plinius 19. sect. 48. *Hipposelinum veteres praeceperant in locis incultis lapidosis iuxta maceriam seri: nunc et repastinato seritur et a fauonio ad aequinoctium autumni.* Hipposelinum anno altero, postquam fructum attule-

tulerit, exarescere tradit Aristoteles Problem. XX. sect. 7. Vide ad Palladium Aprili III. 2.

37. *Menta*] Plinius 19. sect. 47. *Ab aequinoctio verno seritur mentha planta, vel si nondum germinat, spongia. Minus haec humido gaudet, aestare viret, hieme flauescit. Genus eius siluestre mentastrum est.* (recte Vincent. *dicitur*) *et hoc propagatur vt vitis, vel si inuersi rami serantur. — Congruit pulegio cuius natura* etc. vbi recte Harduinus correxit: *non minus haec humido* etc. Palladius Febr. 24. 9. *mentam quoque seres plantis vel radicibus loco humido vel circa aquas. Apricum solum nec pingue nec stercoratum desiderat.* Vides, etiam in menta radicem, fibris multis implexam, dici spongiam, vt in asparago.

38. *rutam*] Plinius XX. sect. 51. de succo rutae: *mirumque cicutae succo extinguitur — quando cicutae succus prodest manibus colligentium rutam.* Idem XIX. sect. 45. *ruta quoque seritur Fauonio et ab aequinoctio autumno. Odit hiemem et humorem et fimum. Apricis gaudet et siccis, terra quam maxime lateritia. Cinere vult nutriri. hic et semini miscetur, vt careat erucis,* (Vincentius habet: *huic et foenum miscetur*) *— sed durata runcatur non sine difficultate, pruritiuis vlceribus, ni munitis manibus id fiat, oleoue defensis.* Quorum partem et Palladius habet Martio IX. 13. *solius cineris inspersione contenta — maxime in terra soluti lateris ponunt, quod prodesse certissimum est — sub fici arboris vmbra libentius acquiescit — immundae mulieris formidat attactum.* Geoponica XII. 25. rutae hortensis et siluestris culturam tradunt ita: τὸ πήγανον ἐ χαίρει κόπρῳ, χαίρει δὲ θερμοῖς καὶ εὐηλίοις τόποις. διὸ χειμῶνος τέφραν τέτῳ περιπάσσειν χρή. διὰ γὰρ τὸ ἐκ ταύτης φύσει θερμὸν ἀντέχει πρὸς τὸ κρύος. δεῖ δὲ τὸ πήγανον ἐν σκεύεσι κεραμικοῖς φυτεύειν. postrema verba sana equidem non praestiterim. Terram enim lateritiam habent Plinius et Palladius, non vasa fictilia, in qua plantari iubent rutam. Ceterum antiquam rutae culturam ita tradit Aristoteles Problem. XX. sect. 18. διὰ τί πήγανον κάλλιστον καὶ πλεῖστον γίνεται; ἐάν τις ἐκφυτεύσῃ εἰς συκῆν. ἐκφυτεύεται δὲ περὶ τὸν φλοιὸν καὶ περιπλάττεται πηλῷ. — ἢ ὅτι θερμότητος δέονται αἱ ῥίζαι τῶ πηγάνε καὶ ἀλέας. διὸ καὶ τὴν τέφραν ἐάν τις περιβάλλῃ, ὀνίνανται. Eandem ob causam alii deinde ramulos auulsos pertusae fabae aut bulbo insertos plantabant, auctore Palladio. Ceterum de pruritu manuum et hulceribus, ex attactu rutae ortis, nihil Palladius nec Geoponica habent. De pruritu manuum testatur etiam Dioscorides III. 52. et Clusius Histor. rarior. plant. Libro V. p. 136.

p. 136. sed hic de silueſtri eſt intelligendus, et de Graeciae coelo.

transmarina cunila] Alii non nominant transmarinam, nec de ea libro nono tradidit Columella. Quare Pontedera malebat legi: *ros marinus, cunila.* Capite enim 4. libri IX. ad apium vsum plantari iubet rorem marinum cum cytiso; inter herbas vero thymum, thymbram, serpyllum, origanum, et nostratem cunilam seu satureiam.

39. *aluearia curantibus*] Plinius 21. s. 31. *Ergo transiatum est ex Attica thymum et vix flore satum. Sed alia ratio naturae obstitit, non durante Attico thymo, nisi in afflatu maris — thymis quidem nunc etiam lapideos campos in Provincia Narbonensi refertos scimus, hoc paene solo reditu, e longinquis regionibus pecudum millibus conuenientibus, vt thymo vescantur.* De campis lapideis istis cf. Plinius III. s. 5. Mela II. 5. Hodie vocatur *la Grau.* Pecudes in Plinio esse oues, manifestum est.

esculentis] In pauperculorum Graeciae cibis frequenter nominant Comici, veluti Aristophanes Plut. 253 et 283, Pacis vers. 1169. Cum thymo tritos sales memorat Idem in Acharn. vers. 772 et 1099. Lignorum adeo thymi primus vsus in Attica fuit ad sacra cum igne facta, teste Philochoro apud Scholiast. Sophoclis Oedip. Colon. versu 100.

40. *thymi*] Pauca de hoc Palladius Septembri 13. s. 2. nec Plinius culturam hanc attigit. Sed Palladius verba Columellae *apricum — macerrimo solo — maritimis* ad solum thymum retulit.

41. *Lepidium*] Plinius 19. sect. 51. *Lepidium seritur a fauonio, dein cum fruticauit iuxta terram praeciditur, tunc runcatur stercoraturque per biennium hoc. postea iisdem fruticibus vtuntur, si non saeuitia hiemis ingrauat, quando impatientissimum est frigorum. Exit et in cubitalem altitudinem, foliis laurinis, sed mollibus: vsusque eius non sine lacte.* Palladius omisit lepidium. Vide infra ad XII. 8. 3.

42. *beta*] Accuratius haec ex eodem auctore excerpsit Palladius Februar. 24. *betam seremus, quamuis possit et tota aestate seminari. Amat agrum putrem, humidum, laetum. transferenda est quatuor aut quinque foliorum, radicibus fimo recenti oblitis. Amat frequenter effodi et multo stercore saturari.* Vetere semine celerius prouenire betam ait Plinius 19. sect. 35. addens: *mirum in betae semine: non enim totum eodem anno gignit, sed aliquid sequente, aliquid tertio. Itaque ex copia seminis modice nascitur.* Cortice obducta semina oliti, betae atriplicis ocimi ibidem ait esse. sect. 36.

Idem

Idem sect. 40. *Sunt qui betas punica malo florente optime seri existiment: transferri autem, cum quinque foliorum esse coeperint.* et paulo antea: *Nostri betae genera faciunt vernum et autumnale a temporibus satus, quanquam et Iunio seritur. Transferuntur autem in planta hae quoque et oblini fimo radices suas locumque similiter madidum amant.* Graece σεύτλιον dicitur. Gallorum *Poirée*, *Bête* esse censet cum aliis Harduinus.

chaerophylum] Palladius Febr. 24. 9. *nunc caerefolium locis frigidis post Idus seratur. desiderat agrum laetum, humidum, stercoratum.*

suaque de sede] Pontedera malebat *suaque in sede patienda.* Stirpes enim has annuas non transferri propter radicis exilitatem. Contra Palladius Aprili 3. *transferri necessarium non est, cum bene seritur, tamen potest melius adolescere, si spatio rariore pangatur et iuuetur succo laetaminis et humoris. ferro tamen recidendum semper est, quia ita pullulare non cessat.* Vulgatam suspectam habuit etiam Gesner. Forte olim fuit: *suaque de caede sarcienda.* Est enim planta caedua.

43. *et quam corr. r. vocant*] Haec verba h. l. aliena et spuria esse videri possint, nisi quaedam exciderint. Nam corruda aliter alioque loco seritur quam asparagus hortensis. Quid quod alio etiam mense serit Palladius Febr. XXIV. 8. vbi vide notam, et Catonis cap. 6. Palladius tamen similiter spongias asparagi silueſtris seri iubet, vt hortensis. Alii vero corrudae semen in arundinetis spargebant, vbi nullo cultu turiones emicabant.

stercoroso solo] Palladius Martio IX. 11. *pingui et stercorato solo — his coeuntibus radix connexa nascetur, quae appellatur spongia.* Galli spongias has vocant *Griffes.*

Idus] Plinius 19. sect. 42. *nec quidquam* (post Catonem) *tentatum vtilius apparuit, nisi quod circa Idus Februarias defosso semine aceruatim parvulis scrobibus serunt, plurimum maceratum fimo. Dein nexis inter se radicibus spongias factas post aequinoctium autumni disponunt pedalibus interuallis, fertilitate in denos annos durante.*

madidum] Pontedera praeferebat lectionem *validum*, quia si madidum solum asparagi natura posceret, Columella terreni discrimina deinde non commemorasset. At vero Palladius Martio IX. 10. *asparagos seremus pingui loco, humido, subacto.* Et Cato cap. 161. asparagum seri iubet in loco subacto, qui habeat humorem. Idem Palladius l. c. integrius haec ex communi auctore sic excerpsit: *nam per biennium*

nium in seminario suo est stercore et assidua runcatione nutrienda: deinde post aequinoctium autumni transferetur et vere asparagum dabit.

44. *distantes*] Cato c. 161. *deinde fossulas facito, qua radices asparagi demittas. Interuallum sit ne minus pedes singulos inter radices asparagi.*

porcae dorso] Palladius: *eas tamen in sulcis deponemus* (ita addo) *si loca sicca sunt; inter medios sulcos, si humida, in summitate sulcorum.*

45. *quem emiserint*] Ex Polit. libro varietatem hanc annotauit Gesner: *memisint tunc.* Sed in Sangerm. talem varietatem alio loco annotauit Gronouius: *ab imo vellere voueris, meminit tunc vix adhuc teneris inualidisque radiculis.* In qua si quid veri lateat, ignorare id me fateor.

infringi] Palladius: *asparagum quem primo protulerint, confringere debemus non auellere, ne adhuc inualidam moueamus spongiam. caeteris annis auellendus est, vt oculos suae germinationis aperiat; quia si deinceps refringas, loca quae foecunda esse consueuerunt, remanente asparagi radice claudentur.* Cato cap. 161. *tertio aut quarto anno asparagum vellito ab radice. nam si defringas, stirpes fient et intermorientur.*

stilus — autumnali] Hunc locum vitiosum esse sentient, quicunque naturam asparagi hortensis nouerint. Neque enim eius turiones vsque ad autumnum emicant, sed vere extremo in semen nititur atque emicat; nec olitores auidius eos resecant emicantes vere, ne radices foecunditate emaciatae celerius intermoriantur. Vitium arguit etiam locus Palladii Martio IX. 12. vbi vulgo legitur: *Ministrabunt autem vere: et autumno reseruabis eum de quo sumturus es semina. postea scopas eius incendes; tunc circa hiemem spongiis adiicies stercus et cinerem.* vbi Cod. Polit. cum Palatinis omittit verba *Ministrabunt autem vere et.* Igitur Columellae locus ita erit legendus: *qui nouissime nascitur, non omnis tollendus, sed autumnali tempori reseruandus et aliqua pars eius in semen submittenda est.* Possis etiam legere *qui nouissime verno tempore nascitur* etc. Ceterum Palladius iterum *scopas* vocat III. 24. 8. Plinius 19. c. 42. *viret thyrso primum emicante, qui caulem educens tempore ipso fastigatus in toros striatur.*

46. *scopiones*] In vuis scopos appellat Varro I. 54. pediculos quibus adhaerent acini; eosdem scopiones Columella XII. 39. 3. et cap. 43. 10. Inter scopam et scopionem fluctuant libri Catonis c. 103. Plinius neutro vsus est.

Si idem est vocabulum, res tamen diuersissimas in vna et asparago significat. Asparagi scopae scilicet dicuntur virgulta tenuia, in quorum geniculis semen nascitur, at scopas tamaricis, absinthii, marrubii, origani, myricae dixit Plinius; itaque scopiones vuis relinquendos putauerim.

capreolis] Bicorne ferramentum a capreoli cornuum simplicium similitudine dictum videtur.

relaxata] Ita scripsi pro *relaxa*, quod ferri non potest, etsi diceretur etiam bene *relaxus;* hic enim locum derivatum a relaxare participium postulat. Deinde post *fiat* additur vulgo *radix*, quod vocabulum recte damnauit Vrsinus, inclusit Gesnerus, qui mecum etiam *relaxata* malebat.

47. *raphani*] Palladius Aug. 5. radices appellauit, cuius nominis originem edam infra ad sect. 59. *Hoc*, inquit, *mense vltimo locis siccioribus radices seruntur, quae hieme sui vsum ministrent. Amant terram pinguem, solutam et diu subactam, qualem rapa; tofum et glaream reformidant.* et reliqua, quae aliunde transtulit in multis diuersa. Ceterum ex Sang. *maturum* pro vulgato *maturius* annotauit Gronouius, quam lectionem statim recepi. Maturus est hibernus.

fungosa fiet] Aliam rationem et culturam, deinde puto in re noua inuentam, edit Plinius XIX. sect. 26. 4. *Seri vult raphanus terra soluta humida. Fimum odit palea contentus. Frigore adeo gaudet, vt in Germania infantium puerorum magnitudinem aequet. Seritur post Idus Febr. vt vernus sit, iterumque circa Vulcanalia, quae satio melior. Multi et Martio et Aprili serunt et Septembri. Incipiente incremento confert alterna folia circumobruere, ipsos vero accumulare. Nam qui extra terram emersit, durus fit atque fungosus.* Palladius l. c. pergit: *gaudent coeli statu nebuloso; serendae sunt spatiis grandibus et alte fossis. meliores proueniunt in arenis. seruntur post nouam pluuiam, nisi possint forte rigari. Quod satum est, statim debet operiri leui sarculo. — Laetamen non est ingerendum, sed potius palea; quia inde fungosae sunt.* Reliqua ex Graecis transtulit, vnde et Plinius. Quod si Columellam cum Plinio et Palladio in concordiam redigere velis, qui stercorationem renuere aiunt raphanum, in Columella legendum est: *vt terra non stercorata.* Verum dubito an ita scripserit auctor; desiderantur enim vel ita paleae pro laetamine iniiciendae. Manifestius est in Palladio vitium, vbi legi debet: *quia nudae fungosae fiunt*, nisi contra Plinii et nostri auctoritatem fungositatis causam a laetamine iniecto repetere maluerit; quod non puto. Ceterum Aristoteles Problem. XX. sect. 13. si quis raphanidis folia tempore hiberno,

berno, cum maxime vigent, abſciderit, et terram aggeratam proculcarit, vt imbrem nullum admittere poſſit, radiculas per aeſtatem naſci ingentes.

48. *Cucumis*] Palladius Martio IX. 16. *cucurbita ſerenda eſt. amat ſolum pingue humidum, ſtercoratum, ſolutum. — vbi adoleſcere coeperint, adminiculis adiuuentur. quae ſeruantur ad ſemina, vſque ad hiemem in ſua vite dependeant, deinde ſublatae in ſole ponantur, aut fumo. aliter ſemina putrefacta depereunt.*

miniſtrare] Ita Sang. pro *miniſtrari*; deinceps *aggeranda* ſcripſi pro *aggerenda*. Sulci pars aggeratur terra ſtercorata.

ſtramentis] Geoponica XII. 19. ſect. 12. ἐὰν δὲ θέλῃς ἀνύδρους σικύας ἔχειν, ἡνίκα ὀρύξῃς τὴν τάφρον, ἐν ᾗ μέλλεις φυτεύειν αὐτὰς, ἀχύρων ἢ φρυγανῶν πλῆσον τὸ ἥμισυ τὸ βάθος καὶ τὴν γῆν ἐπιβαλὼν φύτευε μὴ ποτίζων.

Sic exculta] Editio Geſneri habet *Si exculta*.

49. *inuerſo cacumine*] Palladius: *inuerſis cacuminibus*. Geopon. XII. 19. μεγάλας σικύας καὶ πολυκύνθας ποιήσεις τὰ σπέρματα αὐτῶν ἐπὶ κεφαλὴν φυτεύων. Creſcentius VI. *plantantur tribus vel quatuor pedibus diſtantes hoc modo. Bina grana ſimul mittantur circa tres digitos in terra et rami deorſum et acuitas ſurſum maneant eleuata — ponantur in loco vbi miſceantur cum terra et laetamine. Nec plantentur in foueis ne pluuiae aggregentur in eis, et germen extinguant. Cum bene natae fuerint et eleuatae modicum ſupra terram, ſarculantur et circa eas terra ponatur, et cum opus fuerit paulatim (ſuauiter* antiqua mea) *irrigentur. Et ſi plantatae fuerint in terra parum mota, cum augeri incipiunt, vniuerſa terra circa eas poſita fodiatur profunde, vt radices poſſint extendere per ſpatia vniuerſa* etc. Idem ibidem addit: *notā quod groſſities appendentii* (i. e. pediculi) *futuram cucurbitae magnitudinem indicat.* De cucumere Palladius IV. 9. 7. *ſeminantur rare ſulcis factis altitudine ſeſquipedali, latitudine pedum trium, inter ſulcos octo pedum ſpatium crudum relinquis, vbi poſſint vagari.* Plinius 19. c. 24. *aeque hiemem odere cucurbitae et cucumeres, amant rigua et ſimum, ſeruntur ambo ſemine in terra ſeſquipedali foſſura.*

vaſorum] Plinius 19. c. 24. *nuper in balinearum vſum venere vrceorum vice, iam pridem vero etiam cadorum ad vina condenda.* Cucurbita alexandrina videtur eſſe lagenaria quae hodie dicitur. Idem Plinius l. c. *primus caulis in cibo — cortex viridi tener, deraditur nihilominus in cibis, — cibis quo longiores tenuioreſque, eo gratiores, et ob id ſalubriores;*

quae pendendo creuere, minimumque feminis tales habent, duritia eius in cibis gratiam terminante. Graecis videtur Indica dici, quae proprio vocabulo σικύα appellatur, rotunda contra πολόκυντα, vt in historia cucumerum extrema docui.

50. *de collo*] Palladius Martio IX. 16. *Hoc in cucurbitis insigne est, quod longas pariunt et exiles semina, quae in earum ceruice nascuntur: quae in ventre fuerant cucurbitas faciunt crassiores, quae in fundo latas, si inuersis cacuminibus obruantur.* Plinius 19. sect. 24. *semina quae proxima collo fuerint, proceras pariunt; item ab imis, sed non comparandas supra dictis: quae in medio rotundas: quae in lateribus crassas breuioresque. Siccantur in vmbra, et cum libeat serere, in aqua macerantur. — postea cucurbitae fumo siccantur condendis hortensiorum seminibus rusticae supellectili.*

mulier] Easdem ineptias propinant nobis Geoponica XII. 20.

51. *lacte maceres*] Plinius: *Quin lacte mulso semine eorum biduo macerato apud antiquos Graeciae auctores scriptum est seri oportere, vt dulciores fiant.* Ita Theophrastus H. P. VII. 1. De Causis Pl. III. 12. Palladius Martio IX. *semina melonum mulso et lacte per triduum maceranda sunt et tunc iam siccata ponenda: hinc suaues efficientur.* Deinde de cucumeribus subdit: *semina si ouillo lacte et mulsa maceres, dulces nascentur et candidi.* Meminisse oportet, vbique cum cucumeres nominantur, intelligi melones nostros, eisque similia genera; nostros vero cucumeres aut non nouerunt, aut contemserunt veteres olitores.

cophinis] Artificium idem habent Geoponica XII. 19. etiam olim eadem tradidit Aristoteles Problem. XX. sect. 14. sed is calida aqua rigat. Verbis paulum diuersis retulit Crescentius VI. vocans *modum plantandi maturius cucurbitas et melones.*

confiat] De lectione Sang. hac testatur etiam Heinsius ad Aeneid. IV. 116. p. 487.

52. *rotulae*] Plinius 19. sect. 23. *Cucumis — mira voluptate Tiberio principi expetitus. nullo quippe non die contigit ei pensiles eorum hortos promouentibus in solem notis olitoribus: rursusque hibernis diebus intra specularium munimenta reuocantibus.* De specularibus Martialis est locus VIII. Epigr. 14. *pallida ne Cilicum timeant pomaria brumam — hibernis obiecta notis specularia puros admittunt soles* etc. Seneca Epist. 90. sua memoria inuentum ait *speculariorum vsum perlucente testa clarum transmittentium lumen.* Fenestras eiusmodi, lapide tectas, *gypseas* dixere medio aeuo, docente Cangio

gio Glossar. Lat. Scilicet specularis combustus in gypsum soluitur. Nostri vocant *Frauenglas*, a quo diuersum genere vitrum Ruthenicum, sed simile vsu.

Bolum] Plinius l. c. *Columella suum tradit commentum, vt toto anno contingant. Fruticem rubi quam vastissimum in apricum locum transferre, et recidere, duum digitorum relicta stirpe, circa vernum aequinoctium: ita in medulla rubi semine cucumeris insito, terra minuta fimoque circumaggeratas resistere frigori radices.* Palladius Martio IX. 9. *Columella dicit loco aprico et stercoroso si rubos habeamus aut ferulas, post autumni aequinoctium, his iuxta terram recisis et excauatis ligneo stilo, inter medullas laetamen immittamus et cucumeris semen addamus, hinc nasci fructus, qui possint et inter frigora non necari.* Vides, satis male fide Plinium locum Columellae laudasse; sed ex eo et Palladio sit manifestum, in Columella legendum esse *paululum supra terram.* Post verbum *inserere* Plinius in suo libro addita habuit haec: *terraque minuta circumaggerare.* Ita enim demum intelligitur, cur paululum supra terram rubus sit recidendus. Sed et alia Plinius ex loco nostro retulit, quae hodie ibi non leguntur.

53. *Quinquatribus*] Plinius 19. c. 24. de cucurbita et cucumere: *Seruntur ambo inter aequinoctium vernum et solstitium, Parilibus tamen aptissime. Aliqui malunt ex Calendis Martii cucurbitas et Nonis cucumeres et per Quinquatrus serere.*

54. *fossula*] Palladius X. 13. *Septembri — seritur capparis. late serpit, succo suo terris nocet. Serendum* (recte Vincent. *serendus*) *est ergo, ne procedat vlterius, circumueniente fossato, vel luto structis parietibus, solo sicco et gracili, herbas sponte persequitur: floret aestate: sub occasu Vergiliarum capparis arescit.* (libri alii *marcescit.*) Ex eodem auctore Plinius 19. sect. 48. *capparis seritur siccis maxime, area in defossu cauata, ripisque vndique circumstructis lapide: alias euagatur per agros et cogit solum sterilescere. Floret aestate, viret vsque ad Virgiliarum occasum, sabulosis familiarissimum.* Quorum postrema sunt ducta ex Theophrasti H. P. VI. 5. De cultura eius tradit etiam Aristoteles Problem. XX. sect. 12. Hodiernam culturam in Gallia visitatam docet Gallus in Mémoires d'Agricult. de la Societé Oeconom. de Paris Année 1787. vnde disces, vix opus esse illa cautione circumstruendi radices, ne euagentur, nisi in horto conseratur capparis. Nomen peregrinum hodieque Aegyptii seruant. In libris genere masculino et neutro positum legimus cap-

parin, alicubi *cappar*. Solo laeto densiorem fruticem pluribus gemmis exuberare, cultuque gaudere, quamuis solo sterili contentam capparin docet alius Gallus, qui morem romanum hodieque in quibusdam Galliae locis vsitatum reiicit, modum colligendarum apparandarumque gemmarum, omnemque fruticis historiam bene enarrat, in Bernardi Mémoires pour servir à l'histoire naturelle de la Provence T. I. p. 341. Simul monet, in Graecia olim genus capparis inerme cultum fuisse, quod in insulis Archipelagi repertum annotauit Tournefort. Ceterum in Palladio Octobr. XI. 4. Palat. liber *capparis*, vulgati *cappar* habent. In Plinio liber Chifflet. et Vossianus *cappari* genere neutro praeferunt, annotante I. Fr. Gronov. p. 792.

56. *Cepina*] Plinius 19. f. 32. *Caepas ter fosso solo seri iubent exstirpatis radicibus herbarum in iugera denas libras, intermisceri satureiam quia melius proueniat. Runcari praeterea et sarriri, si non saepius, quater. Ascaloniam mense Februario serunt nostri. Semen ceparum nigrescere incipiens antequam marcescat, metunt.* Palladius III. 24. *Hoc etiam mense cepullas seras, sed constat et vere et autumno esse seminandas. si semen eius seueris, in caput crescit, et minus reddit in semine. si capitulum ponas, ipsum macescit, et multum semen educit.* vbi Vincentius *cepulas* habet. Palladius paulo antea: *nunc saturela seritur — vel melius — et cepullis mista seminatur.* Postea pergit: *Terram cepae desiderant pinguem, vehementer subactam — areas faciemus omnibus herbis et radice purgatas.* Vides, cepulas esse easdem, quae Columellae cepina et Plinio caepa dicitur. Scilicet cepina dicitur pro cepa, vt Cato *porrinam* cap. 47. dixit de genere omni porrorum. Ceterum cepae schistae et Amiterninae culturam separatim tradidit Plinius 19. sect. 32. quem locum comparabimus olim cum Palladio, qui communem aliquem cum Plinio auctorem secutus plura inde transtulit, quam Columella.

deletis] Ex lectione Polit. *lectus* Pontedera efficiebat *delectis*.

rigorem stilorum] Palladius: *inuentur adminiculis, vbi caulem coeperint excitare.*

thalli] Palladius: *vellendi sunt thalli adhuc semificci cum semine et sic in sole siccandi.* Mallones ceparum diuersi sunt apud Vegetium I. 63. et II. 60. 1. vbi vide. Festus: *taliam folliculam cepae* interpretatur. Lucilius apud Nonium p. 96. *a flebile caepe simul lacrymosaeque ordine tallae.*

59. *Sy-*

59. *Syriacae radicis*] Supra sect. 16. *mense Februario — si vernum et aestiuum fructum voles habere, syriacae radicis et rapae napique semina obrues.* Palladius Augusto V. 2. de radicibus: *iugerum duo sextarii vel vt quidam quatuor cum seruntur, implent.* Sed Columella II. 10. naporum semini quartam partem adiecit. Ipse Columella raphanum simul appellat pro radice Syriaca; Palladius deinde simpliciter radicem dixit. Idem II. 14. 3. radicem simul et deinde raphanum vt synonyma posuit, sed IX. 5. radices plurali numero dixit. Vsus deinde inualuit, vt simpliciter medio aeuo radix pro raphano diceretur, vt testatur Vincentius Specul. natur. X. 123. vbi Palladii loca excerpsit. Originem et causam appellationis e loco Plinii XIX. sect. 26. satis feliciter indagauit Gesner in Indice sub voce radix. Nempe Plinius romana raphanorum genera enumerans primum Algidense ponit, longum et translucidum; alterum rapi figura, Syriacum vocatum, suauissimum fere ac tenerrimum hiemisque patiens. Praecipuum tamen esse, quod e Syria non pridem aduectum appareat, quoniam apud auctores (romanos scilicet antiquiores) non reperiatur; id tota hieme durare. Geminum igitur genus Syriacum nouere Romani, nisi Plinius nos fallit. Vtrumque radicem Syriacam dicere videtur Columella. Cato vero et Varro et raphanum et radicem Syriacam ignorant; hinc agnoscis, non pridem ante Columellae et Claudii aetatem ex Syria importatum raphani vsum fuisse. Raphani radicem pro raphano dixit Columella supra sect. 47. Theophrasto ῥαφανὸς, raphanus significat, quam alii κράμβην seu brassicam dixere. Plinius ex Theophrasto mox brassicam interdum raphanum est interpretatus; quam latini scriptores raphanum et radicem Syriacam dixere, ea est Theophrasto aliisque scriptoribus Graecis ῥαφανὶς, seu raphanis genere foemineo. Raphanum in Germania natum magnitudinis mirae refert Plinius XIX. c. 26. no. 4. Denique Columella X. 114. Assyriam radicem dicit, eamque lupino sociatam et dissectam potum zythi proritare ait. Raphanus igitur et radix est quod Linnaeus raphanum vocat, nos *Rettig.*

quatuor sextarios] Plinius 18. sect. 35. *napi Amiternini — seruntur et ante Calendas Martias in iugero sextarii quatuor: diligentiores quinto sulco napum seri iubent, rapa quarto, vtrumque stercorato. — Satus vtrique generi iustus inter dies festos Neptuni et Vulcani.*

60. *pulex*] Recte ita Cod. Polit. et Sangerm. Pessime vulgo *culex*; idem vitium superest in Plinio XIX. sect. 57.

vbi napis culices innasci ait. Sed recte ψύλλας, i. e. pulices nominat Anatolius Geoponic. XII. 7. et ipse Theophrastus H. P. VII. 5. Ipse Columella X. 321. paruulus aut pulex irrepens dente lacessat. Sed Palladius I. 34. 2. contra culices et limaces vel amurcam recentem vel ex cameris fuliginem spargi iubet. vbi Vincentius *caminis* habet. quae sunt ducta ex Columella X. 355. vbi amurcam sine fruge salis adhibet, innatamque laris nigram fauillam. Sedi succum ibidem adhibet versu 356. — Quod in Codice Polit. est *pulix*, antiquarium est, vt *culix* in berba apud Plinium XIX. s. 23. quae Palladio Martio cap. 9. culex dicitur. Ceterum semina sulfuris floribus permixta a pulicum noxa defendi bene affirmat *Twamley* quem supra ad VII. cap. 8. de casei conficiendi ratione laudaui.

idque vt] Ita pro vulgato *id quoque vt* ex libris legendum esse, monuit Pontedera. Ceterum de tempore sationis ita Plinius 18. sect. 74. *Vulgus agreste et rapa post ciconiae discessum male seri putat. Nos omnino post Vulcanalia, et praecocia cum panico.* Crescentius VI. *possunt etiam napi et rapae conuenienter seri inter panicum et milium serotinum in secunda sarculatione ipsorum. Quae cum panicum et milium sublata sunt, sarculari debebunt. Frequenti sarculatione et herbarum liberatione gaudent.*

supra cameram] Seruius in I. Aeneid. *Varro dicit vela solere suspendi ad excipiendum puluerem quia vsus camerae ignorabatur.* Horatii Serm. II. 8. 84. *Interea suspensa graves aulaea ruinas in patinam fecere, trahentia pulueris atri quantum* etc. vbi Schol. *consuetudo apud antiquos fuit, vt aulaea sub cameras tenderent, vt si quid pulueris caderet, ab ipsis exciperetur.* Crescentius VI. *seritur semen rapae cum puluere mixtum circa finem Iulii et vsque ad medium mensem Augusti, vel parum post, et etiam per totum mensem Augusti, in principio Septembris in locis calidis et siccis et praecipue cum terra fuerit rarida per pluuiam praecedentem.*

62. *Rapae*] Nescio an alibi in bono auctore reperiatur femineo sexu positum, quod alibi Columella et Plinius neutro frequentat. In Palladio Codices variant scripturam. Emendassem h. l. si Codices boni addixissent. Quod mox sequitur *itaque rapum et.* vitium tam aperte non arguit, vt suspicari possis; ibi enim Codex Sangerm. habet *itaque sicut.* In Edd. optimis verba *rapum et* etiam desunt; quare probo Sang. lectionem. Ceterum de eadem re breuiter Plinius 18. sect. 35. *Rapa laetiora fieri si cum palea seminentur.* Vnde praefero lectionem Sang. et vetustissimorum editionem, qui

in

in h. l. non *vastiora*, sed *laetiora* habent scriptum. Ceterum Hyginus a Graecis consilium duxit. Ita enim Nicander in Georgicis apud Athenaeum IX. p. 369. γογγυλίδας σπείροις δὲ κυλίνδρῳ τῆς ἐφ' ἁλωῆς ὄφρ' ἂν ψῶσι πλατάνοισι χαμηλότεραι θαλέθωσι. Versus secundi sensum ex Columella diuinare licet; emendare verba nequeo. Sui et nostri aeui morem respexit Crescentius VI. de rapis: *Seritur in agris nudis et in stipulis etiam egregie scritur, si optime fuerint exaratae et solo erpice* (male Basil. editio *opertae*) *semen eius operiendum est, ne nimium mergatur in terra. Laetantur agro patenti et valde vmbris laeditur.*

subacta] Plinius 19. sect. 36. *raphanus vtique iucundior detractis foliis antequam decaulescat. Hoc et in rapis. Nam et eadem direptis foliis cooperta terra crescunt durantque in aestate.*

seruantque] Sangerm. *seruarique* habet scriptum, quod nescio quomodo possit defendi. Plinius 18. sect. 35. *Serere nudum volunt (napos) precantem sibi et vicinis serere se.*

64. ἀντιπαθῶν] Vrsinus mauult ἀντιπαθειῶν. recte! Fragmentum libri sub nomine Democriti περὶ συμπαθειῶν καὶ ἀντιπαθειῶν edidit Fabricius Bibliothecae Graecae IV. p. 333. vbi tamen ineptiae hae non leguntur, sed multae aliae similes.

in menstruis] *In primis menstruis* malebat Barth ad Statii Thebaid. VI. 217. et in loco Plinii 17. cap. 28. *priuatim autem contra erucas ambiri arbores singulas a muliere incitati mensis nudis pedibus recincta* legebat *initiante menses.*

65. *prima parte huius exordii*] Abr. Gronov. malebat *primo partis huius exordio* et comparabat locum ex cap. 1. *quod primo scriptorum meorum exordio iure conquestus sum.* Sed exordium Columella librum totum dicere solet.

librorum argumenta] Non illud modo dubium est, scripserit ne Columella aliquanto aliter, vt puta *reperiri posset* etc. *faciendum esset;* verum hoc insuper certum est, et illa argumenta periisse, et fecisse hic ipsum ad eundem quadantenus modum, ad quem A. Gellius, qui noctes suas hac clausula absoluit; *Capita rerum, quae cuique commentario insunt, exposuimus hic vniuersa, vt iam statim declaretur, quid, quoue in libro quaeri, inuenirique possit:* et continuo singulorum capitum argumenta ex ordine subiecit. Non ignoro, posse aliquos credere, ista omnia ab aliis fuisse iis Noctibus adiecta, permotos auctoritate Th. Bartholini, qui in Differt. VI. de legendis libris, *Capitum*, inquit, *seu sectio-*

num index nec nouus est, nec antiquus. In primis editionibus tantum comparet. Neque enim antiquorum libri per capita fuerunt distincti, sed Voluminibus. Ita Plinius, Herodotus, Thucydides, Liuius, Sallustius, et alii Graeci pariter, et Latini Auctores totum opus sine distinctione capitum pari tenore perscripserunt. Sed velim, vt mihi respondeant, scripseritne Celsus lib. VI. cap. 12. *Linguae quoque vlcera non aliis medicamentis egent, quam quae prima parte superioris capitis exposita sunt;* itemque lib. VIII. cap. 9. *Medicamentis vero iisdem opus est, quae prima parte huius capitis exposita sunt;* et haec Celsi verba an vtrobique res ipsa comprobet? Quae cum vrgeo, non propterea tamen contendo, aut plerosque scriptores veteres idem fecisse, aut aliena esse a vero, quae porro subiicit Bartholinus: *cum a posterioribus scribis per capita, et sectiones Libri Auctorum diuiderentur, saepe sine cura, et consilio, coniuncta fuisse separata, et vice versa, quod non raro lectorem in lectione turbat.* Quinimo fateor, id alicubi vel Celsi ipsius scriptis; non modo Columellae; accidisse. Et de Celso quidem alibi (epist. in Corn. Celsum) ostendi. Columella autem siue libros suos indiuisos reliquit, siue in maiores quasdam partes, si non in capita, ipse distribuit, vt illa in extremo sexto videntur indicatur: *sicut prioribus huius voluminis partibus tradidimus, quae curam boum, equorumque continent;* certe nullo modo potuit sic diuidere, vt nunc habemus. Quidquid enim aut libri quarti initio in primum atque alterum caput diuisum videmus, aut initio secundi primum caput inscribi, aut initio quinti, octaui, vndecimi primum caput inchoare; vel praefationis loco ipse reliquisset, vel si capitibus accensere voluisset, sexti quoque et noni, et duodecimi libri exordia pariter accensuisset. Neque item in eodem libro duodecimo caput 15. a 14. multoque minus tertii initium a fine secundi siue eo in libro, siue etiam in septimo diuulsisset. Neque facile in libri sexti caput 17. in quo de serpentibus, aliorumque noxiorum animalium ictibus agi videmus, quae ad oculorum vitia pertinent, compegisset: quam etiam partem quoties relego, excipique protinus animaduerto capite 18. in quo iterum de noxio animalculo (hirundine videlicet, boum faucibus, stomacho, vel intestinis adhaerente) verba fiunt; toties suspicor, a librariis alicunde auulsam, huc temere fuisse conlectam, nec tamen nuper; cum eundem locum tenere videam apud Vegetium, (lib. 3. cap. 4.) vbi plura ex sexto Columellae volumine descripta sunt. Sed quod aliter haec tamen apud Vegetium, aliter apud Columellam in capita sunt diuisa, id quo-

quoque videlicet indicio est, non hanc quam habemus, divisionem a Columella fuisse institutam. Quid? quod haec ipsa aliter in aliis editionibus occurrit. Vt enim illa omittam, quae operarum potius negligentiam demonstrant, vt in Aldina libri sexti non modo octauum, sed et nonum caput, iterum octauum; quinti autem libri non modo quintum, sed et sextum, iterum quintum; in editione item Gymnici, libri eiusdem non modo sextum, sed et septimum, iterum sextum inscribi, sic vt omnia, quae illa consequuntur capita non suo propterea numero inscripta sint; vt, inquam, haec praetermittam; Iuntina certe editio librum ipsum primum in tredecim capita habet distributum, quem posteriores, quibus vtor, reliquae habent in nouem. Huc illud accedit, quod quae non praecepta modo, sed verba libro quinto in vnum caput decimum collecta sunt, eadem fere libro de Arboribus in octo capita sunt tributa, vt praeclare intelliget quicunque duodeuicesimum, et septem, quae insequuntur, capita cum illo vno decimo comparauerit. Quod cum fecerit, minus, opinor, mirabitur eorundem librariorum aut inconstantiam, aut imperitiam, qui cum tot alios passim versus, quemadmodum in more positum est, scripserint, sic vt versus esse, vel oculorum iudicio continuo quilibet agnoscat; hos tamen (lib. 2. c. 2. f. 18. Ibid. c. 8. f. 3. lib. 5. c. 5. f. 7. lib. 7. c. 3. f. 10. lib. 9. c. 3. f. 2. Ibid. c. 8. f. 13.) *et picis in morem ad digitos lentescit habendo. dum sicca tellure licet, dum nubila pendent. et quid quaeque ferat regio, et quid quaeque recuset. cum tonsis illotus adhaesit sudor: et hirsutis secuerunt corpora vepres. ardentes auro, et paribus lita corpora guttis. trita meliphylla, et caerinthe ignobile gramen;* hos, inquam, quasi vero versus non essent, omnes, vt hic descripsimus, caeteris cum verbis Columellae permixtos, confusosque exhibuere.

COM-

COMMENTARIVS
AD
LIBRVM XII. COLVMELLAE.

Praef. *Xenophon*] Cuius Oeconomicum librum interpretatus est Cicero, teste Quinctiliano, suo more tamen, vt non tam verba appendere quam reddere sensum voluisse videatur, auctore Hieronymo Epist. ad Pammachium. Idemque in Epistola ad Algasiam, Quaest. VI. titulum libri fuisse refert: *Vniuersae dispensationem domus.* Idem repetit in Prooemio Chronici Eusebiani, et ex Hieronymo Isidorus Origin. IX. 4. *Interdum*, inquit, *villicus non gubernationem villae, sed dispensationem vniuersae domus Tullio interpretante significat, quod est vniuersarum possessionum et villarum dispensator.* Haec Andr. Schottus Nodor. Ciceron. III. 7. monuit, qui interpretationis Ciceronianae particulas seruatas esse a Columella recte censuit. Addo locum Aratoris nescio cuius in Praefatione Libri VI. Speculi Doctrinalis Vincentii Bellouacensis: *Quanquam pulcherrimum Xenophontis Socratici librum oeconomicum in nostra lingua eleganti sermone legatur Hieronymus transtulisse; sed quum is liber ad manus nostras hucusque peruenire non potuit* etc. De quo loco et versione Hieronymi videant viri doctiores. Ciceronis Oeconomicorum librum primum praecepta habuisse, quemadmodum debeat materfamilias domi agere, secundum, quemadmodum foris paterfamilias, tertium agriculturam continuisse tradit Seruius ad Georg. I. 43. Itaque haec Columella ex libro primo duxit.

non solum iucund.] In Xenophonte est tantum: ὅτως ἔτι ὠφελιμώτατον ᾖ αὐτῷ εἰς τὴν κοινωνίαν. vbi prius membrum excidisse arguit particula ἔτι.

quod iam pridem] Vitiosa haec sunt, ex vestigiis librorum optimorum sic sananda: *nam primum, quod Cicero ait, ne genus.* Ita enim Xenophon: πρῶτον μὲν γὰρ τοῦ μὴ ἐκλυπεῖν ζώων γένη, τοῦτο τὸ ζεῦγος κεῖται μετ' ἀλλήλων τεκνοποιούμενον. Ex Sangerm. *iam, quod etiam Cicero* annotauit Gronov. Atque hinc apparet, Ciceronis esse interpretationem, quam posuit Columella; recte igitur inter Ciceronianae versionis fragmenta haec loca retulerunt viri docti.

propugnacula] Xenophon: τὸ γηροβοσκοὺς κεκτῆσθαι ἑαυτοῖς ἐκ τούτου τοῦ ζεύγους.

2. *victus*

2. *victus et cultus*] Xenophonti *δίαιτα*. Deinceps Vrsinus malebat *alterum;* contra Gesner post *compararet* inserebat *alterum intus.*

quae tectis reconderentur] Ita recte libri optimi, Xenophonte approbante, qui ita: *δεῖ μέντοι τοῖς μέλλουσιν ἀνθρώποις ἕξειν ὅτι εἰσφέρωσιν εἰς τὸ στεγνὸν, ἔχειν τὰς ἐργαζομένας τὰς ἐν τῷ ὑπαίθρῳ ἐργασίας.*

3. *et ea conficeret*] Ita recte libri scripti, et Xenophon: *τὰ ἐργασομένα ἃ τῶν στεγνῶν ἔργα δεόμενά ἐστιν.*

nam et fruges] Breuius Xenophon: *στεγνῶν δὲ δεῖται καὶ ἡ τῶν νεογνῶν τέκνων παιδοτροφία, στεγνῶν δὲ καὶ αἱ ἐκ τῆς καρπῆς σιτοποιΐαι δέονται. ὡσαύτως δὲ καὶ ἡ τῆς ἐσθῆτος ἐκ τῶν ἐρίων ἐργασία.*

clauso] male Gruterus in Cicerone edidit *claustro.*

4. *natura — mulieris*] Vulgatam *a natura — opera mulieris* vitiosam esse statim vidi; neque enim opera mulieris aut viri comparatur a natura ad opera, sed ipsa eius natura comparata est, vt opera quisque corporis sui viribus apta exsequi possit. Igitur cum in libro Sang. ante *natura* omittatur praepositio *a*, patet in eodem etiam abesse debere sequens *opera*, etsi annotare hoc omiserit, qui librum egregium contulit. Accedit Xenophontis auctoritas, qui emendationem meam confirmat. Ita vero ille: *καὶ τὴν φύσιν εὐθὺς παρεσκεύασεν ὁ θεὸς τὴν μὲν τῆς γυναικὸς ἐπὶ τὸ — τὴν δὲ τοῦ ἀνδρὸς ἐπὶ τὰ ἔξω ἔργα.*

6. *simplex natura*] Paulo obscurius Cicero. Graece est: *διὰ τὸ τὴν φύσιν μὴ πρὸς πάντα ταῦτα ἀμφοτέρων εὖ πεφυκέναι, διὰ τοῦτο καὶ δέονται μᾶλλον ἀλλήλων.* Malim *commode* legere, nec video, qui graecum *εὖ πεφυκέναι* reddere Cicero potuerit per *res commodas*, id est integras, quemadmodum interpretatus est A. Schottus Nodor. Ciceron. III. 7. Sententiam loci ita expressit Aristoteles in loco deinceps laudando: *διείληπται γὰρ (ἡ φύσις ἑκατέρα) τῷ μὴ ἐπὶ ταὐτὰ πάντα χρήσιμον ἔχειν τὴν δύναμιν.* vnde in Xenophonte corrigo: *πάντα ταὐτά.*

amplecti valebat] Vulgatum *volebat* sic correxi. Lambinus malebat *poterat.* Deinceps *patribus familiae* Sangerm. Ceterum comparare iuuabit locum Aristotelis ex Oeconomico seruatum I. cap. 3. quem ex Xenophonte adumbratum esse suspicari licet; tam est elegans verbis et concinnus: *ἅμα δὲ καὶ ἡ φύσις ἀναπληροῖ ταύτῃ τῇ περιόδῳ τὸ ἀεὶ εἶναι, ἐπεὶ κατ' ἀριθμὸν ἐ δύναται, ἀλλά γε κατὰ τὸ εἶδος. οὕτω προῳκονόμηται ὑπὸ τοῦ θείου ἑκατέρα ἡ φύσις τοῦ τε ἀνδρὸς καὶ τῆς γυναικὸς πρὸς τὴν κοινωνίαν. διείληπται γὰρ τῷ μὴ ἐπὶ ταὐτὰ πάντα*

πάντα χρήσιμον ἔχειν τὴν δύναμιν, ἀλλ' ἔνια μὲν ἐπὶ τἀναντία, εἰς ταὐτὸ δὲ συντείνοντα. τὸ μὲν γὰρ ἰσχυρότερον, τὸ δὲ ἀσθενέστερον ἐποίησεν, ἵνα τὸ μὲν φυλακτικώτερον ᾖ διὰ τὸν φόβον· τὸ δὲ ἀμυντικώτερον, διὰ τὴν ἀνδρίαν. καὶ τὸ μὲν πορίζηται ἔξωθεν, τὸ δὲ σώζηται ἔνδον. (forte σώζῃ τὰ ἔνδον.) καὶ πρὸς ἐργασίαν τὸ μὲν δυνάμενον ἐδραῖον εἶναι, πρὸς δὲ τὰς ἔξωθεν θυραυλίας ἀσθενές. τὸ δὲ πρὸς μὲν τὰς ἡσυχίας χεῖρον, πρὸς δὲ τὰς κινήσεις ὑγιεινὸν etc. quae iam olim comparauit Camerarius cum Columella.

8. *matronalis industria*] Ita libri pro vulgato *matronalis sedulitas industriae.* Sed rationem facere parem simpliciter dicitur etiam: *paria facere cum rationibus domini* noster I. 8. 13. et II. 1. 24. Plinius II. sect. 88. *velut paria secum faciente natura.* Seneca Epist. 19. *poterām tecum hac Maecenatis sententia parem facere rationem.*

9. *domi confectae*] In vulgata lectione *domi sedentes confectas — habeant* Vrsinus deleri volebat *sedentes.* Nos totum locum ex librorum auctoritate optimorum constituimus. *Diffluant* pro *defluant* ex Codice etiam Sangerm. laudauit Drakenb. ad Liuium T. V. p. 582. et Ducker ad Florum p. 829.

placeant] Hanc libri Polit. lectionem praeferebat etiam Gesner vulgatae: *pretiosiores alias a viris pelliceant.*

sordidissimum] Pontedera praeferebat Polit. *grauissimumque.* quia non sordidum sit, in villa manere paucos dies, praesertim nihil agentem, sed graue, theatris, circis conuiuisque assuetam.

Cap. I. 2. *foeminae*] Ita vulgatum *feminam* correxit monente Pontedera et Schoettgenio Gesner; et sic Sang.

3. *a vino*] Xenophon Oecon. 9. sect. 11. ἥτις ἡμῖν ἐδόκει εἶναι ἐγκρατεστάτη καὶ γαστρὸς καὶ οἴνου καὶ ὕπνου καὶ ἀφρῶν συνουσίας. Superstitiones omisit Xenophon.

quid meminisse] Vrsinus malebat *cura subeat meminisse, quid.* Xenophon; πρὸς τούτοις δὲ ἡ τὸ μνημονικὸν μάλιστα ἐδόκει ἔχειν καὶ τὸ προνοεῖν μή τι κακὸν λάβῃ παρ' ἡμῶν ἀμελεῖσθαι, καὶ σκοπεῖν ὅπως χαριζομένη τι ἡμῖν ὑφ' ἡμῶν ἀντιτιμήσεται.

5. *Ea porro*] Repetit orationem Xenophontis supra interruptam, in Oecon. VII. sect. 35 seqq.

diurna cessando] Ita recte libri optimi pro *diuturna cessatione.* Sed praeterea *diurna cibaria* legendum saltim intelligendum puto, non *opera.* Ita frustrari impensas dixit noster I. 1. 2.

6. nu-

6. *ministretur*] Xenophon: ὃς ἂν κάμνῃ τῶν οἰκετῶν, τούτων σοι ἐπιμελητέον πάντων ὅπως θεραπεύωνται. Nescio an alibi verbum ministrare ita positum pro θεραπεύειν legatur. Diuersus enim locus Ciceronis ad Diuers. XVI. 14. *Acastum retine, quo commodius tibi ministretur.* quam posuit Gesneri Thes. L. L.

Cap. II. 2. *excelsissimum*] Xenophon cap. 9. f. 3. ὁ μὲν γὰρ θάλαμος ἐν ὀχυρῷ ὢν τὰ πλείστου ἄξια καὶ στρώματα καὶ σκεύη παρεκάλει.

horreum siccum] τὰ δὲ ξηρὰ τῶν στεγνῶν, τὸν σῖτον, τὰ δὲ ψυχεινὰ τὸν οἶνον. τὰ δὲ φανά, ὅσα φάους δεόμενα ἔργα τε καὶ σπεύη ἐστι.

3. *certissimam esse*] Xenophon cap. 8. ἔστι γὰρ πενία αὕτη σαφής, τὸ δεόμενόν τινος μὴ ἔχειν χρῆσθαι.

5. *plaustrum equitem*] Breuius et concinnius Xenophon: ὄνος ὁμῶς, ὁπλίτης, σκευόφορος, ψιλός, ἱππεύς, ἅμαξα. — ἡ δὲ ἅμαξα τὸν ἱππέα. Recte igitur pro *equites* vulgato Sang. *equitem*, monente Gronouio.

6. *ipse vacuus locus*] Xenophon cap. 8. sect. 10. ἡ γὰρ χώρα αὐτὴ τὸ μὴ ὂν ποθήσει. Seruius ad Aeneid. I. 707. *Tullius in Oeconomicis dicit quid vbi ponendum sit; nec enim debent vniuersa confundi.*

Cap. III. *deinde virilem*] Xenophon c. 9. f. 6. ἐσθῆτα ἀνδρὸς τὴν εἰς ἑορτὰς καὶ πόλεμον, καὶ στρώματα ἐν γυναικωνίτιδι, στρώματα ἐν ἀνδρωνίτιδι, ὑποδήματα etc. vnde apparet, recte Schottum Nod. Ciceron. III. 7. inserere post *ad*, (male omissum in Sang.) *bellum;* equidem *bella* inserui, propter εὐφωνίαν; cuius inprimis studiosus fuit Columella.

2. *vti assolent*] Ita ex graeco correxi vulgatam *quae ad cibum — vasa vt assolent.* Lambinus ad fragm. Ciceronis corrigebat: *vasa vsui sunt.*

in duas partes diuisimus] δίχα δὲ καὶ τὰ εἰς ἐνιαυτὸν ἀπολελογισμένα κατέθεμεν. quae satis inepte conuertit Cicero, vt et sequentia: ἕτως γὰρ ἧττον λανθάνει, ὅπως πρὸς τὸ τέλος ἐκβήσεται. Monuit haec etiam Gesner. Zeune Ciceronem ita defendebat vt legeret *in suas partes.*

3. *haec ipsis — solent*] Vulgata: *haec ipsa ei, qui vti solet* corrigi volebat Pontedera ita: *haec ipsa iis, qui vti solent* propter sequens ponerent. Nos sequimur Sang. librum approbante Xenophonte: ταῦτα μὲν αὐτοῖς τοῖς χρωμένοις δείξαντες ὅπου δεῖ τιθέναι, παρεδώκαμεν, καὶ ἐπετάξαμεν σῶα παρέχειν.

4. *pro-*

4. *promo*] Ita vulgatum *primo* correxit Gesner. *promae* malebat Abr. Gronov; idem monet in Xenophonte Patricium ad Ciceronis Fragm. maluisse legi τῷ ταμίᾳ. In seqq. *eamque admonuimus* corrigit idem Gronov.

omnium — omnia] Ita legi ex libris voluit etiam Pontedera. Xenophon: τῇ ταμίᾳ παρεδώκαμεν καὶ δείξαντες τὰς χώρας αὐτῶν καὶ ἀπαριθμήσαντες καὶ γραψάμενοι ἕκαστα, ἐπόμεν αὐτῇ, διδόναι τέτων ὅτῳ δέοι ἕκαστον καὶ μεμνῆσθαι ὅτι ἂν τῳ διδῷ, καὶ ἀπολαμβάνεσαν κατατιθέναι πάλιν ὅθεν περ ἂν ἕκαστα λαμβάνῃ.

5. *antiqui per*] Ita h. l. iam olim emendauerat Vrsinus.

6. *iusta lanificio*] Aut *iusta lanificii* aut *iuxta lanificium* legi malebat Gesner. Iusta operum legimus supra VI. 3. 3. operis exactio vt iusta reddantur I. 8. 11. et XI. 1. 26. percipere iusta I. 8. 18. IV. 3. 5. quorum iusta certa esse non possunt XI. 2. 16. vbi mensura certa et aequa intelligitur. Igitur etiam h. l. iusta puto esse operam seruae diurnam, quam lanificio reddit dominae, haec vero exigit. Iusta cibariorum sunt V. 6. 4.

honore seruulis] Vulgatum *seruilis* Vrsinus in *seruili* mutabat. Cum Gesnero sentit D'Arnaud de Iure Seruorum p. 75. Ceterum actores h. l. diuersi videntur esse a villicis.

contubernalis] maritum seruum dicere noluit. Sic etiam I. 8. sect. 5.

8. *sed modo ad telam*] Ex Xenophonte cap. 10. s. 10.

culinam] Lips. liber *colinam* voluit dare; de qua scriptura dixi ad Varronem.

9. *metientibus*] Xenophon: παραστῆναι δὲ καὶ ἀπομετρήσῃ τῇ ταμίᾳ. Vulgatam olim h. l. scripturam ita Vrsinus emendabat: *vendentibus aut mutantibus*. Sed veram restituit Turnebus Aduers. XVII. 13. post eum Pontedera et Gesner. Ceterum in lectione *Penis* latere videtur *penariis*.

fructum cogentibus] Lac emulgentibus vaccarum, ouium, caprarum.

vellera] lanam ademtam et conglobatam dici vellera monet Varro II. c. 11. s. 9.

exponant] Gesner malebat *expoliant*, nisi malis soli exponant interpretari vulgatam.

10. *Postremo*] Haec vsque ad finem capitis Xenophon cap. 9. s. 14. De νομοφύλαξι Graecorum vide Ciceronem de Legibus III. 20. Pollucem VIII. 94 et 108. cum Harpocratione.

Cap.

Cap. IV. *maturis atque trimestribus*] Vulgo interfertum post *maturis* vocem *herbis* cum libris optimis omitti vult etiam Pontedera, qui sationem maturam esse ait, quae fit ante brumam confectam, trimestrem vero, quae post brumam. Nec omnes verno tempore sationes esse consummatas, cum multa per ver iumentorum pabula, et per aestatem adeo hortensia ferantur. Verum Columella non omnes sationes tum vult esse consummatas, sed vernas modo, et quae ante ver seu Februarium seruntur. Fabam trimestrem Februario seri solitam a matura, antea seri solita, distinguit noster II. 10. 9. Ceterum vulgatum *vere* ex libris mutaui in *fere*, monente etiam Pontedera, vt inutilis temporis verni repetitio tolleretur, et Columella non plane omnes sationes, sed fere omnes consummatas esse significaret.

2. *defuisse*] Hanc lectionem iam olim restitui iusserat Turnebus Adv. XVII. 13. cui recte obsecutus est Gesner.

Paxamus] De patria et aetate non constat. Excerpta ex libris eius capita seruarunt Geoponica, vbi vide de scriptis hominis Prolegomena p. LXVI. Addo locum Simplicii ad Epictet. p. 268. ed. Heins. ὁ πρὸς Θεαρίωνας καὶ Παξάμονας ἡμᾶς ἡ φύσις ὠκείωσε καὶ τὴν μαγειρικὴν κακοτεχνίαν.

Ambiuius] A Cicerone aliisque nominatur Turpio Ambiuius actor comoediarum; qui an de re culinaria scripserit, ignoro. Aeque ignoro Licinium Maenam, vel Maecenatem, vt Lips. liber habet; contra Macrum et Mucianum Licinium celebrauit Plinius.

C. Matius] Iterum nominat infra cap. 44. vbi libri alii *Marcius*, quidam *Macius*. Forte est M. Catius Insuber, Epicureus, quem ridet Horatius Serm. II. 4. Is quatuor de rerum natura libros, et de summo bono scripserat. De eo Scholiastes ad versum 47. *Irridet*, inquit, *Catium, quod de opere pistorio in suo libro scribit de se ipso. Haec primus inuenit et cognouit Catius Miltiades.* Spectra Catiana ridet etiam Cicero ad Famil. XV. 16 et 19. Libros eius legit et iudicat Quinctilianus X. 1. 124. Sed Matium aliquem loquuntur poma Matiana, et minutal Matianum, cui poma insunt ista, apud Apicium IV. 3. Infra tres libri coci, cetarii et salgamarii nominibus inscripti Matio tribuuntur, vbi Turnebus *cellarii* malebat legi.

3. *castum*] venerem nondum expertum, vt recte monet Gesner; ideo postea *impubi* est. Ita enim Sangerm. pro vulgato *impube*.

totum in eo] Ita Cicero ad Attic. V. 20. et ad Q. Fratrem III. 1.

perenni aqua] ſcilicet fontana, puteali, nec lacuſtri. Ita non opus emendatione *perenni alia* Delrionis apud Cerdam ad Virgilii Aeneid. II. 720.

4. *mucorem*] Plinius 18. ſ. 23. *exporrigi in ſole ſuper lintea, quod niſi feſtinato peragatur, lurido colore mucescere.*

tamen pura] i. e. non picata. Geſnerus malebat *tantum pura.*

5. *aequali pondere*] Geſnerus intelligit orbiculum perforatum pondere deprimendum, aequalem et vndique congruentem formae dolii, vt per foramina ius egreſſum ſuperveniat.

eſſe aceti] Quaedam excidiſſe monuit Morgagni, et ſententia ſatis demonſtrabat, ſcilicet in vulgata olim lectione. Sed meminiſſe debemus, Columellam haec omnia ad auctoritatem Paxami reliquorumque ſcriptorum, quos nominauit, referre. Itaque ex libro Polit. *poſſe* poſui pro vulgato *poſſet;* deinde ex Sang. *confieri* pro *conficiuntur.* Superest vt ſupra *oportet* mutemus in *oportere.* Ita ſanum locum praeſtiterim. Nunc video etiam Heinſium ad Virgilium II. p. 487. probare lectionem *confieri;* idem ex Sang. poſuit: *ad haec neceſſarium.*

Cap. V. *acetum*] Fere eadem remedia ſingula ponuntur in Geoponicis VIII. cap. 33 et ſeqq. vbi aceti confectio docetur. Fermentum quale voluerit intelligi Columella, non declarauit.

mellis aceto] Geſner malebat *mellis aceti*, et huc trahebat locum Plinii 11. ſ. 15. *in omni melle quod per ſe fluxit, vt muſtum oleumque, vocatur acetum.* Sed rectius ibi Petavius *acerum*, i. e. ἄκηρον legi volebat. Vincentius in Plinio legit *tacitum;* nec Heſychio gloſſa ἄκητον, κρᾶτιστον ſanior eſt loco Plinii, vel huc omnino non pertinet. In Columella nihil mutandum eſt, nec vllam mutationis cauſam video. Acetum, vtpote facile aceſcens, adhibetur ad diluenda medicamenta reliqua. Quartarium de menſura, explicaui ad Catonem cap. 104.

ferri maſſas] Plinius 28. ſect. 45. acetum ferro calefactum per ſe contra venena prodeſſe ait, quod repetiit Marcellus Empiricus cap. 16. *acetum*, inquit, *in quo prius ferrum feruens ſit exſtinctum.* Quercinas prunas et teſtas ignitas acre acetum efficere tradunt Geoponica VIII. 38.

2. *ſapineis*] Pontedera totum hoc membrum a gloſſatore additum ſuſpicatur, quia in libro Lipſ. eſt *ſex pineis.* Nucos etiam ſapineas ignorare ſe fatetur; ſapinum autem

vocari

vocari carpinum atram, quae nullas ferat nuces, sed semen, vesicula inclusum. Contra recte iam Gesner comparauit Plinium XV. f. 9. vbi de pineis nucibus: *tertium genus sappiniae, e picea satiua, nucleorum cute verius quam putamine, adeo molli, vt simul mandatur.* De eadem re Idem XVI. f. 23. *Sappineis* ex Sang. annotauit Gronov.

Cap. VI. *muriam duram*] acerrimam seu maturam, graece ἄκρατον, dici docet Rhodius ad Scribonii Comp. 185. et ante eum egregius noster Cornarius ad Galeni Compos. Medic. secund. loca p. 411.

ea est enim] Sangerm. vterque: *est ea enim huic aptissima — pluuiatilis.*

2. *pessum ibit*] Ita scilicet intelligitur, aquam nondum sale saturatam esse leuiorem caseo. Idem de muria experimentum habet Cato cap. 88. Ludicrum physicum ranarum fictilium, aquae salsae innatantium, memorat Aristoteles de Somniis cap. 3. Ouum iniicit Galenus Libro IV. de Simpl. Medic. Facult. et Geoponica XX. 46.

Cap. VII. *His praeparatis*] Caput hoc docet apparatum herbarum, per hiemem totumque annum in vsum culinae mensarumque aceto muriaue conditarum. Silentio argumenta singula transmiserat Gesnerus, de verbis magis sollicitus, cum res ipsas ignoraret.

capparis] Plinius XV. f. 34. de partibus plantarum quae sunt esu: *In papyris et ferulis spinaque alba caulis ipse pomum est. Sunt et ficulnei caules. In fruticoso genere cum caule capparis.* Idem XIII. f. 44. *seminisque et cibi vulgati, caule quoque vna plerumque decerpto.* Dioscorides II. 204. ταριχεύεται ὁ καυλὸς αὐτῆς καὶ ὁ καρπὸς εἰς βρῶσιν. Florem silentem capparis hodie plerumque comedimus conditum, sed et ipsum semen cum capsulis conditum condiunt et *Cornichon de capre* appellant Galli. Cf. Mémoires d'Agriculture de la Societé de Paris année 1787. p. 116. Tenera capparis germina in oxalme seruari et comedi refert Galenus II. de Alim. facult.

apii coliculos] Plinius XX. f. 44. *Apio gratia in vulgo est. Namque rami largis portionibus per iura innatant et in condimentis peculiarem gratiam habent.* Coliculos solos condi nullibi traditum legi. Radices in cibo habuisse Graecos suspicor ex Aristotelis Problem. XX. sect. 8. vbi quaerit, cur, si quis apium radice tenus circumfodiat partique imae panicum vndique ingerat, terramque deinde accumulet atque ita

riget, radices in miram magnitudinem adolescant. Sed ibi pro panico seu καγχρυδίων reponendum esse ἀχύρων, patet ex Geoponicis XII. 23. vbi ita fieri dicitur μέγιστον σέλινον. In Theophrasto de Caus. Plant. V. 6. video ea in re addi καχρύλιον, ignotam herbam. De generibus apii vide ad Palladium Aprili III. 2.

rutam] Plinius 19. s. 45. *conduntur autem et eius folia seruanturque fasciculis.*

oleris atri — caule florem] Ita recte libri scripti. Olus atrum pertinet ad plantas vmbelliferas. Dioscorides III. 79. σκιάδιον ἐπὶ τῷ καυλῷ ἀνηθοειδές. vnde Plinius 27. sect. 109. *capitibus caulium orbiculatis vt anethi.* Florem igitur huius silentem, varie conuolutum, in multis etiam aliis vmbelliferis plantis conspicuum, folliculum appellat Columella. Huius florem cum caule condiri non annotauit Plinius. Oleris pulli radicem noster habet X. 123. Oleris atri caulem et flores legi, ipse noster testatur sect. 4. Vide ad X. 123.

de carduo] Plinius 19. sect. 43. *condiuntur aceto melle diluto, addita laseris radice et cumini, ne quis dies sine carduo sit.*

ferulae] Plinius 19. sect. 56. *ferulae duo genera. — Semen eius in Italia cibus est. Conditur quippe duratque in vrceis vel anni spatio. Duo eius genera; caules et racemi. Corymbiam hanc vocant, corymbosque quos condiunt.* Idem 20. sect. 98. *caules eduntur decocti commendanturque musto ac melle, stomacho vtiles.* Ita et Dioscorides III. 91. Vincentius in posteriori Plinii loco habet: *eduntur cum amurca et melle ac melle stomacho vtiles comeduntur.* Priorem etiam locum vix sanum esse puto; hoc tamen inde fit manifestum, et caulem ferulae et flores seu corymbos, id est vmbellas, condiri solitos olim fuisse. Ceterum in vulgata ante Gesnerum lectione *ferulae cum coliculo silentes, quam tenerrimum florem pastinacae agrestis vel satiuae cum coliculis, silentem florem vitis albae et asparagi.* plura latent vitia, quorum vnum vidit Vrsinus, qui *ferulas* legi malebat. Morgagni aut *flores* addi, aut *ferulas* legi volebat. Gesnerus edidit *ferularum coliculos silentes.* Equidem hominis in rebus indubitatis timidissimi audaciam in re illi sine dubio non satis nota admiror. Coliculos silentes recte dici, non possum credere viro docto. Nam reliqua Columellae loca, in Indice posita, diuersa plane sunt et aliena ab eo sensu, quem hic locus postulat. Virgae enim silentes IV. 30. 6. vineae IV. 27. 1. sarmenta IV. 29. 1. surculi II. 2. 26. sunt de gemmis nondum apertis et in florem aut folia expansis interpretanda. Atque ita h. l. flos

silens

filens est in gemma florali latens, nondum explicatus. Capparis florem filentem hodie omnes edimus. Igitur restitui veterem lectionem deleto distinctionis signo post *silentem*, quod verbum refertur ad sequens *florem*. Vocabula, a nobis inclusa, recte omittunt libri Pol. et S. Male enim de flore, recte de caule dici possunt. Post florem maiorem distinctionem posui. Pastinacae etiam flos silens cum caule conditur; etsi nihil ea de re Plinius habet. Deinceps vitis albae, vt asparagi, rusci et tamni non flos, sed coliculus solus conditur, quod postea demonstrabo. Igitur ante *vitis albae* iterum maiorem posui distinctionem. Atque ita locum persanasse me puto.

vitis albae] De vite vulgari Plinius 14. sect. 23. *vitis ipsa quoque manditur, decoctis caulibus summis qui et condiuntur in aceto ac muria.* Sed de alba vite XXIII. c. 16. *ex radice caules asparagi similitudine exeunt. Hi decocti in cibo alvum et vrinam cient.* Dioscorides IV. 184. *ταύτης οἱ ἀσπάραγοι κατὰ τὴν πρώτην ἐκβλάστησιν ἐσθίονται ἔρησιν καὶ κοιλίαν κινοῦντες.* Etiam nigrae asparagos veris in cibo vrinae ciendae causa praetulit Diocles apud Plinium l. c. et Dioscorides IV. 185.

rusci] Plinius 21. c. 50. de herbis silvestribus, quibus gentes variae in cibis vtuntur: *In Italia paucissimas nouimus, fraga, tamnum, ruscum, batin marinam, batin hortensiam, quam aliqui asparagum Gallicum vocant. Praeter has pastinacam pratensem, lupum salictarium, eaque verius oblectamenta, quam cibos.* Cauliculos ex aceto tritos memorat XXI. sect. 100. et sub nomine myrti sylvestris XXIII. c. 83. *cauliculi quoque incipientes asparagorum modo in cibo sumti et in cinere cocti.* Quae eadem de *μυρσίνῃ ἀγρίᾳ*, quo nomine Graeci ruscum appellabant, Dioscorides IV. 146. Nostor X. 374. *hirsuto sepes nunc horrida rusco prouenit.* Rusci aculeati turiones hodieque comeduntur a quibusdam.

tamni] In loco Plinii 21. sect. 50. lectionem vulgarem *tanum* ex libris scriptis in *tamnum* mutauit Harduinus. Nec alibi Plinius nominauit. Nostor X. 373. *iam tamni sponte virescunt.* inter hortenses plantas, vbi libri alii *thami, thanni, tanni.* Sed Pontedera restitui iussit *tamni.* Vide tamen notam ad priorem locum.

digitelli] Aizoum Italis dici digitellum, monet Plinius 25. sect. 102. et 26. sect. 92. sedum idem esse ait 18. sect. 45. vnde miror a Gesnero dici ignotum herbariis. Infra sect. 5. Sang. *digitillum* vocat, quam scripturam etiam Pliniani Codices habent, monente Abr. Gronouio.

pulei] Plinius 19. sect. 47. de mentha: *grato menta mensas odore percurrit in rusticis dapibus. — Congruit pulegio. — Haec quoque seruantur simili genere, mentam dico pulegiumque et nepetam*, sc. ad condimenta ciborum. Idem 20. sect. 54. *magna societas cum menta ad recreandos defectos animo pulegio cum surculis suis in ampullas vitreas aceti vtrisque deiectis.* Ceterum pessime Gesnerus antiquae lectioni substituit *pullei.*

lapsanae] Plinius 20. s. 37. *inter siluestres brassicas et lapsana est — coquitur in cibo.* Caulem et folia in cibis coqui testatur Dioscorides II. 142. Cymam siluestrem interpretatur 19. sect. 41.

batis] Plinius 26. s. 50. *eadem vis crethmo — est autem inter eas quae eduntur siluestrium herbarum. Hanc certe apud Callimachum apponit rustica illa Hecale; speciesque est batis hortensiae. — Estur crudum coctumue cum olere, odorati saporis et iucundi. Seruatur autem in muria.* Noster infra cap. 13. 2. olus cordum a quibusdam satiuum batin appellari ait, muriamque huic herbae condiendae non convenire monet. Cordum olus dicitur, vt foenum cordum, quia autumno prouenit. Sed pro *satiuum* rectius ibi Sang. liber satiuam. In priore Plinii loco 21. s. 50. verba *batin marinam* Codex Pintiani omittit, Chifflet. *battin* nominat, vt libri Columellae. Nescio vnde ductum sit, quod habet Gesneri Thes. L. L. sub hac voce, esse herbae aculeatae genus; nisi forte ex scriptura *batis* suspicatus aliquis est, a graeco *βάτος*, rubus, descendere vocabulum. Esse crethmon, Gallorum *bacille*, seu foeniculum marinum Italorum, qui eo hodieque condito vtantur, monet ex Dodonaeo Gesner: verum Harduinus ad Plinium T. II. p. 385. crethmon agrion Plinii censebat esse portulacam marinam, halimi vulgaris sub nomine pictam a Matthiolo, contra (p. 403.) battin esse portulacam hortensem. Quam quidem opinionem refutat locus Columellae infra c. 13. vbi iuxta portulacam nominat battin hortensiam. Olerio cordi appellationem nemo alius adhibuit praeter Columellam.

milninus pes] Nemo veterum praeter nostrum nominauit. Cornu cerui repens intelligi suspicatur Ruellius II. 64 et 143. referente Dodonaeo I. 4. 25. vt annotauerat Gesner.

2. *ruscus et tamnum*] Ex Sang. *ethruscum et thamnum* annotauit Gronov; deinceps *lapsana* omittit vterque Sang.

in alueos] Sang. aliter: *in alueum componitur — consudet, reponitur. — remiserit — possit. — lauatur — exprimitur. ablui*

ablui possint] Intellige: bene est: illo ipso iure abluuntur. De hac ellipsi, Graecis solenni, bene admonuit Gesner. Ceterum in Sangerm. vtroque deesse *sibi* post *suo* annotauit Gronov.

3. *et ius vsque*] Verba et *ius* omittunt liber Pol. et Sang. quo facto dicitur foeniculum ad summum labrum fideliae peruenire. Sed deinceps sect. 4. est in eadem conditura: *vt ius superueniat.* et cap. 9. sect. 2. est: *vt ius supernatet.* Scilicet ita aer et mucor facilius ab herbis conditis arcetur.

4. *omnem coliculorum*] Ita recte emendauit Vrsinus vulgatum *folliculorum*, approbante Gesnero; qui ad verba sect. 3. *et ius vsque* retulit varietatem ex margine Gr. et St. *coliculorum*; quam pertinere suspicor ad hunc locum, quia altero plane est inepta.

Caules, si] Sang. vterque *Colles — deduci et partiri.* Voluit *Coles.*

adiici tum] Vulgatum *adiectas, ita* emendaui adiuuante libro Sang. ex quo *adici* annotatum est *adici tum.* Verum ita vulgatum *ita* redditur superuacuum; quare hoc omisi.

Cap. VIII. *Oxygala*] Plinius 28. sect. 35. de butyro conficiendo: *fit aestate, expresso tantum crebro iactatu in longis vasis angusto foramine spiritum accipientibus sub ipse ore, alias praeligato. Additur paulum aquae vt acescat. Quod est maxime coactum, in summo fluitat; id exemtum addito sale, oxygala appellant. Reliquum decoquunt in ollis. Ibi quod supernatant, butyrum est. — Oxygala fit et alio modo, acido lacte addito in recens, quod velis inarescere, vtilissimum stomacho. Effectus dicemus suis locis.* Promisso non stetit Plinius. Geoponica XVIII. 12. oxygala in oleum demissum aut in terebinthi foliis conditum, molle permanere docent. Harduinus ad Plinium putat esse acidum lac, quo in magnis aestibus frequenter sitim exstinguere amant Turci, *Iugurtham* appellantes, auctore Busbequio Epistol. I. p. 103. Verum de poculo Turcorum dubito, quod fortasse magis cum melca conuenit, quae fit lacte acido. Ex oxygalacte in Pergami vicinia et superiore Asia caseos fieri, narrat Galenus de Simpl. Medic. Facult. libro X. Idem de Alim. Facult. 3. admonet, in oxygalacte solam relinqui caseosam lactis materiam, et quidem ad frigidiorem statum deductam; et c. 17. caseum oxygalactinum a Pergamenis et in Mysia confici solitum omnibus reliquis concocta faciliorem et ori gratissimum esse ait. De natura oxygalactis dubitationem tollit

emendatio loci Pliniani, a Dithmaro et Io. Beckmanno proposita in Histor. Inuentor. Vol. 3. p. 286. vbi verba sic collocat: *quod est maxime coactum, in summo fluitat. Id exemptum addito sale butyrum est, oleosum natura. Quod reliquum est, decoquunt in ollis. Additur paulum aquae (aceti* malebat Becm.) *vt acescat. Id quod supernatat, oxygala appellant. Quo magis virus respit, hoc praestantius iudicatur. Pluribus compositionibus miscetur inueteratum.* vbi Vincentius habet *quod magis virus respuit.* Sed illa emendatio efficit quidem, vt butyri coactio nostro mori similis fiat, sed oxygalactis natura nihilo magis fit exinde clarior. Galenus enim oxygalacti caseosas partes tantum inesse tradit; at in Columellae oxygalacte butyrum etiam supereſt, cum lacte permixtum. Idem in altero Plinii oxygalacte supereſt; atque idem in priore etiam adesse significat lectio vulgaris. Sed iudicent petitiores!

2. *cauum, quem*] Exempla huius sexus alia dedit Drakenb. ad Liuium T. III. p. 895.

lac coeperit manare] Etiam deinceps, post triduum intermissum, *lac* adhuc appellat; ex quo apparet, non fuisse oxygala casei genus, quod putabat Becmann, sed lac leuiter coagulatum et acidulum. Recte igitur Gorraeus videtur Gallorum iunceam, *jonchée*, id est, caseum recens coagulatum et mollem comparasse; quam opinionem egregie firmat locus Geoponicorum supra positus. Itaque eadem est *meta lactis* apud Martialem III. 58. et *metae lactentes* I. 44. *quas rustica fiscina misit.* Idem VIII. 64. *massam lactis modo alligati vocat.* Melca ex compositione Geoponic. 18. cap. 21. nulla alia differt ab oxygalacte, nisi quod serum ibi non detractum legitur; quale lac nostri *Schliekermilch* vocant.

3. *lepidii*] Noster X. 124. lactis gustum condire ait. Culturam docet XI. 3. 16 et 41. Esse eandem herbam cum iberide, cardamine et nasturtio silueſtri, docet Cornarius ad Galenum de Compos. Medic. p. 547.

compertam] Gesnerus legi volebat *concerptam.*

Cap. IX. *caules lactucae*] Plinius 19. s. 39. *inuentum omnes thyrsos vel folia lactucarum prorogare vrceis conditos ac recentes in patinis coquere.* Ex nostro apparet, caules cum teneris foliis condiri solitos fuisse. Ceterum ex Id. addidi verba: *Conditura lactucae*, monitus a Pontedera, vt statim, qua de re agatur, cognoscat lector. Idem Plinius l. c. sect. 38. de Augusto seruato lactucarum esu: *in tantum recepta commendatione, vt seruari etiam in alienos menses eas oxymelite*

lite repertum sit. Caulem lactucae Graeci etiam in cibo amabant. Theophrastus H. P. VII. 2. καὶ τῆς μὲν θρίδακος ἡδίας φασὶ τὰς παλιβλάστας εἶναι καύλας. τὸν γὰρ πρῶτον ὀπώδη καὶ πικρὸν εἶναι, ὡς ἄπεπτον. οἱ δὲ τἐναντίον, ὀπωδεστέρας τέτας, ἀλλ' ἕως ἂν ὦσιν ἁπαλοὶ, φαίνεσθαι γλυκυτέρας. Genus aliquod in Germania cultum sub nomine Lactucae caulescentis (Strunksalat) Francofurtanae caules muria condiendos ad cibum hiemalem praebet.

rubi] Cauliculos rubi cymae modo in cibo sumtas, et cynosboti thyrsos inter medicinas posuit Plinius 24. sect. 73 et 74. Sed Lips. lectio *ruris intubi* facit, vt de vulgari dubitem.

armoraciorum] Supra VI. 17. 8. et IX. 4. 5. genere feminino dixit *armoraciam.*

Cap. X. *cepam*] Plinius 19. sect. 32. *Schista et Ascalonia condiuntur. — Apud nos duo prima genera: vnum condimentariae, quam Graeci gethyon, nostri pallacanam vocant — alterum capitatae, quae ab aequinoctio autumni vel a Favonio seritur. — sicca acrior quam condita.* Dioscorides πρόμμυν ταριχηρὸν dixit. Galenus Alim. Facult. II. rapa, ceras et ampeloprasa aceto aut muria condi refert.

vnionem] Ex vestigiis lectionis libri Sangerm. suspicor h. l. olim fuisse *quam vnionem Marsi rustici.* Ceterum ex vnione factum Gallorum *oignon* censent cum Salmasio Harduinus et Cangius in Glossario sub voce *aloigna.*

fruticauit] Praestare puto lectionem *fructificauit.*

2. *pruna onychina*] Pira onychina, a colore onychis gemmae dicta, habet Plinius 15. sect. 16. Pruna sylvestria sola Asiani appellabant πρῶμνα, satiua κοκκύμηλα, sylvestria etiam ἀγριοκοκκύμηλα, teste Galeno, qui ex cornis brabylis et prunis silvestribus praeparat stomatica medicamenta Compos. medic. sec. loca VI. 1. vbi vide Cornarium p. 448. qui egregie docet, βράβυλα, a solo Galeno inter fructus silvestres memorata, male a Plinio inter herbas relata esse, quas nos *Schleen* appellamus, Pruni spinosae Linnaei fructus. Sed haec prunus spinosa videtur potius esse prunus silvestris Columellae; et brabyla videntur ad aliud genus pruni silvestris aut crataegi pertinere. Recte autem monuit Cornarius, male Schol. Theocriti ad Idyll. VII. 146. et XII. 3. brabyla explicare per κοκκύμηλα et δαμάσκηνα, quae sunt ipsa pruna sativa. Brabyla porro suspicatur esse fructus arbusculae, quam Plinius ex Dioscoride Poterium et neurada appellat. Haec

vero tota lanugine obtecta virgulta habet mollia; quod in pruno spinosa contra est.

3. *corna*] Plinius 15. sect. 31. corna, vt oliuas, cadis condi refert.

4. *venerea*] Supra V. 10. 18. sunt *venerea pira;* quod nomen et h. l. reposui pro *veneria*, vt analogiae propius. Atque ita editum legitur in Plinio.

Lateritiana] Supra V. 10. 18. *lateritana* sunt sine varietate. Plinio *Lateriana;* sed Macrobius Saturn. II. 15. *Laterosiana* etiam habet cum libris Columellae quibusdam.

Decimiana] Plinius 15. s. 16. Decimiana ab auctore nominata, et Pseudodecimiana habet, quae Macrobius l. c. appellat Decimana. Igitur lectionem librorum optimorum praetuli vulgatae *decumana*, consentiente Pontedera.

myrapia] Ab odore dici monet Plinius 15. s. 16. igitur *myrapia* scripsi, cum vulgo *myrappia* legeretur. Est enim myrapion a μύρον vnguentum, et ἄπιον pirum.

purpurea] Inclusi *pruna*, in Codice Lips. omissa. Polit. etiam vulgarem lectionem variat. Pira purpurea a colore dici, monet Plinius l. c. et noster eadem laudat cum aliis V. 10. sect. 18. pruna purpurea nemo nominauit; et de prunis antea dixerat Columella. Video nunc mecum sentire Pontederam. Ex Sang. *myra pira* annotauit Gronov.

Cap. XI. 2. *Condituras oliuarum*] In quem vsum adhibet Colum. infra c. 47. s. 4. Ceterum hydromel id, quod vini loco aegrotis propinat, eodem plane modo confici, vt Columella docuit, Galenus in Hippocratis locum refert, quem vide in Foesii Oeconomia. Idem ὀξύγλυκυ et ἀπόμελι idem esse affirmat et ea ratione, quam Columella docet, confici ait in Graecia, praecipue in Elide. Sed ὀξύγλυκυ aperte diuersum esse docet aceti admistio, ab ipso Galeno annotata. Vide Foesium in voce ὀξύγλυκυ.

languentibus] Plinius 31. sect. 36. *hydromeli quoque ex imbre puro cum melle temperabatur quondam, quod daretur appetentibus vini aegris velut innocentiore potu, damnatum iam multis annis, iisdem vitiis, quibus vinum, nec iisdem vtilitatibus.*

inflationem] Ipsum oxymel nisi decoquatur mel et despumetur, inflare intestina, monet Galenus de morbo comitiali; igitur decoctionis vices subit fermentatio mellis, cum aqua soli expositi.

Cap.

Cap. XII. *non vno modo*] Plinius 22. sect. 51. *Duo genera eius, subitae et recentis, alterum inueteratae. Repentina despumato melle praeclaram vtilitatem habet in cibo aegrotantium leui.* Deinde sect. 52. *inueteratae vsum damnauere posteri, minus innocentem aqua, minusque vino firmam. Longa tamen vetustate transit in vinum.* Frigidam mulsam ibidem dixit Plinius, quam Dioscorides V. 17. crudam *τὸ μὴ ἀφεψημένον*, non decoctam. Hydromeli graece dicitur; cuius vsus diu viguit ante vinearum vsum cognitum apud varias gentes. Medio aeuo *Medus*, *Medo et Meda* dicebatur, docente Cangio in Glossario. De eo Aristoteles Mirabil. Auscult. c. 21. *ἐν Ἰλλυρίοις φασὶ τὰς Ταυλαντίας καλουμένας ἐκ τοῦ μέλιτος ποιεῖν οἶνον. ὅταν δὲ τὰ κηρία ἐκθλίβωσι ὕδωρ ἐπιχέοντες ἑψοῦσιν ἐν λέβητι ἕως ἂν ἐκλίπῃ τὸ ἥμισυ. ἔπειτα εἰς κεράμια ἐκχέαντες τιθέασιν εἰς σανίδας. ἐν ταύταις δέ φασιν ἔχειν πολυχρόνιον καὶ γίνεσθαι οἰνῶδες καὶ ἄλλως ἡδὺ καὶ εὔτονον. ἤδη δέ τινες καὶ ἐν ἑλλάδι συμβεβηκέναι λέγουσι τοῦτο, ὥστε μηδὲν διαφέρειν οἶνον παλαιοῦ, καὶ ζητοῦντας ὕστερον τὴν κρᾶσιν μὴ δύνασθαι εὑρεῖν.* Hodieque in eadem regione potionem istam ex mello fieri, *Scerbet* dictam ab incolis, tradit Fortis Itiner. Dalmatici T. II. p. 215. versionis germ. Qui vino propiorem mulsam reddere volunt et feruorem eius accelerare, fermentum, vel faeces vini, hordeum tostum, scobem ligneam, vel aliqua aromata addunt. Hispani potionem *Aloxa* parant ex melle et aqua addito citreorum cortice. Vide *Febroni* de arte vinorum conficiendorum Observ. 24 et 25.

2. *nonnulli tamen qui*] Ita Sang. pro vulgato *nonnulli tamen cum.* Ex eodem *Cagonam* annotauit Gronov.

3. *mellis permiscent*] Pro *adiiciunt* deinceps Vrsinus malebat hoc idem *permiscent* poni. Sed nunc video, eius notam male a Gesnero relatam esse huc, quae pertinebat ad lectionem antiquam *promiscent.* Idem Vrsinus *si dulciorem* malebat legi, quia Edd. ante Victor. habent deinceps *si vero austeriorem.* quod omisit annotare Gesner.

Cap. XIII. *seri minimum*] Ideoque plus casei ex lacte cogitur, cum verno tempore minus casei butyrique inde colligatur, vtpote lacte magis aquoso.

non tam expedit] quam caseum inde cogere. Gesnerus tamen malebat legi: *tum non expedit.*

septimo] Capite 8.

2. *satiuam battin*] Ita recte Sangerm. pro *satiuum.* De batti vide ad cap. 7. sect. 1.

portulaca] Cum brassico seri tradit Plinius 19. s. 53.

Cap.

Cap. XIV. *osseo cultello*] Metallum enim dum acore pomorum vitiatur et aeruginem contrahit, et ipsa poma inficit confestim, quod vnusquisque quotidie experitur in pomis.

rustici vindicant] Gesner interpretatur seruant, compendii faciunt; Sang. habet *rusticis*. sed nec sic sanatum locum esse censeo. Forte fuit olim *rustici sibi vindicant*. Ex scriptura *siui vindicant* vitium est ortum.

pulmentario — ficus] Plinius 15. sect. 21. *ficis mollis omnibus tactus: maturis frumenta intus. succus maturescentibus lactis, percoctis mellis. Senescunt in arbore, anusque destillant gummium lacryma. Siccas honos laudatus seruat in capsis. — at vbi copia abundat, implentur orcae in Asia, cadi autem in Ruspina Africae vrbe, panisque simul et obsonii vicem implent. vtpote cum Cato cibaria ruris operariis iusta ceu lege sanciens, minui iubeat per fici maturitatem. Cum recenti fico salitis vice casei vesci, nuper excogitatum est.* vbi veteres Edd. habent primum: *gummi modo lacrymam, siccanturque. Honos laudatas seruat in capsis.* vbi Pintianus malebat legi: *Mos laudatas seruandi in capsis.* Deinde ita Edd. *per fici maturitatem. cum et obsonii vicem habeant recentes ficus. Sale siccatis et casei loco vesci* etc. In Codice Toletano Pintianus reperit scriptum: *cum recenti fico salis vice caseo vesci, nuper* etc. Vnde malim locum ita restituere: *per fici maturitatem, cum et obsonii vicem habeant recentes ficus. Cum recenti fico salis vice caseo vesci* etc. In vulgari lectione Harduinus salitis interpretatur carnibus solitis, atque ita statuere oportet caseum cum recenti fico semper fuisse vna comestum. Saltem illa verba media: *cum et obsonii vicem habeant recentes ficus* genuina Plinii verba esse censeo et restituenda. Antea enim de siccis tantum affirmauerat, eas obsonii vicem implere.

Cap. XV. *factae — cannae*] Infra cap. 50. 5. sunt in simili vsu cannae spisse textae. Et Graeci κάννας stoream vocant storeas ex calamis textas, teste Polluce VII. sect. 176. X. 166 et 184.

occasu] Hanc Sang. lectionem ab Heinsio Aduers. III. p. 459. omissam miror, qui corrigit: *in occasum vergit;* quam lectionem vulgatae et alteri a me positae ipse praeferrem, si liber aliquis addiceret.

noctibus remittit humus] Ex vulgari opinione rorem ex terra deriuat. Scilicet humor plantarum terraeque calore extractus et in aerem subleuatus, refrigerato aere vespere et

et noctu praecipitatus inde redit frugesque et terram madefacit. Multa nimis ad h. l. philosophatur Gesnerus.

acclines] Barth. ad Claudianum p. 35. malebat *acclines*. Liber Sang. *adcliues*. At Heinsius Aduers. III. p. 459. ex eo posuit *acclines*. Quare vulgatum *acclines* correxi.

viescentem] Hoc effeci ex lectione librorum. Aperte *viescere* pro *arescere* sect. 5. habet Sangerm. liber. Scilicet a viescere oritur vocabulum vietus, quo de fructibus maturis et caducis vtitur Cicero de Senect. cap. 2. Vulgo h. l. *inarescentem* legebatur. Ex Sang. *viscentem* posuit Heinsius et *viescentem* correxit.

2. *meridiano tepore*] Ita cum Heinsio correxi vulgatum *tempore*. Saepissime in his nostris scriptoribus tepor cum tempore permutatus fuit. Vide sect. 5. *bene siccatas meridianis teporibus*.

4. *farinam fici*] Ita pro *formam* recte libri optimi, probante etiam Gesnero et Heinsio Adv. III. p. 459. Varias rationes ficorum et viridium seruandarum et siccandarum ex Martiali docuit Palladius Martio cap. 10. s. 34. in quibus multa sunt similia his, quae Columella docet. Cum Palladio conuenit auctor Geoponicorum X. sect. 54.

testam] i. e. orcam testaceam. Deinceps *viescere* ex Sang. probauit etiam Heinsius.

5. *in formam panis*] In formam laterum Graeci figurantes caricas massam eiusmodi πλάθην dicebant, vt praeter alios docet Hieronymus in Cap. I. Oseae et cap. 6. Ezechielis. In furno siccari, sed non bene ibi, sed in aere refrigerari ficos, monet Aristoteles Problem. XXII. sect. 10. De Hispanis et reliquo sui temporis more ita Crescent. V. 10. *Secundum Hispanorum morem hoc modo. Siccentur mediocriter et optime refrigeratae in vase aliquo componantur et ponderatae bene seruentur. Ficus siccae, quas Cesenates optimas habent, procurantur hoc modo ab eis. Colliguntur ficus grassulae mediocriter maturae et ad solem per biduum integrae dimittuntur, deinde pinguiores scinduntur per medium ex transverso, et iterum parte inferiori seu interiori conuersa ad solem duobus vel tribus diebus siccentur, vel duabus simul iunctis ac iterum duobus vel tribus diebus ad solem relictis tandem in testa ponuntur et iterum ad solem triduo dimittunt, deinde in scrinio per 15 dies tenentur, et postea iterum ad solem si necessarium videbitur, reponuntur, quibus postea refrigeratis in aliquo vase stricte fortiter ponderantur et caue, cum siccantur, vt imbrem et pluuiam vnquam tangant.*

liuiuiam

lixiuiam cineris sarmenti] Plinius 15. f. 18. *quidam vt passas faciant, in cinere lixiuio tingunt, protinus quam detraxere vitibus mox in sole siccant: tum foliis, vt supra dictum est, inuolutas vinaceis stipant.* Geoponica IV. 15. τινὲς τὸ φραν συκίναν ἢ ἀμπελίναν ὕδατι ζέσαντες καὶ τὰς βότρυας βρέξαντες καὶ ψύξαντες ἀποτίθεντες ἐν κριθίνοις ἀχύροις.

in sole assiccant] Ex Sang. lectione *in sole atque siccant et vasis recundunt* Heinsius corrigebat *in sole aeque siccant.*

Cap. XVI. *tabulis*] Alias crates nominat, quae humorem commodius transmittunt. Postea pro *sarmenti* in vtroque Codice Paris. est *sarmenti vi*, vnde effecit Abr. Gronov, quod posui in textu. Cf. VI. 29.

exiguum pati] scilicet *inesse*, nisi id ipsum excidit. Sed infra c. 47. 10. *patimurque horis tribus dum aliquatenus bacca salem combibat.* Ita Scribonium Largum saepe loqui, monet Gesneri Thes. L. L. Ceterum Codex Sang. alter *colorentur* habet.

2. *in crate disponito*] In libro Pol. et Sang. est *canteriis.* Recte puto. Canterios eiusmodi ad alium vsum adhibet noster XI. 3. 58 et 63. Ipsas ficos adeo in eiusmodi iugis seu canteriis siccari iussit capite superiore. Postea Sangerm. *modico* habet.

3. *Quidam*] Sang. *Aliter* praeponit.

plataninis] Plinius 15. sect. 18. *Graeci hoc idem platani foliis aut vitis ipsius aut fici vno die in vmbra siccatis, atque in cado vinaceis interpositis.*

cremauerint, cinere] Vitium vulgatae vidit Gesner, qui malebat legi: *ex eius, quod — cinere.* Sang. liber habet *cineream.* Noui, dici cinerem lixiuium et cineris lixiuiam, sed non memini *cineream lixiuiam* legere. Abr. Gronov corrigebat *cinerem lixiuam.* In Sang. esse *cineream lixiuam* idem admonuit, cum Ernestius solum *cineream* annotasset. Equidem aut *cinerem lixiuum* aut *cineream lixiuiam* dicendum esse censeo; posteriorem rationem suadente Sangerm. praetuli. Vide ad cap. 22. sect. 1.

4. *Eodem*] Sang. praeponit *De Sorbis.*

quo sit pinguior] Vuam passam fieri feruenti oleo adustam, tradit etiam Plinius 14. f. 11. in loco, infra ad c. 39. laudando, ad quem Dalecampius monet, eadem ratione hodieque Monspessulanos vuam passam parare.

intra tectum] Plinius 15. sect. 18. no. 3. *Sorba quoque et scrobibus, gypsato operculo, duum pedum terra superinducta, in loco aprico, inuersis vasis: et in doliis, vt vuas*

cum

cum ramis suspendi. vbi recte monuit Pintianus, verba ita esse transponenda: *et scrobibus duum pedum, gypsato operculo, terra superinducta.* Idem no. 4. *Plerique vero in scrobis duum pedum altitudinis arena substrato et fictili operculo, dein terra operto.* Palladius II. 15. *Sorba seruantur hoc genere. Lecta duriora ac posita, vbi mitescere coeperint, fictilibus vsque ad plenum clauduntur vrceolis, gypso desuper tectis, et bipedanea scrobe loco sicco sub sole merguntur ore peruerso et desuper spissius terra calcatur.* Verba igitur huius loci *intra tectum* vitiosa esse videntur; aprico enim loco et sub sole scrobes fieri debent, non in loco tecto. Sed etiam infra cap. 44. sect. 3. fossulae tripedaneae siccissimo loco sub tecto fiunt ad similem vsum.

Cap. XVII. *penuria*] Vinum ex pomis variis, adeoque ex fico fieri testatur Plinius 14. 19. ex iisdem etiam fermentatione continuata vinum transit pomorum in acetum, quod vini vitium cum Horatio dixit bene Plinius. Itaque e Cypria fico et acetum praecellens fieri monet Plinius l. c. Quomodo acetum ex malis, pyris, sorbisque fiat, docuit Palladius. Geoponica VIII. 41. *τινὲς δὲ ἐκ τῶν σύκων τῶν ἐπὶ τοῖς δένδροις βρεχομένων καὶ σηπομένων ἐμβάλλουσιν εἰς ὕδωρ καὶ ἐάσαντες συσσαπῆναι ὄξος ἐποίησαν.* Caricarum defrutum a Romanis colorem dictum habet Apicius II. 2.

picata bene olida] Infra c. 38. 4. *amphoras bene picatas et bene olidas.*

2. *parteis saccis*] Supra IX. 15. 12. *tenui vimine rarius contextus saccus inuersae metae similis, qualis est quo vinum liquamus.* Cf. infra ad cap. 19. 4.

vermiculos] Laruas muscarum variarum, *Κώνωπα* ex vino acido nasci, iam olim monuit Aristoteles. Anguillas aliaque minuta, oculo vix persequenda armato animalia in aceto vidit recentior demum aetas.

Cap. XVIII. 2. *perenne*] i. e. per totum annum. Sang. *perennie* habet.

et picandae] Fiscellas picatas vuis colligendis et deportandis, ne succus emanaret, Gesner comparauit cum Catonis cap. XI. vrnis et amphoris sparteis.

vindemiator — destringat] Sang. lectionem omiserat Ernesti. *Vindemitor* Edd. I. B. R. quam formam habet etiam Plinius, Ouidius, Horatius et Seneca.

3. *et*

3. *et torcularii*] Vrsinus malebat: *et ita torcularia.* Supra XI. 2. 71. *torcularia et fora diligenter emendata et lota* habet.

aqua marina] Geoponica VI. 1. πλυθήτω ἢ θαλάσσῃ ἢ ἅλμῃ θερμῇ καὶ σπογγισθήτω. vasa ipsa supra XI. 2. 70. lavat noster marina vel aqua salsa. Geoponica V. 10. torcularia viginti diebus ante vindemiam aperiri iubent, quo perflentur, aqua etiam marina conspergi et suffumigari.

cella vinaria] Vinum enim omnem odorem, vt oleum facillime concipere, monet etiam Theophrastus C. P. VI. 28. Cellam vinariam struunt, ordinantque praeter Geoponica Cato III. 2. Varro I. 11. 2. Columella I. 6. 9. Palladius I. 18. 1. Vasorum vinariorum formam et cellae vinariae ordinationem descripsit et pinxit nescio quis Gallus in Journal oeconomique Decembr. 1766. p. 547. quem locum Promtuarium nouum Hamburgense conuersum dedit in nostrum sermonem. Sed is nullis scriptorum auctoritatibus vsus est.

4. *Vasis pressoriis*] Vitium vidit Gesner, qui malebat *e vasis pressoriis.* Edd. I. B. R. *pressori* habent. Forte latet nomen genii alicuius seu daemonii. An fuit *Libero Liberaeque vitis repertoribus*, vt apud Varronem I. 2. 19.? Sacrificium credo intelligi, quod *Sacrimam* vocatum refert Festus, cum musto pro vuis primis et vasis et vino ipso Libero sacrificabant. Sed idem *suffimenta dicebant quae faciebant ex faba milioque molito mulso sparso; ea diis eo tempore dabantur, quo vuae calcatae prelo premebantur.* Baccho capram et ψαιστὰ sacrificat auctor Epigr. in Analect. T. II. p. 239. Varro L. L. V. p. 47. *Aliquot locis vindemiae primum a sacerdotibus publice fiebant, vt Romae etiamnum. Nam flamen Dialis auspicatur vindemiam et vt ius sit vinum legere, agna Ioui facit, inter cuius exta caesa et porrecta flamen prorsus vinum legit.* Ita enim pro vulgato *iussit* correxit Ian. Guil. Verosim. I. 25. Nunc malim corrigere h. l. *Liberaeque pro vino et vasis pressoriis.* Festus: *Sacrificium, quod pro vuis primis fieret, a veteribus Sacrima est appellatum. — Est autem Sacrima mustum in amphoram inditum sacrifici causa pro tinis et vino, quae quasi sacra dicta, quod sacra Libero sit.* In Pauli Excerpto est: *Sacrima appellabant mustum, quod Libero sacrificabant pro vineis et vasis et ipso vino conseruandis.* vbi vide Scaligeri notam. Liberae mentionem in his vides omissam.

partem fructuum] Ita mecum legit Pontedera pro vulgato *praesentem fructum.* Non omnis enim intercipitur fructus tam facile. Deinceps *nec furi* pro *ne furi* posui, admonitus

nitus ab Abr. Gronouio. *ne* enim cum antecedentibus nexum significat, qui nullus est h. l.

5. *quadragesimum*] Plinius 14. sect. 27. *Picari oportere protinus a Canis ortu, postea perfundi aqua marina aut salsa.* Geoponica VI. 4. vetera dolia sub exortum caniculae, noua statim e camino extracta picari iubent. Plinius 18. s. 74. *iustum vindemiae tempus ab aequinoctio ad Vergiliarum occasum dies 44. ab eodem die oraculum occurrit frigidum picari pro nihilo ducentium.* Vide et supra XI. 2. 70.

pix imum] Ita ex libris pro *picem in* legi debere monuit Pontedera et ratio grammatica iubet. Plinius 18. sect. 64. *dolia quassa sarcire, ipsorumque laminas scabendo purgare aut nouas facere.* vbi ex editione principe *tabulas* restituit Brotier, vt lignea vasa seu cupae intelligerentur.

demersa sunt] Plinius 14. s. 27. *Mitiores plagae doliis condunt, infodiuntque terrae tota, aut ad portionem situs. Item coelum praebent; alibi vero impositis tectis arcent. — Quin et figuras referre. Ventruosa ac patula minus vtilia. — Imbecilla vina demissis in terram doliis seruanda, valida expositis.* De forma doliorum et collocatione in cella vide Geoponica VI. 2 et 3. Loca Pandectarum et Cuiacii Observ. II. 36. laudauit ad h. l. Gesner. Figuram doliorum, rationem picandi collocandique hodieque in insula Cypro vsitatam, accurate descripsit partem etiam pinxit Mariti del vino di Cipro. Firenze 1772. Hodieque in Italia labra figulina ponunt, in quibus mustum deferuescat; quae cum doliis id habent incommodi, quod calorem *frigusque* citius concipiunt et retinent, quam lignea. Quod de aluariis testaceis monuit iam olim Columella, et de labris figulinis Febronii c. 5. de Vinorum conficiendorum arte. Hodieque romanae Hierarchiae regiones quaedam doliis figulinis vina recondunt teste *Fineo. Vettine* vocant ea vasa atque intus cera flaua illinunt.

lampadibus] craticulae formam habentibus et in dolium demersum demissis cum pice indita aenea in lampadem habet Iuuenalis III. 285.

7. *picis brutiae*] Palladius Sept. 11. *In doliis picandis hic modus erit, vt dolium ducentorum congiorum XII. libris picetur; deinde pro minoris aestimatione subducas. — Diligentiores optimae cerae in decem* (*viginti* Vincent. cum libris scriptis) *picis libras vnam libram miscent, quae et odori proficit, et sapori et picem lenitate permulceus frigoribus eam non patitur dissilire. Picis tamen gustu exploranda dulcedo est, quia saepe vina eius amaritudine vitiantur.* Contra Plinius

14. f. 25. *Pix in Italia ad vasa vino condendo maximè probatur Brutia. Fit e piceae resina — nam ceram accipientibus vasis compertum est vina acescere.* Cautelam eandem in addenda cera habent Geoponica VI. 5. 10. et cap. 7. 2. Picarias in silua Sila Brutiorum a censoribus locatas memorat Cicero Brut. c. 22.

Cap. XIX. 2. *sine condimento*] Plinius 23. f. 24. *salubberrimum vinum, cui nihil in musta additum est, si nec vasis pix affuit.* Ceterum *perennare* ex Sang. annotauit Gronov, quod probo. Vulgo *perennari.*

3. *eximatur, satis*] Praeclare Vrsinus emendabat: *exprimatur, statim.* Pontedera multo minus feliciter: *quam prelo pressum sit, eximatur statim de lacu: in vasa defrutaria deferamus.* Ita enim variatio structurae verborum fit ingrata, ne dicam, barbara. Pedem vinaceorum habes infra cap. 36 et 43. 10. Est massa vinaceorum expressa, cui superfusa aqua lora fit, quam Hispani hodieque *Aqua pie,* i. e. aquam pedis appellant, teste *Carter* Itinerar. Malacensis T. II. p. 372. vers. germanicae.

cremia] Plinius 18. f. 74. *hoc tempus et defrutum coquendi silente luna noctu; aut si interdiu, plena; ceteris diebus aut ante exortum lunae aut post occasum. Nec de nouella vite aut palustri, nec nisi e matura vua, nec nisi foliis despumandum; quia si ligno contingatur vas, adustum ac fumosum fieri putant.* Ceterum de voce *Cremium* bene disputauit Gesner in Thesauro L. L. Glossae Isidori: *Gremia siccamina lignorum* habent. In Florentinis Pandectis *gremiales arbores* et *gremia ligna* defendit Ant. Augustinus Emend. III. 7.

4. *cola — spartea*] Supra IX. 15. 12. *tenui vimine rarius contextus saccus inuersae metae similis, qualis est quo vinum liquamus* et supra 17. 2. *sparteis saccis percolant.* Graeci similiter σάκκον dixere atque hinc vina colare et eliquare σακκίζειν. Vide Cornarium ad Galenum de Compos. medic. p. 287. Aliter etiam ὑλιστὴρ appellabatur graece colum vinarium. Primus colorum vsus fuit in vinis faeculentis et turbidis eliquandis et purgandis, cui deinde multa luxuriae ingenium addidit. Non solum enim in colorum materia subtilitatem adhibuit exquirenda, sed et colo indidit varia medicamenta, quibus vini vires vel frangerentur, vel odor augeretur. De primo vsu testatur Martialis XII. 6. *vt liquidum potet Alauda merum turbida solicito transmittere Caecuba sacco.* Idem II. 40. *Caecuba saccentur.* Varia excogitauit deinde luxuria ad vinorum vires frangendas et temperandas. Hinc colum

colum niuarium Martialis XII. 103. *Setinos moneo nostra nive frange trientes; pauperiore mero tingere lina potes.* Idem deinde Epigr. 104. de Sacco niuario sic: *attenuare niues norunt et lintea nostra; frigidior colo non salit vnda tuo.* Vnde apparet, cola niuaria non fuisse ex linteo facta, sed solos saccos. Quae vero diuersitas fuerit coli niuarii, equidem ignoro. Attenuari vinum niuario colo seu sacco, testatur Martialis. Plinius 23. s. 24. *vtilissimum omnibus vinum sacco viribus fractis.* Idem 14. s. 28. *vt plus capiamus, sacco frangimus vires. Castrare saccis vina* idem dixit 19. s. 19. no. 2. Praeterea colo indebantur varia medicamenta. Ita Plinius 15. s. 37. de oleo myrteo: *oleo quoque inest quidam vini sapor simulque pinguis liquor, praecipua vi ad corrigenda vina, saccis ante perfusis. Retinet quippe faecem, nec praeter purum liquorem transire patitur, datque se comitem praecipua commendatione liquato.* Quae transtulit ex Theophrasto de Causis Plant. VI. 9. vbi de saporibus agit: *οἱ δ' ἐκ ὁμοίως ἔνθηλοι ὥσπερ ὁ οἰνώδης ἐν τῷ μύρτῳ, ἔτι δὲ ἧττον ὁ λιπαρός. ἔχει γὰρ καὶ τοιοῦτον ὃς ἐφίσταται τῷ οἴνῳ σακκιζομένῳ. καὶ ἀφαιροῦσιν αὐτὸν καὶ καίουσιν ἐπὶ τῶν λύχνων.* Panem triticeum in saccos additum grauitatem odoris in vino emendare tradit Plinius 22. s. 28. Polentam in saccos vinarios addi, vt vina mitigentur, idem refert 24. s. 1. Anisum quoque saccis addi monet 20. s. 72. Cum vinum in coena apponendum colo frangebatur, *εὐνεκχίζειν καὶ ἀποθηλύνειν* dixit etiam Plutarchus Sympos. VI. 7. Sed sacci et coli vsus erat etiam ad vina desaecanda et eliquenda, cum transfundebantur, vbi praecipue remedia varia addebant, quae docent Geoponica VII. c. 37. de vinis percolandis. Eiusmodi vina, quae in diffusione percolantur, *οἶνος διηθικὸς*, i. e. colatoria vocat Theophrastus C. P. VI. 24. vbi monet, vina dulcia et mollia sine odore esse, contra tenuia odoratiora esse reliquis, sed celerius quam pinguia et crassa vitiari, (*παρίστασθαι*. Geoponica *παρατρέπεσθαι* et *τρέπεσθαι* dicunt; pessime Interpres latinus *consistere et perfici.*) Vna cum odore vini fieri quandam separationem humidi terreique elementi, dum faex desidit et aquosa pars exhalat. Atque hinc apparere ait vini fragrantiam esse ex attenuatione et separatione atque exhalatione. Atque in ipso dolio, quod vinum sit infimum faecique propius, minus esse odoratum. Quam ob rem celerius etiam deprauari vina, quae percolari soleant; ita enim fieri tenuiora. Denique ex vinis tenuioribus, vetustioribusque fieri odoratiora; saporis autem gratam mollitiam, et robur nusquam cum odore iunctum reperiri. Vina quaedam coli-

na ſimiliter eſſe odorata, ſed dura et minus grata guſtu; vina omnia vetuſtate amareſcere. Vinum verti (τρέπεσθαι, παρίστασθαι) dicitur, cum in vappam tranſit; quod notandum inprimis; nam aliqua vina, priuſquam in vappam mutentur, in acetum tranſeunt, quod eſt ὀξύζειν. Cum vero vinum vertitur et mutatur in vappam, aerem, et humorem acidiuſculum eructat. Hoc dum fit, dolium concaleſcit, et opercula ſudant ſeu humeſcunt; contra ſicca ſunt opercula, vbi in acetum tranſit vinum; tunc enim aer copioſus attrahitur. Vini vertentis experimentum hoc inter alia memorant Geoponica VII. 15. ſi laminas plumbeas vel aereas in dolio ſuſpenſas corroſas repereris. Alia a flore vini ſigna habent eadem Geoponica et Plinius 14. cap. 20 et 21. ſ. 25. Florem vini fugientis et vertentis ſe ſignum habet Columella infra c. 30. et Cato XI. 2. Florem dictum putem non ſolum ideo, quod effloreſcit tenuis cuticula in ſummo vino, ſed quod etiam talia vina, mox vertenda, fiunt odoratiora ex obſeruatione Theophraſti. Faeces ſimul ſubſidunt, parſque terreſtris ab aquoſa exhalante ſeparatur. Subtilior Catius Horatianus Serm. II. 4. 51. *Maſſica ſi coelo ſupponas vina ſereno nocturna, ſi quid craſſi eſt, tenuabitur aura, et decedet odor neruis inimicus; at illa integrum perdunt lino vitiata ſaporem.* Hinc denique intelliges locum Geoponic. VI. 3. vbi in doliis magnis vina iterum efferueſcere facile aiunt et florem cum odore euomere. Eſt enim flos ille repetiti feruoris ſignum, quem fidere non ſinunt, ne putredinem creet et vinum vappidum efficiat, ſed muſto feruefcenti admiſcent iterum. Vide Sprengeri librum de Vinis emend. p. 121 et 126.

crudo] Hinc apparet, quid ſit ὠμόλινον, quod in Hippocrate de Fiſtulis Celſus VII. 4. interpretatur linum crudum.

plumbeum perforare] Sangerm. alter addit *vas*. recte, niſi plumbeum, vt ahenum dictum fuit ſine addito altero vocabulo.

5. *quod aliquando contingit*] Recte haec verba libri optimi omittunt, vt vulgo ante *vas* interpoſitum *vel*. Igitur incluſimus, ſuadente etiam Pontedera. Ceterum eadem ratione vas pertunditur, vt paulo antea perforatur, ſi quid fecis ſubſederit, et materia denſior fundo adhaerens facilius ignem fortiorem conceperit, quam ipſum muſtum recipit. Ideo ne vel muſtum vel faecis materia fundum ipſum contingere poſſit, oleo bono imbuere iubet vas. Recte haec monuit etiam Geſner.

Cap.

Cap. XX. *diligenter*] Vix diligenti patrifamilias hoc accidet; quare Sang. lectionem *indiligenter* praefero. Ceterum antiquum lemma habet: *De defruto, quod quidam Neapolitanum vocant.* quod quam vere dictum sit, ignoro.

defruto] Vinum acescens defruto corrigi affuso, deinde sulphurari et in cella profunda recondi docet Rozier cap. IX. de Vini cura.

plumbea potius] Plinius 14. c. 27. *de defruto et sapa coquendis: praeterea plumbeis vasis, non aereis, nucibusque inglandibus additis: eas enim fumum excipere.* Vasa plumbea, praecipue si aqua marina musto decoquendo addebatur, musto quidem dulcedinem aliquam conciliabant, sed cum damno sanitatis, quae ex plumbo a sale marino et musti acido elemento corroso nasci debebat, recte monente Io. Beckmann Hist. Inuentor. T. I. p. 184. Nec ignorarunt veteres, plumbum a vini acore corrodi. Plinius enim 14. cap. 20. *vini,* inquit, *in vitium inclinantis experimentum est laminae plumbeae mutatus in eo color.* Quod experimentum accuratius enarrant Geoponica VII. 15. quae laminas plumbeas, stanneas et aereas nominant.

3. *spissius fit*] Sang. alter: *fit. meliorque decoctio,* i. e. *ad mediam partem quam ad tertiam.*

cum amphoras] Pro noui capitis titulo est in Edd. primis: *de defruto, quod quidam Neapolitanum vocant.* In Sang. est: *Alia compositio ad vinum condiendum, quam quidam Neapolitanam vocant.* Ignoro Neapolitanum hoc defrutum alibi nominari. Ceterum ante *cum amph.* male Aldina posuit *nam*, quod omittit etiam Sang. In altero Sang. est *amphoris musti immiscere.*

quod significat] Verba inclusa ex glossa orta esse recte statuit Gesner, cui praeiuerat Barth Aduers. I. 14. p. 31. Ceterum Sang. *nemoturicae* teste Gronouio.

medicamina] Omissum in his scriptoribus annotabo ex Aristotelis Problem. XXI. 35. origani heminae duae in musti amphoram coniectae vinum dulce efficiunt. Causam eam putat esse philosophus, quod origanum aqueas partes et faeces exsuget, vnde austeritas existit vini. Argumento esse vina, quae aqua affusa minus fiant mollia, quemadmodum et illa, quae diutius in faecibus suis esse passi sumus. Passum etiam fieri (γλυκὺ) ex vuis insolatis diu, vt solis vapor aquam dissipet et reliquos humores concoquat. Idem igitur facere in musto origanum. Origanitem vinum obiter Cato nominat cap. 127. Medicamentorum rationes in musto et vino adhibendorum optime exposuit Gallus Rozier et nostras

Sprenger, quorum libros consulent, qui accuratius praecepta veterum intelligere et iudicare voluerint. Obiter hic quaedam vini medicamina et experimenta ex Vincentio apponam Specul. nat. VI. 89. *Vinum calidissimum in dolio potum, volensque frangere dolium, accipit exterminationem sui caloris a minima casei particula, si ponatur intra ipsum. Caseus namque porosus, intra poros suos ebullientis vini spiritum accipit, illumque ex sua frigiditate alterat, et tunc vinum ab ebullitione quiescit.* Musti experimentum, an aquam additam habeat, tale memorat ibidem: *Ouum imponimus, quod statim descendit, si aqua imposita fuerit. Quod ideo fit, quia mustum, dum purum est, duplicem calorem habet, vnum scilicet a propria complexione, alterum a loco generationis suae — et ille duplex calor facit ebullitionem in musto, quae prohibet ouum descendere. Sed aqua modica apposita calor exstinguitur et ebullitio esse desinit, ouumque descendit. Similiter in vino, in quo ouum descendit, postquam exhalauerit calor, quem a loco generationis suae accepit.* Vinum exhalatione calida sub sole positum paulatim in acetum transire monet Idem VI. c. 85.

5. *Costum*] Victorius sic correxit librorum suorum *cortum*. Praeterea *nardus gallicus* scribendum mihi videtur; etsi video librarios etiam in reliquis speciebus casum turbasse.

libram — selibram] Morgagni malebat bis *libra* et *selibra* legi. Cui opposuit Gesner cum Gronouio de P. V. I. 6. p. 28. locum Liuii XXVI. 47. *paterae aureae fuerunt ducentae septuaginta sex, libras ferme omnes ponda.* Addidit locum nostri infra cap. 28. 1. *quae sit instar pondo quincuncem.* Sed haec vitia sunt, atque emendanda, non defendenda esse mihi videntur.

cripae] H. Barbari emendationem *sertae campanicae* cum Pontedera vnice probo. Eandem in vino odorato adhibet Cato c. 107 et 113.

6. *rasis*] Harduinus putabat esse rabulanam picem, de qua Plinius 14. s. 24. *Italiae pars aliqua rabulana pice: ac resina condire musta vulgare est ei, prouinciisque finitimis.* Geoponica VII. 12. πίσσα βρυτία, τυτέστιν ἡ ἐν τοῖς πυθμέσι τῶν κεράμων εὑρισκομένη κοπεῖσα καὶ διὰ κεσκίνε τῷ οἴνῳ ἐμβληθεῖσα μονίμες τὰς οἴνες ποιεῖ. Comparat Pontedera Italicum *rasa*, quod de gummi cerasi, amygdali, pruni et similium dicitur. Equidem vocabulum vitiosum scriptum esse puto. An voluit zopissam dicere, quam ἀπορυομένην, derasam nauibus maritimis picem cum cera marino sale duratam dixit cum Dioscoride I. 98. Plinius 24. sect. 26.? Sed nunc

nunc video cap. 23. f. 1. haec tradi: *pix corticata appellatur — ea sic conficitur vt dura sit, et quanto est facta vetustior, eo melior in vsu est. nam omni lentore misso facilius in puluerem resoluitur atque cribratur.* Vnde patet, de eadem re vtrobique loqui Columellam; etsi nec alterum locum sanum praestiterim.

7. *humida vindemia*] Propter rorem, nebulas et pluvias. Eadem valet obseruatio, si ex locis palustribus mustum erit; cap. 28. f. 2. aut si quo in agro vinum acescere solet cap. 26. Solent hodieque Hispani vuis calcandis calcis vstae partem admiscere, quae nimiam aquam acoremque exsugat. Ceterum eadem remedia ex Geoponicis VII. 4. transtulit Crescentius IV. 26. et Palladius Octobri XIV. 4. Plinius 14. 19. *Africa gypso mitigat asperitatem, nec non aliquibus sui partibus calce.* Noxam sanitati inde timebant medici quidam, ex quorum sententia Plinius libro 23. 1. *marmore enim et gypso aut calce condita vina quis non etiam validius expauerit.* Cineres hodieque Galliarum quaedam prouinciae vino addunt, vt calcem Hispania, aliaeque nationes gypsum; quarum tamen rerum omnium vino immistarum noxam aut exiguam aut plane nullam esse rationibus physicis adstruere conatur Io. Becmann Hist. Inuent. T. I. p. 186 seqq. Gypsum agit eadem vi qua calx, in vinum, eiusque acorem exsugit partibus iis, quas calcarias, necdum acido suo sibi saturatas, habet. Nec enim dubitari potest, gypsum veteribus eandem materiam terream dici, quam hodie eo nomine appellamus. Vide Becmannum l. c. p. 191.

ita vt quatuor] Verba inclusa damnauit Gesner.

8. *decedet*] Ita vulgatum *decidet* cum Gesnero correxi.

Cap. XXI. *Mustum*] Pontedera addi volebat ab initio: *De defruto quod adiicitur in vinum ad vetustatem.* quod est lemma capitis in Edd. primis. Contra Lips. habet: *Quemadmodum mustum infirmi generis ad vetustatem possit perduci;* consentit Sang. praeposito tamen *Aliter.*

defrixit] Vrsinus malebat *refrixit.* Sed supra cap. 20. f. 4. *defrigescit* est. Ceterum ex Sang. Gronov annotauit *fit in vsum.*

etiam post] Sang. *et post.*

2. *eo adiicitur*] Ita ex optimis Edd. scribi voluit etiam Pontedera. Vulgo *coadiicitur*, Deinde verba *vel mensura — plenae* veluti praecedentium glossam deleri voluit; in quo me non habet sibi assentientem. Mensuram salis varia ratione indicare voluit et potuit.

strepitum edit] Plinius 31. c. 41. *In igne nec crepitat nec exsilit Tragasaeus sal neque Acanthius — Agrigentinus ignium patiens, ex aqua exsilit.* Solinus cap. 5. *Salem Agrigentinum si igni iunxeris, dissoluitur vstione: cui si liquor aquae proximauerit, crepitat veluti torreatur.* Ceterum de salis vsu in vino seu musto vide infra ad cap. 23. c. 3. Locum Plinii explicuit Becmann ad Antigonum p. 224. Ceterum deinceps Sang. *maceratum* habet.

3. *vel simile — poculi eius*] Recte haec verba suspecta habuit Gesner, velut ab interprete addita. Cochlear enim est quarta pars cyathi. Et grammatica ratio horum verborum vitium arguit. Tolerarem, si esset, *vel instar poculi eius, quae est quarta pars cyathi.* vt mensuram variauerit auctor, vt supra ligulam cumulatam salis vel mensuram semvnciae bene plenae dixit. Potuit librarius aliquis verbum *instar* interpretatus esse *simile genus.*

4. *collina vina*] Sang. omittit *vina*, teste Gronouio.

quantum altiori] Plinius 14. c. 20. *quin et marinam aquam eiusdem rei gratia ex alto peti iubent, seruarique ab aequinoctio verno, aut certe nocte, solstitio et Aquilone flante hauriri, vel si circa vindemiam hauriatur, decoqui.*

5. *reponat, et*] Palladius ex Graecis Octobri XIV. 2. gypsum et aquam marinam addit: *aquam marinam mundam de puro et quieto mari, quam anno ante compleuerint, reservari; cuius talem esse naturam, vt et salsedine vel amaritudine per hoc tempus careat et odore, et dulcis fiat aetate.*

Cap. XXII. *Picis*] Lemma antiquum: *Picis liquidae alterum medicamen, quo mustum condias.* Pontedera addendum recte censuit.

in eodem] Recte Gesner omitti voluit *in.*

Cinis autem] i. e. lixiuia cineris. Scilicet *cinis*, vt graece κονία, dicitur non solum de cinere, sed etiam de aqua superfusa cineri atque inde destillante. Saepe tamen Graeci addunt στακτήν, i. e. destillantem, vt Romani lixiuium, seu lixiuiam cineris. Quidquid praeterea destillat sua sponte, Latini lixiuum dixerunt. Ita legimus mustum et oleum lixivum, graece πρότροπον. Grammatici veteres et Varro ipse licem aiunt esse cinerem et aquam, cineri mistam atque inde destillantem; hinc elixari dici, quod cum aqua coquatur. Bene Caelius Aurel. Tardarum Pass. II. 3. destillatio aquae, cineribus liquatae, quam lixiuium vocant. Sed haec omnia copiose et egregie, hoc ipso Columellae loco addito, explicauit Cornarius ad Galenum de Compos. Medic. sec. loca p. 304.

p. 304. In Sang. *lexiuae*, *lexiuam* h. l. esse, testatur etiam Gronouius, qui indidem *spurcitiem* annotauit. Ceterum eodem fere modo Geoponica VI. 5. picem optimam parari docent: *εἰς κεραμείαν ἐμβάλλεται λεκανίδα καὶ τίθεται ἐν ἡλίῳ ἐπ' ὀλίγῳ πυρός, εἶτα ἐπιχεῖται αὐτῇ ὕδωρ θέρμον διηθέμενον διὰ σπονδῆς κληματίνης, καὶ ἀνακινεῖται ἡ πίσσα. ὅταν ἐν καταστῇ, μετὰ ὥρας δύο ἀποχεῖται, εἶτα αὖθις ἐπιχεῖται τοσοῦτον ἄλλο ὕδωρ. ἐπὶ τρισὶν ἐν ἡμέραις τρίτον ἑκάστης ἡμέρας ποιήσαντες τὸ ἐνυφιζῆσον ὑγρὸν σπόγγῳ ἀναστάσαντες χρησιμωτάτην τὴν περιλειφθεῖσαν πίσσαν ποιοῦσιν.*

2. *dum ea quae*] Ex vetere lectione Morgagni efficiebat *dum quae eo addideris*. Paulo antea ex Sang. *in solem* annotauit Gronov.

Cap. XXIII. *Pix*] Lemma antiquum adde cum Pontedera: *de pice, qua vtuntur Allobroges ad condituram vini picati.* quanquam ille *ad condituras* malebat omissis reliquis.

corticata] Plinius 14. sect. 25. *Ratio autem condiendi musta, in primo feruore, qui nouem diebus cum plurimum peragitur, aspersu picis, vt odor vino contingat, et saporis quaedam acumina. Vehementius id fieri arbitrantur, crudo flore resinae, excitarique lenitatem. E diuerso crapula compesci feritatem nimiam, frangique virus: aut vbi pigra lenitas torpent, virus addi.* Idem 16. s. 22. *Haec resina in vinum additur, farinae modo tusa, nigrior colore. Eadem resina, si cum aqua leuius decoquatur coleturque, rufo colore lentescit, ac stillatitia vocatur. Seponuntur autem ad id vitia resinae cortexque. Alia temperies ad crapulam. Namque flos crudus resinae cum multa assula tenui breuique auulsus conciditur ad cribri minuta: deinde feruenti aqua, donec coquatur, perfunditur.* vbi Harduinus florem crudum resinae interpretatur resinam ipsam, nuper derasam arbori, nec dum passam cocturam; eadem deinde percocta, crapula dicitur, qua vina condiunt eo modo, quem Plinii verbis trademus ad cap. 24. Corticem resinae Harduinus comparauit cum pice corticata Columellae. Et possumus *rasem* Columellae cap. 20. quod ipse crudae picis genus interpretatur, comparare cum Plinii *flore crudo resinae auulso* ex arbore, in qua succus destillans sole duratus est in resinam. Ceram corticeam Plinii XI. s. 24. comparare non licet; ea enim debetur Harduini coniecturae inani. Sed idem XII. s. 32. de thure: *quod in arbore haesit, ferro depectitur, ideo corticosum.* vbi Theophr. φλοιὸν ἐνίοις προσεῖναι. Igitur et hoc diuersum est. De rase, eodem cum corticata pice vide supra ad cap. 20. s. 6. Victo-

rius praeterea apposuit locum Plutarchi Symp. Quaest. V. 3. καὶ τῶν Ἰταλικῶν οἱ περὶ τὸν Πάδον οἰκοῦντες, ἐκ δὲ τῆς περὶ Βίενναν Γαλατίας ὁ πισσίτης οἶνος κατακομίζεται, διαφερόντως τιμώμενος ὑπὸ τῶν Ῥωμαίων. Plinius 23. f. 24. *resina condita vina frigidis stomachis vtilia existimantur — nouitium resinatum nulli conducit. Capitis dolorem et vertigines facit: ab hoc dicta crapula est. — Innocentius pice sola conditum. Sed et picem meminisse debemus non aliud esse quam combustae resinae fluxum. — Ad omnia haec vtilius, quod sponte naturae suae picem resipit, picatumque appellatur. Heluenaco quoque tamen nimio caput tentari conuenit.* Dioscorides, ex quo plurima transtulit Plinius, ita V. 9. οἱ δὲ πίσσαν ἢ ῥητίνην πιτυΐνην ἔχοντες. De vino perse picato Plinius 14. sect. 3. *iam inuenta perse in vino picem resipiens, Viennensem agrum nobilitans, Aruerno Sequanoque et Heluico generibus iam pridem illustrata.* Et sect. 4. *quod et in Rhaetica Allobrogicaque, quam supra picatam appellauimus, euenit, domi nobilibus, nec agnoscendis alibi.* Martialis XIII. 107. *haec de vitifera venisse picata Vienna ne dubites.* Harduinus ait vuam hodie appellari *Raisin de livre, ou de Dauphiné*, vinum ipsum *vin de violette.* Ex his locis igitur conficitur primum, vina quaedam sola resina cruda, sed comminuta, alia, pice, seu resina, cum aqua marina aut puteali percocta, condiri solita fuisse. Deinde vinum Allobrogicum fuisse et natura sua picatum, sed arte etiam ab Allobrogibus pice condiri solitam fuisse. Resina condire vinum docet Cato cap. 23. Ex Hippocrate οἶνον κωνίαν Galenus in Glossario interpretatur πισσίτην et simul vini picandi rationem docet.

quartum diem] Plinius primum musti feruorem nouem diebus cum plurimum peragi refert. Sed certa ratio temporis definiri non potest; feruor enim ille seu musti in vinum transitus pendet ab aeris cellaeque vinariae calore, operarum diligentia et autumnitatis qualitate. In ipsa Gallia ad nonum diem musti feruorem protractum obseruauit Rozier, qui condiendorum vinorum curam egregie pertractauit. *Per brumam vina defaecari vel etiam diffundi Hyginus suadet, a confecta ea septimo die, vtique si septima luna competat*, teste Plinio 18. f. 63. Diffundere vina est e lacu in amphoras et cados defundere et in cella recondere. Plinius 14. sect. 16. *Apothecas fuisse et diffundi solita vina.*

2. *quinque et quinquaginta*] Gesner suspicatur fuisse olim scriptum *duo de quinquaginta*, qui modus ipse efficit amphoram. Idem eodem modo corrigit sequens *quinque et quadraginta.*

3. *mu-*

3. *mucorem*] Geoponica VII. 12. ἅλες φρυκτοὶ ἐμβαλλόμενοι τὸν οἶνον τρέπεσθαι ἐπέχουσι, κωλύουσι δὲ καὶ πέρα τοῦ ἐόντος ζέσαι καὶ ἀφρὸν πλείονα ἐπιγίνεσθαι. Scilicet cum vinum vertitur et in vappam transit tenuis cuticula in summo vino consistit, vt in alia materia fere, quae situ corrumpitur. Hinc mucorem de vino se vertente dixit. Plinius 14. s. 24. *Graecia sale lenitatem excitat.* Cato cap. 23. salem etiam indit musto. Idem cap. 148. *vinum quod neque aceat, neque muceat.* Et sic Plinius 14. sect. 26. *Proprium autem inter liquores vino* (etiam pomorum) *mucescere aut in acetum verti, exstantque medicinae volumina.*

Cap. XXIV. Lemma addendum antiquum censet Pontedera: *De pice Nemeturica ad condituras.* Sang. *Aliter vinum condire.* deinceps idem *nemoturica.*

Liguria] Plinius 14. s. 25. post verba supra ad cap. 23. posita ita pergit: *Liguriae maxime Circumpadanisque mustis crapulae vtilitas discernitur hoc modo. Pugnacibus mustis crapulae plus inditur, lenibus, parcius. Sint qui ex vtroque condiri velint, nec non alia, quae est musti, pice et natura. Vitiumque musto quibusdam in locis iterum sponte feruere; qua calamitate deperit sapor, vappaeque accipit nomen.*

immiscebimus] Quod Morgagni volebat, ex Sangerm. dedi pro *immiscemus.*

2. *cum sederit*] Hoc dedi pro *siderit* ex libris optimis. Vrsinus *cum considerit*, Heinsius ad Virgilii Eclog. VII. 1. *cum siderit, aqua eliquabimus* malebat. Verum supra c. 22. vbi pici lixiuia simili ratione admiscetur, est: *cum requieuerit, eliquato lixiuiam.* Vnde videtur *eliquare* esse detrahere per foramen infra appositum. Similem Apuleii locum posuit Gesneri Thes. L. L. Hinc scilicet eliquari dicitur oleum; quod transferendo et ab amurca separando fit purius et liquidum.

3. *tanquam mulsum*] veluti cum mel cum vino miscetur. Ita recte vulgatam interpretatur. Gesner spreta Vrsini coniectura *massam.*

Cap. XXV. *vel marina*] Ita pro vel *muria* legi iussit ex libris optimis Pontedera. Primum enim de aqua salsa condiendo vino tradit, deinde de marina. Ex vtraque fit muria. Ceterum salem et salsam aquam iam supra cap. 21. mustis vinearum palustrium et aliis debilibus addebat, quo melius vetustatem ferrent. Nunc rationem Graecorum interpretatur, quorum vina aqua marina mista θαλάσσιμ et τῇ θαλασσ-

θαλασσωμένα, vt contra eius expertia, ſeu maris expertia, vt Horatius ait, ἄθαλαττα et ἀπαράχυτα appellantur. Generoſis vinis aquam marinam admiſceri in Chio et Leſbo inſulis negat Galenus Methodi libro XII. igitur debilibus tantum vinis miſceri ſolitam fuiſſe, hinc colligimus, quo gratiora ſapore fierent et celerem vetuſtatem acciperent quaſi coacta, hinc βλαυα etiam dicta Plinio 23. cap. 1. quem vide etiam 14. cap. 7 et 8. Vim ducendi aluum habuiſſe vina mari mixta, teſtatur cum Dioſcoride Galenus; etiam Celſus libro 3. in regii morbi cura vinum graecum ſalſam aluum reſoluere monet; atque integrum auſterum huic opponit. Ceterum Pontedera capitt huic praeponi volebat lemma antiquum: *De aqua ſalſa vel muria ad vina condienda.* quod tamen commode abeſſe poſſe videtur, quoniam de qua re agatur, ipſe Columella ſatis indicauit ab initio.

3. *tantum*] Morgagni malebat *tantam*. vulgatam inepte defendit Geſner; eodem modo vir doctus in Aldina mea h. l. correxit. Abr. Gronov. malebat *portione*.

4. *large impleto*] Geoponica VI. 12. δεῖ δὲ μήτε ἄγαν αὐτὸς ποιεῖσθαι μεστὸς μήτε πάνυ ἐνδεομένης, ἀλλ' εἰπάζειν ὅσον εἰκὸς τὸ γλεῦκος ὑποζέον αὔξησιν ποιεῖν ὥστε μὴ ὑπερχεῖσθαι. ne ſcilicet feruore ſublatum muſtum merum cum ſpuma eiiciatur.

5. *dulcius eſſe*] Geoponica VII. 19. vinum dulce fieri tradunt, ſi dolium muſto repletum ſine operculo reliqueris per dies tres; dulcius etiamnum fieri, ſi quinto demum die operculum indideris; quae vtraque ratio ſibi inuicem contraria eſſe videtur, etſi condimenti addendi ibi non fit mentio.

Cap. XXVI. *cortinam*] Ex Sang. lectione *cornam* hoc effeci. Inepte vulgo *corbem*, in quo muſtum non decoquitur. In Sang. altero eſt *vrnam*, et paulo antea Sang. *atque calcaueris*. Ceterum eodem remedio vtuntur Geoponica V. 47. ad acerbarum atque immaturarum vuarum muſtum. Pluvialem aquam ad medietatem decoquunt, huiuſque decimam partem muſto affundunt, et cum ea muſtum decoquunt ad decimam. Addunt alios ipſis vuis addere aquae tantum, vt muſti futuri ſit tertia pars, et deinde muſtum expreſſum decoquere ad tertiam. Eadem tranſtulit Creſcentius IV. 25.

Cap. XXVII. *vinum dulce*] Differt a vino paſſo, vt ex comparato cap. 39. intelligitur, quod paſſis vuis muſtum additur, atque ipſae deinde prelo exprimuntur; contra dulce fit ex vuis modo proculcatis, non expreſſis prelo. Idem docent

docent loca Geoponicorum deinceps ponenda. Graeci quo vocabulo hoc discrimen signarint, nondum reperi.

tempore calidas] malim *tepore*. Geopon. VII. 19. vbi vinum dulce parant: *εἰ βέλει γλυκὺν ποιῆσαι τὸν πατηθέντα οἶνον.* cap. 18. *τρυγήσαντες ἐπὶ βότρυν διατιθέντες ὑπὸ τὸν ἥλιον ἕως ἂν ἅπασαι ἀποσταφιδοθῶσι, μετὰ δὲ ταῦτα ἀνελόμενοι εἰς αὐτὸ τὸ κᾶυμα μετακομίζουσιν εἰς τὴν ληνὸν καὶ ἑῶσι τὸ λοιπὸν τῆς ἡμέρας καὶ τὴν νύκτα ἐπιοῦσαν ὅλην κατοῦσί τε πρὸς ὄρθρον.* quae eadem clariora leguntur VIII. 23. in vini Thasii confectione: *συντιθέντες ἐπὶ βότρυας δι' ἡμέρας ε', τῇ δὲ στ'. μέσον ἡμέρας ἀνελόμενοι αὐτὰς ἐνθέρμους — καὶ ἀνελόμενοι ἐπιτιθέαμεν εἰς τὴν ληνὸν, εἶτα παρελθούσης νυκτὸς καὶ ἡμέρας μιᾶς συμπατήσαντες ἐμβάλλομεν εἰς τὰ ἀγγεῖα.* Vnde patet, hoc genus vuas non statim meridie proculcari, sed meridiano tepore, calidas componi.

mustum lixiuium] Ita Edd. primae pro *lixiuum*. Geoponica VI. 16. mustum hoc *πρόχυμα* seu potius *πρόρυμα*, Plinius 14. c. 11. protropum vocat cum Caelio Aureliano Tard. Passion. II. 7. V. 10. Crescentius IV. 28. *presmonem* vocat ex Italico *presmone*. Ceterum vinum ex musto lixiuio ita factum cum Italorum *Vin santo* et Gallorum *Vin de paille* comparat Febroni Observ. 41. Verba *hoc est — pressum sit* ex glossa fluxisse suspicor. Satis enim verbum *proculcato* indicat, vuas non prelo, sed pedibus exprimi.

Cap. XXVIII. *pondo quinquincem*] Haec vitioso simili loco memorato supra c. 20. 5. defendere conatur Gesner.

2. *octo: gypsi*] Vulgatam distinctionem *octo gypsi:* cum Vrsino correxit Gesner. Deinceps ex Sang. addidi *serias* post *mustum erit*, *in*.

et fluat] Gesner malebat *et effluat*.

3. *liquescere*] Hoc vulgato *quiescere*, et deinceps etiam *liquidissimam* praeferebat Pontedera.

florente rosa] Faecem vini moueri florente rosa et germinante vite monent Geopon. VII. 6. vbi doctrina vini diffundendi accuratius traditur.

fecis] Ab hac enim separata vina imbecilliora et tenuiora fieri testantur Geoponica l. c.

alienum odorem] Plinius 14. c. 21. ait ea vina, quae celeriter odorem alienum ad se trahunt, non esse diuturna; nam si odor inimicus vino sit, ipsum etiam vinum corrumpi. Causam cur oleum et vinum odorem alienum tam facile attrahant et concipiant, inquirit Theophrastus C. P. VI. 28. Vinum mutabile celerius attrahere patet ex obseruatione, cum

cum conſtet, vinum, dum in acetum tranſire nititur, copioſum aerem attrahere; contra dum vappa fit, eructare aerem et humorem. Vide ſupra ad cap. 19. 4.

Cap. XXIX. *frigidae*] Scilicet frigus impedit, quo minus deferueat, vt muſti decoctio, veteribus vſitata, feruorem eius celeriorem efficit. Quare hodieque multi ſuadent decoctas vuas reliquis affundere, quo celerius muſtum defervefcat, eoque vinum melius fieri aiunt et perennius. Vide Rozier ſur la meilleure maniere de faire les vins 1772. Capite 4. Certe eadem plane tradit Cato c. 120. vbi eſt: *corticem oppicato — poſt trigeſimum diem eximito. totum annum muſtum erit.* Etiam Geoponica VI. 16. triginta dies finiunt eadem in re. Eadem habet ex Geoponicis Creſcent. IV. 28. Burgundum nominans auctorem. Plinius 14. f. 11. *medium inter dulcia vinumque eſt quod Graeci aigleucos vocant, hoc eſt, ſemper muſtum. Id euenit cura, quoniam feruere prohibetur: ſic appellant muſti in vina tranſitum. Ergo mergunt protinus e lacu in aqua cados, donec bruma tranſeat, et conſuetudo fiat algendi.*

Cap. XXX. *ne flos*] Plinius 14. f. 27. *Flos vini candibus probatur, rubens triſte ſignum eſt, ſi non is vini color ſit. — Quod celeriter florere coeperit odoremque trahere, non fore diutinum.* Colis florem vini demere iubet Cato XI. 2. Geoponica VI. 3. ὁ μόνον τὴν ὀσμὴν ἀλλὰ καὶ τὸ ἄνθος ἀποπτύει. Eadem VII. 15. ἐὰν ἐπιγένηται πορφυρίζον ἄνθος πλατὺ καὶ μαλακὸν, ἀσφαλέστερός ἐστιν ὁ οἶνος, ἐὰν δὲ γλοιώδες εἴη τὸ ἄνθος ἐκ ἀγαθόν. τὸ δὲ μελανὸν ἢ ξανθὸν ἄνθος ἐπιπολάζον τῷ οἴνῳ, ἀσθενῆ τὸν οἶνον δηλοῖ, τὸ δὲ λευκὸν, μόνιμον. τὸ δὲ συνημμένον εἰς τύπον ἀραχνίων ἄνθος ὀξίζειν εὐθὺς προσημαίνει. Ceterum de origine huius floris vide ſupra ad c. 19. 4. Heſychius: μήνιγξ — καὶ τὸ ἐφιστᾶνον τοῖς οἰνηροῖς πίθοις ἐν τῷ οἴνῳ πρὸ τῆ ἀνθεῖν. Simile genus membranae, ſed craſſius Idem λαπτὴν et λάμπην dicit, quod apud Hippocratem eſt λάπη.

2. *faecem vini boni*] Faecem vſtam latini ſcriptores *faeculam* dixere, teſtante Galeno Compoſ. Medicam ſec. loca I. cap. 8. vbi faecem Rhodiam pro faece vini Rhodii dixit. Ita faece Falerna vafer, qui miſcet Surrentina vina, columbino limum bene colligit ouo apud Horatium II. 4. 55. Idem II. 8. 9. faeculam Coam dixit. Faeculam in collyris habet Vegetius IV. 16. 1. Paulus Aegineta σφέκλην dixit. Cf. Cornarius ad laudatum Galeni locum p. 315. Faecem vini, florem

rem et colorem omnem cum vetuſtate ſubſidentem continere nouerunt veteres, ex quibus hoc memorat experimentum Plinius 21. ſ. 13. *de liliorum bulbis in fumo ſuſpenſis: deinde nudantibus ſe nodulis in faece vini nigri vel graeci menſe Martio macerantur, vt colorem percipiant atque ita in ſcrobiculis ſeruntur, heminis faecis circumfuſis. Sic fiunt purpurea lilia.* Ita etiam Geoponica XI. 20. *Faecem vini ſiccatam ignem recipere et ſine alimento per ſe flagrare cineremque eius nitri naturam habere*, tradit Plinius 14. ſ. 26. Idem 14. ſect. 24. *Nonnuſquam prioris faece vini acetoue condiunt muſtum.* quo remedio vtuntur etiam Geoponica VII. 12. 24 et 37. Faeces vini dulcis admiſcet Palladius II. 14. 5.

Cap. XXXII. *marrubii*] Plinius 14. ſect. 19. no. 4. et Dioſc. V. 58. memorant hoc vinum, quod graece πρασίτης οἶνος dicitur. Sang. in lemmate *marruuio* in textu *marruuiae* habet.

Cap. XXXIII. Plinius 20. ſ. 39. *Scillae candidiſſimae — huic aridis tunicis directis, quod reliquum e viuo eſt, conſectum* (Vinc. conſutum) *ſuſpenditur lino, modicis interuallis. Poſtea arida fruſta in cadum aceti quam aſperrimi pendentia immerguntur, ita ne vlla parte vas contingant. Hoc fit ante ſolſtitium diebus XLVIII. Gypſo deinde oblitus cadus ponitur ſub tegulis totius diei ſolem accipientibus. Poſt eum numerum dierum tollitur vas, ſcilla eximitur, acetum tranſfunditur. Hoc* etc. Palladius Iulio VI. ſub ortu Canicularium legit ſcillam, et amphorae vini librae pondus indit, poſt quadraginta dies eximit. Vnde apparet, in Plinio numeros eſſe vitiatos. Ceterum h. l. Sang. *ſcilliten coquendum et ad corpus.* vnde Abr. Gronov. malebat *ſcillite coquendum.* recte! Idem Sang. poſtea *ſecatas* pro *ſectas.*

amphoras bonas] Vulgatum *binas* damnauerat etiam Geſner. Amphora enim continet ſextarios 48. igitur non poteſt vna amphora vini ſcillitis diffundi in duas amphoras; neque medicari vult inde aliud vini genus, ſed ipſo puro ſcillite vtebantur.

Cap. XXXIV. Ex auctoritate libri Lipſ. recte haec ab antecedentibus ſeparauit Geſner; quod fieri voluit etiam Morgagni Epiſt. IV. 1. ita tamen, vt nouum caput demum a verbis *In tres amphoras* ordiretur, et capiti communem hunc inſcriberet titulum *Quemodo condias Vinum et acetum Scyllitem.*

Ad embammata] Vulgatum *decem bambatae* varie tentarunt viri docti. Beroaldus ad h. l. Turnebus Adv. XVII. 13. Mercurialis V. L. I. 14. Salmasius Exercit. Plinian. p. 235. B. Rhodius ad Scribon. Comp. 76. quorum scripta adibit, qui singulorum coniecturas cognoscere cupit. Vrsinus cum Latino Latinio apud Mercurialem emendabat *De embammate;* in eandem coniecturam delatus Morgagni nouum hinc orditur caput. Sed malui cum Salmasio ponere *Ad embammata.* quam rationem probauit etiam Gesner; etsi vel sic quaedam verba excidisse putauerim, haec fere: *Ad embammata vero sic compones.* Ceterum ad embammata seu intinctus acetum scilliticum paratum fuisse cum melle, ex Paulo Aegineta et Nicolao Myrepso docuit Morgagni; locum Plinii 30. c. 17. addidit Gesner. vbi catuli lien datur ex aceto scillitico. Simile est vitium in Plinii loco 20. sect. 53. *ideo* (menta) *embammatum mixturae familiaris. Ipsa acescere aut coire densarique lac non patitur.* vbi Vincentius habet: *ideoque in mammillarum mixtura familiares ipsae accessere, vt coire — non patiantur.* Ceterum embamma dicitur non omne genus intinctus, sed illud, quod acetum ingreditur praecipue, veluti baseos instar. Graece enim βάμμα praecipue dicitur acetum. Ita semper vtitur vocabulo Nicander poeta, vt monent etiam Scholia graeca ad Alexiph. vers. 49.

mittis] Ita vulgatum *mitis* correxit cum Vrsino, Salmasio et Morgagni Gesner.

quae fert] Vrsinus malebat: *amphoras quatuor.* Recte, puto: nam olla ferre debet musti amphoras tres et aceti congium vnum aut duos. Contra tamen Morgagni putabat, non in olla simul omnem quantitatem musti et aceti decoquendam intelligi; sed voluisse Columellam docere, satis eam esse decoctam, si in olla, exempli causa, quae ferat amphoras tres, humor ad palmum decreuerit.

ad tertias] i. e. vt tertia pars absumatur, vt antea *ad quartas.* Monuit Morgagni, qui *in ollam* dici simul annotat pro *in olla.*

desub massa] Ita etiam duo Codices Medicei, teste Morgagni. Tertius Laurentianus habet *de summo.* quod probauit Morgagni, qui tamen ipse annotauit ex Palladio XI. 21. *de sub pedibus*, et ex Floro II. 3. *de sub Alpibus.* Vrsinus malebat: *Sed mustum de bumasto, et passum ex ea fit.* Alii coniecturas multo magis improbabiles attulerunt. Gesner vulgatum tuetur, sed non interpretatur, nisi quod suspicatur, mustum intelligi medium inter lixiuum et tortiuum et com-

comparat Palladii mustum de sub pedibus raptum Octobri 21. Pontedera massam interpretatur aceruum vuarum incompositum, et mustum de sub massa ita emendat, vt legat: *sed mustum defluat massa, vt limpidum sit*, i. e. mustum sit lixivum, quod sponte destillat. Vrsini bumastum recte improbauit Pontedera; ea enim ad cibum praeferebatur. In eandem cum Vrsino coniecturam incidit Heinsius ad Virgilium I. p. 295. Vide ad cap. 38. sect. 2. In Palladii loco Pontedera *de sub pedibus mustum* interpretatur raptum de calcatoris pedibus et in loco Flori verba *Sic de sub Alpibus, id est, de sub ipsis Italiae faucibus* spuria censet.

Cap. XXXV. *glechoniten sic*] Veterem lectionem ex libris suis mutauit Victorius, quam tamen praefert Gesner, quoniam puleiatum vinum deinceps memoratur et paratur seorsim. Num quis alius scriptorem glycyrrhiziten memorauerit, ignoro.

quartas] dum quarta pars consumta sit, recte interpretatur Gesner.

rebus] Cum Commeliniana inclusit Gesner. Equidem malim *idem et reliquis quae* etc.

tussientibus] Dioscorides V. 59. vinum puleiatum commendat ad Φρῖκας χειμερινάς. ita etiam Geoponica VIII. 7. πρὸς χειμερινὰ ψύχη.

Cap. XXXVI. *Ad tormina et omnem alui proluuiem vinum roratum sic facies.* Sang. Vulgatum lemma *de musto tortiuo* ineptum est.

circumciso pede] De pede iam antea dixi; de circumcisione pedis, a regularum defectu pendente, vide Disputationem de Trapeto.

pro remedio] vini intelligo ex Catone cap. 23. cuius locum integriorem retulit Plinius 14. s. 25. hic enim maturescente iam vino mustum tortiuum addi iubet. De tortiuo vide etiam ad Varronem I. 54.

Cap. XXXVII. *Vinum simile*] Ex lemmate haec eo lubentius inserui cum Pontedera, quod alias consilium auctoris non apparet. Et simili plane ratione, sed minus curiose vinum graecum facere docet Cato cap. 24. vbi vide.

praecoquas] Hanc formam ex Isidoro XVII. 5. defendebat Gronov ad Senecam Consol. ad Marciam cap. 22. p. 57.

XLIX.] Gesner suspicabatur fuisse XLIIX. qui modus et numerus est ipsius amphorae, quam coniecturam confirmat lectio Sangermannensis.

Cap. XXXVIII. *ad tormina*] Minus operose conficit Cato cap. 125. ad eundem vsum. Alia ratione Palladius Ian. 18. Febr. 27 et 31. Cato de nigra myrto tradidit.

2. *vetere arbusto*] Vitium loci sagaciter odoratus tollere conatus est Heinsius ad Virgil. I. p. 295. *vetere bumasto* corrigens. Vulgata indicare videtur arbustum amminea vite nunquam fuisse consitum; quod falsum esse apparet ex iis, quae disputaui ad III. c. 2. Potest tamen vulgata ita explicari, vt vitis amminea ad arbustum etiam sensu translata intelligatur.

massulae] Massulas hic et cap. 48. sect. 5. non ferebat Pontedera.

4. *myrti*] silvestris, seu rusci. Vide ad Varronem I. 22. 1. notam. Hesychius: *κόρος — κάλυντρον — καὶ πλέγμα μυρσίνης πεποιημένον.*

bene olidas] Vrsinus malebat *solidas*. Sed recte opposuit Gesner locum cap. 17. s. 1.

5. *toties*] Libri optimi *totiens* habent, quam formam probant Grammatici veteres; eamque in libris scriptis Virgilii omnibus reperit Pierius.

albi generis] Plinius 15. s. 37. Postea compertum et ex alba vinum fieri album, duobus sextariis myrti tusae in vini tribus heminis maceratae expressaeque.

6. *fiscello lineo*] Ita ex Sang. scripsi. Formam *fiscello* insolitam mirabatur Barth Aduers. XXXVI. 23. Lips. libri *fiscella* praeferebat Schoettgen.

diffusum] Bruschianae *diffussum* videtur ex scriptura antiqua esse, quae *caussa*, *cassus*, *diuissiones* et similes formas probabat; de quo vide ad Varron. I. 2. sect. 11.

quo fere tempore] Hinc Nicander Alexiph. vers. 623. vbi myrti baccas siccari siccatasque et contusas in vino sumi iubet contra fungos venenatos, ait: *καρπὸν πορφυρόεντα συναλδέα χειμερίῃσι ἠελίῳ θαλφθέντα βολῇς.* vbi Scholia graeca mire turbant sensum.

7. *perterunt*] Sang. *posterunt — dum per lineum — protriuerant.*

myrtitis] Ita recte Sang. pro *myrtiae* vel *myrtei*. Succus myrti baccarum oleosus adiicitur vino. Plinius l. c. *quin imo oleo quoque inest quidam vini sapor, simulque pinguis liquor, praecipua vi ad corrigenda vina, saccis ante perfusis; rti-*

retinet quippe faeces, nec praeter purum liquorem transire patitur, datque se comitem praecipua commendatione liquato. De quo loco vide supra ad cap. 19. f. 4. vbi de vinoso oleosoque myrti succo Theophrasti locum leges.

poterit innoxium] Haec si de succo myrti baccis expresso ducuntur, tum sexus masculinus vbique restitui debebit. Sed refertur ad vinum.

Cap. XXXIX. *Passum*] Palladius Octobri 19. *Passum nunc fiet ante vindemiam, quod Africa sueuit vniuersa conficere pingue ac iucundum et quo ad conditum si vtaris mellis vice, ab inflatione te vindices. Leguntur ergo vuae passae quam plurimae et in fiscellis clausae iunco factis aliquatenus rariore contextu, virgis primo fortiter verberantur. Deinde vbi vuarum corpus vis contusionis exsoluerit, cochleae supposita sporta conprimitur. Hinc passum est quicquid effluxerit, et conditum vasculo mellis more seruatur.* vbi Vincent. habet *Passum vero nunc faciunt — consueuit — lene atque iucundum — condimentum — vendices — legantur — verberentur — concussionis — comprimuntur.* Ceterum Passum protropum memorat cum Hispanico Galenus Compos. medic. sec. loca. Dioscorides vinum dulce hoc esse monet factum ex vua, in crate aut in ipsa vite afficcata. In crate afficcatam dicit θελοπεδευθεῖσαν. Varro apud Nonium Merceri p. 551. *Passum nominabant, si in vindemia vuam diutius coctam legerent, eamque passi essent in sole aduri.* vbi male Codex Palat. teste Gebhardo Antiq. Lect. II. 19. *adimi* habet scriptum. Statius Silvar. IV. 9. *vel passum Psythiis vuis recoctum, dulci defruta vel lutosa coeno.*

acina mucida] Ita ex Sang. *micida* correxit vulgatum *arida* Heinsius Aduers. III. p. 395. In simili loco infra cap. 43. sect. 10. est *arida vel vitiosa grana.* vbi libri tres optimi *acida* habent; *mucida* similiter correxit Heinsius.

insuper cannas ponere] i. e. cannas superponere; nisi scriptura est vitiosa.

ne irrorentur] In simili genere Plinius 14. sect. 11. *vuis in sole siccatis loco clauso per dies septem, in cratibus totidem pedibus a terra alte, noctibus a rore defensis.*

combiberint vuae] Plinius 14. sect. 11. *Passum a Cretico Cilicium probatur et Africum, et in Italia finitimisque prouinciis. Fieri certum est ex vua, quam Graeci sticham vocant, nos apianam: item scirpula, diutius in vite sole adustis aut feruenti oleo. Quidam e quacunque dulci, dum praecocta alba, faciunt, siccantes sole, donec paulo amplius dimi-*

dium pondus superfit, tusasque leniter exprimunt. Deinde quantum expressere, adiiciunt vinaceis aquae puteanae, vt et secundarium passum faciant. Diligentiores eodem modo siccatis acinos eximunt, ac sine sarmentis madefactos vino excellenti, donec intumescant, premunt; et hoc genus ante cetera laudant; ac simili modo aqua addita, secundarium faciunt. Vbi vides, male legi *praecoctam albam.* Nec albam excipit Columella nec Palladius. Vinum acinaticum Veronense Cassiodori Variar. XII. 4. est passum purpureum.

prelo premere] Palladius primum fiscello iunceo inclusas verberat fortiter, deinde cochleae seu prelo subiicit. Tusas etiam antea exprimi vult Plinius; vterque ex Magone.

2. *brisam*] Ex loco Plinii vinacea interpretatur Beroaldus, qui male tamen huc trahit Persianum *brissei liber Acci* et Bacchum *brissea* apud Macrobium. Gesnero barbari quicquam latere in hoc verbo videtur, simile Gallorum *brijer.* Inepte admodum. Eadem tamen repetiit in Thesauro suo, si diis placet, linguae latinae, quem innumeris in locis ex hac nostra editione Script. R. R. emendari debere vides. Ex graeco βρύτια facta fuit *brisa.* Galenus T. VI. p. 342. edit. Charterii: τὸ γάρ τοι τῶν βρυτίων ἀπόβρεγμα τρύγα καλοῦσιν, ὅπερ αὖ πάλιν οἱ ἀττικίζοντες ὀνομάζουσι δευτερίαν. Forte igitur verior scriptura fuerit *brysa.*

deliquare] Malim, quod alias in hac re solenne est Columellae verbum, *eliquare.*

pelliculare] Galenus Comment. 4. in VI. Epidem. Hippocr. tit. X. p. 497. ed. Basil. εὑρήσεις γοῦν τὰ μὲν ὑπὸ πίττης ἢ γύψου στεγνωθέντα μονιμώτερα γινόμενα, τὰ δ' ὑπὸ μόνου δέρματος ἧττον, ὥσπερ καὶ τὰ τοῖς τυφλοῖς (an corticibus?) πωμασθέντα. καὶ διὰ τοῦτο προυποβάλλοντες ἢ τοιούτους ἢ δέρματος καταγυψοῦσί τε καὶ καταπιττοῦσι τὰ κεράμια. Versio latina τυφλοῖς reddit *cuneis;* quasi τύφοις legerit, quoniam Hesychio τύφοι σφῆνες. Forte φελλοῖς vel simile vocabulum corticis fuit olim scriptum. Idem de Antid. I. 5. p. 427. edit. Basil. doliis vini Falerni adscriptam aetatem testatur his verbis: τῶν οἴνων τῶν Φαλερίνων ἑκάστου τὴν ἡλικίαν ἀναγινώσκων ἐπιγεγραμμένην τοῖς κεραμίοις.

3. *scopionibus*] Sarmenta dicit Plinius l. c. Ceterum vulgatum *scipionibus* emendauit cum Vrsino Gesner.

inspergito] Vulgo *conspergito.* Sangerm. *inspargito* habet.

Cap. XL. *Lora*] Vide Plinium XIV. 10. Dioscor. V. 13. Geoponica VI. 13. ibique notas Niclasii. Plinius tria gene-

genera memorat, primum quidem hoc ipsum: *Decima parte aquae addita, quae musti expressa sit, et ita nocte et die madefactis vinaceis, rursusque prelo subiectis.* Atque ita etiam parat Dioscorides l. c. Vide etiam ad Varronem I. 54.

biennio] Alioquin Plinius l. c. *nulli ex his plus quam anno vsus.* Ita et Dioscorides l. c.

Cap. XLI. *mustum — facito*] Haec verba initium capitis facere, vel verum certe extrusisse putabat Gesner, qui vetus lemma: *mustum lixiuium quomodo fiat,* plane absonum esse censebat. Recte! Paulo diuersa ratione mulsum faciunt Geoponica VIII. 26. Scilicet hoc dicitur οἰνόμελι ἀπὸ γλεύκας, quod flatus ciere et stomacho incommodum esse, recte monent Geoponica. Mulsum enim fiebat ex vino et melle decocto. Plinius hoc nostrum mulsi genus ita notat XIV. s. 11. *Dulci e genere est et melittites. Distat a mulso, quod fit ex musto; cum quinque congiis austeri musti congio mellis et salis cyatho sufferuefactis austerum.* Idem 22. s. 54. *melittites quo fieret modo ex musto et melle docuimus. Saeculis iam fieri non arbitror hoc genus, inflationibus obnoxium. Solebat tamen inueteratum alui causa dari in febre.* Ita etiam Dioscorides V. 15.

nimium] Pontedera probabat *minimum* Polit. *nimirum* malebat Lindanus Select. Medic. X. 175.

tabulatum] Ita scribi voluit etiam Pontedera pro tabulato. Deinceps distinxi verba *si plus* etc. quae male continuabantur vulgo cum reliquis. Paulo antea Lindanus Select. Medic. X. 175. malebat: *quod sponte destillauerit, antequam nimirum calcetur vua.*

fumum] Ita ex emendatione Vrsini, comprobata a Lipsi. libro, dare voluit Gesner, sed operae aberrarunt. Ita scilicet inueteratur mulsum hoc, seu melittites vinum.

Cap. XLII. *Compositio*] Vulgo haec cum antecedenti capite continuata legebantur, quae tamen libri Polit. recte distingunt, teste Victorio, qui vulgatum etiam initium huius capitis: *Conditura ex cydoniis fit hoc modo* permutari iussit eo, quod ex libris Polit. posui, quodque rei aptum est, non item alterum. Victorius tamen veram lectionem διὰ ὀπώρας posuit ex libris Polit. In Sang. est *Compositio medicamenti ad tormina quod vocatur* Διλόπωρα. Similes compositiones medicamentorum ex fructibus (δι' ὀπώρας) dysentericis et coeliacis apposuit ex Andromacho Galenus de Comp. Medic. secund. loca IX. 5. vbi similiter mala punica, cotonea, sorba

cum rhoe syriaco et musto amineo ad mellis spissitudinem decoquuntur, et medicamentum in figlino reponitur.

fictili nouo] Recte Vrsinus vulgatum *figuli* emendabat: *figulino vel in stagneo;* etsi vocem *nouo* non immerito seruatam volebat Gesner. *Stagneo* est pro *stanneo*, sine dubio ex errore librarii ortum, aut aeui medii barbarie. *Fictili* ex Sang. dedi.

2. *quae sint*] Sang. *quae sit.*

3. *roris Syriaci*] i. e. seminis plantae, quae rhus Syriacus dicitur. Plinius 24. s. 54. *rhus qui erythros appellatur, semen est huius fruticis. Vim habet adstringendi refrigerandique. Adspergitur pro sale obsoniis. Aluos soluit, omnesque carnes cum silphio suauiores facit.* Ita etiam 13. s. 13. et Dioscorides I. 47. ῥοῦς ὁ ἐπὶ τὰ ὄψα, ὃν ἔνιοι ἐρυθρὸν καλοῦσι, καρπός ἐστι τῆς καλουμένης βυρσοδεψικῆς ῥοός. Eoque hodie Turcae vtuntur in ciborum condimentis, teste Sestini, Sumach, i. e. rubrum appellantes. Est rhus coriaria Linn. cuius foliis et olim coria alba conficiebant. Vide praeclare de fructu et arbore disputantem Cornarium ad Galen. de Compos. Medic. p. 449.

pallorem] Infra cap. 50. s. 16. vasa gummata alba cera suffumigantur, ne pallorem capiant. Cap. 55. semini sinapis contrito aquam nitratam suffundit, vt omnem amaritudinem eius et pallorem exsaniet. Bene comparauit Gesner in Indice locum Varronis I. 61. *ficum quanto citius promas, iucundiore vtaris, quod vetustate ficus sit pallidior, palmula cariosior, nux aridior,* praeterea addidit locum Vitruuii VI. 7. de bibliotheca: *venti intundentes humidos spiritus pallore volumina corrumpunt.* Est ergo situs, *moisissure, Schimmel.* Ideo vas alte suspenditur, ne terrae humiditate contactum situm contrahat. Plura de ea notione Gesner ad Quinctil. I. 2. sect. 18.

Cap. XLIII. *musto*] Celsus II. 30. de iis, quae aluum adstringunt: *caseus, si recens est, ex melle mulsoue decoctus.*

vase] Sang. *vaso;* deinceps: *vtaris qua volet.*

Cap. XLIV. 2. *luna decrescente*] Plinius 15. sect. 18. *E proximis auctoribus quidam altius curam petunt: deputarique statim poma ac vites ad hunc vsum praecipiunt decrescente luna, post horam diei tertiam coelo sereno ac siccis ventis. Similiter deligi et ex locis siccis et ante perfectam maturitatem, addito vt luna infra terram sit.* Geoponica IV. 15. eadem praecipiunt.

pix

pix ferueat] Geoponica l. c. ἑκάστε βότρυος κληματίδος τὴν τομὴν εἰς πίσσαν διαλυθεῖσαν πυρὶ ἐμβάπτειν.

defruti] Geoponica IV. 15. καλὸν δὲ καὶ εἰς πίθον γλεύκης κρεμνᾶν μὴ ἁπτομένης μήτε τῆ γλεύκης μήτε ἀλλήλων. διαμένεσι γὰρ οἷοι ἀπὸ τῆς ἀμπέλε ἀφηρέθησαν. Plinius 14. c. 1. *conduntur et mustio vuae, ipsaeque vino suo inebriantur.* et 15. f. 18. *alii etiam vina habentibus doliis condunt, dum ne contingant ea vuae.*

patinis] Libri optimi *patenis.* In Vegetii Mulomed. I. 56. 3. patena est pro φάτνη et ipse Vegetius alueum interpretatur; ad quem locum Graecorum auctoritatem adhibui. In Querulo Anonymi p. 33. *patenam fumosam* recte exhibet Codex Camerarii. A patera Latini *patellam* frequentarunt. In vsu humano Graeci πατάνην, iumentorum φάτνην, contracto vocabulo, adhibuerunt. In fragmento Varronis apud Nonium Merceri p. 546. *dicuntur enim patellae, salini acetabula, catini, patenae.* Iohannes Garlandius in Synonymis editis a Loeschero in Histor. poet. medii aeui p. 315. versu 74. *a pateo dicas patinas, coniunge patellas. Vas dico patinam, sed quod tegit esse patenam.* quod discrimen equidem ignoro; quanquam ibi forte *patellam* legi debet.

4. *vel abiegna*] Infra c. 44. 6. scobem populneam vel iligneam adhibet. Plinius 15. f. 18. *Sunt, qui malunt scobe ramentisue abietis populi fraxini seruare.*

flore gypsi] Plinius l. c. *quidam sic cum palmite in gypso condunt, capitibus eius scillae infixis vtrinque.*

horreo] Geoponica IV. 15. φυλάττονταί δὲ αἱ σταφυλαὶ ἐπὶ πλεῖστον χρόνον καὶ ἐν ταῖς ἀποθήκαις τῆ σίτε κρεμαννύμεναι, καὶ μάλιστα ἐὰν ὁ σῖτος ἀνακινῆται. ὁ γὰρ ἀνιστάμενος ἀπ' αὐτῆ κονιορτὸς προσιζάνων αὐταῖς πολύ τι συμβάλλεται πρὸς διαμονήν. Plinius 15. sect. 18. *sunt qui suspendi protinus in granariis iubeant, quoniam optimo sit operimento puluis pensilibus.* Rugosa ita fieri acina ait Columella, quia humoris multum exsugitur a puluere, ideoque etiam dulciora fiunt.

6. *cisternina*] Plinius 15. f. 18. *Columella auctor est in puteos cisternasue in fictilibus vasis pice diligenti cura illitis mergi. Liguria maritima Alpibus proxima vuas sole siccas iunci fasciis inuoluit cadisque conditas gypso includit.* vbi Pintianus recte emendabat: *mergi vuas Liguria maritimis Alpibus proxima sole siccatas iunci fasciis.* Nam antea Plinius de cotoneis dixerat. In aqua pluuiali decocta et vasi indita vuas seruare docet Plinius l. c. et Apicius I. 17. cum Geoponicis IV. 15. Dioscorides V. 3. et Plinius 23. c. 1.

7. *et opercula*] Sang. *et operculata*. Plinius 15. c. 18. *Alii singulis malis pirisque singula vasa fictilia assignant et opercula eorum picata dolia iterum includunt.*

qua parte] Ita recte Sang. pro *quae partes*.

8. *in eodem loco*] Plinius 15. sect. 18. *sunt qui suspendi procul malis, protinusque in granariis iubeant, quoniam optime fit operimento puluis pensilibus.*

9. *Sircitulas*] Pontedera *Sirpiculas* malebat, eandem quam Plinius *scirpulam* vocat, a canistris scirpiculis appellatam ex sententia Pontederae, vbi olim seruabatur. Ex Sangerm. *sirriculas* annotauit Gronov.

hae sereno] Vulgatum *haec* correxit Gesner et ex Sangerm. Heinsius.

sol rorem] Nescio an praeter Gesnerianam aliae etiam vitiosum *soli rorem* habeant; in Comment. est *sol in rorem*. rectum ex Sang. posuit Heinsius Adv. III. p. 395.

statim — picantur] Haec verba solus liber Sangerm. habet, vnde addidi; etsi supplementi huius non meminit Heinsius; quod miror. Idem *arida* seu *acida* Sang. mutat in *mucida*. Vide supra cap. 39. 1.

10. *resoluta intrita*] Ita scribi ex libris optimis iussit Pontedera. Vulgo sensu nullo erat: *resolutaque intrita folliculorum, in dolio.* Idem Pontedera *intercalcari* vbique mecum praeferebat vulgato *interculcari*. Ceterum paulo antea *forficibus* ex Sang. annotauit Gronov.

11. *explentque*] Ex sententia Pontederae etiam praetuli vulgato *expleturque*.

doliis exstruuntur] Vulgatam barbaram solus liber Sangerm. correxit, ex quo tamen *inculcantur* laudat Gronov. Sequens *vinacea* dedi ex primis Ed. praecessit enim eadem forma. Nunc breuiter de ipsa re videamus. Modum eundem vuarum ollarium seruandarum descripsit Galenus de Alim. Facult. Libro II. his verbis: *καὶ χύτρας καινὰς πληρῶντες ἐναποτίθενται τοῖς στεμφύλοις. καλῶ δὲ στέμφυλα τὰ στερεὰ λείψανα τῆς σταφυλῆς ἐπειδὰν ἐν τοῖς ληνοῖς ἐκθλιβῇ κᾶς ὁ χυλὸς αὐτῶν. ἃ καὶ αὐτὰ συντιθέασιν ἐν πίθοις οἱ ἄνθρωποι, σφίγγοντές τε καὶ πιλοῦντες ἰσχυρῶς ὀνομάζοντές τε τρύγα. εἰς ταύτην δὲ τὴν τρύγα τὰς καινὰς χύτρας πλήρεις τῶν σταφυλῶν ἐντιθέασι, πώμασι στεγνοῦντες ἀκριβῶς, ὡς μηδαμόθε παρα-πνεῖσθαι, καὶ καθὸ συμβάλλει γε τὸ πῶμα τῇ χύτρᾳ, πίττᾳ ἐπαναλείφουσιν, ἀπάσας τὰς διαπνοὰς ἐμφράττοντες. εἶναι δὲ χρὴ καὶ τὴν χύτραν αὐτὴν ἐξ εὐώδους τε πηλοῦ καὶ τελέως ὠπτημένου.* Breuiter Plinius 14. sect. 3. *Aliae in sua tantum continentur anima ollis fictilibus, et insuper doliis inclusae, stipatae*

tae vinaceis circumfudantibus. Has vuas σταφυλὴν τὴν ἀπὸ χύτρας ἢ ἀπὸ στεμφύλων appellat Aetius IX. 12 et 45. et Dioſcorides Libro V. αἱ ἐκ τῶν στεμφύλων καὶ ἐκ τῶν βίκων. Et infuſum Nicoſtrati ſeruatur ἐν στεμφύλοις ξηροῖς ἵνα μὴ διαπνέῃ apud Galenum de Compoſ. Medic. ſec. loca IX. 5. vbi Cornarius p. 533. haec fere omnia praeclare tradidit. Palladius Decembri 4. *epimelides — in ollis inter vuas vinaceis obruta ſeruabuntur.* Compara etiam Catonem cap. VII. 2 et 143.

vitiat] Polit. liber antiquus *vitat*, nouus *inuitat*. Lipſ. *mutet* a prima manu, quam deinde aliquis corrigere voluit. Paulo antea formam *empturus* ex Bruſch. et Aldina reſtitui.

Cap. XLVI. *Matius*] Ciceronis et Caeſaris amicum intelligit Turnebus XVII. 13. qui pro *Cetarii* malebat legi *Cellarii*. De Matio vide Lipſium ad Taciti Annal. XII. 60. et Indicem Ciceronianum. De Salgamis dixi ad X. 117. Itali hodieque *Salamoja* dicunt. Cetarii ſunt, qui piſces maiores vel ipſi capiunt, vnde cum Graecorum θυννοσκόποις comparandi, docente loco Varronis apud Nonium h. v.) vel a piſcatoribus marinis bolum emunt, (hinc *bolonae* dicti) vt ſalibus condiant piſces marinos conciſos in varias figuras, partibus corporum diſtinctis. Hinc cetariae officinae. Contra cellarii ſeruandis in cella cibis et potulentis diligentiam adhibent. Plinius 19. ſ. 62. *Apio eximunt coqui obſoniis acetum; eodem cellarii in ſaccis odorem vino grauem.* Turnebi emendationem Geſner ad h. l. probabat; contra in Theſ. L. L. monebat, Apicii etiam librum decimum inſcriptum haberi *Piſcatorem*, ſeu Ἁλιέα.

2. *in arbore intorquent*] Ita Sangerm. Vulgatum *arborem torquent* recte iam ita correxerat Geſner et multo antea Heinſius ad Ouidium T. I. p. 607. Vitium viderat etiam Vrſinus qui malebat *arbore torquent*. Palladius IV. 10. *ſi crepant poma — et ſi, dum pendent poma tenacibus, ſicut in arbore habentur, intorſeris, in totum annum ſine corruptione ſeruabis.*

3. *tripedaneae*] Plinius et Palladius in hac re bipedanea ſcrobe contenti ſunt; et noſter ſupra cap. 16. 4. ſcrobibus bipedaneis intra tectum factis ſicco loco deponit ſorba. Ex Sangerm. *ſubiecto foſſulae — aliquantulum terrae* laudat Gronov.

quoniam] Verba incluſa Geſnerus ſpuria et delenda cenſebat. Et ſane liber Sang. non ſolum haec ipſa, ſed et reliqua vſque ad illa: *eaque humo* omiſit. Plinius 15. ſ. 18.

alii decerpunt cum surculis, eosque in medullam sambuci abditos obruunt, vt supra scriptum est. Palladius IV. 10. *Item si seriola (olla* Cresc.) *sub dio obruatur, quae habeat arenas vsque ad medium, et mala cum tenacibus lecta imprimantur cannis singulis vel sambuci virgulis, et ita separata in arenis figantur, vt ipsa quatuor digitis emineant ab arena. Hoc et sub tecto in scrobe bipedanea fieri potest, et vtilius est ad servandum, si cum ramo longiore tollantur.*

4. *adiicere*] Hoc effeci ex Sang. *adicitur.* Vulgo *elicere*, quod mutari volebat Gesner in *adiicere.* Reliqui libri habent: *eiicitur.* Sed locus vel sic persanatus nondum esse videtur. Vnde enim pendet *peragere?* et ipsa varietas scripturae vitium arguit latere.

fluuialem arenam] Plinius 15. c. 18. *plerique vero in scrobe duum pedum altitudinis arena substrato et fictili operculo, dein terra operto. — alii hoc quidem in patinis fictilibus; aliqui et in scrobe subiecta arena, ita sicca operiunt mox terra.*

5. *Mago*] Plinius 15. c. 18. *Punica aqua marina fervente indurari: mox triduo sole siccata, ita ne nocturno rore contingantur, suspendi, et cum libeat vti, aqua dulci perlui.* Geoponica IV. 15. ἄλλοι εἰς θαλάσσιον ὕδωρ ζέον, μὴ ἔσης δὲ θαλάσσης, εἰς ἅλμην μιγέντος οἴνου τὰς βότρυας ἀποβρέξαντες ἀποτίθενται ἐν ἀχύροις κριθίνοις. Palladius IV. 10. 7. *lecta integra in aqua marina vel muria feruente mergantur, vt combibant, post triduum sole siccentur, vt sub dio nocte non maneant: post in loco frigido suspendantur. cum volueris vti, aqua dulci pridie macerabis. feruntur haec pomis recentibus aemulari.*

cretam resoluere] Plinius 15. c. 18. *Creta quidam etiam figlina vuas illinunt, siccatasque sole suspendunt, in vsu diluentes cretam; eandem pomis vino subigunt.* vbi olim erat: *in vino*, sed praepositionem omittunt Codices. Sed *vino* vitiosum esse videtur; nisi in Columella etiam legere malis: *creta figulari vino subacta.* Geoponica IV. 15. de vuis: ὁμοίως δὲ καὶ εἰς πηλὸν κεραμεικὸν τεταραγμένον, ὡς ἔχειν πάχος μέλιτος, ἐμβαπτόμενα καὶ κρεμώμενα φυλάττονται, εἰς δὲ τὴν χρῆσιν ἀποπλύνεται. Eadem de malis tradunt X. 21 et 28. vbi nihil de vino, luto immiscendo, legitur; itaque locus Plinii emendandus est ita, vt dixi.

6. *scobis inter se calcari*] Gesner malebat *inter ea calcari.* Equidem deleto *se* malim *intercalcari* legere, vt supra cap. 43. 10 et 11. vinacea intercalcantur. Ceterum *scobis* dedi ex Sangerm. pro vulgato *scobs.* In Edd. enim I. B. R. est

est *scobem;* in Lipſ. *ſcobes.* Ita ſupra VII. 10. 4. *ſcobis eburnea:* et IV. 29. 15. Ita variatum fuit in libris ſcriptis Columellae inter *ſcrobs* et *ſcrobis.* Ceterum paulo antea Lipſ. habet *ſcobem populneum.* In Palladio III. 17. 7. pro *eductio ſcobe* Lugd. Codex *educta* habet. Marcellus Empiricus p. 194. *ſcobes lima tenuiſſimus factus.*

Cap. XLVII. *cretam figularem*] Geoponica X. 28. τινὲς δὲ φύλλοις συγκαλύψαντες πηλῷ ἀργιλλώδει διὰ τριχῶν μεμιγμένῳ ἐπιμελῶς ἢ γῇ κεραμικῇ ταῦτα περιπλάττουσιν, εἶτα ἐν ἡλίῳ ψύξαντες ἀποτίθενται. Palladius III. 25. 25. fici foliis inuoluta cuſtodiunt. Plinius 15. ſ. 18. *Cotoneis in concluſo ſpiramentum omne adimendum, aut incoqui melle ea immergiue oportere. — Cetera mala foliis ficulneis, praeterquam cadiuis, lingula conuolui, ciſtiſque vitilibus condi, vel creta figlinarum illini.* vbi ante Harduinum legebatur: *interclusis.* Pintianus ex Codice recte emendabat *cotoneis inclusis.* Palladius III. 25. ſ. 25. *alii quae maiora ſunt fici foliis inuoluta cuſtodiunt.* Ibidem luto ex omni parte clauſa ſeruari ait, aut defruto vel paſſo incoqui. — Sang. h. l. habet *ſubicunt.*

patinas nouas] Lege *patina noua.* Palladius III. 25. 26. *alii in patina noua ſicco gypſo obruunt ſeparata cydonia.*

2. *melle*] Plinius 15. ſ. 18. *Sunt qui cotonea cera Pontica illita melle demergant.* et paulo antea: *cotonea aut incoqui melle immergiue oportere.*

3. *Inter cibum*] Ita ex libris optimis ſcripſi pro *interdum,* monente iam olim Victorio.

melomeli] μηλόμελι a malis, non μελίμηλον pomum melleum. Ita legendum docuit Turnebus Adv. XVII. 13. quem ſecutus eſt Geſner. Oleum, ex cydoniis confectum, etiam melinum vocatur.

cruda] Libri ſcripti *groſſa,* quod non improbabat Pontedera, putans, vt in ficis, ita etiam alia poma immatura dici poſſe *groſſa.* Sed groſſi dicuntur fici immaturae, non *fici groſſae.* Palladius III. 25. 26. *alii in melle ſic integra demittunt, in quo genere condiendi ſatis matura deliguntur.*

4. *ſemina eximant*] Palladius l. c. *alii canna vel ebore in quatuor partes diuiſa ſublatis omnibus quae in medio ſunt, in vaſe fictili melle obruunt.* Meloplacuntem ex Hiberia vſque Romam perlatam memorat Galenus Aliment. facult. II. 23. ex melle et carne cydoniorum contrita factum. Condita in melle cruda aluum mouere et melli multum ſuauitatis adiicere ait Plinius 23. ſ. 54. Vide etiam ad Palladium Octobri 20.

5. *Se-*

5. *Sestiana*] Victorius in libris suis reperit *Caesiana*, quam veram esse lectionem putabat. Vrsinus ex Plinio malebat *Cestiana*. Vide supra ad V. 9. *Caesiana* ex Sang. laudat etiam Gronov, sed *Caestiana* inde retulit Ernesti. Sic sectione hac extrema *contegatur* ex Sang. Ernesti, *contingantur* attulit Gronov.

sed quia] Lectionem *sed quae* probabat Pontedera, ne mala omnia a melle excluderentur. Scilicet dulcia per se mala nimiam a melle contrahunt dulcedinem et nauseosam; contra austera possunt in melle commode seruari. Dulcia vero esse videntur haec omnia esse, quae nominauit Columella.

arculae] Geoponica: *εἰς καμπτρία συντίθενται μετὰ γναφάλων καθαρῶν*, i. e. cum tomento puro. Eadem Plinius 15. sect. 18. *nec non aliqui in floccis capsisque, quas luto paleato illinunt.* Geoponica IV. 15. de vuis: *οἱ δὲ ἐν γλωσσοκόμοις περισσιομένοις ἀποτίθενται μετὰ πρίσματος ξηροῦ ἀπὸ πεύκης ἢ ἐλάτης ἢ αἰγείρου ἢ μετὰ ἀλεύρων ἀπὸ κέγχρου.* vbi legendum ex Gottorp. Codice *μετὰ ἀλύρων*.

flosculi] Quosdam *oculi* legere, monet Dalecamp ad Plinium 15. 28. improbante Bodaeo ad Theophrasti H. P. p. 58. Nostris *Botzen*, *Butzen* vocant.

pediculi deorsum] Plinius 15. sect. 18. *semper autem in pediculos collocant ea.* Albertus Vegetab. p. 445. de substantia pomi lignea a pediculi per mediam nucleorum thecam ad flores perducta docens, ait: *colligitur ad baccam quae vocatur sedes floris.*

6. *Item obseruandum*] Vulgo *Ita;* nobiscum Sangerm. Geoponica l. c. *Φυλακτέον δὲ ταῦτα μὴ ἐν τῷ οἴκῳ ἔνθα αἱ ἄμπελαι ὀπῶραι ἀπόκειντται. τῇ γὰρ αὐτῶν δριμύτητι καὶ ὀσμῇ λυμαίνεται τὰ παρακείμενα καὶ μάλιστα τὰς σταφυλάς.*

fecinum] Ab vuis *fecineis* supra III. 2. 14. Sed Codex Lips. *Setinum.* quam lectionem praeferebat Gesnerus. Tria vuarum summa genera supra fecerat, Amineas, Apianas et Nomentanas seu fecineas.

generibus supra] Ita Sang. Vulgo: *generibus, vt supra.*

scobe] Geoponica: *ἐν πρίσμασι κατορυττόμενα. ὑπὸ γὰρ τῶν περισμάτων ἀναξηραινόμενα ὠφελεῖται.*

sed acerbissima] Vrsinus malebat *sed nec acerbissima.*

Cap. XLVIII. *taleolae*] Sangerm. *taliolae.* Vt a graeco *θάλεια*, talia, ita etiam taliola.

spissamento cunilae] Quid Rhodium mouerit, vt *inulae* legendum censeret in Lexico Scribon. p. 444. nescio.

3. *si sit*] Liber Sang. omittit *si.*

Cap.

Cap. XLIX. *oliuarum conditurae*] Addidi ex I. B. R. *albarum*. De his enim totum fere caput tradit. Lemma quorundam Edd. *Samsa quemadmodum fiat* plane ineptum est ab h. l. etsi samsa proprie massa oliuarum contusarum dicitur, vt videbimus in hoc cap. et seq. Post albarum condituram sequenti capite docet nigrescentium seu variarum, tertio nigrarum maturissimarum condituram. Prima atque altera conditura est olearum albarum contusarum, quae graece θλαστα῞ et φλαστα῞ dicuntur. Vtraque conditura mustum habet additum. Talem condituram, sed paulo diuersam habet etiam Cato c. 118. Geoponica IX. 32. geminam contusarum albarum oliuarum condituram docent, quarum altera fit sale additis foeniculi ramulis; altera nucleos eximit, et caminum cum foeniculo et musto addit. Hae sunt Graecorum θλαστα῞ ἀπύρηνοι. Eadem cap. 30. musto condiunt albas non contusas, sed aqua marina per dies sex maceratas cum musto feruefaciunt, alii salem addebant. Plinius 15. sect. 1. *franguntur eaedem, herbarumque viridium sapore condiuntur.*

aqua calida] Plinius 15. s. 4. *fiunt et praecoces feruenti aqua perfusae, quamlibet immaturae.* Balnei vapori exponit eodem consilio Pallad. Nouembri cap. 22. Addit Plinius: *mirumque dulcem succum oliuas bibere et alieno sapore infici.* Ceterum pausiam nominat Columella; nam teste Plinio s. 3. *prima ab autumno pausia colligitur, vitio operae, non naturae, cui plurimum carnis, mox orchades, cui olei, post radius. Has enim ocyssime occupatas, quia sunt tenerrimae, amurca cogit decidere.*

foeniculi] Hermippus apud Athenaeum II. p. 56. πάντες ἀεὶ ἐμβάλλεσι μάραθον εἰς τὰς ἁλμάδας.

orchitam] Veram lectionem *orchadem* offerunt libri Pol. et Sangerm. Ex Sang. Heinsius ad Virgil. I. p. 289. posuit *primam quamque*, cum Ernestiana collatio *prima* praeferat. Ceterum quod in Edd. primis est *albulam*, nescio an falsum sit. Etiam Graeci λευκὰς similiter dicunt, veluti Theophrastus C. P. VI. 11. Quas Plinius 23. s. 36. albas, easdem Dioscorides I. 139. ὑποκίρρους dixit.

3. *arundine*] Ita Geoponica IX. 28. ἔντεμε αὐτὰς πέριξ καλάμῳ ὀξεῖ. sed ibi non albae condiuntur.

mellam] Talem compositionem seu condituram oliuarum, incertum an albarum, docent Geopon. IX. 28. vbi vel ἕψημα, cum citrophyllo vel mel additur, moneturque alios addere insuper semen foeniculi, cuminum aethiopicum, semen anethi et apii.

4. Po-

4. *Posias oliuas*] Nescio cur subito *posiam* maluerit dicere, quae fuit paulo antea *pausea*. Ceterum recte lemma Polit. et Lips. habet: *Oliua alba ex muria;* quod lectorem attentum meminisse iuuabit. Infra cap. 49. s. 3. recte Edd. primae pro *posia* habent *posea*. Celsus II. 24. *oleae albae ex dura muria, eaedem aceto intinctae, vel nigrae, quae in arbore bene permaturuerunt, vel quae in passo defrutoue versatae sunt.*

5. *viridi irrorant*] Libri scripti *oleumque viride irrorantur*. Malim: *oleumque viride irrorant, — contegunt.*

6. *Quidam sic*] Lemma Polit. et Lips. recte monet: *Aliter ex dulci.* Iidem libri ad sect. 7. repetunt: *De oliuis ex dulci condiendis.*

7. *alba vbi commaturuerit*] Ita recte libri scripti, etsi ex Sang. *cum in muria* — vbi *commaturuerit* laudat Gronov. Vulgatum emendabat Gesner legendo: *cum muria pausiam macerauerit.* Sed ecce tibi Palladium Nov. 22. 2. *electas olivas muria maturabis* et reliqua quae ex h. l. translata sunt.

possit] Ita recte Br. et Sang. pro *posset*. Idem paulo antea *mistis* supra scripto *mixtis*. Br. *immixtis* habet.

8. *colymbadas*] Plinius 15. s. 1. *muriae innatant colymbades.* Alii ἀλμάδας et νηκτρίδας, Caelius Aurelianus Chronic. *natantes* dixit. Graeci a κολυμβᾶν dixerunt, quod est natare. Lemma Sangerm. habet: *Aliter albae colymbades sine dulci.*

recipere possint] Vulgatum *possunt* correxi. Mecum faciunt libri, qui *possit* scriptum habent. Ceterum *qualemcumque* edidit Gesner; infra tamen sect. 9. *quantulumcunque* dedit. Mecum facit Br. et Aldina.

cum petiolo] Libri optimi tamen habent: *petiolae*. Sed nomine hoc insignem oliuam aliunde non nouimus, nec huic loco aliud nomen conuenit. Etiam Geopon. IX. 33. natatiles oliuas iubent colligi μετὰ τῆς ἐκφύσεως μεθ' ἧς πρέμαντας. Ceterum quae sequuntur ad oliuas varias pertinent. Sequenti capite nigrescentes, sed nondum permaturas capite 51. nigram maturissimam condit. Quatuor igitur oliuarum conditurae gradus facit. Ceterum de hac conditura Plinius 15. s. 4. *aliquae oleo suo sine accersita commendatione.*

9. *epityrum*] Sang. *epistrum*. Voluit *epiturum*, vt est in lemmate. Est genus oliuarum fractarum; Graeci θλασταὶς vocant. Nominat Plautus Milite Glor. I. 1. 24. quem locum enarrans Varro de L. L. *Epityrum*, inquit, *vocabulum est cibi, quo frequentius Sicilia quam Italia vtitur.* Cato 119. *Epityrum album, nigrum variumque sic facito. Ex oleis albis,*

bis, nigris variisque nucleos eiicito. Sic condito. Concidito ipsas: addito oleum, acetum, coriandrum, cuminum, foeniculum, rutam, mentam, in orculam condito, oleum supra fiet. ita vtitor. Vides, epityrum pro varietate oliuarum, album, nigrum et varium esse. Fractas seu θλαστὰς, ad quarum genus epityrum pertinet, alii etiam nucleis exemtis conficiebant, vt dicemus ad cap. 51. Oliuas phaulias ἐπιτυρίδας etiam dici docet ex Philemone Athenaeus II. vbi nuperus Interpres Gallus, *Le Feburе de Villebrune*, male cum Natali Comite legi malebat θλαστὰς seu φλαστὰς pro φαυλιάς. Athenaeus l. c. p. 56. θλαστὰς μελαίνας memorat, deinde ex Philemone ponit haec: πιτυρίδες καλοῦνται αἱ φαῦλαι ἐλαῖαι, στεμφυλίδες δὲ αἱ μέλαιναι. Καλλίμαχος δὲ ἐν τῇ Ἑκάλῃ γένη ἐλαιῶν καταλέγει γεργέριμον πιτυρίν τε. ἔλεγον δὲ τὰς ὀρυπεπεῖς ἐλαίας καὶ ἰσχάδας καὶ γεργερίμας, ὥς φησι Δίδυμος. — Ἀθηναῖοι δὲ τὰς τετριμμένας ἐλαίας στέμφυλα ἐκάλεν. Locus Callimachi integrior exstat in Fragm. no. 50. γεργέριμον πίτυρόν τε καὶ ἣν ἀπεθήκατο λευκὴν εἰν ἁλὶ νήχεσθαι φθινοπωρίδα. vnde apparet, a colymbade alba seu immatura distingui gergerimon et pityrin oliuam, veluti maturam et nigram. Hesychius ἐπίτυρα interpretatur τὰ ἐκπίεσματα, fraces et magmata oliuarum. Certum hoc esse videtur, epityrum fieri ex oliuis confractis, nucleo exemto; quae nucleum adhuc gerebant conditae στεμφυλίδες dicebantur; contra oliuae πιτυρίδες vnde dictae fuerint, et an ad epityrum adhibitae fuerint, dubitari potest.

cannis] Hoc ex Sang. pro *vannis* probauit etiam Heinsius Aduers. III. p. 396. qui simul monuit, etiam vannos seu valles esse inter opera vitilia.

11. *liquida gummi*] Vulgo erat *liquamine: tum demum et assicantur.* Sed primae Edd. cum Sang. liquida: *tum et assiccantur.* Inepte Iucundus *liquamen* intulit, quod de muria non licet interpretari, quam scilicet olim adhibebant. Vide ad Catonem c. 100. Praeterea garum plerumque audit *liquamen;* sed id hunc vsum non praestabat. Igitur latens in *liquida tum* vocabulum *gummi* vel *cumini* restitui. Liquidam enim gummim pro amurca adhibebat aetas Columellae. Vide infra Cap. 52. f. 16.

Cap. L. *quoniam*] Libri scripti *quia iam.* Sed legere malim: *quam iam inchoauimus, condituram oliuarum perficiemus.*

nigruerint] Geopon. IX. 29. in conditura per acetum mulsum legunt oliuas longas, nigerrimas et pulcerrimas cum

cum petiolis, deinde in aqua frigida mundatas ficcant in cratibus; postea in alueum missas oleo perfundunt, salisque triti choenicem oliuarum choenicibus nouem manibus admiscent, denique in vase conditis oxymel superfundunt.

2. *triginta — consudascere*] In Sang. est *quadraginta*. Et sic deinceps sect. 3 et 5. quadraginta dies ponuntur in simili re. Deinde *consudescere* libri optimi habent, quod praeferebat Vrsinus. Nunc ex optimis Edd. et Sang. malim *et superposito c. sale — contegat, quadraginta dies* etc. Lectionem Sang. non satis accurate annotauerat Ernesti.

perueniat] Ita libri scripti, vulgatum tamen *permaneat* malim mutare in *permanet*. Infra sect. 3. est: *ne quid adhaereat salis*.

3. *aliqui — vnam aceti*] Haec omittit Sang.

et eo quo condiunt] Vrsinus et Morgagni recte corrigunt *eoque condiunt iure*.

et salis vsque] Libri scripti *et similiter deinde salis. tum iterum oliuarum et similiter supra salis vsque*. vbi tamen *supra* ex Sang. Gronov. non annotauit, sed Ernesti.

melle] Sang. *mella si est copiosa*. Et supra cap. 47. 3. mellam in simili conditura adhibuit; sed supra sect. 3. iuxta defrutum nominauit etiam mel. Quare dubius haereo.

4. *anisi*] Geopon. IX. 28. semen ἀνήθου adhibent, nullibi anisi. Sed sequenti capite ipse Columella anisum aegyptiacum adhibet.

5. *massulis salis mistis*] Suspectae fuere Pontederae *massulae salis*. Igitur legi volebat: *offulis*. Sed liber Sang. habet *maxime salis micis*. vbi vitiosum puto esse *maxime*. In Pol. est *maximi;* vnde corrigo: *exemtae maximis salis micis*. Separari tantum oliuas a sale non molito, non detergi spongia iubet, et sic exemtas et separatas a maximis salis massulis in amphora condi. Vulgata inepte iterum salis masculas miscet oliuis. Nunc video Gronouium Sangerm. lectionem hanc annotasse *detergatur oliuae, sed ita, vt erunt exempta maxime salis mias*. vnde corrigo: *sed ita vt erunt, exempta maxima salis mica*.

maturam] Lemma Pol. inserit: *Oliuam Cilicensem sic condito*. Idem voluit Lips. Optime Sang. *Oliuam Cilicicensem sic condito*.

stratura] Hoc, quia intelligi potest, praetuli vulgato *statura* et lectioni librorum scriptorum, ex coniectura docti viri, Niclas ad Geoponica p. 632. Gesner tentauerat *salsura* et *strictura*. Ita Palladius Nov. 22. *stratura intercedente*, de oliuis colymbadibus. Ex Sang. *statuam* annotauit Gronov.

conchis]

conchis] Ita ex Edd. optimis legi debere pro *Concisis* vidit Pontedera. Oliuae condiendae non conciduntur, sed insecantur, aut tunduntur. Cap. 50. conchis similiter oleum depletur; vt Graeci in hoc vsu saepissime *μυάκια* adhibent; et *ἀποκογχάζειν* Dioscorides pro deplere conchis dixit.

Cap. LI. Titulus antiquus habebat: *Sinapa quomodo fiat.* Sed in Pol. et Lips. est: *sansam quemadmodum fiant.* Cap. sequenti sect. 10. *samsae* seu *sansae* dicuntur oliuae conquassatae, corticulis resolutis et emollitis; sunt igitur graece *θλασταί*. Pedem oliuarum esse samsam, idemque quod in vuis pedem vinaceorum, pessime, Harduinum scilicet secutus, affirmat Gesner; quod statim apparebit loca indicata diligenter consideranti. *Θλαστὰς ἐλαίας* conficere docent Geopon. IX. 32. fractas vocat Caelius Aurel. Chronic. 3. Ex eodem genere sunt, quas capite praecedente sect. 9. epityrum vocari dixit. Quarum aliquae exemtis nucleis condiebantur salibus tritis cum cumino et foeniculi fascículis et musto; quas *ἀποφήνας* vocabant Graeci, teste Polluce VI. 45. aliae cum nucleis condiebantur, vt narrant Geoponica l. c. Sed ibi oliuae, nondum nigrescere incipientes, sumuntur. Sed vt epityrum album, nigrum et varium conficit Cato c. 119. quod est genus oliuarum fractarum nucleis exemtis, ita fuisse videntur hae ipsae *θλασταὶ* modo ex albis, alias ex nigris aut variis factae. Nunc demum comperio, hodieque Etruscos *Sansa* et *Sansena* appellare oliuas infractas, quod vocabulum Lexicographi quidam male cum fracibus permutant, et Gallicum *marc d'olives* interpretantur. Ceterum hoc genus oliuarum conditarum genere *θλαστῶν* comprehendi videtur. Forte nomen id peculiare sibi habuit, *sinapa*, quod offerunt libri multi. Colymbades certe non sunt; eae enim integrae condiuntur, vti docent Geoponica IX. 33. quae ad condituram colymbadum postulant oliuas magnas et grandes, *τὰς ἀδράς*.

aromata non cribrata] Hunc locum cum aliis condituris, cap. 27 et 28. traditis, vt et sequentia verba: *foeni graeci vetere vino macerati et postea siccati* et reliqua, illustrabunt, quae Theophrastus in libello de Odoribus tradit de ratione oleorum variis odoribus condiendorum. *Cortex de palma* intelligitur vnguentaria, de quo Theophrast. de Odor. p. 444. *ποιεῖ δὲ τὰ κελύφη (ἀπὸ βαλάνων τῆς Αἰγυπτίας καὶ Συρίας) εὔοσμα, εἰς τὸ ἔλαιον ἐμβαλλόμενα.* Vinum vnguentis affusis et aromatibus iniectis conditum iam olim fuisse docet idem p. 443. Praeterea addit, vinum optime et

facile odores omnes recipere. Vnguenta, quorum compositio omnis et confectio velut ad odorum conseruationem comparata est, in oleo maxime condebantur, quoniam is liquor maxime diurnitatem fert, alioquin propter densitatem et pinguedinem minime odores recipiens alienos. Quare tenuissimis et minime pinguibus oleis ad vnguenta vtebantur. Oleum prius ad odores accipiendos praeparabant seu inficiebant imbecillioribus aromatibus, deinde fortioribus imbuebant. Illud ὑποστύφειν dixit Theophrastus; vnde *stymmata* duxit Plinius 13. f. 2. Stymmata autem olei pinguedinem contractam in se recipiunt, itaque naturam reliqui olei ita attenuant, vt recipiendis odoribus alienis fiat aptior. In oleo gleucino videtur mustum stymmatis vicem gerere. Quanquam Graeci olea cum inficiebant, igne in vase duplice decoquebant: ὑποστύφοντες μὲν ἐν πάντα πυρέμενα. Contra odoramenta accipiebant olea frigida, alia calefacta. Haec quidem iterum in diplomate seu duplici vase coquebantur; atque omnino minus decoquebant seu coquendo absumebant, (ποιεῖ ἐλάττω τὴν ἀπεσίαν) quam frigida; quoniam τὰ πυρέμενα προφυράτας τὰ μὲν οἴνῳ εὐώδεσι τὰ δ' ὕδατι. quae dubitari potest ad olea an ad aromata sint referenda. Versio habet: quod quae coquuntur, partim mero fragranti, partim aqua ante macerent; minus enim combibunt. (ἀναπίνει.) Sed sequentia docent, de aromatibus intelligenda haec esse. Ita enim irinum melius dicitur fieri ex iride tusa sicca et non calefacta seu cocta, (ἀπύρωτος) quam si antea macerata et cocta fuerit. Plus enim macerata remittere quam attrahere. Hinc explicanda puto verba Columellae: *foeni graeci vetere vino macerati et postea siccati atque etiam torrefacti.*

2. *intrita*] i. e. non trita, seu contusa.

Careum] Hoc restitui iussit etiam Pontedera. Reliquae lectiones aperte vitiosae sunt; etsi foenum graecum *carpum* vocari et *carphos* admonet Gesner ex Plinio 12. f. 120. Sed haec Graecorum est consuetudo.

3. *Calabrica*] Esse quam hodie *Cellina*, alii *Morella* dicunt, affirmat *Presta* Memoria su i saggi diversi di Olio p. 41. In altero libro p. 94. plura alia nomina eius ponit, velvti *uliva di Lecce*, *uliva di nardo*, *di Scorrano*, *Cafarella*, *Cascia*, *Saracena*. Hodieque haec oliua omnium maxime nigra conditur in Italia. Nigrescere incipiens velo argenteo operitur, melior oleo quam Salentina, sed minus copioso et durabili.

acerbum — aestiuum] Prius ex vua acerba nomen, posterius a tempore. Acerbum Graeci ὠμοτριβὲς, viride, ex

varia

varia oliua expressum, ὀμφάκινον appellant; sed eodem hoc nomine acerbum et viride designant, vt recte docuit Niclas ad Geoponica IX. 3. p. 572. Ceterum oleum, ex baccis variis seu albis expressum, cum mordacitate quadam esse album, monet Theophr. C. P. VI. 11. Omphacinum minus fluidum, sed reliquis leuius esse monet Presta Memoria p. XXXVII.

Cap. LII. *exiguum fluit*] Ita deinceps *satis fluit*. Theophrastus C. P. VI. 11. 4. oliuas pluuia madidas et irrigatas ait χεῖρον ῥέκειν, i. e. *minus fluere*. Hinc *fluxum meliorem olei reddit Oliua* Palladius Octobri X. 1. Fluxuram de vuis Columella III. 2. 17 et 32. dixit. *commode fluunt vites* ibidem III. 2. 20. *minus fluunt* ibidem sect. 24. vbi exempla latina posuit Pontedera. Theophrastus H. P. IV. 17. de vermiculatione olearum: καὶ ὅ γε τῆς ἐλαίας σκώληξ, ἐὰν μὲν ὑπὸ τὸ δέρμα γένηται, διαφθείρει τὸν καρπὸν, ἐὰν δὲ τὸν πυρῆνα διαφάγῃ, ὠφελεῖ. κωλύεται δὲ ὑπὸ τῷ δέρματι εἶναι ὕδατος ἀπ' ἀρκτέρου γενομένου. γίνονται δὲ καὶ ἐν τοῖς δρυπεπέσι σκώληκες, αἵπερ χείρες εἰς τὴν ῥύσιν. ὅλως δὲ καὶ δοκοῦσιν εἶναι σαπραί. διὸ καὶ γίνονται τοῖς νοτίοις, καὶ μᾶλλον ἐν τοῖς ἐφύδροις. Ex quo Plinius 17. sect. 37. no. 7. *in oliua ancipiti euentu, quando sub cute nati, fructum adimunt; augent, si in ipso nucleo fuere erodentes eum. Gigni illos prohibent pluuiae, quae fiunt post Arcturum, eaedem si austrinae fuere, generant; in drupis quoque, quae maturescentes tum sunt praecipue caducae. Id riguis magis euenit, etiamsi non cadant, fastidiendis.* vbi Gaza ῥύσιν vertit iacturam, Plinius de caducis oliuis interpretatur; vterque inepte! Nec vitium vidit Scaliger, multo minus Bodaeus. Ceterum ipsam Theophrasti observationem vanam esse, monet Bernard p. 301. Haec tamen illi veri vestigia inesse puto. Scilicet maior noxa infertur oleitati, si vermes pulpam olearum, quam si nucleum exedunt: etsi olei saporem vitiant, quando nucleus cum carnibus frangitur mola et prelo exprimitur. Carnibus tamen nucleum praeferre in cibo monet Bernard p. 302. De ipsa noxa vide notam ad Varronem I. 55. 3. Error opinionis eius, quam Theophrastus posuit, fluxit ab altera, quam posui ad Catonis c. 97. ex Plinio, scilicet oleum augeri ad exortum Arcturi, postea nucleos increscere et carnem; quae quidem esse figmenta hominum, docui ad Caton. cap. 65. Potuit etiam error ex alio fonte fluere. Scilicet muscae genus ipsam oliuam, maturitati propinquam, perforat carnemque exedit, cuius historiam enarrauit Bernard p. 305—311. Haec igitur noxa inuadere solet oliuas eo ipso tempore,

quo veteres carnem et nucleos increſcere putabant, poſtquam aliud genus vermis ipſum nucleum reapſe erodere coeperat.

2. *maturo fructu*] Incluſi *fructui*, quia *maturo* pertinet ad *oleo*. Deinceps malim *etiamſi deſcriptus eſt*; ſequitur enim *tamen*.

3. *vniuscuiuſque*] Geoponica IX. 19. de oleo viridi: *ἀφαιρεῖν δὲ χρὴ καθ' ἑκάστην ἡμέραν τοσοῦτον ὅσον ἐν τῇ ἐπιγιγνομένῃ νυκτὶ ἢ τῇ ἑξῆς κατεργάσασθαι δυνατόν.* quae repetiit Palladius Nouembri 17.

ſi labor eſt] Haec verba, tanquam ex repetitione verborum *cit laborem* orta et ſpuria, incluſit Geſner.

5. *canalem lapideum*] Ita ex libris ſcribi voluit Pontedera. Vulgo *cauum lapidem*.

ſincera] De amurca ſatis dictum eſt ad Caton. c. 97. et Varronem I. 61 et 62. decoctam agricolae ad varios vſus adhibebant, quos vide in Catonis et Varronis locis.

6. *ſolea*] Fuit, qui *ſolen* ſcribi mallet, teſte Philandro ad Vitruuium VIII. 4. ſed ſolenem aeque ignoramus.

quoniam pro] Alteram lectionem *tum pro* praeferebat etiam Pontedera. Duplex commodum molae traditur.

7. *tudicula*] Quae oliuas frangeret et tunderet, forte etiam amurcam exprimeret. Simile quid narrat Bernard p. 389. *Il y a en Provence un grand nombre d'endroits où l'on foule les eſpèces d'olives fondantes dans des cuviers immédiatement après qu'on les a cueillies, pour qu'il en ſorte la plus grande partie de l'eau qu'elles contiennent.* Geſner comparat molam manuariam, qua noſtri fabas Coffeae frangere ſolent. Meiſter tribulam eſſe monet ploſtellum poenicum Varronis; et Catonis trapetum ſimile fuiſſe cenſet tribulae planae. Vide eius ſententiam poſitam in Diſſertatione de Trapeto Catonis, libro Catonis ſubiecta; vbi ſimul monui, mihi videri eſſe eam machinam, quam Galli *battoirs* vocant.

optima molarum] Hanc ſcripturam poni iuſſit etiam Pontedera, quoniam vulgata ſenſu omni carebat. In *trapeti* tamen vitium aliquod latere videtur.

8. *cannae, tegetes*] Ita Br. nec dubito, etiam reliquas antiquas ita habere ſcriptum h. l. Male Iucundus *canneae tegetes* dedit; nam ſect. 9. eſt ſine varietate *ſubſtratis tegetibus aut cannis*.

9. *variare*] Oleum omphacinum ſeu viride conficere nunc docet Columella, de quo Geoponica IX. 19. ſic tradunt: *ὅταν ἐν τὰς ἐλαίας ἀρχομένας περκάζειν ἴδῃς, κέλευε τοῖς παισὶν ἢ τοῖς ἐργάταις συλλέγειν ἐκ τῶν δένδρων τοῖς χερσὶ, φυλατ-*

φυλαττομένης μήτι τάτων εἰς τὴν γῆν πέσῃ — ληφθείσας δὲ αὐτὰς ἐπὶ ψιάθων λύγῳ ἄπλωσον, ὥστε καὶ ἐξικμασθῆναι τὸ ἐν αὐτοῖς ὑδατῶδες καὶ ὡς ἂν μὴ τῇ ἐξ ἀλλήλων θερμότητι βλάβῃ τις γένηται. τάτε ἐν αὐτοῖς φύλλα καὶ ἀκρεμόνας ἐκλεκτέον. ταῦτα γὰρ μιγνύμενα ἐναντία γίνεται τῇ διαμονῇ τῆς ἐλαίας.

10. *prelisque subiici*] Geoponica ita pergunt: *ἔπειτα ἀφ' ἑσπέρας λαβὼν τὰς ἐλαίας ἔμπασον ἅλας καὶ τῇ μύλῃ καθαρᾷ ἔσῃ ἔμβαλε καὶ διὰ χειρὸς ἐλαφρῶς ἄληθε ἵνα μὴ οἱ πυρῆνες τῶν ἐλαιῶν συντριβῶσιν· ὁ γὰρ ἰχὼρ ὁ ἐκ τῶν πυρήνων λυμαίνεται τὸ ἔλαιον. δεῖ ἓν ἐλαφρῶς καὶ κέφως περιφέρεσθαι τὸν τροχὸν, ὡς μόνον τὴν σάρκα. καὶ τὸ δέρμα τῆς ἐλαίας θλίβεσθαι. μετὰ δὲ τὴν ἄλησιν σκάφας μικρᾶς τὸ ἀλησθὲν μετάφερε εἰς τὸν ληνὸν καὶ κύρτες ἐξ ἰτέας πεπλεγμένης ἔμβαλε. πολὺ γὰρ κάλλος ἡ ἰτέα τῷ ἐλαίῳ παρέχει· εἶτα ἐπίθες βάρος ἐλαφρὸν καὶ μὴ βίαιον.* vbi lege *καὶ εἰς κύρτες*. Ita fieri aiunt oleum *πρόρυμον*, quod VII. 12. 20. dicitur *σταχτόν*. Latini lixiuium dixere; graece enim lixiuium dicitur *σταχτὴ*, quasi sponte destillans. Diligentiores scilicet baccas oliuarum non integras, sed mola suspensa fractas demum in torcular transferebant, vt ipse Columella sect. 13. fatetur. Itaque mola fracta oliua dicitur samsa. Prelo in samsam redigit Columella oliuam, eamque deinde exprimit.

exprimatur] Malim *exsanietur*, i. e. amurca exprimatur. Eum enim sensum esse docet s. 13. Cf. supra ad cap. 47. sect. 10. et c. 55. sect. 2.

corticulis] Ex varietate Lips. libri *torculis et molis* eruebat ingenium Pontederae. Vulgata certe sensum loci et vitiis verborum et interpunctionis plane obscurauerat. Pontedera nihil interpretationis adiecit. Videamus igitur de re. Supra cap. 49. est de bacca nigra maturissima.: *deinde intrita oliua nouo fisco includitur et prelo subiicitur, vt tota nocte exprimatur. Postero die iniicitur quam mundissimis molis suspensis, ne nucleus frangatur. et cum est in sampsam redacta, tunc sal coctus tritusque manu permiscetur cum ceteris aridis condimentis.* Prelo subiici oliuam, vt sola amurca exprimatur, docet noster ipse sect. 13. Sed est alius locus c. 41. s. 10. qui plane docet, vanum fuisse Pontederae conatum. *Postero die cribratur, et nouo fisco inclusa prelo supponitur, vehementerque premitur, vt exsudet quantulumcunque habet amurcae. Patimur autem nonnunquam tota nocte et postero die pondere pressam baccam velut exsaniari, tum resolutis corticulis eximimus eam, et in singulos modios oliuae triti salis cocti singulos sextarios infundimus.* Itaque vulgata bene habet, nisi quod ex lectione Lips. *et moli* et vulgata *emolliri*

effeci *et emollitis*, quod ſenſus poſtulat. Deinde *et* ante *aut regulis* incluſi, vt ſuperuacuum.

regulis] lignis oblongis et quadratis, quibus etiam apud nos vinaceorum pedem coercent, ne cedere poſſit prelo. Ita recte Geſner. Regularum harum iterum fit mentio infra cap. 52. Etiam Graece fiſcinis inclusas oleas exprimebant trapeto. Vide ad Palladium IV. 10. 10. Igitur vbi regulis pes includebatur, fiſcinis non erat opus. Vide Diſſertationem de Prelo Catonis.

fiſcinis] Italis *gabbie* dicuntur. Salis menſuram adiecti nimiam eſſe cenſet Preſta in libro ſecundo p. 179. qui recte monet, ſalem adiici copioſiorem, quod ita oleum magis purum fieri, nec tam facile fraceſcere putabant veteres. Galli *Cabas* fiſcinas, ex iunco aut ſparto textas, vocant, de quibus Bernard p. 439.

plumbeum] Plinius 15. ſ. 6. *Saepius die capulandum: praeterea in conchas et plumbeas cortiuas: aere vitiari — et e cortinis in labra fundendum vt fraces et amurca liquentur.* Ceterum Columella non dixit, ex qua materia velit primum labrum poni, formam ſolam annotauit; deinceps tamen fictilia labra adhibet. Labra fictilia et lapidea habet ſupra cap. 15. 3.

defundat] Puto legendum *diffundat*, vt in vino, quod cum deferbuit, in vaſa ſeruandum diffunditur. Ceterum gemellar a gemino cauo nomen habuiſſe, ſuſpicatur Geſner, qui deinde in Theſ. L. L. addidit locum Auguſtini in Pſalm. 136. vbi oleum in gemellario ponitur. Eundem iam antea poſuerat Cangius in Gloſſario et gemelliones inter vaſa dictos a ſcriptoribus medii aeui comparauerat.

12. *niſi ſi vaſta*] *Si* ex Sang. addi iuſſit Heinſ. ad Ouid. T. I. p. 50. cuius locum omiſerat Geſner.

congelabitur] Oleum enim ipſum per ſe craſſeſcere, non congelaſcere frigore, monuit iam Ariſtoteles de Generat. Anim. 2. c. 2.

ne ſalſum fiat] Ariſtoteles iam olim Meteorol. 4. 6. νίτρον δὲ καὶ ἅλες — ἐλαίῳ ἐ τήκεται, vt cum M. Cagnato Obſ. Var. I. 10. admonuit Schoettgen. Columellae iudicium confirmat Preſta in altero libro p. 180. Galenus tamen I. cap. 4. de Comp. Medic. ſec. loca ἔλαιον τὸ καλόμενον ἄναλον commendat; quem locum ſuſpectum habet Cornarius p. 305. Sed etiam alibi olei inſulſi facit mentionem Galenus. Vide Cornarium p. 280.

eliquat amurcam] Geoponica IX. 19. εὐθὺς δὲ τούτοις ἀμφοτέροις μεταντληθεῖσι χρὴ προσβάλλειν ἅλας ὀλίγης καὶ νίτρου

νίτρον ξύλῳ τε ἐλαΐνῳ κινεῖν, μετὰ δὲ ταῦτα ἐᾶν ἡσυχῇ ἕως ἂν καταστῇ, καὶ εὑρήσεις τὸ μὲν ὑδατῶδες αὐτῇ ὑφιζᾶνον, τετέστι τὴν ἀμόργην, τὸ δὲ λιπαρώτατον ἄνωθεν ἐπιπολάζον. quae integriora olim transtulit Palladius Nouembri 17. *sales deinde ac nitrum iubent nouo oleo misceri, vt haec res spissitudinem eius absoluat; deinde cum amurca subsederit, oleum purum 30 diebus exactis, in vitrea vasa transferri.* vbi Vincentius habet: *nitrum rubeum* omisso *iubent.* Ex his locis satis arguitur natura amurcae aquosa, quam male cum fracibus, oleo imbutis, confudit Bernard p. 133. vbi docere conatur, amurcam ex fracibus oliuarum putrefactis olei naturam traxisse. Sed satis de amurca dixi ad Caton. c. 97. Hodie in Gallica Provincia oliuarum maturarum et macescentium sampsae admiscent scobem ligneam et fraces veteres, teste Bernard p. 388. *de mêler à la pâte quelque substance qui absorbe une partie de l'eau. On emploie alors avec succès la sciure de bois et du marc ancien d'olives.* Vide etiam p. 457. Aliud remedium indicaui antea ad sect. 7. In Sicilia oleis, in granario accumulatis, vt ibi confracescant, admiscent salem, qui amurcam exsugat, teste Sestini T. I. Epistol. p. 236. vers. germ.

13. *quidam quamuis*] Pessime post *quidam* et *diligentes* vulgo interpungunt. Laudat enim non taxat diligentiam hanc Columella, quamuis diligentes sunt diligentissimi. Vide Indicem. Scilicet etiam Geoponica IX. 19. mola antea frangunt et conquassant oliuas suspensa, postea in torcular translatam fiscinisque saligneis inditam exprimunt.

quoniam — desideratur] Gesner interpretatur: *noxius est.* Sed malim ex lectione Sang. *vt qui iam minime — desideretur*, corrigere, *vt quam minime vapor ignis desideretur.* Vide ad nostri I. 6. 13. notam.

14. *semel*] Vulgo antepositum *sed* eiici iussit etiam Pontedera. Gummitionem vasorum oleariorum explicaui ad Catonem cap. 69. vbi vide notas.

eluantur] Ex lectione Codd. malebat Gesner *eleuentur.* Male!

15. *cretam figularem*] Geoponica IX. 19. si non adsint dolia vitrea, iubent indere oleum εἰς κενὰ κεράμια βεβαμμένα ἔνδοθεν γύψῳ. Quin vinaria dolia Geopon. VII. 6. euacuata iubent abstergere σμήχειν ἅλμῃ ἢ κληματίνῃ σέφρᾳ ἢ Κιμωλίᾳ ἢ ἀργιλλώδει γῇ. et Plinius 14. s. 21. dolia iubet perfundi aqua marina aut salsa, dein cinere sarmenti abstergi vel argilla.

arescere: postea] Vulgo haec ita distinguuntur: *arescere. Postea — aqua, nonnulli.*

16. *liquida gummi perluere*] I. Fr. Gronov ad Plinium p. 787. malebat *perlinere*, quia sequitur: *crassa gummi leuerant.* (ita enim corrigi voluisse videtur vulgatum *liuerunt.*) Sed fallitur vir egregius; aliud enim verbum liquida gummis, aliud crassa desiderabat. Ceterum deinceps ex Edd. principibus et Codd. recepi *gummis* pro vulgato *gummi.* quanquam *commis* malebat ex graeco κόμμι legi Rhodius ad Scribon. p. 134. Gummi vas olearium diluit Cato cap. 69. vbi vide de scriptura vocis. Ibidem exstat *liueris*, sed Polit. liber *leueris* praefert. Supra cap. 49. s. 11. *liquidam gummin* primus restitui.

18. *cibarium*] Praeter panem etiam vinum cibarium ex Varrone posuit Nonius p. 93. Merc. *In cubiculo dormire mallem scilicet potius vinum meum cibarium quam ego dominus cubarem.* vbi Iunius emendabat: *edormire mallem scilicet potus — ego domi cubarem.* Editio Parmensis 1480. *in bucolis* habet, Mercerius *bucolico* dedit, sed rectius monuit legi debere: *vnum meum cibarium*, i. e. vnum e domesticis. Ita ibidem Varro cibarium fratrem dixit. Male igitur cibarium vinum ex Nonio retulit Gesneri Thes. L. L. Horconiam vitem vilitatis cibariae Plinius 14. 2. et cap. 3. conseminiam vnam cibariam dixit. Cibarium mellae saporem habet Columella supra XII. 11. 2.

erit, quae sic] Ex lectione Pol. et Lips. *cera quae sic* egregie Pontedera emendabat: *ceteraque sic — fuerint.* Vitium vulgatae vidit etiam Gesner, qui corrigebat: *atque sic adm.*

19. *facti*] De factu seu facto dixi ad Catonis c. 67. 1. Idem cap. 64. *nolito credere, oleum in tabulato posse crescere.* Quem locum olim integriorem legit Columella. Hodieque agricolae Neapolitani alio modo peccant, oleam pendentem in arbore diutius olei vindemiam augere, vsi proverbio: *l'uliva quanto piu pende, tanto piu rende*, narrante auctore libri: *Riflessioni sulla pubblica felicità relativamente al regno di Napoli.* 1787.

requieta] Ex lectione librorum Pontedera malebat: *plus esse quietae quam recentis baccae reddere.* quae lectio mihi languere videtur prae mea. Nec *quieta* recte dicitur bacca, quae reposita diu iacuit, sed *requieta.* Ex lectione Sang. *sequietae quam recentis bacae.* Heinsius Aduers. III. p. 458. corrigebat: *videntur plus semiuietae quam recentes bacae reddere.* quod placet.

20. *quic-*

20. *quicquam*] Pontedera malebat: *nec sic quidem.* Idem inclusa verba vt spuria deleri volebat. Interim separata inclusi.

21. *aquae calidae*] Hodie Genuenses primum et secundum factum olei conficiunt, vt veteres; et haec duo genera olei *sopraffino* et *mezzo fino* vocant; tertium *ordinario* vocant, quartum nomine caret. Sed haec duo posteriora genera ita parant cum aqua calida, vti docet *Grimaldi Saggio di economia campestre per la Calabria:* Della terza macinatura e pressura ne ricavano l'olio ordinario, ed a tal fine lasciano prima per alcuni giorni risealdare e fermentare le sanse, e poi le pressurano cernendo a forza di aqua bollente di estrarne la maggior quantità di olio possibile — che si vende per sapone o per li lumi o per uso della bassa gente. Dopo queste tre operazioni quelle sanse — se ne ricava un olio grasso, che serve solamente per fare il sapone; le sanse lavate si riducono a puro legno, e sono di miglior uso per bruciarsi. Fraces ad alios vsus Romani adhibuerunt. Sed vide tibi Plinium 15. f. 6. *Postea inuentum, vt lauarentur vtique feruenti aqua: protinus prelo subiicerentur solidae; ita enim amurca exprimitur: mox trapetis premerentur iterum.* Qui locus haud scio an ex hoc nostro translatus et vitiosus sit; nisi post Columellae aetatem aquae calidae vsus in exprimendo oleo viridi etiam et communi inualuit; quem omnino improbat, eoque oleum aduri *(fa l'olio scottato)* censet Presta Memoria intorno p. LIV. Ceterum hic locus Columellae et Plinii fugiebat Italum *Presta* l. c. qui dubium esse censebat, aquae calidae vsus antiquis notus fuerit an ignotus. Fraces seu samsam expressam Galli vocant *le Grignon*, et *marc d'olives*, et ligni instar comburunt, teste Bernard p. 450. Cinere lixiuio inde parato linteamenta purgant; alibi porcos pascunt fracibus. Ibid. p. 469.

22. *probum et cibarium*] Recte hanc lectionem probauit Vrsinus, male improbauit Pontedera. Cibarium enim, vt vltimum est deterrimum, et probo opponitur. Male Edd. aliae *improbum* habent, quasi de eodem cibario oleo esset dictum.

Cap. LIII. *gleucini*] A musto, quod graece est γλεῦκος. Plinius 15. f. 7. *gleucino mustum incoquitur vapore lento: ab aliis sine igne circumdatis vinaceis diebus XXII. bis singulis permixtum, consumiturque mustum oleo. Aliqui non sampsuchum tantum admiscent, sed etiam pretiosiora odoramenta.* Ita et Dioscorides I. 67.

musti partem] In Lipſ. eſt: *prelo miſci.* Ex Sangerm. *muſti prede* annotauit Gronov. Quid in vitio ſcripturae lateat, indagare nondum potui. Vulgatum *partem* vitioſum certe etiam eſt. nam non in partem olei et muſti demittuntur ſpecies, ſed in maſſam vniuerſam. *Miſturam* ſeu *commixtionem* deſiderat ſententia.

3. *exacuerit — potandum*] Ita recte Lipſ. pro *exhauſeris — potatum*, monente etiam Pontedera. Ita ſupra cap. 17. 1. cum *ficus exacuit. Potandum* etiam Sang.

Cap. LIV. *Oleum ad vnguentum*] Plato Timaeo p. 346. ed. Bipont. καθάπερ περὶ τὰ ἀλείμματα ὁπόσα εὐώδη τέχνῃ μηχανῶνται, πρῶτον τοῦτ' αὐτὸ ὑπάρχον ποιοῦσι, ὅτι μάλιστα εὐώδη τὰ δεξόμενα ὑγρὰ τὰς ὀσμάς. Ita Cod. Tubing. locum vulgo manoum ſupplet; vbi tamen alterum εὐώδη vitioſum eſt. Ficinus rectius ἄνοσμα legit. Ita Lucretius II. 846. *Sicut amaracini blandum ſtactaeque liquorem et nardi florum — cum facere inſtituas, cumprimis quaerere par eſt, quoad licet ac potis eſt, reperire inolentis olui naturam, nullam quae mittat naribus auram, quam minime vt poſſit miſtos in corpore odores concoctoſque ſuo contactos perdere viro.* Theophraſtus de Odoribus acerbum phauliarum oliuarum praefert ad vnguentum: δοκεῖ γὰρ ἀλιπέστατον ἔχειν καὶ λεπτότατον. Idem C. P. VI. 11. phauliam carne multa, nucleo parvo olei pauci eſſe ait. Oleaſtrum deputatum phaulias ferre ex Theophraſto H. P. II. 3. retulit Plinius, de quo loco vide ad Columell. V. 9. 1. Idem 15. ſ. 4. *omnino in vita error eſt publicus tumore oliuae creſcere oleum exiſtimantium; praeſertim cum magnitudine olei copiam non conſtare indicio ſint, quae regiae vocantur, ab aliis maiorinae; ab aliis phauliae, grandiſſimae ſucco minimo.* vbi Vincentius omittit *maioranas* et pro *phauliae* habet *Bambiae.* In Columella pro *regia* Sang. *Sergiam* nominat, annotante Gronouio, quam lectionem nec improbare nec recipere auſim in tanta oliuarum hiſtoriae obſcuritate. Dubitari enim poteſt, quid inprimis ſecuti ſint vnguentarii in oliuis ad vnguenta eligendis, copiam olei an tenuitatem; de qua quidem poſteriore qualitate teſtatur Theophraſtus; ſed de regia non magis quam de Sergia conſtat, quale oleum fuderit.

2. *nouo fiſco*] Recte Gronouius emendauit *nouos fiſcos.* Regulas eaſdem forte intelligit illuſtris Marchio Grimaldi *Memoria ſull' antico Frantojo* p. 30. vbi fiſcinas ſibi impoſitas ſub prelo aequari narrat ligno tranſuerſo: *ed affinchè queſte*

queste stassero in un perfetto livello, le uguaglia con un legno a traverso, che si chiama il giudice.

cum sic fluxerit] Edd. primae *quomodo sic fl.* In Pol. est *deinde curo sic fl.* Puto latere *quodcunque sic fluxerit.*

separet] Quod Vrsinus voluit reponi, ex Lips. dedit Gesner.

quousque] Ita h. l. correxi cum Vrsino, sententia postulante.

Cap. LV. *abunde est*] Ita recte libri pro *abunde diximus.* Ita V. 3. *abunde sit dixisse.* Assentientem habeo Pontederam. Deinceps lemma Lips. et Sang. libri addidi. Male tamen Lips. *succidia.* A sue caedenda fit *sucidia.* quanquam in Varrone scripturam vulgarem libri seruant.

caro siccior] Haec ratione probabili non sunt destituta. Contra laniones nostri cibo pridie abstinent pecora mactanda, sed potum farina admista tepidum vtique permittunt sanguinis causa, vt copia sit tanto maior, vt monet Niclas ad Geoponica p. 1231. Veterem morem pecora, praecipue sues pingues faciendi tradit Aristoteles H. A. VIII. 6. Scilicet ad salsuram caro melior quo siccior; nec laniones salsunam, sed carnis pondus curant.

vitiosam] Ex lectione librorum *incynosam* Pontedera efficiebat *tineosam* aut *sinuosam,* quia caro salsa circa ossa vermes gignere soleat; ideo in eas partes, quibus ossa relicta sunt, largum salem infarciri. Abr. Gronov. *vnguinosam* coniecerat. Ceterum de salsura carnium eadem fere Didymus in Geoponicis XIX. cap. 9. *τοῖς ζώοις τοῖς ταριχεύεσθαι μέλλουσιν πρὸ μιᾶς ἡμέρας ποτὸν ἐ δοτέον. δεῖ δὲ ταριχεύοντας τὰ ὀστᾶ ἐξαιρεῖν τῶν κρεῶν. ἅλες δὲ Φρυκτοὶ πρὸς ταριχείαν μᾶλλόν εἰσιν ἐπιτήδειοι.* Vasa olearia aut acetaria praeferunt. Carnes caprarum ouium ceruorumque saliri iubent ita, vt postquam sale fuerint conspersae, exsanientur et detergeantur, rursusque sale conspergantur et cum vinaceis componantur, affuso etiam musto. Alio modo Cato cap. 162. cavet, ne pernam *nec tinea nec vermes tangant.*

2. *tergoribus*] Cato monet *vt cutis deorsum spectet;* sed h. l. tergora suis a frustis distinguuntur, vt alibi.

desieris eius] Vrsinus probabiliter emendabat *eousque.*

3. *elui*] Ita Sang. pro *perlui.* etsi alterum verbum supra est cap. 20. s. 3.

luna decrescente] Quam tamen in perna salienda non nominat Cato. Sed Plinius 28. s. 81. *nullas carnes teredinem sentire luna decrescente induratas sale.*

4. *quae*

4. *quae talis est*] Haec vt superflua cum optimis libris omittenda censeo; igitur inclusi. Sed ex Sang. annotauit Gronouius horum in vicem adesse vocabulum *velut*.

prohibitae] Ita recte libri. Vulgo *prohibiti*. Sed genus femineum ratio et natura postulat. Mares dicuntur verres, castrati vero maiales. Libri etiam scripti rectiorem scripturam habent.

coctus — infractus] Vulgatum *coctum — infractum* hoc vno in loco tolerare non erat fas. In Vegetio possis talia aeui vitia excusare.

offulae] Hae fuerunt, vt credo, *offulae Puteolanae*, quas vetus lemma Catonis cap. 162. memorat, quae tamen hodie in eo loco, vbi pernarum salsura traditur, non apparent.

conseruatur] Ex Sang. *consummatur* annotauit etiam Gronov. Si sequaris Edd. primas, legendum erit: *tanquam salsamentum in muria sua permanet, dum consumatur*.

Cap. LVI. *Rapa quam*] Lemma antiquum capiti praeposui auctore Pontedera. Raporum condituras varias docet Nicander in Georgicis apud Athenaeum III. p. 133. cuius versus vitiosissimos partim emendatiores ponam. Γογγυλίδος δισσὴ γὰρ ἰδὲ ῥαφάνοιο γενέθλη, μακρή τε στιφρή τε φαείνεται ἐν πρασιῇσι. Καὶ τὰς μὲν καύκωσον ἀποπλύνας βορέῃσι, προσφιλέας χειμῶνι καὶ οἰκήροισιν ἀεργοῖς. Θερμοῖς δ' ἰκμανθεῖσαι ἀναζώεις, ὑδάτεσσι. Longa nempe rapa seu napos iubet exsiccatos vento borea et purgatos in vsum hiemalem domesticorum reponere. Vulgo erat ἀποβλήνας. Verbum καύκωσον, nisi sit vitiosum, est ab eadem origine, qua καγκαίνω et καυαλέος. Sequitur: Τμῆγε δὲ γογγυλίδος ῥίζας καὶ ἀκαρφέα φλοιὸν ἧκα καθηράμενος λεπτεργέας, ἠελίῳ τε (vulgo δὲ) αὐήνας ἐπὶ τυτθὸν ὁτὲ ζεστῷ ἀποβάπτων (vulgo ὅτ' ἐν) ὕδατι δριμυτάτῃ (vulgo ἱδρυμένῃ) πολέας ἐμβάπτισον ἅλμῃ. Has igitur ablato cortice purgatas incisasque et in sole siccatas deinde aqua feruenti madefactas muria condit. Ἄλλοτε δ' αὖ λευκὸν γλεῦκος συστάμνισον ὄξει ἶσον ἴσῳ. τὰς δ' ἐντὸς ἐπιστύψας ἁλὶ κρύψαις. Has sale conspersas in pari musti acetique portione demergit. Πολλάκι δ' ἀσταφίσιν (vulgo ἀσταφίδος) προχέας τριπτῇρι λεήναις σπέρματα ἐνδάκνοντα σινήπυος. εἷν ἑνὶ δὲ τρυξ ὄξεος ἰκμάζεσα καὶ ὠμοτέρην ἐπὶ κόρσην. Ὥριον ἁλμαίην ἄρυσαι κεχρῆσι δαιτός. Postremam rationem ita interpretor: vuae passae adde semina sinapis contrita cum aceto. Sed verba postrema sana praestare non ausim: ἁλμαίην vocat, vt Hesychius: ἁλμάδες — οἱ ἐκ σινάπιος γογγυλίδες.

λίδες. Simillimam naporum condituram quadragesimalem docet operose Crescent. VI. Capite de Rapa. Ceterum miror raphanorum seu radicum condituram omissam a Columella. Radicum seu ῥαφάνε duplex genus longum et rotundum memorauit Nicander in loco supra posito. Thasias ἀπλύτες radices, quas λειοθασίας Theophrasti esse puto, memorat Athenaeus II. 56. condituram obiter memorat Theophrastus H. P. IX. 13. ὅταν ἑψηθῇ κατατμηθεῖσα ὥσπερ ῥαφανὶς ἐνειρομένη ἐφ' ὁλοσχοίνε. vbi male ἐνειλομένη legitur. Idem IX. 10. τέμνεσι δὲ τροχίσκες ὥσπερ ῥαφανίδος. ἐνείραντες δὲ ἐν γλεύκει ἐκρέμασαν ὑπὲρ καπνῦ, de radice mandragorae. vbi inepte Bodaeus ἐνειλήσαντες corrigebat. Plinius 26. c. 11. locum male sic vertit: *secatur haec in asses, vt cucumis primumque super mustum suspenditur, mox in fumo.* Alter locus 25. c. 13. de eadem radice: *concisa quoque in orbiculos seruatur in vino* ductus est ex Dioscoride: ὁ φλοιὸς τῆς ῥίζης περιαιρεθεὶς καὶ διαβληθεὶς λίνῳ κρεμᾶται εἰς ἀπόθεσιν.

pluſculo adſperſa] Sang. *inſperſa.*

2. *neque ſpiſſe*] Sang. *neque non ſpiſſe.*

3. *ſinapi et aceto*] Malim *ſinapi ex aceto.* Sinapi ita temperat ad rapa condienda caput sequens. Etiam Palladius Decembri 5. *nunc rapa in partes minutas recisa* (recte Polit. *incisa*) *et leuiter cocta et tota die diligentius exsiccata, ne quid humoris reseruent, et sinapi ex aceto, sicut moris est, temperato, mergere et condire curabimus, et repleta vasa claudemus ac post aliquantos dies gustibus explorata proferemus vsuri.* (in vsum Vincent.) Ceterum Polit. et Lips. *senapi* habent. Contra XI. 3. 29. *Sinape* est in libris. In Petronio cap. 66. editum legitur *senape*, vbi Heinsius memorat, in Codice Columellae Sangerm. esse modo *sinape*, modo *senapi* scriptum; atque ita etiam in Apicio passim libri *sinape* scriptum exhibent.

caulem agant et cymam] Ex Sang. *caulem et cymam faciant* annotauit Gronov.

Cap. LVII. *Semen ſinapis*] Alio modo semen cum melle, oleo et aceto condire docet Palladius Iulio 9. Lemma antiquum: *Sinapim quemadmodum facias* cum Pontedera addendum censeo.

ſcarificata] Varie perforandam intritam, vt vaporem aquae nitratae concipere et exsudare humorem palloremque possit, interpretatur Gesner. Verbum equidem vitiosum puto esse.

intritam] Bene Sang. alter *trituram* habet.

exſa-

exsaniet] Malim *exsanies*. Ita enim et paulo post et vbique actiua forma ponitur. Deinceps *erigito* mutari volebat Vrsinus in *emergito* aut *euerrito*. Contra Gesner monet, intelligi lapidem planum, qui si erigatur, humorem defluere; de quo vide eius Indicem. Ex Sang. altero *exaniat* annotauit Gronov.

rapa condienda] Plinius 19. sect. 34. de rapis: *durantque ad alia sinapis acrimonia domita. — neque aliud in cibis tingi dicet.* Rapa sinapi condire docet etiam Nicander in Georgicis apud Athenaeum XIV. p. 133. Apicius II. 24. *vt rapae diu seruentur. Sinapi tempera melle, aceto, sale, et super compositas rapas infundes.*

2. *exsaniaueris*] Vrsinus legebat: *exinaniueris*. Scilicet vulgatum *exaniueris* primus correxit Morgagni, eumque secutus Gesnerus.

amygdalam] Ita scripsi, vt capitis vltimi sect. 3. scriptum exstat. Vulgo *amygdalum*. Libri optimi *amylum* habent, quod tamen non probo.

Cap. LVIII. Lemma antiquum: *Oleris atri et Siseris radicem quemadmodum condias* cum Pontedera addendum censeo.

2. *fuerit bene trita*] Malim *fuerint*. In fine capitis male Gesnerus reliquerat *oxymelli*.

3. *siseris*] Plinius 19. sect. 38. *Siser et ipsum Tiberius princeps nobilitauit flagitans omnibus annis e Germania — frigidis locis conuenire. Inest longitudine neruus qui decoctis extrahitur, amaritudinis tamen parte magna relicta, quae mulso in cibis temperata etiam in gratiam vertitur. Siseris satus mensibus Februario, Martio, Aprili, Augusto, Septembri, Octobri.* Dioscorides II. 139. σίσαρον dixit. Putant esse Linnaei Sium sisarum, Gallorum *Chervi*. Charisius Grammaticus I. c. 17. *Hoc siler, τὸ κύκειρον, hoc siser, ἄγριον σέλινον.* Male!

Cap. LIX. Lemma edit. Rheg. habet: *Moretum oxyporum, vel vt alii oxygarum quemadmodum componas.* Sed peius alii libri *Mirtetum quemadmodum facias. Oxyporum quemadmodum componas.* De moreti compositione vide Interpretes ad Moretum, Virgilio adscriptum. Lemma ipsum huic capiti necessario praeponendum censuit Pontedera.

si id non erit] Ex Sang. *id* addidi, ex eodem deinceps *caseum recens* forma Catoniana et Plautina idem annotauit Gronouius.

2. in-

2. *interito*] Ita plane Sang. vt voluit legi Gesner pro *inserito*. Deinceps lego *superfundito*.

3. *gallicum*] Plinius 11. s. 97. Galliarum casei sapor medicamenti vim obtinet.

aeque supra] Recte Gesner emendabat: *eaque supra*.

Ligustici vnciam] Deesse verbum *sume* aut simile, monuit Gesner.

4. *Oxyporii*] Ita bis libri optimi scriptum habent. Gesner condimentum ex aceto interpretatur, et comparare iubet Apicium I. 32. III. 18. Sed ibi in titulo capitis 32. libri primi nil variant libri, sed in fine pro *oxyporo* Codex Vaticanus *oxygaro* habet: idem vero altero loco *oxyporio* habet. Plinius 20. sect. 96. *hippomarathrum — condimentis prope omnibus inseritur, oxyporis etiam aptissime.* Idem ibid. s. 26. de lactucis: *Stomachi dissoluti vtilissime adiuuantur; in eo vsu et oxypori obolis asperitatem addito dulci ad intinctum aceti temperantes.* Ita enim Harduinus edidit; eumque secutus Brotier. Sed ex libris antiquis scribendum *stomachos dissolutos — adiuuant; in eo vsu et oxyporo oleris asperitatem addito dulci ad intinctum aceto temperant.* Ad stomachum marcescentem et acescentem formulas pluras scriptas posuit Marcellus Empiricus p. 142. 144. 145 et 146. vbi *oxyporium* scriptum exstat; atque inde cognoscimus quasdam formulas mel et acetum ingredi, alias vtroque carere, itaque vix videtur oxyporum ab aceto dictum fuisse Statius Siluar. IV. 9. 36. *non sal, oxyporumue caseusue.* Igitur vulgatae lectionis forma satis defenditur his exemplis.

5. *Syriacum laser habueris*] Ita plane scriptum habet Sang. In vulgata *cum laser non habueris — mellis adiicies* Morgagni viderat vitium, Gesnerus emendandum putauit omisso *cum*. Laser Syriacum habet Vegetius III. 15. 12. Scilicet silphium Latini dixerunt *laser*; silphii Cyrenaici succum seu opon Cyrenaicum, contra laseris Syriaci succum seu opon Syriacum seu medicum a Cyrenaico secundum bonitate, vti docet Cornarius ad Galen. de Compos. medic. p. 449 et 353.

6. *canis natura dedit*] Edd. primae *canis naturam cunctarum*. Ex Sang. Gronouius annotauit *nec tamen naturam dedit cunctarum*. Aliter lectionem Sang. retulit Ernesti: hic enim omitti *dedit*, ille *canis* omitti annotauit. Abr. Gronov. coniiciebat: *cunctis* vel *catis natura dedit*. Forte fuit: *Nec hominis capit natura cunctarum rerum prudentiam.*

COM-

COMMENTARIVS
AD LIBRVM COLVMELLAE
DE
ARBORIBVS.

Primus in Editione Aldina Iucundus hunc postremum locum libro de Arboribus assignauit propter multos grauesque rationes, cum antea tertius ordine legeretur, ceterique deinceps ab eo numerarentur ita, vt, qui nunc tertius est, quartus esset, duodecimus autem agmen clauderet. Contra ipse Columella in libris, ad P. Siluinum scriptis, vbi praecedentem aliquam tractationem memorat, ita eam significat, vt appareat, eum eodem ordine duodecim libros de re rustica publicasse, quo nunc editi post Iucundum leguntur. Hunc igitur ad Eprium Marcellum, vt paulo post videbimus, scriptum de Arboribus librum superesse ex gemino volumine, quo terrae stirpiumque cultum explicauerat antea Columella, primus Pontedera animaduertit ex initio huius ipsius libri: *Quoniam de cultu agrorum abunde primo volumine praecepisse videmur.* Prior de agrorum cultu periit neglectus sine dubio ab ipso etiam scriptore, postquam idem argumentum oratione et cultiore et cura maiore prosecutus esset. Columellae esse hunc librum, multis argumentis docere conatus est Gesnerus, qui multo breuiore ratione defungi poterat, si Plinium ex hoc libro transtulisse quaedam, quae in reliquis Columellae libris non exstant, animaduertisset. Loca in annotationibus posita reperiet lector. Hinc suspicari licebit, quaedam Plinium etiam ex priore volumine de agrorum cultu, quo nunc caremus, exscripsisse, quae Columella ipse deinde paulum immutata verbis variataque interdum sententia repetierat. Ita certe Plinium ἀβλεψίας culpa liberabimus, vbi is transtulisse quaedam ex Columella vitiose reperitur. Ceterum in libris scriptis Sangermannensi, Politiani et Lipsiensi eodem ordine legitur perscriptus hic liber, quo fuit ante Aldum ex libris scriptis, ex eodem fonte deriuatis, editus; quanquam inerant in reliquis Columellae libris signa non dubia, ex quibus errorem librarius suum potuisset agnoscere, nisi libri sui auctoritatem quam suum iudicium sequi maluisset. Eundem librorum Columellae ordinem in Codice suo reperit Seruius, qui ad

Aenei-

Aeneidos III. 540. ex libro ſeptimo laudauit verba, quae in Praefationis libri ſexti ſect. 3. leguntur ex Aldino librorum ordine. Quaedam de hac re nota ſequens addet.

Cap. I. *Quoniam*] Indicem libri XII. hunc ex Codice Lipſienſi notauerat Geſner: *Hic eſt villicus et hortorum. Continet autem quae intra villam agi debent a muliere* etc. *De condituris vinorum. De cuſtodia pomorum et pleraque alia, quae in libris praecipiuntur. Praeter hos XII. libros ſingularis eius liber ad Eprium Marcellum. De cultura vinearum et arborum. Hic liber aliter quam iudicem habet in ſcripturis.* Quorum verborum miror non meminiſſe Geſnerum. Pertinent enim ad hunc librum, a grammatico neſcio quo, certe antiquo profecta, qui titulum libri integriorem legiſſe videtur. Eprium Marcellum praetorem A. V. 802. habet Tacitus Ann. XII. 4. a Lyciis repetundarum accuſatum atque abſolutum XIII. 33. Acrem eius eloquentiam memorat XVI. 22. cum auctore Dialogi de corrupta Eloquentia c. 5. vbi ab Heluidio accuſatum legimus; quod item narrat Tacitus Ann. IV. 6. vbi Thraſeae delatorem nominat, ipſam accuſationem ad Galbae principatum referens, A. V. 823. Diuitem et Neronis amicum pluribus in locis nominat Tacitus, et poſt Thraſeam ab ipſo accuſatum et damnatum quinquagies ſeſtertium donatum a Nerone refert Ann. XVI. 33. Aetas igitur Eprii cum Columellae aetate praeclare congruit. Ante A. V. 811. quo Lycii res ſuas ab eo repetebant, Lyciam pro praetore rexiſſe videtur. Forte eo illum ſecutus Columella Syriam Ciliciamque adiit, quod colligere licet ex loco Columellae II. 10. 18. Cum imperio ibi fuiſſe, certe cum poteſtate, Columellam temere inde arguebat Geſner in Praefat. ſect. VI. Eundem libri huius titulum in fine libri XI. ſubſcriptum cum reliquis in Codice Sangerm. excerpſit Gronouius ſic: *Praeter hos — aliter quam* (vel *quum*) *indicem habeat inſcriptus.* Arguere hinc licebit mihi titulum hunc a Grammatico aliquo reliquis inſertum fuiſſe ante libri decimi et tertii titulum, vt conſtaret lectori, in aliis Codicibus librum de Arboribus Eprio Marcello inſcriptum loco decimo et tertio collocatum reperiri, id eſt, poſtremo, nec tertio haberi, vt in Sangermannenſi et, qui inde exſcriptus eſt, Lipſienſi. Hunc recentiorem ordinem deinceps Grammatici, veluti Seruius, ſecuti ſunt, cum libri antiquiores non exſtarent. Inſcriptio libri poſtea periit cum initio. Sed iam diu antea liber de agrorum cultu, quem hic alter de Arboribus ſequebatur, et quem memorat

morat ab initio, in perditorum numero habitus esse videtur, quoniam illius mentionem non fecit Grammaticus, qui huius alterius ordinem obiter annotauit.

Virgilio] Georg. II. 10.

exterae regionis] Haec verba veluti glossam verbi *alienum* merito suspecta habet et deleri vult Pontedera. Noster III. 4. *nam quae peregrina ex diuersa regione semina transferuntur, minus sunt familiaria nostro solo quam vernacula, eaque velut alienigena reformidant mutatam coeli locique positionem.* Vnde malim h. l. verbis transpositis legere *ex longinquo exterae regionis — velut alienum.*

4. *idque multum refert*] Vrsinus malebat *ad quod multum refert.*

5. *namque exilis*] Vrsinus malebat: *ex exili.* quod probauit etiam Pontedera. Ita certe vulgata erit interpretanda. Deinceps *vtique* ex scriptura librorum *vtrimque* effecit Pontedera. Vulgo *vtcumque.*

bipalio] Noster III. 5. de eadem re: *isque bipalio prius subigi debet, quae est altitudo pastinationis, cum in duos pedes et semissem conuertitur humus.* XI. 3. 11. *satis erit non alto bipalio, id est, minus quam duos pedes ferramento non vale conuerti.* XI. 2. 17. de eadem re: *pastinatur autem terreni iugerum ita, vt solum in altitudinem trium pedum defodiatur operis LXXX. vel in altitudinem dipondii semissis, operis L. vel ad bipalium, cui est altitudo duorum pedum, operis XL.* Itaque comparatis his locis apparet, bipalium sestarium esse idem, quod dipondium semissem dixit alicubi, eique similiter operas 50. tribuit. Scripturae vitia deinceps corrigam. Bipalium esse mensuram aliquam, vel modum fossionis, non instrumentum aliquod, fossioni aptum, quod Gesner διμάχελλον ex etymologia aliqua inepta interpretatur, apparet vel inde, quod dicitur solum fodi *ad bipalium.* Si esset instrumentum bipalium, tum dicendum erat *bipalio.*

sesquipede] Verba haec vitiosa esse vidit etiam Gesnerus; altero enim in loco totidem operas in plano solo attribuit pastinationi dipondii et semissis. Praeterea noster XI. 2. 18. ita ait: *haec tamen* (duorum pedum) *in agro sicco surculis conserendis minima pastinationis mensura est. nam oleribus deponendis possit sesquipedalis altitudo satisfacere, quae plerumque in singula iugera triginta operis conficitur.* Numerus igitur et physica ratio demonstrat vitium loci; cui facile medebor secutus vestigia lectionis Lips. libri, vbi est: *pluresque minus,* in Polit. libro est: *plus sesquipedem.* Censeo igitur, *semipedem* fuisse a librariis mutatum in *sesquipedem,*

dem, et totum locum verbis transpositis ita constituo: *altitudinis habet plus quam duos pedes, ne minus tamen semipede.*

6. *sexaginta*] In plano operas XL. tribuit repastioni duorum pedum; quam differentiam numeri postulat difficultas oliuosi soli.

Cap. II. *semina legito*] Eadem accuratius traduntur III. cap. 6. vbi vide notas.

rubrica] Geoponica III. 12. oleum et picem mista adhibent in ea re.

2. *integrae et*] Haec verba addidit Sang. Ex eodem dedi *perueniunt*. Vulgo *proueniunt*.

praecipientur] Ita libri optimi pro *praeripiuntur*. Noster XI. 2. 69. *humorque ipse non patitur praecipi aut infuscari nisi suapte natura.* vbi editi libri similiter habebant *praeripi*. Heinsius ad Ouidium ex Sang. corrigebat: *nam qualiscumque — praecipiuntur aestu.*

Cap. III. *humeris*] Supra III. 10. 5. similiter in vite humeros dixit, vbi vide notam.

a summa vite vita lecta] Ita plane habet Sang. Vulgatam: *summa in vite lecta* ex MStorum librorum vestigiis Pontedera ita emendabat: *tertia summae viti vita lecta, quae.* Noster enim III. 10. multis rationibus damnat haec flagella summa.

sed ea quoque celeriter] Ita plane Sangerm. nisi quod *quoque* dedi pro *quam*. Abbreuiatum *quoque* vel *quam* dederunt Edd. I. B. R. quae et *celeriter* praeferunt.

raris acinis] Longa disputatione Pontedera docere conatur, singula verba esse de specie diuersa intelligenda, nec cum praecocibus vitibus esse copulandos acinos raros, nec breues nodos, nec imbecilles. Recte hoc quidem vir doctissimus. Praecoces locis pinguibus et humidis serere iubet, quia celeritate sua autumnales pluuias praecurrunt, qui cum soli humiditate poterant vuas putredini obnoxias facere. Deinde raris acinis vites ibidem seri iubet, quae scilicet non sint praecoces, quia per acinos raros pluuius humor facile defluit, nec consistens putredinem facit. Verum equidem praefero lectionem Lipsi. libri *parvis acinis*. In solo enim pingui et humido acini efficientur grandiores. Postea vitis breuibus nodis in solo eodem longioribus nodis

ſarmentorum luxuriabitur. Nec credo Pontederae affirmanti, vitem breuium nodorum pampinos et folia plurima habere; quare non eſſe in loco pingui ponendam. Itaque malebat Pontedera legere *breuibus foliis*. Quod ſi tamen conceſſero Pontederae, vitem breuium nodorum plures habere gemmas, ideoque plures pampinos et plura folia generare, vel ita tamen eiuſmodi vitem in loco pingui et humido ſeri puto recte, quia facilius ibi quam in exili et ſicco pampinos nutriet et educabit. Denique imbecillis vitis quam recte in ſolo pingui ſeratur, facile eſt videre. Raros tamen acinos defendunt in macro et ſicco ſolo ponendae vites crebris acinis, vbi etiam feraces vites opponuntur breuibus vitium nodis.

2. *et ſiccis*] Quoniam *aridis* praeceſſit, recte Vrſinus corrigebat: *et cliuis*. Ita loci aridi et cliuoſi iunguntur cap. 4.

3. *ſine vetere*] Praepoſitionem addendam eſſe, vidit ante Pontederam Vrſinus, et recte inſeruit Geſner. Vide rationem III. cap. 17.

quam recentiſſima] Vide ad III. 19. 2.

et a decima] Libri optimi omittunt *et*. Hinc Pontedera emendabat *ex oriente ad decimam*. quia Varro etiam ab exorta luna ad nonam vites pangendas eſſe moneat. Recte!

ad triceſimam] Haec inſerui ex libro Polit. et Sang. Vulgatum *a vigeſima* Vrſinus corrigebat *ad vigeſimam*. Quantum variauerint ſententiae veterum in hoc iudicio dierum, vide Geoponic. V. 10.

4. *gemmam laedas*] Lectionem librorum *radas* praeferebat Pontedera.

fimo bubulo linito] Theophraſtus C. P. III. 13. Φυτεύοντες ὑποβάλλουσιν εὐθὺς τὴν τῶν λοφύρων κόπρον, ὅτι ἀσφοτάτη.

5. *decimo anno*] Vitium numeri egregie vidit Pontedera, qui *tertio* legendum eſſe docuit. In loco ſimili III. 11. 4. tempus quidem vineae reſtibilis praeparandae vitiario non definitur, ſed priore anno ſtercus recentiſſimum ingeri illi iubet, altero vero vetuſtum, quod non gignat herbas, vel de vepribus egeſtam humum, eaque paſtinatum contegere. Quo argumento cognoſcimus, paſtinum tertio certe anno voluiſſe conſeri vitibus.

6. *priore*] Hodie II. 2. 20. Scilicet in repetita editione librorum ſuorum ex volumine primo geminum effecit Columella, quod hodie ſolum exſtat.

cola-

colaueris] Lipf. libri *conſederit* probabat etiam Geſner, eandemque videntur voluiſſe dare libri, vbi eſt *conderis* vel *conderit*. Sed in eadem re II. 2. 20. eſt: *ac more faeculenti vini diligenter colatae guſtu explorentur*. Geoponica tamen V. 7. ἐπειδὰν εἰς τέλεον καταστῇ, γεύσῃ τοῦ ὕδατος. Vtraque igitur lectio defendi poteſt.

congeſta et mota] Haec vitioſa eſſe vidit etiam Pontedera, qui ex III. 11. 7. legi volebat: *aeque vtilis glarea congeſta et mota terra*. Poſt tophum enim ſupra Columella ita: *ſimili quoque de cauſa probari ſolutam glaream calculoſumque agrum; et mobilem lapidem, ſi tamen haec pingui glebae permiſta ſint*. Humum congeſtitiam noſter habet II. 10. 18. ſed omnino deeſſe quaedam cenſeo cum Pontedera.

7. *refrigerant*] Ideoque probantur. Ita noſter III. 11. de ſilice: *eſt vineis amicus ſilex, cui ſuperpoſitum modicum terrenum, quia frigidus et tenax humoris per ortum caniculae non patitur ſitire radiculas. In ſumma vero terra ſaxa ſolem arcent, vmbram, humoremque augent, cum vitis ſolem caloremque quaerat*. Vide ad Palladium I. 6. 17.

et mediocri] Geſner malebat. *Ita mediocri*.

Cap. IV. *quae eſt a terra ſubrecta*]. Ex lectione librorum *tertia eſt Aponi vſurpata, more*. Pontedera efficiebat: *Hiſpanis vſurpata* ex Varrone, qui genus hoc apud Hiſpanos vſurpari dicat.

2. *agro ponitur*] Vulgatum *reponitur* recte improbavit Geſner.

3. *terrenum*] in terreno nec lapidoſo, nec difficili ſolo ductum. Vide cap. I. ſect. 5. niſi forte numerus latitudinis ſulci latet in menda.

altum et] Haec verba, in Edd. primis omiſſa, inclusit Geſner, qui negat, altitudinem duorum pedum poni, contraque vbique ternorum pedum altitudinem intelligi putat. Ponit igitur ſulcum duos pedes latum, tres altum, 70 longum, eiuſque pedes cubicos computat 420. Hanc vero proportionem negat conuenire illi, quam poſuit noſter ſupra c. I. ſect. 5. Ibi ſcilicet iugerum, ad tres pedes paſtinandum, operis LXXX. attribuitur, cuius pedes 1080. computat Geſner. Sed male hoc loco ſumſit Geſner ſulcum duos pedes latum; nam ſulcum plurimi ſex pedes, auari quinque pedes latum ducebant, vt tradit noſter III. 13. 4. Itaque ſi Columella hoc loco ſulco tribuit altitudinem trium pedum, latitudinem vero ſenorum, efficiuntur pedes cubici 1260. vni operae attributi. Igitur lectionem vulgatam tueor et ad altitudinem

refero: latitudo enim ista sulci nullibi locum habuit. Ita vero efficiuntur pedes cubici 840. si latitudinem ponas senorum pedum.

laxius vites] *Altius* legi malebat Pontedera.

facit XVIII.] Scrobes ternarii efficiunt pedes cubicos 486. quaternarii autem XII. pedes cubicos 576. bipedanei denique XX. pedes 240. si solam latitudinem computaueris; quod si etiam altitudinem intelligas in voce *quoquouersus*, tum orientur pedes cubici scrobium ternariorum 768. bipedaneorum 160. Altitudinem tamen simul intelligi non putat Gesner, qui vel sic proportionem aequam seruari negat. Bipedanei enim esse debebant XXIV. Contra Pontedera in ternarios scrobes computat pedes quadratos 162. igitur in bipedaneos conuenire ait numerum XL. negat XX. At ab vna opera bipedaneos istius modi scrobes fieri posse non credebat.

4. *mollemque reddito*] Plinius 17. f. 35. no. 7. *emolliri terram minus in imo scrobe sulcis simoque misceri necessarium.* et paulo post: *qui ex his longiores fient, (sulci) vt vites binas accipiant e diuerso, aluei vocabuntur. Esse vitis radicem in medio scrobe oportet; sed ipsam innixam solido in orientem aequinoctialem spectare: adminicula prima e calamo accipere.*

In imo scrobe] Haec vsque ad finem leguntur etiam III. 15. 3. vbi vide notas.

5. *sic vites consuescent*] Vide ad V. 5. sect. 5.

Cap. V. *quatuor digitorum*] Plinius 18. f. 67. no. 2. *vineas pampinare. et huic lex sua, cum pampini quatuor digitos longitudine expleuerint. Pampinat vna opera iugerum.*

2. *eris facturus*] Hanc Sang. lectionem coniectura assecutus erat Pontedera.

vnam materiam] Ex Edd. primis *imam* malebat legi Pontedera, qui et libro V. 16. 4. scribi volebat *imus palmes* pro *vnus*. Sed de altero isto loco dubitari potest.

3. *ab Idibus*] Eadem noster IV. 8. vbi vide notas.

codicem] Liber Polit. *corticem* quod temere probat Pontedera; altero enim in loco *truncum*, atque inde Palladius *stipitem* nominat.

propius] Lectionem *protinus* male iterum probat Pontedera, vt ex altero loco et ipsa sententia intelligitur. Sed *adradas* legendum puto. *Protinus* Pontedera interpretatur continue vsque dum cohaeret, addens Virgilianum: *cum protinus vtraque tellus vna foret.*

4. *par-*

4. *partes — aestiuas*] Melius supra *aestiuas radiculas.*

inolescunt] Supra: *sic ademtae non amplius pullulant et a cetera noxa truncum defendunt:* vnde apparet, *inolescunt* esse vitiosum. Alio sensu posuit verbum noster IV. 22. 5. et IV. 29. 14. Igitur malo *inarescunt.* Eodem ducit lectio *inalescunt.* Vide ad III. 2. 4.

soboles per brumam] Verba *per brumam* temere et sine ratione addita ab Aldo censet Pontedera; neque enim moris fuisse per brumam arborem caedere, neque vitem purgare.

ante brumam tertio] Ex libris antiquis *per brumam* praefert Pontedera; nam ablaqueationem fieri ante brumam. Sed simus additur etiam antequam brumalis congelatio nocere possit.

sextarios binos] veteris vrinae senos sestarios superfundit IV. 8. vbi vide reliquam diuersitatem.

quod si quo] Ita malui cum libris optimis, quam cum Gesnero *quo de si quid* aut *de qua si quid* scribere. Vulgo legebatur *quo si quid.*

brumam deinde ablaqueationem] Schoettgen malebat *brumalem ablaqueationem.*

5. *quatuor — putatur*] Geoponica II. 46. κλαδεύεσθαι δὲ τὸ πλέθρον ὑπὸ τεσσάρων δύνασθαι παρκπεφύλακται. Plinius 18. f. 65. no. 2. *vineae iugerum quaternae operae putant alligantque: in arbusto singulae operae arbores XV.*

Cap. VI. *resectione*] Antiquas lectiones *resecatione renata — prima parte* probabat Pontedera, et deinceps cum libris veterrimis *quamobrem* omitti volebat.

natantibus] Noster IV. 22. 7. *in summo labantes* dixit, vbi partes huius capitis repetitae exstant.

si non peraridos] Ita clare Sang. et lectionem hanc ex reliquorum librorum varietate assecutus erat coniectura Pontedera.

renouellatur] Verbum alibi vix obuium ipse deinde Columella improbasse videtur. Nouellare ex Suetonio aliisque annotauit Gesneri Thes. L. L.

3. *propagabis*] Libri optimi *propaginibus*, vnde Pontedera efficiebat: *propaginabis*, verbum Tertulliano vsitatum; et video etiam Isidorum XVII. 7. *propaginare* habere de vitium propagatione. Idem deinceps cum libris optimis malebat legi: *ac deinde triennio dum conualescat.* Ego vero praefero *dum conualescant* sc. propagines.

onerabis] Ita Sang. pro *enecabis*. Multitudinem germinum ex ea quantam poteris citabis ex matre, etiamsi oneretur mox peritura.

4. *alte positas*] Palladius Martio 7. sect. 3. *prius ablaqueabitur altius, donec eius nodus appareat; deinde infra terram supra nodum recidatur, vt operta de frigore et sole nihil timeat. Hoc faciendum si optimi generis vitis sit et alte posita; alioquin generosis melius erit inserenda sarmentis.*

deleuato] Lego: *diligenter leuato*, id est, laeuigato. Ita noster infra 26. f. 6. et VI. 11. 7. alleuare plagam dixit V. 6. 13. *Deleuare* aut *releuare* in hac re nondum legi positum.

5. *et mucidas*] Polit. *iuncidas*. solenni varietate, de qua dixi ad Varronem I. 31. 3. et infra ad cap. 17. 3. Certe *mucidas* vitiose legitur.

Cap. VII. 2. *propago*] Libri optimi *propala* et deinceps sect. 4. *propaletur*. quae scriptura forte antiqua fuit. Sic enim *palam* a pangendo deriuat Varro L. L. IV. p. 31.

matri est, qdradita] stolonem per quasillum transigendum in propagatione scarificari iubet Cato cap. 52. Mergum paulo diuerse format noster IV. 15. vbi vide notas. Plinius 17. f. 35. no. 23. de propagine arbustorum: *deflexa vite vel palmite iuxta suam arborem, aut circa proximam coelibem. Quod supra terram est e matre, radi iubetur, ne fruticet; in terra non pauciores gemmae quatuor obruuntur ad radicem capiendam: extra in capite binae relinquuntur.* Eadem tradunt Geoponica IV. 3. quae ex longiore sarmento bis depresso duas viuiradices creari simul posse monent. Eadem iubent partis matri cohaerentis gemmas vngue auferre, ne germina emittant.

3. *diuersae*] i. e. oppositae. *Debet* ex libris optimis posui; *debent* vulgatum Gesnero referendum videtur ad *ea quae debent exstare*. Equidem *diuersam* malim; ad *diuersas* intellige partem.

vitis citet] Ex varietate scripturae Pontedera suspicabatur legendum esse: *ne summa radix viti scateat*. aut cum Lipsi *ne in summo radix vitis sit*. Neutram rationem probo. Similis varietas adfuit cap. VI. f. 5.

5. *diffluat*] Ex varietate *diffluetur* Pontedera efficiebat: *diffindatur*. Ceterum hanc rationem obiter attigit Plinius 17. f. 35. no. 27. *vnum etiamnum genus est medium inter hoc et propaginem: totas supplantandi in terram vites, cu-*

neis-

ueisque findendi et in sulcos plures simul ex una propagandi, gracilitate singularum firmata circumligatis hastilibus, nec recisis, qui a lateribus excurrant pampinis. Nouariensis agricola traducum turba non contentus, nec copia ramorum, impositis etiamnum patibulis palmites circumuoluit. Itaque praeter soli vitia cultura quoque torua fiunt vina. vbi tacet Harduinus.

6. *quam nos reperimus*] Alibi traditam aut repetitam legere non memini. Inuersum etiam sarmentum vitis recte prouenire monuit iam olim Theophrastus H. P. II. 8. itaque iam tunc hanc aut similem rationem agricolae tentasse videntur.

completo] De ablaqueatione coaequanda vide ad Colum. IV. 8. 2. Rationem consilii vide supra cap. IV. 5.

Cap. VIII. *inserere voles*] Eandem insitionem accuratius tractauit IV. 29. vbi vide notas, et Palladium III. 17. Breuiores etiam hic erimus in annotatione, nisi si quid novum inciderit, aut a Pontedera dissenserim.

2. *vimine vel vlmi libro*] Ita haec ex librorum vestigiis emendauit Pontedera, eumque secutus Gesner. Compara IV. 29. et infra cap. 26.

praebet humorem] Emendationem Pontederae *prohibet* reprobat sequens: *nec inarescere finit.* vbi tamen in Curis secundis Pontedera malebat cum libris *marcescere* legi. At ita debebat esse *mucescere.*

4. *gallicam*] Varietas librorum scriptorum *gallicanam* scribi vult.

perusta] Libri variant. Supra IV. 29. 15. *deusta porro raro reuirescebat* etc.

aequinoctium] *vernum* ex IV. 29. addendum esse monuit Pontedera.

5. *instar ad erui*] Ita egregie Sangerm. pro *scipiones*, quod frustra exercuit ingenium virorum doctorum. Vindanio in Geoponicis V. 34. ὅταν ἡ ῥάξ τοῦ βότρυος ὀροβαία γενομένη ξηραίνεσθαι ἄρχηται, τότε πᾶν τὸ ξηραινόμενον τοῦ βότρυος μέρος παραψάμενος καὶ τοῦ ὑγιοῦς, μᾶλλον δὲ ἀπὸ τοῦ ὑγιεινοτέρου πλησιάζοντος τοῖς ξηραινομένοις ἀφαιρεῖν, ἔπειτα κατάχριε τὴν τομὴν τέφρᾳ μεμιγμένῃ ὄξει δριμυτάτῳ. καλλίων δὲ ἡ τέφρα ἐκ τῶν κληματίνων. οὕτω γὰρ τὰ νοσεῖν μέλλοντα τοῦ βότρυος ἀλειφθέντα στήσει τὴν βλάβην. καὶ τῆς ἀμπέλου δὲ τὸ πρέμνον ὁμοίως περιχριέσθω. τινὲς δὲ καὶ τὰ κάτω τοῦ στελέχους τὰ περὶ τὰς ῥίζας ἅρῳ παλαιῷ καὶ δριμυτάτῳ καταῤῥαί-

γνασι. ταύτη γὰρ τῇ θεραπείᾳ ἐ μόνον ὁ καρπὸς σωθήσεται, ἀλλὰ καὶ ἡ ἄμπελος πολυχρόνιος καὶ εὐθαλὴς γενήσεται. vbi recte Niclas emendauit παραψησάμενος. Plinius 17. f. 34. *quod si fructum non maturent prius inarescentem praecisorum ad radices plagam fibrasque aceto acri et vrina vetusta madefacere, atque eo luto obruere, saepe fodere.* Ex quo recte Niclas h. l. *radice tenus* interpretatur *circa radices, ad radices.* Ita XI. 2. 95. *capite tenus alligetur vitis.* Idem remedium habet Theophrast. H. P. III. 8. ἐάν τις τῶν ῥιζῶν τινα περιτέμνῃ. Palladius simpliciter circumfodi vrinamque suffundi iubet IV. 7. 4. In fico eandem medicinam adhibet Theophrast. C. P. I. 21. Cum vitis vuas immaturas deiicit, Sueui vitem dicunt *röhren, reissen*, teste Sprengero p. 416.

Haec materias] Ex vestigiis varietatis librorum Pontedera malebat: *Materias citat vitis, quae fructum perferunt.*

Cap. IX. *iusitionis*] Plinius 17. sect. 35. no. 5. *Est et luxuriosa ratio vites serendi, vt quatuor malleoli vehementi vinculo colligentur, in parte luxuriosa, atque ita vel per ossa bubuli cruris vel per colla fictilia traiecti obruantur binis eminentibus gemmis. Humescunt hoc modo, recisique palmitem emittunt. Postea fistula fracta radix libere capit vires, vuaque fert omnium corporum suorum acinos.* vbi *humescunt* est pro coalescunt. Video tamen Pontederam Antiquit. p. 612. maluisse h. l. *gemmescunt. Colla* dedit Codex Chifflet. pro vulgato *coacta fictilia.* Iam olim eadem docuit Theophrastus C. P. V. 5. sed ratione diuersa. Ille enim vtrinsque malleoli bigeneris partem superiorem compositam contundi iubet, deinde colligatos deponi. Eadem ratione varii generis punica et mala in eadem arbore nasci tradit ibidem; scilicet. Virgas enim malleo velut praemolliri, vt parte contusa facilius inter se coalescant, mox colligatas plantari. Geoponica IV. 14. et Palladius III. 33. findunt sarmenta, medullam denudatam medullae gemmamque quasi gemmae committunt, et colligata plantant.

3. *sine vinaceis*] Plinius l. c. *In alio genere inuentu novitio finditur malleolus, medullaque erasa in se colligantur ipsi caules, ita, vt gemmis parcatur omni modo. Tum malleolus in terra fimo mixta seritur, et cum spargere coepit caules, deciditur foditurque saepius. Talis vnae acinos nihil intus ligni habituros promittit Columella; cum viuere semina ipsa perquam mirum sit, medulla ademta.* ex quo loco apparet, hunc librum esse Columellae; alibi enim artificium hoc non docuit. Sed ex Graecis Palladius III. 29. vbi vide notas.

Iam

Iam olim Theophrastus haec docuit de Causis Plant. III. 19. V. 5 et 7. Vide de cerasis Pallad. Octobr. XII. 7. Diuersum artificium prunorum et cerasorum sine ossibus obtinendorum docent Mémoires de l'Acad. de Paris 1704. p. 41. 1735. p. 373. Vide Mylii Physikal. Belustig. Parte XXVI. p. 1218. Sed dubitatur adhuc inter viros doctos de his artificiis.

atque ita] Recte Pontedera emendat *atque in terra*. Idem *alliges* pro *allidas* cum libris quibusdam praefert; de laesione enim satis iam antea cautum fuisse. Sed antea cavebat laesionem, cum finderetur malleolus; nunc repetit eandem in alligando.

Cap. X. 3. *capiet*] Gesner vitium vidit, et coniecit legendum *fundet*.

digiti] Gesner interpretatur *transuersi*, vt ad medullam perueniatur.

4. *lacusculi fiant*] Vide ad V. 9. 13. vbi ita est: *si olea in cliuo sit, incilia excitentur, quae limosam aquam ad codiceem deducant.* Palladius *mortarium*, Geoponica Φιάλην vocant lacusculos hos.

Cap. XI. *expeditior*] Hoc effeci ex Sang. *expeditur*, et sic est IV. 27. 2. vbi haec accuratius repetuntur.

quod viride] Rectius supra: *id ex quo viride — consauescit.*

2. *perurantur*] Palladius Aug. 3. *nunc locis frigidis pampinatur, locis vero ardentibus ac siccis obumbratur potius vua, ne vi solis arescat, si aut vineae breuitas aut facultas operarum permittit.*

Cap. XII. *variari*] Plinius 17. cap. 22. de tertia hac fossione: *et variante se vua. Peritiores affirmant, si iusto saepius fodiatur, in tantum tenerescere acinos, vt rumpantur. Quae fodiantur, ante feruentes horas diei fodiendas conuenit. sicuti lutum neque arare nec fodere. Fossione pulverem excitatum contra soles nebulasque prodesse.* Vides, haec ex communi aliquo auctore duxisse Plinium.

Cap. XIII. *Palearum*] Paleas et purgamenta incendit Palladius I. 35. 1. Plinius 18. 5. 70. sarmenta aut palearum aceruos et euulsas herbas fruticesque per vineas camposque incendit. Geoponica I. 31. Fimum siccum incendunt; vnde tamen paleas vel herbas euulsas, frutices et spineta nominat Misal-

Misaldus I. 15. Scilicet contra pruinam haec remedia valere possunt. Rationem intelliges ex loco Plinii 17. c. 37. no. 4. *Pruinae perniciosior natura quoniam lapsa persidet gelatque ac ne aura quidem vlla depellitur, quia non fit nisi immoto aere et sereno.* Igitur aer commouetur incensis paleis et pruina arcetur. Carbunculi hoc etiam remedium esse ait Plinius l. c. de carbunculo dixi ad III. 2. 4. Remedium ipsum probat et explicat Sprenger Cult. Vinear. p. 434 seqq.

intellexeris] Augurando scilicet, praeuideris, vt vespere frigoris effectum impedias. Pontedera malebat: *incesserit.*

Cap. XIV. *fracibus*] Plinius 17. c. 47. *contra formicas: aut lupino trito cum oleo radices linunt.* Ceterum recte Gesner h. l. *vineam* pro *lincam* ex libris melioribus posuit.

bitumen] amurcam cum bitumine et sulphure decoquit et miscet Cato c. 95. eaque mixtura vites illinit contra convolulum; quo effectu, nescio; contra formicas recte adhibetur.

excedent] Vrsinus malebat: *excedent.* Titulus huius capitis habet: *ne formica vitem ascendat.* vnde Pontedera emendabat: *non ascendent*, Gesner *non escendent.* Priorem rationem probo.

Cap. XV. *secundum aedificia*] Plinius 17. c. 36. *Vitium generosarum pergulas Quinquatribus putandas, et quarum seruare vuas libeat, decrescente luna tradunt. Quae vero interlunio sint putatae, nullis animalium obnoxias esse. Alia ratione plena luna noctu tondendas, cum sit ea in leone, scorpione, sagittario, tauro; atque in totum serendas plena, aut crescente vtique censent.*

volucra] Vide ad X. 333.

sanguine vrsino] Forte *vnguine vrsino.* Palladius I. 35. 1. seuum vrsinum adhibet in eadem re. Sed ecce Plinius 17. sect. 47. *Alii volucre appellant animal praerodens pubescentes vuas; quod ne accidat, falces, cum sint exacutae, fibrina pelle detergent, atque ita putant; sanguine vrsino liniri volunt post putationem easdem.*

Cap. XVI. *Vitem*] Quae moneri poterant ad hoc caput, repetes ex dictis ad Columellae V. cap. 6. vbi eadem multo accuratius traduntur.

non idoneam] Pontedera addendum censet *pecori* aut simile nomen.

2. *qua-*

2. *quatuor pedum*] Ex varietate librorum suspicor *ternum pedum* legendum, vt in altero loco.

3. *alternisque annis putabis*] Vitium loci varie tentatum antea persanauit liber Sang. inserto *putabis*.

4. *sternito*] Haec melius conueniunt cum Geoponicorum loco IV. 1. f. 7. posito ad Colum. IV. 6. 18. quam cum altero nostri loco; vbi quaedam minus accurate de viuiradice arbori adserenda traduntur.

Subsequi putationem] Pontedera malebat *amputationem*, nempe vinculorum; nulla idonea de causa. Vitem ita, vt dixit, maritatam subsequi debet annis singulis putatio, sed ita, vt tori vinculorum resoluantur et renouentur.

Cap. XVII. *collibus*] Plinius 17. f. 30. *Mago in colle et siccis et argilla, inter autumnum et brumam seri iussit. In crasso aut humido aut subriguo a messe ad brumam. Quod praecepisse eum Africae intelligitur. Italia nunc quidem vere maxime serit. Sed si et autumno libeat, post aequinoctium XL. diebus ad Vergiliarum occasum quatuor soli dies sunt, quibus seri noceat.* vbi recte Pintianus ex lectione *sub riguoso* Codicis sui effecit *subriguo solo*. De quatriduo oleis noxio ita Plinius sect. 2. *circa Vergilias quidem pluere inimicissimum viti et oleae, quoniam tunc coitus est earum: hoc est illud quatriduum oleis decretorium.* Et libro 18. sect. 69. *aliud hoc quatriduum est — decretorio die florentibus oleis vitibusque.* Ceterum ex loco Plinii hunc nostrum rectius interpunxi et iuuantibus libris emendaui. Quae vero ad librum Columellae V. cap. 9. annotauimus, repetere hic non licet. Adeat igitur lector notas illic appositas, sicubi haeserit. Magonis disciplinam coelo Africae miti, nec vllis hiemis frigoribus obnoxio conuenire monet Bernard p. 200. qui vernum tempus praefert. Idem tamen exemplum Prouinciae Gallicae posuit, vbi aestate plantae positae bene prouenerunt.

Cal. Maias] Pontedera malebat Martias. Martio enim vel Februario extremo poni Palladius III. 18. monet; et noster V. 9. plantas disponi iubet, paulo ante quam germinent. Maio vero florent oleae. Alia est ratio olearum inserendarum, quibus Maium et Iunium definiunt Geoponica IX. 16. et Palladius Aprili 2. Martium mensem in Gallica Prouincia probat etiam Bernard p. 200.

2. *glareamque abiicere*] Malim *adiicere*. Noster V. 9. 9. *deinde ingerendi minuti lapides vel glarea mista pingui solo*, vbi Sang. *et glarea* habet. Ordo operis altero in loco positus mihi pelor videtur.

qua-

quatuor digitorum] Altero in loco mensuram omisit, sed terram pinguiorem et aratro subactam esse vult. Idem V. 6. 21. viti summam terram aratro subactam semipedem alte substernit, et depositam terra subacta vel fimo mista operit.

in medio] Ita Sang. Vulgatam *in medium* Gesner mutabat in *id medium sit*. Geoponica IX. 11. 5. εἶτα τὸ φυτὸν ἐπὶ λίθῳ πλατυτέρῳ στήσαντες ὀρθὸν προσχωννύουσιν.

3. *euanidae*] Exempla a Gesnero posita in Thes. L. L. huc non faciunt. Sed legendum esse *eiuncidae* dixi ad Varronem I. 31. 3. vbi sarmentum eiuncidum propter infirmitatem sterile dicitur. Eiuncidum dicitur a gracilitate iunci. Vide notas ad locum Varronis. In Plinio 17. c. 22. *vitis antequam septimum annum a surculo compleat, euocata ad fructum euanescit et moritur*. Codices similiter habent *eiuncescit* vel *eiuuenescit*, monente Heinsio Aduers. III. p. 460. qui malebat *euiescit*.

Pausia] Libri scripti optimi *Posita*. Voluerunt *Posia*. Ita enim noster in reliquis libris appellat. Postea locum ita edidit Gesner: *escae orchis. sunt et regiae et radii, quae neque specie neque oleo sunt tam gratae*. Vitium demonstrat comparatio loci V. 8. 4. *bacca speciosissima est regiae, quae potius escae quam oleo est idonea — orchis quoque et radius melius ad escam quam in liquorem stringitur*. Vnde Pontedera h. l. emendabat ita: *orchis sicut et regia et radii, quae non sine specie, neque escae, neque oleo sunt tam gratae*. Verum tetigisset propius, si lectionem Sang. notam habuisset vbi est: *et radii non sine specie, neque oleo neque sui tam gratae*. Etiam Lips. cum Edd. I. B. R. habent *radii non sine specie neque oleo*. Pro *neque oleo* in Polit. et Lips. dicitur esse *neque subitam*. quae est ipsa Sang. lectio *neque oleo neque sui tam*. vnde efficio certissimam emendationem, quam in ipsa oratione ponere non dubitaui.

quercus effossa] Plinius 17. c. 30. ex Magone: *Olea vbi quercus effossa sit, male ponitur, quoniam vermes, qui raucae vocantur, in radice quercus nascuntur, et transeunt*. Noster V. 8. 7. *quercus excisa etiam radices noxias oliueto relinquit, quarum virus enecat oleam*. Idem cap. 9. 14. *amurca — per hiemem si vermes atque alia suberunt animalia, hoc medicamento necantur*. Male igitur Pontedera verba *ideo — consumunt* seriore aetate addita fuisse censet, et temere haec ab aliis tradi negat. Recte vero iam olim Dalecampius *rucae* mutare iussit in *erucae*. Geoponica IX. 10. radices exarescere et oleas aegrotare a vermibus, in radicibus subnatis, docent,

cent, eos vero tolli inprimis scilla prope plantata. σκώληκας appellant. Theophrastus H. P. IV. 16. ἡ δὲ ἐλαία πρὸς τῷ τὰς σκώληκας ἔχειν, οἱ δὴ καὶ τὴν συκῆν διαφθείρουσιν ἐντίκτοντες, φύει καὶ ἧλον. οἱ δὲ μύκητα καλοῦσιν, ἔνιοι δὲ λοπάδα. τοῦτο δ' ἐστὶν οἷον ἡλίου καῦσις. Plinius 17. c. 37. *Olea praeter vermiculationem, quam aeque ac ficus sentit, clauum etiam patitur, siue fungum placet dici, vel patellam. Haec est solis exustio.* Alium morbum, araneum, ex Theophrasto H. P. IV. 17. C. P. V. 13. habet Plinius 17. cap. 24. Araneum esse laruam insecti ex genere Linn. Chermes, quod circum axillas foliorum et petiolos florum habitat lanugine alba opertum, et succum oleae exhaurit inserto aculeo, recte censet Bernard p. 282. qui monet, in Prouincia Gallica rusticos morbum hunc vocare *Coton*, propter similitudinem cum tela bombycina. Patella Theophrasti mihi videtur esse Coccus, in olea habitans, cuius noxam demonstrauit Bernard p. 275.

emorietur] Recte ita libri optimi pro *morietur*. De olea idem verbum posuit V. 8. 7.

4. *consuetudinem*] Libri plurimi omittunt *tractu* et *oppositas* praeferunt. Vitium vulgatae manifestum est. Nam arbusculae ipsis quibus steterant cardinibus opponendae sunt, vt tradit etiam Palladius III. 19. si igitur diuersis cardinibus opponantur, frigore aut calore laborabunt partes, alii cardini oppositae. Igitur malim: *quas contra* (ita enim Sang.) *consuetudinem alii tractu oppositas habuerint.*

Cap. XVIII. *Pomarium*] Eadem noster supra V. 10. vbi vide notas.

Praefracta] Ita recte libri optimi pro *perfrecta*. Ex antiqua lectione alterius loci *tractata* Vrsinus h. l. malebat: *pertractata.*

Cap. XIX. *patentioresque*] Ita legendum esse vidit etiam Vrsinus pro *potentioresque.*

2. *raris interuallis*] Ita pro *paribus* vel *pares* scribi iussit Vrsinus, deinde Pontedera, quibus obsecutus est Gesner.

3. *interraseris*] Quam varietatem ad *versuris* sequens retulit Gesner, ea huc pertinet. *Interuulseris* etiam Pontedera recta in vtroque loco praefert. Verum ipse etiam Gesnerus vidit vocem *versuris*, quae in fine capitis vulgo additur, ab ipso recte inclusam, nihil esse nisi varietatem verbi *interraseris* alieno loco adscriptam a librario. Ad eam igitur pertinet varietas libri Pol. *volseris*. Lips. *volsetis*. In Sang. *volseris* puncta supposita habet. Equidem plane deleui

ver-

verſuris. In Bruſch. pro *interraſeris* ſcriptum eſt *inter vaſeris.* vnde fere patet origo varietatis.

Cap. XX. *Sed ſi cum*] De lectione vide ad V. 10. Multa enim vtrobique vitioſa correxi loca.

Cap. XXI. *ſed diſpari*] Multum in concinnando hoc loco laborauit Pontedera, nec ipſe ſibi ſatiſſecit. Id tamen recte vidit, ſenſum eſſe: *ſed pro differentia (generis) diſpari loco ſeruntur.* In libro V. eſt: *ſed pro differentia agri ſeruntur.* Itaque lectionem Lipſ. *ſed dis — ro differentia agri pari loco.* quocum ſentit Sang. qui clarius *ſed diſpro diff.* habet, et cum I. B. Br. R. ſimiliter pari loco addit, ita interpretor, quaſi *diſpro* diuellendum ſit ita: *ſed pro differentia diſpari loco ſeruntur;* eamque ipſam lectionem aſſecutus divinando fuit Pontedera.

hibernas] Vulgo additum *ſerotinas* cum Pontedera deleui, ortum ex varietate verbi *ſerito.* Deeſt etiam altero in loco. Hibernae ſatis intelliguntur eſſe ſerotinae.

Cap. XXII. *quae prima gemmaſcit*] Ex loco ſimili V. 10. 12. vulgatam et vitioſam huius loci lectionem iam olim correxerat Vrſinus. Sed ibi recte duo libri optimi habent *quia prima.* quae lectio et h. l. reſtituenda eſt. Nux graeca eſt amygdalus, quae omnium prima vere gemmaſcit et floret.

protinus] Altero in loco eſt *plerumque putreſcit.*

naſcetur] Altero in loco *frondebit.* Quae de radice ſequuntur et parte acutiore ad librum V. explicui.

2. *nuxque a nuce minime palmo abſit*] Haec verba ſtatim poſt *ſtatuito* eſſe inſerenda, et ratio docet et locus alter Columellae.

extenſa] Altero in loco erat vulgo: *et ex ſummo duum ramorum ambas radices.* Sed in Goeſ. libro eſt *ex ſe modum ramorum duas.* in Sang. *ex ſe in modum ramorum alias.*

Tarentinam] Recte, puto, libri duo optimi *Tarentinas.* Vulgata tamen etiam in altero loco exſtat. Mecum ſentit Pontedera.

3. *nucem*] Altero in loco *nuces,* atque hoc etiam libri optimi praeferunt h. l.

in modum] Alibi *pro modo.*

repangito] Praefero quod altero in loco liber Sang. habet *pangito.* Ex hoc forte ortum *facito* et *iacito* quod libri ſcripti h. l. habent.

Cap.

Cap. XXV. 2. *cum creuerint*] Pontedera praeferebat lectionem *tenuerint*.

Cap. XXVI. 1. *fructum etiam*] Ex altero loco supplet Pontedera: *fructum etiam similem et eodem tempore.*

Vnum cum] Ita recte Sanct. Vrsinus malebat *vnum quo;* deinde idem recte vulgatum *arbore* corrigi ex altero loco iussit.

alterum quo] Ita correxi vulgatum *quod* nullo modo ferendum, cum ipsa arbor recipere dicatur surculum vel gemmam.

2. *bisulci*] Vrsinus malebat *bifurci.* Gesner vulgatam defendit, quae mihi tamen poetam magis decere videtur.

5. *dilabatur*] De hoc loco vide ad V. 6. notam.

8. *deinde in qua*] Vulgatum *ex qua* cum Morgagni correxit Gesner. Sed praestat annotare lectionem Sang. a Gronouio excerptam: *circumcise diligenter ne g. laedas delibrato. item quam arborem inf. v. in ea nit. ram. eligitio et eiusdem spatii cort. circumcidito et delibrato ante in eam p. q. nudaueris.*

nudaueras] Morgagni praeferebat lectionem *nudaueris;* at sequitur *sumseras* quod item corrigendum erat.

9. *supra ramum*] Hoc cum Pontedera ex libris optimis reposui pro *superiores ramos*, etsi sic etiam legitur cap. 12. s. 11. libri V. et apud Palladium.

aut cui magis] Vrsinus praeferebat lectionem alterius loci *aut ne cui magis.*

Cap. XXVII. *quod quisque*] Hunc ordinem vt rectiorem praetuli, exemplis pluribus Columellae admonitus. Reliquam huius capitis varietatem iudicauimus ad Colum. V. cap. 11.

4. *ramulos oliuae a matre*] Edd. primae post *oliuae* addunt *ramosa* Lips. *ramos.* Sed in Sang. pro praepositione *a* esse *ramosa* annotauit Gronouius. Itaque olim fuit scriptum: *velut propagines, oliuae ramos a matre resecabis.*

Cap. XXVIII. *quem Graeci*] Inclusa recte omittit Sang. nec simile aliquid legitur libro V. 12. vbi verbotenus eadem traduntur; atque ad eum locum varietatem lectionis omnem iudicauimus, et de cytiso ipso tradidimus. Quare breuiter haec transcurrere licebit. Vocabula graeca alibi annotata nondum reperi. Κορνίκην Sylburgius in Indice Commel. dictam putat, quod κάρνοις, i. e. pecudibus sit gratissima.

Vide Hesychium in *κάρνος* — *βόσκημα*, et *Καρνοστάσιον*. Cum Pontedera Schoettgen spuria haec omnia verba censebat, quae Sylburgius crucicula signauerat.

3. *in modum horti*] Quod est in Edd. vetustis *in modum erui* Pontedera comparabat cum loco nostri: *semen violae, sicut olerum, in areis seritur.* Sed adest iam porri apud Plinium, ocimi apud nostrum comparatio.

4. *Potest etiam*] In altero loco: *potest etiam circa* (vulgo ante) *Septembrem satis commode ramis cytisus seri, quoniam facile comprehendit, et iniuriam sustinet.*

exiguius] Alibi *parcius.* Vulgatum *exiguum* correxit Victorius ex libris, et exempla duo similia ex libro Florentino Pandectarum attulit.

adsiccato] Alibi *exsiccato.*

Cap. XXIX. *Calendas Martias*] Plinius 17. c. 30. no. 6. *Salici, genistae* (serendis tempus) *circa Martias Calendas. Hanc in siccis semine, illam in humidis virga seri diximus.* vnde, et ex loco nostri V. 31. vbi per arida loca genistam postulare salices non recipere ait, veram esse apparet emendationem Pontederae legentis: *genista autem sicca.*

seritur, quos] Recte Pontedera corrigit *seritur radicibus, quos.* Gesner intelligebat *his, quos alii bulbos* etc.

Cap. XXX. *facturus est*] Morgagno *saturus* emendanti opposuit Gesner ex Varrone I. 7. 2. facere frumentum, ex II. 6. 1. facere gregem asinorum, ex Columella XII. 40. 1. facere vinum, ex Catone 52. vitem facere, ex cap. 65. 1. oleam facere. Sed loca ista aut sunt dubia aut plane diuersae naturae. Quare malim *violarium facturus.*

puluinos] Decliues facit Varro I. 35. vbi vide notam. Geoponica XI. 23. post Idus Martias plantant, et post Calendas Maias; violas albas Ianuario vsque ad VII. Idus Februarias transferunt.

2. *fructibus*] Ita non dubitanter scripsi ex libris optimis, pro *fruticibus.* Palladius enim rosaria ait conseri *vel virgultis vel etiam semine.* Monuit de vitio etiam Morgagni, qui deinceps *sulcos perlales* ex Edd. primis restitui iussit pro *surculos*, vel quod aliae habent, *sulculos* vel *surcos*; quod fecerat etiam Gesner. Vide omnino ad Palladium Februar. XXI. et Nouembri XI.

INTER-

INTERPRETATIO
TABVLARVM
IN AERE
EXPRESSARVM.

Quoniam in ſecundo volumine et duobus proximis Vitium cultus peculiaribus vocibus, quae ab iis, qui in re ruſtica minus verſati ſunt, non ita facile intelligi poſſunt, praecipitur, operae pretium futurum exiſtimo, nonnullas figuras adiicere, quibus huiuſmodi res ſub oculos poſitae explicantur a Pontedera. Haſce vero in duas aereas tabulas digeſſerat, quibus tertiam ex Antiqq. p. 523. 524. addidi, quas omnes ipſe vir doctiſſimus his verbis explanauit.

TABVLAE PRIMAE EXPLICATIO.

FIGVRA 1. Vitis florem, cum primum euoluitur, exhibet, in qua per literam *a petiolus* indicatur;

per *bbbbb* quinque calicis *d* partes inſtar radiorum ſtellae diſpoſitae, quae circumquaque infimae receptaculi parti *e* vniuntur,

ſtamina *c*, frumque inter ſtamina collocatum continentes. Haec porro clarius exponuntur in

FIG. 2. per eaſdem literas indicatis partibus, nempe per *a* petiolo; per *bbbb* calycis partibus ab receptaculo *e*, dum ſtamina *cccc* expanduntur, diuulſis, quarum vna pars adhuc receptaculo in *e* adhaeret.

Hiſce figuris ſatis plane, vt arbitror, ſub oculos ponitur Vitis florem non eſſe petaloden, vt nonnulli crediderunt, ſed apetalum; quod enim dicitur petalum ſiue petala [nam pluribus petalis componi huiuſmodi florem afferit Tournefortius] calyx eſt in quinque partes diuiſus, quibus

receptaculo affigitur, ad centrum tamen integer: quod in aliis floribus non contingit. Expansis staminibus apicibusque, diuellitur ab iisdem de receptaculo calyx, et ad terram decidit, quod non fieret, si petalum esset calyx.

FIG. 3. Vitis flos iam expansus decusso calyce indicatur: *a* petiolus,

bbbbb quinque apices totidem staminibus impositi, quae receptaculo *d* adhaerent;

c embryo inter stamina apicesque collocatus.

FIG. 4. 4. Embryo sine staminibus apicibusque: *a* petiolus; *b* embryo *c* tuba; *e* receptaculum.

FIG. 5. Embryo adauctus et maturus: *a* petiolus; *b* receptaculum; *c* fructus qui *acinus* dicitur.

FIG. 6. Fructus per centrum diuisus, in qua *aa* acini corpus; *ee* semina.

FIG. 7. Semina quae *γίγαρτα* appellantur a Graecis, *vinacea* a Latinis, *vinacciuoli* vernacula lingua.

FIG. 8. *Racemus*, i. e. acinorum *aaaaa* congeries.

Haec porro de Vitis flore fructuque, quo plenius Vitis natura cognosci posset, praemittere inter necessaria esse iudicaui, quae licet a veteribus neglecta, recentiores tamen diligenti admodum cura persecuti sunt.

FIG. 9. *Pampinus* eius partes ostenduntur.

Pampinus autem Vitis sarmentum tenellum dicitur, (vnde pampinatio, i. e. inutilium pampinorum detractio) quod dum induruit, *materia et palmes* vocatur. Nonnunquam tamen pampinus etiam Vitis folium appellatur. Isid. l. 17. c. 5. *Pampinus est folium cuius subsidio vitis a frigore vel ardore defenditur, atque aduersus omnem iniuriam munitur. Qui ideo alicubi intercisus est, vt solem ad maturitatem fructus admittat, et* [quid si *ne?* G.] *vmbram faciat. Et dictus pampinus quod de palmite pendeat.* M. Tullius libr. de senect. *a qua vua oriens sese ostendit, quae et succo terrae et calore solis augescens primo est peracerba gustui, dein maturata dulcescit, vestitaque pampinis, nec modico tepore caret, et nimios solis defendit ardores.* Colum. l. 3. c. 2. f. 12. *crebram quoque materiam* (vitis *lanata*) (*aminea* dicta) *fundit, atque ideo propter pampini densitatem saepe parum recte defloresci.* It. sect. 13. *singularis habetur aminea maiori germanae non dissimilis, prima specie pampini, et trunci.* Virgil. Georg. I. 449.

Heu male tum mites defendet pampinus vuas.

(De

(De pampini notione plura dixi ad Caton. c. 33. 4. Varr. I. 31. Colum. IV. 6 et 27.).

Aa itaque pampinus truncus in *a*.

Bbbbb folium idemque frons;

Cc Cc nepotes. Nepos pampinus est de foliorum alis egrediens, ita dictus, quoniam tertius est a flagello; nam flagellum gignit pampinum, pampinus vero nepotem. De hoc Colum. l. 3. c. 6. 2. ita loquitur: *Si etiam* (vitis) *nepotum fructu grauida est.* It. l. 4. c. 6. 4. *et omnes eius intra id spatium nepotes enatos saepius decerpemus;*

dddd capreolus itemque *clauicula; Is*, vt ait Varro l. 1. cap. 31. *est coliculus viteus intortus, vt cincinnus. Is enim vites vt teneat serpit ad locum capiundum ex quo a capiendo capreolus dictus.* M. Tullius libr. de Senect. *Vitis quidem quae natura caduca est, et nisi fulta sit, fertur ad terram, eadem vt se erigat clauiculis suis quasi manibus quicquid est nacta complectitur.* Colum. l. 4. c. 6. 2. *Dum clauiculis suis quasi quibusdam manibus adminicula comprehendant.* Pallad. l. 3. tit. 13. *Putandi autem ratio talis est, vt et vetera sarmenta, quibus primi anni fructus pependit, omnia recidantur, et noua circumcisis capreolis et ramulis inutilibus* (nempe nepotibus) *dimittantur.* Isid. l. 3. c. 3. *Caprioli dicti, quod capiant arbores; sunt enim cincinni siue vncinoli: quibus se innectere vites et suspendere solent arboribus, quo adminiculo freti palmites, ventos ac turbines continere queant, et sine lapsu pediculorum fructus suos sustineant.* (Vide notam ad Varronis locum.)

E folium truncum:

F capreolus pariter amputatus.

FIG. 10. Vitis tenella vt adminiculis pedatur putaturque.

aaaaa pedamenta duo pro quibus in nonnullis regionibus vtuntur arundinibus; *bb* vimina, quibus vitis ad pedamenta firmatur;

cc hornotinae materiae pars duabus vel tribus gemmis instructa veteri sarmento *dd* adhaerens;

e gemma s. *oculus.* De gemma haec ap. M. Tullium libro de Senect. leguntur: *Itaque ineunte vere in iis quae relicta sunt, existit tanquam ad articulos sarmentorum ea, quae gemma dicitur, a qua oriens vua sese ostendit.*

Quidquid vero inter *c* superius et *e* gemmam intercedit, ipsa gemma iam in pampinum abeunte, vocatur *vnguis.*

Vngues, inquit Colum. l. 4. cap. 24. 8. *custodum annotinos resecato.* Id repetit Pallad. l. 3. tit. 12. *Vngues etiam custodum siccos et annotinos recide.*

FIG. 11. Vitis nouella vt germinat et pampinatur:
aaaa pedamenta duo;
bb vimina;
cc vetus sarmentum siue vitis caudex;
de hornotina materia relicta in putatione, et amputata in *e*;
e vnguis;
fffff folia;
ggg pampinus, qui flagellum euadit;
ooo nepotes;
iii capreoli.

FIG. 12. Vineam iugatam exhibet, eandemque canteriatam, a canterio dictam.
Canterium CC transuersa est pertica aut arundo ad pedamenta firmata, quo non tantum in vitibus vtuntur agricolae, verum etiam in aliis stirpibus pedandis alligandisque, vt de *cepis* praecepit Colum. l. 11. c. 3. 58. *Deinde cum fecerint eaulem, humilioribus quasi canteriolis interpositis rigorem stylorum conseruato; nam nisi arundines transuersas in modum iugatae vineae crebras disposueris, thalli ceparum ventis prosternentur:*
AAA etc. etc. Vites tres;
BB etc. pedamenta, quae si angulata sint, i. e. si fiant ex taleis cuneo scissis, dicuntur *ridicae;* si vero teretia, *pali.* De huiusmodi pedamentis ita Varro l. 1. c. 8. *Pedamentum item fere quatuor generum, vnum robustum quod optimum solet afferri in vineam e quercu vel iunipero, et vocatur ridica: alterum palus e pertica, melior e dura, quod diuturnior.* Planius Colum. l. 4. c. 26. 1. *Sequitur adminiculandae iugandaeque vineae cura, cui stabiliendae melior est ridica palo, neque eu quaelibet: nam praecipua cuneis fissa olea, quercus et suber, ac siqua sunt similia robora.* Et cap. 33. 4. *Etenim taleae propius stirpem recisae quadrifidas plerumque ac deinde secundae taleae eiusdem arboris bifidas ridicas subministrant, quod genus fissilis adminiculi manet diutius quam teres palus.*
aaa iugum;
bbb flagella s. palmae aut palmites eademque *materia.*
ccc etc. *torus*, h. e. ligatura s. vimen, quo Vitis ad pedamenta aut arbusta iungitur, et alligatur, de quo Colum.

l. 5.

l. 5. c. 6. 25. *Vitisque nouella tribus toris ad arborem religetur, vno, qui est in crure arboris a terra quatuor pedibus distans: altero, qui summa parte vitem capit: tertio, qui mediam vitem complectitur.* Item lib. de Arb. c. 16. 4. *Diutiusque* (vitis) *perennat, quae firmis toris, et idoneis locis religata est; itaque omnibus annis conuenit subsequi putationem, ita, vt tori renouentur.*

ddd etc. pali, quibus materiae in compluuium demissae alligantur. *Compluuium* autem dicuntur palmae ab altiori iugo ad humiliores palos plures descendentes. Colum. l. 4. c. 26. 3. *directaeque palmae per iugorum compluuia decurrant, et veluti mersae cacuminibus in terram despiciant.*

FIG. 13. Differt a fig. 12. quoniam non simplicis compluuii, sed gemini hinc et hinc decurrentibus palmitibus vineam exhibet:

bbb etc. palmites ab vna parte demissi atque palis *aaa* etc. annexi;

ccc etc. alii palmites ab altera et opposita parte ad palos *ddd* etc. in compluuium directi.

FIG. 14. Iugatae et compluuiatae vineae genus exponit, quod frigidis ac nebulosis locis aptum habetur, quo non in compluuium decurrunt materiae, sed sursum a iugo ad palos feruntur. Hoc genere, aere et sole facilius admissis vuarum maturitati atque integritati consulitur:

aa canterium de quo ad alterum canterium *bb* surgunt palmites *ddd* etc.

ccc pali siue perticae quibus altius canterium firmatur.

TABVLAE SECVNDAE EXPLICATIO.

FIG. 1. *Malleolum* sub oculos ponit. Quid vero sit *malleolus*, ipsius Columellae verbis referam: *Malleolus*, inquit l. 3. c. 6. 3. *nouellus est palmes, innatus prioris anni flagello, cognominatusque a similitudine rei, quod in ea parte, quae deciditur ex vetere sarmento, prominens vtrinque malleoli speciem praebet.* Quem locum ita excerpsit Isidor. l. 17. c. 5. *Malleolus est nouellus palmes innatus prioris anni flagello, cognominatusque ob similitudinem rei, quod in ea parte, qua deciditur ex veteri sarmento, prominens vtrunque* (lego vtrinque) *mallei speciem praebeat.*

A pars noui sarmenti; *bb* veteris;

c pars sarmenti summa a malleolo in *d* abscissa, quam vocant *sagittam*. De qua Colum. l. 3. c. 10. 21. haec litera

ris mandauit: *Nam si sagittam, id est, superiorem partem malleoli, vituperandam censebant, cum esset eadem pars surculi frugiferi.* It. cap. 17. 2. *Caeterum omnem sagittam repudiauerunt. Sagittam rustici vocant nouissimam partem surculi, siue quia longius recessit a matre, et quasi emicuit, atque prosiluit: siue quia cacumine attenuata, praedicti teli speciem gerit.* Quem imitatus Isidor. l. 17. c. 5. haec non absimilia de sagitta memoriae mandauit: *Sagittam rustici vocant nouissimam partem surculi: siue quia longius recessit a matre et quasi prosiluit: seu quia acuminis* (an *cacuminis* vt Columella?) *tenuitate teli speciem praefert.*

eeee gemmae, *internodia* autem, quae inter gemmas spatia.

FIG. 2. Malleolus ostenditur sine vetere sarmento recisus, vt ab Iulio Attico, et Cornelio Celso traditum est, quem ita descripsit Palladius l. 3. tit. 9. *Ad pangendum novellus palmes debet eligi, duri in se nihil habens, et veteris sarmenti, quia hoc putrescente saepe corrumpitur.* De eodem loquitur Colum. l. 3. c. 17. 3.

FIG. 3. Vitem exhibet sine adminiculis quo facilius ipsius partes indicari possint.

aa vitis truncus;

bcbe sarmentum de duro citatum (*pampinarium* vocant, idemque *spadonem* si circa superiorem Vitis partem nascatur) quod deorsum curuatur in *c*, terraque ita obruitur, vt in *eb* emicet, id vocatur mergus, quem Colum. l. 4. c. 15. 2. ad hunc modum commemorat: *Mergi genus est, vbi supra terram iuxta suum adminiculum vitis curuatur, atque ex alto scrobe submersa perducitur ad vacantem palum.* Pallad. autem ita l. 3. tit. 16. *Mergum dicimus, quoties velut arcus supra terram relinquitur, alia parte vitis infossa.*

f custos idemque *resex praesidiarius aut subsidiarius pollexue.* De quo Colum. l. 4. c. 21. 3. *In pollicem tondeatur* (colis) *quem quidam custodem, alii resecem, nonnulli praesidiarium appellant, i. e. sarmentum gemmarum duarum, vel trium, ex quo cum processere fructiferae materiae, quidquid est supra vetusti brachii amputatur, et ita ex nouello palmite vitis pullulascit.* It. Pallad. l. 3. tit. 12. *ita vt conseruemus semper in inferiore parte custodem.*

gggg Vitis brachia eademque *duramina* vel *duramenta*, vt extat ap. Colum. lib. 4. cap. 21. 1. *Quaternisque brachiis,*

chiis, quae duramenta quidam vocant, diuidatur in totidem partes.

h focaneus palmes, qui vt idem Colum. l. 4. c. 24. 10. praecepit, *solet in bifurco medius prorepere, et idcirco eum praedicto vocabulo rustici appellant, quod inter duo brachia, qua se diuidit vitis, enatus velut fauces obsidet, atque vtriusque duramenti alimenta praeripit.* De eodem Pallad. l. 3. tit. 12. *Focaneus etiam, qui inter duo brachia medius nascitur, debet abradi:*

iii etc. *flagella.*

Huius modi porro vitis si per singula duramenta adminiculis firmetur, ac palmites in gyros orbiculosque flectantur, vineae, quam veteres *characatam* dixerunt, praestabit speciem. Hanc ita descripsit Colum. l. 5. c. 4. 1. *Mox* (vineae) *quae defixis arundinibus circummunitae per statumina calamorum materiis ligatis in orbiculos gyrosque flectuntur; eas nonnulli characatas vocant.* Et Pallad. l. 3. tit. 11. *aliud genus est, in quo cannis pluribus circa dispositis, ipsa vitis per cannas sarmentis ligatis in orbiculos flectitur se sequentes.*

FIG. 4. Cum quatuor praecipua vinearum genera sint, *arbustiuae, iugatae, humi proiectae*, ac deinde quartae, quae a terra subrecta sine pedamentis more arborum ipsa consistit, haec nunc ostenditur quam Colum. l. 5. c. 4. 1. hoc modo commemorauit: *Vinearum prouincialium plura genera esse comperi. Sed ex iis, quas ipse cognoui maxime probantur, velut arbusculae breui crure sine adminiculo per se stantes.* Pallad. quoque l. 3. tit. 11. *Viueae in prouinciis multis generibus fiunt: sed optimum genus est, vbi vitis velut arbuscula stat breui crure fundata.*

a a truncus siue caudex;

b furunculus, i. e. *gemma verrucae* similis, quae a vineatore relinquitur ad reuocandam vitem, si longius processerit, ex qua materia citatur, Colum. l. 4. c. 24. 5. *Ne aut pampinarius palmes, aut verrucae similis furunculus relinquatur.* It. 17. *Sed si resecis facultas non erit, circumspiciendus est furunculus, qui quamuis angustissime praecisus in modum verrucae proximo vere materiam exigat.*

Brachia *c c c*

ex quibus ortae palmae *d d d d d* ad tres quatuorue gemmas reciduntur, ne si longiores relinquantur ad terram Vitem trahant.

FIG. 5. 5. 5. 5. 5. stratae ac per terram proiectae vineae speciem repraesentat, cuius ea est ratio, vt altera vitis

alteri per brachia ac per materias innitatur, quo minus humum contingat, ne vua computrescat. Hoc vineae genus describitur à Colum. l. 5. c. 4. 2. *Vltima conditio est stratarum vitium, quae ab enata stirpe confestim velut proiectae per humum porriguntur.* Et Pallad. id repetit l. 3. tit. 11. *vltimae*, ait, *positionis vitis est, quae per terram proiecta discumbit.*

FIG. 6. tribus vinearum generibus expositis nunc quartum quod est *arbustiuae vineae* indicatur. Diuiditur hoc bifariam in *arbustum Italicum et arbustum Gallicum. arbustum Italicum* paullo altius attollitur quam *Gallicum.* Vtriusque culturam tradidit Colum. l. 5. Italici quidem c. 6. vt patet ex vltimo membro: *Atque haec de Italico arbusto satis praecepimus. Gallici* vero c. 7. *Est*, inquit, *et alterum genus arbusti Gallici, quod vocatur rumpotinum.* Id desiderat arborem humilem nec frondosam. Figura itaque 6. Italici arbusti cum suis vitibus formam ostendit, at fig. 7. α 7. 70. Gallici.

aa igitur fig. 6. vites arbori iunctae ac maritatae;

bb arboris caudex;

dddd rami, in quos diducitur arbor, qui *tabulata* dicuntur: *hoc enim nomine* (verba sunt Colum. l. 5. c. 6. 11.) *vsurpant agricolae ramos truncosque prominentes.* De eadem re Virgilius quoque Georg. I. 358 sqq. sic cecinit:

Tum laeues calamos, et rasae hastilia virgae,
Fraxineasque aptare sudes, furcasque bicornes,
Vitibus eniti quarum, et contemnere ventos,
Assuescant, summasque sequi tabulata per Vlmos.

ccccc Vitis duramenta:

ee tori, qui bini tantum in singulis arboribus adhibentur, nam tertius quem veteres apponebant, vt cum primum vites tenellae maritantur, necessarius habetur, ita in adultis plerumque superuacaneus, nisi vitis vitiose detorta, (vt fig. 70. in qua tribus toris ααα vitis alligatur) eum exigat; ideoque eo priscam aetatem non semper vsam ipse testatur Colum. V. 6. 25. *Torum*, inquit, *imum imponi tum oportet, cum vires viti adimit: interdum enim necessarius habetur, cum aut arbor siue ramis truncata est, aut vitis praeualens in luxuriam enagatur.* (sed vide notam ibi.)

FIG. 7. α 7. 70. arbustum Gallicum, quod *rumpotinum* vocant, id est, humilioris positionis arbustiuam vineam demonstrat;

aa vites;
bb arborum trunci;
cccc tabulata;
ααα tori;
ddd Vitis brachia;
e fig. 7. *α* ostendit sarmentum quod de tabulato praecipitatur, alligaturque in duro per torum *e;* nam ex vetere sarmento *ff* materiae oriuntur. Huiusmodi materiae *praecipites palmites* (vt docet Colum. l. 5. c. 6. 33.) *dicuntur, qui de hornotinis virgis enati in duro alligantur;*

gggg traduces de quibus Colum. l. 5. c. 7. 3. *Vt noui traduces omnibus annis inter se ex arboribus proximis connectantur.* Item 4. *si tradux traducem non contingit media virga inter eas deligetur.*

INTERPRETATIO TABVLAE TERTIAE.

Figura I. arbustum Italicum adumbrat, quod Columella affabre exprimit, quodque in meis fundis excolendum curaui, quale putator exornat, digestis per tabulata vitium brachiis, et palmitibus in fructum demissis.

Altera figura *latum sarmentum* refert, quod libro IV. 24. 7. viti demendum tanquam inutile Columella praecepit. Id quid sit, quoniam vulgo ignoratur, noscere oportet et qua ratione in latitudinem extensum sic vocetur. Latum igitur sarmentum ex binis plerumque, sed proximis oculis, cum geminus coles sit, per medullam coalescit, ideo non teres, verum compressum et late expansum gignitur, quovsque separetur. Nonnunquam ex vnica gemma, sed animalculi vulnere laesa protruditur. Hoc tamen, etsi optimum locum teneat, in materiam non submittitur, quoniam sterile et pampinarium habetur, sed deiicitur putando.

Tertia *draconem* ostendit, de quo fit mentio apud Plinium libro XVII. vbi palmes emeritus vocatur, plurimis annis induratus. Porro draco, (cuius nomen iam Italis defecit, quamuis vsus in agris retineatur) productissimum est sarmentum de extrema palmata excultum, gemmis, capreolis ac nepotibus circumcisis, cacumine tenus, qua parte, quatuor vel quinque gemmis relictis, in totidem capita praelongatur, ex quibus in annum insequentem flagella emittit, quae proximi vacuique arbusti arbusti statumina exornant.

Saepenumero, vt etiam memorat Plinius, non per arboris tabulata digeritur, draco, sed ad imum truncum in demortuae vitis locum demittitur, effossaque terra in mergum

gum obruitur, flagellis binas gemmas extollentibus. Hac via ex demersis oculis citissime elicitur radix. Sin autem vetus materia, id est, e draconis corpore, humo tegitur, quoniam de duro non facile citantur radices, corticem deradere et minutissimis ictibus cultri cuspide circumcidere arboratores solent. Sic recisae fibrillae extra materiam elongantur, atque in radicem crescunt.

Draconem in mergum curuatum, et a vite, remota arbore, productum quarto et quinto loco tibi tabella ostendet. Cuius tamen cultus non perinde fit et fieri debet, ac per Plinium, vt in vulgatis est, docetur. Primo enim anno totius draconis alimento propaginem nutriendam relinquunt, altero prope solum draco ad medullam secatur; tertio demum totus draco, tam a mergo quam a vite, vnde productus fuerat, deciditur abiiciturque. At Plinium docentem faciunt: *Hunc praecisum quam maxima amplitudine tribus partibus longitudinis deraso cortice, quatenus obruatur, (vnde rasilem vocant) deprimere sulco, reliqua parte ad arborem erecta, ocyssimum in vite.* Nam si palmes annotinus et brevis in scrobem depressus matri per duos annos alendus committitur, cur draco tam crassus, oblongus et vetus, plurimis praeterea sarmentis onustus, statim a stirpe distringitur et separatur? Non scriptum est hoc loco a Plinio, traducem bimum praecidi, cum oneratis melius sit donare tempus? Et quid materiae amplitudine grauius laborat, quam draco? Expedit itaque non *praecisum* positum esse a Plinio, sed vel *praecipuum q. m. amplitudine*, vel *praecelsum* vel *praecipitem*, vel quid item quod proposita ratio poscit.

Fig. I. Arbustum Italicum exprimit.
aaaa Arbustum.
bbbbbb Tabulata.
ccccc Vites.
dddd Tori.
eeee Duramenta.
ffff Brachia.
gggg flagella in fructum demissa.

Fig. II. latum sarmentum ostendit.

Fig. III. Arbustum Italicum, quale Fig. I. refert.
aaa Draco.

Fig. IV. Vitem arbustiuam, remoto arbusto, imitatur.

Fig. V. arbustum remota vite repraesentat.
bbb Draco, qui ad viduatum arbustum.
cc promittitur et in mergum curuatur.

ccc Flagella draconis, quae in ſcrobem hinc et hinc ad arbuſtum in propaginem humantur.

ddd ſumma pars flagellorum, quae extra terram attolluntur cum gemmis.

Hucuſque Pontedera; qui tamen in priore Italici arbuſti imagine deſcribenda a diſciplina Columellae aberraſſe videtur, hincque nouam eiuſdem iconem ipſe errore ſuo animaduerſo ſubieciſſe. Meminit enim in interpretatione ſtatuminum, etiam in icone appoſitorum, quae nulla ſunt in Italico Columellae arbuſto. Neque etiam tabulata rite expreſſit imagine, quae vera exhibet Tabula tertia. De ſarmenti lati interpretatione non poſſum viro docto non aſſentiri, etſi icone ad eam rem non erat opus, praeſertim tam minuta et obſcura. Supereſt draco, in cuius interpretatione mihi Pontedera a ſententia Plinii iterum aberraſſe eiuſque locum correctione ſua corrupiſſe potius quam illuſtraſſe videtur. Locum igitur integrum nunc videamus libro XVII. c. 23. ſect. 23. *in arbuſto e praedictis ſola viuiradicum ratio item propaginum, et haec gemina: qualorum in ipſo tabulato maxime probata, quoniam a pecore tutiſſima eſt: altera deflexa vite vel palmite iuxta ſuam arborem aut circa proximam coelibem. Quod ſupra terram eſt e matre, radi iubetur, ne fruticet; in terra non pauciores gemmae quatuor obruuntur ad radicem capiendam; extra in capite binae relinquuntur. Vitis in arbuſto quatuor pedes in longo conſtat omni ſulco, tres lato, alto duos cum ſemipede. Poſt annum propago inciditur ad medullam vt paulatim radicibus ſuis aſſueſcat; caulis a capite ad duas gemmas reciditur: tertio totus mergus abſcinditur, reponiturque altius in terram, ne ex reciſo frondeat. Tolli viuiradix a vindemia protinus debet.* Hanc geminam rationem viuiradicum et propaginum in arbuſto memorauit etiam Columella. Viuiradicibus enim arbuſtum maritare docet V. cap. 6. ſect. 18. quibus ſcrobem maiore longitudine praeparat, quam Plinius ſulco propaginis deſtinat. Contra arbuſtum vetuſtum rarum et viduatum frequentare propaginibus melius cenſet Columella quam viviradicibus ſect. 37. Vtriuſque generis rationem in arbuſto conſimilem ait eſſe ei, quam in vineis tradiderit IV. 15. vbi mergus quomodo fieret, docuit. Ab hoc vtroque genere, viuiradice et propagine ſeu mergo diuerſum genus tertium commemorat his verbis: *Nuper repertum draconem ſerere iuxta arborem. ita appellamus palmitem emeritum pluribuſque induratum annis. Hunc praeciſum* etc. Diuerſum a vulgari mergo genus indicat praeter nouitatis commendationem ad-

ditum a Plinio verbum *serere*, quod miror Pontederae non statim occurrisse hodiernum morem cum vetusto hic male comparanti et locum intempestiua correctione deprauanti. Non meminerat loci Senecae Ep. 86. vbi oliuetum vetus transferri posse docet, decisis arbori ramis et radicum capite, totoque trunco translato in scrobem altum atque per infernam partem raso quo facilius radices citet nouas. Addit: *illud etiam nunc vidi vitem ex arbusto suo annosam transferri. Huius capillamenta quoque si fieri potest colligenda sunt, deinde liberalius sternenda vitis, vt etiam ex corpore* (raso scilicet) *radicescat. Et vidi non tantum mense Februario positas, sed etiam Martio exeunte.* Haec igitur ratio post Columellae aetatem viuente tamen adhuc Seneca excogitata fuisse videtur, aut a Columella contemta. Ceterum draconem dici sarmentum ex crure vitis per truncum ad tabulata arbusti perductum docet locus Plinii 14. sect. 3. *puroque perducto dracone in palmam* (populi) *eius, inde in subrectis ramorum digitos flagella dispergunt.* In arbusto etiam Gallico draconem nominat Plinius 17. f. 35. no. 25. vbi traduces significare videtur: *alias vtile toros* (i. e. crassitudinem) *futuri draconis pasci.* Nomen a serpentino reptatu per arboris tabulata duxisse videtur draco hic; vitis dracontia Columellae III. 2. 28. vnde duxerit, ignoro.

CORRI-

CORRIGENDA ET ADDENDA

IN

COMMENTARIIS AD COLVMELLAM.

P. 8. l. 22. lege: *esse, Gesnerum monuit I. A. Fabricius.*
P. 15. l. 26. — *del Tratado*
P. 16. l. 21. — *Este pan*
— l. 31. — *come la ceuada.*
P. 19. l. 26. — *lectionem vulgatae*
P. 23. l. 12. — *vineas easque plurium*
P. 33. l. 38. — Scaeuolae fundus careret,
P. 35. l. 29. — ὁ Καυκῖνος
P. 37. l. 31. — *Appellationem inusitatam, rationi certe*
P. 38. l. 9. — *esse demonstraret.*
— l. 26. adde: *De ordinatione partium vrbanarum quaedam etiam Palladius I. 9 et 12. Varro I. 12. villam ad exortus aequinoctiales positam censet aptissimam, quod aestate habeat vmbram, hieme solem. Sed is in parte vrbana lacunosus accuratius situm et partes rusticam et fructuariam describit I. 13. Nisi forte dicas contemsisse Varronem villas vrbanas temporis sui vt nimis luxuriosas. Obiter enim I. 13. sect. 6.* taxat eas: hi laborant vt spectent sua aestiua triclinaria ad frigus orientis, hiberna ad solem occidentem: *In parte rustica duas cohortes instruit sect. 3.* vna vt interius compluuium habeat lacum, vbi aqua saliat, quae intra stylobatas eum venit, fit semipiscina: *Ad quem locum quae fuerunt adnotata, egent aliqua correctione. Primum enim* fit *legendum censeo. Deinde* lacum *mutari velim in locum contra ac factum est in libris, vbi cohors exterior memoratur. Aqua enim non in lacu cohortis saliebat, sed in lacum redundabat. Aquam salientem interpretatus sum decurrentem, haud scio an male. Aquam enim in villa Varro I. 11. 2. vult esse eam, aut quae ibi sit nata, hoc est salientem, aut quae influat perennis, aut si omnino viua desit aqua, cisternas fieri iubet sub tectis seu tectas, et lacus sub dio, ex altero loco (cisternis) vt homines, ex altero (lacu) vt pecus vti possit. Vides igitur lacum esse, in quem redundat aqua vel saliens vel influens, et quo pecora vtuntur. Falso igitur aqua in lacu salire dicitur, et rectius compluuium, id est, area tectis rusticarum partium*

vndi-

vndique clausa, dicetur habere locum, in quo saliat aqua, vnde redundans vsque ad stylobatas (areae seu cohortis, porticu, vt stylobatarum mentio docet, clausae) semipiscinam efficiat ad pecoris vsum. Semipiscina cur dicatur, mirari nondum desii. Verum causa forte latet in lectionē Edd. primarum, quae cum Codice Polit. interdius *dant, vbi Aldum secuti Editores* interius *posuerunt. Aldus fortasse motus est forma inusitata vocabuli pro* interdiu *positi, vt mutare id auderet pro more suo. Quod si aqua interdiu tantum saliebat in compluuii loco aliquo et redundans speciem piscinae seu lacus efficiebat, contra noctu paulatim in alteram cohortem educta deficiebat, (quod suadet Varro sect. 4.) recte semipiscinam dicere potuit Varro. Atque omnino aequum erat, vt aqua in lacus speciem redundans deinde noctu educeretur, postquam non solum boues, sed anseres etiam, porci et sues ibi biberant et se perfuderant, quod ait Varro; impuram enim et stagnantem aquam altero die noluit Varro a bubus et reliquo pecore ingeri. Totus igitur Varronis locus ita legi debebat:* vna, vt interdius compluvium habeat locum, vbi aqua saliat, quae intra stylobatas cum venit, fit semipiscina:

Columella villae rusticae cubicula in hiberna et aestiua distinguit, eaque vt coenationes et balnea diuerso solis occasui vel ortui vel meridiei opponit. Vrbanae etiam parti ambulationes adiungit, tectas sine dubio in morem graecarum παστάδων seu porticuum, quoniam oppositas aequinoctiali meridiano aestate minimum solis recipere ait. Modum et diuisionem singulorum membrorum cum totius villae vrbanae forma, huic diuisioni apta, egregie in Tusculano et Laurentino suo descripsit Plinius iunior. quae post Gallum Felibianum egregio commentario cum pictura illustrauit gemino libello Lipsiae anno 1760 et 1763. edito Frid. Aug. Krubsacius, architectus Dresdensis, vnde melius aedificiorum formam et directionem lectores cognoscent, quam ex Gesneri et Dicksoni suspicionibus, quas annotaui ad h. l. antequam libellos Krubsacii cognoueram. Pauca nunc addam de Graeca ratione, propter locum Xenophontis Mem. III. 8. positum in annotatione ad Columellam p. 38. Idem ille Xenophon in loco Oecon. IX. 4. quem ex parte transtulit cum Cicerone Columella XII. 2. 2. sic de cubiculis tradit: Καὶ διατητήρια τοῖς ἀνθρώποις τὲ μὲν θέρους ἔχειν ψυχεινὰ τὲ δὲ χειμῶνος ἀλεεινὰ, καὶ σύμπασαν τὴν οἰκίαν, ὅτι πρὸς μεσημβρίαν ἀνατέτταται, ὥστε εὔδηλον εἶναι, ὅτι χειμῶνος μὲν εὐήλιός ἐστι τὲ δὲ θέρους εὔσκιος. Ἔδειξα δὲ καὶ τὴν γυναικωνῖτιν αὐτῇ θύραν βαλανείῳ ὡρισμένην ἀπὸ τῆς ἀνδρωνίτιδος, ἵνα μήτε ἐκφέρηται ἔνδοθεν ὅ, τι μὴ δεῖ, μήτε τεκνο-

τεκνοποιῶνται οἱ οἰκέται ἄνευ τῆς ἡμετέρας γνώμης. οἱ μὲν γὰρ χρηστοὶ παιδοποιησάμενοι εὐνάστεροι ὡς ἐπὶ τὸ πολὺ, οἱ δὲ πονηροὶ συζυγέντες, εὐπορώτεροι πρὸς τὸ κακεργεῖν γίγνονται. Postremam partem repetiit Aristoteles, cuius locum comparaui cum simili praecepto Varronis I. 17. p. 300. Deinde annotabis, in Xenophontis loco cubilia seruorum seruarumque intermedio balineo seiungi, quo facilius clandestina connubia cauerentur seruorum. Denique situm domus contra meridiem generatim poni, nec satis apparere, qua partium descriptione effectum fuerit, vt hieme solem reciperet, aestate excluderet. Sed Aristoteles Oecon. I. accuratius modum docet his verbis: καὶ πρὸς εὐημερίαν δὲ καὶ πρὸς ὑγίειαν δεῖ εἶναι εὔπνεν (τὴν οἰκίαν) μὲν τῶ θέρεος, εὐήλιον δὲ τῶ χειμῶνος. εἴη δ' ἂν ἡ τοιαύτη κατάβορρος ἔσα καὶ μὴ ἰσοπλατής. vbi pessime versio latina cum Budaeo et H. Stephano habet: vt Aquilonem spectet et non aequali latitudine. *Nam boreae aduersus locus graece πρόσβορρος dicitur. Deinde ratio ipsa vincit in Aristotele eum situm requiri ad vsum geminum, vna cum angulosa domus inaequalis latitudinis positione.*

P. 40. l. 23. lege: *et ouilibus*

P. 41. l. 18. — *frumentis solent nocere.*

P. 42. post lin. 5. adde:

quaeque legumina] De seminibus olerum Theophrast. C. P. I. 6. *διὰ τῶτο ἐν ὑπερώοις τιθέασι καὶ κρεμαννύουσιν ἐν καψακίοις καὶ ἔτε ῥαίνουσιν ἐξ ὕδωρ ὅλως ἐσφέρουσιν εἰς τὰ οἰκήματα.*

— l. 42. — corrupto corio

P. 43. l. 12. adde: Ventilationem forte intelligit Columella ventilabris factam, de qua Theophrastus C. P. IV. 17. *ἅμα δὲ τῶτό γε καὶ ξηρὸν καὶ θερμόν. τῷ δὲ σίτῳ κοπέντι βοήθεια ταχίστη τὸ εἰς τὴν ἅλω φέροντας ἀπολικμῆσαι.* vbi Gaza: areae illatum peruentilari.

— l. 28. adde: Ego vero corrigendum censeo: *oleum quoque minus prouenit, si congelatur, quam si fracescit.* Gesner in Indice interpretabatur: *fracescet:* resipiet fraces. Sed h. l. sermo est de facilitate olei faciundi et difficultate pro frigoris et caloris differentia. De qualitate deinceps sequitur. Fracescit igitur oppositum frigori calorem significat.

P. 44. l. 15. lege: aestusue constans

P. 45. l. 8. — *κεράμια. τῶν οἴκων τ. ὑπ. τῶ μέρεος τὸν ἔνε*

P. 46. l. 13. — *πάσχεσιν, ὅτε*

P. 48. l. 39. — soluti aut vincti.

P. 51. l. 17. — *Sangerm. liber habet:*

P. 52. l. 17. lege: *nostrum docent verba*
P. 53. l. 25. — ἐπιπολῆς
P. 55. l. 31. — *ita ex Codd. emendare:* sed
— l. 39. — *vi trudendus erat,*
P. 56. l. 25. — *An igitur*
— l. 40. — exstirpatur
P. 59. l. 39. — noualium terga
P. 60. l. 26. — *eiusque rei experimentum*
— l. 30. — more noualium
P. 61. l. 5. — delibret, *quod*
— l. 34. — *non gemina.*
P. 62. post lineam 6. adde:

2. *singulis binos sextarios*] In libris scriptis omnibus vt in editis ante Aldum est *singulis vini sextarios.* Mihi quidem de alieno nimis liberalis Iucundus *binos* imperasse *sextarios* videtur, quod *singulis sextarium* rectius dici putaret. Verum saepius Columella vinum praebendum singulis censet, et quotiescunque ab opere aestuant; deinde iam aliquoties admonui, *singulis* interdum solum poni, vbi adiecta mensura cibi potusue aut medicamenti numerum sibi singularem expostulare etiam videbatur. Mihi quidem nimia sextariorum duorum mensura vini meri praeberi boui aestuanti videtur; et locus Columellae ipse mihi suspicionem vitii mouit tandem comparatus cum VI. cap. 13. sect. 3. vbi boues ab opere adhuc aestuantes anhelantesque vino aspergit; et offam adipis faucibus eorum inserit. Vbi monui, ex Hippiatricis legendum esse: *vino aspersae tres offae adipis faucibus eorum inserantur.* Equo lasso similiter adipem mistam infundit VI. 30. sect. 3. mulae lassae et aestuanti adipem in fauces demittit merumque in os suffundit. Adipis igitur mentio excidisse in hoc loco videtur, et vini mensura singulis bobus ad singulos sextarios redigenda. Certe Iucundus fidem maiorem non merebatur, quam librorum scriptorum et editorum omnium auctoritas in re non ex arbitrio coniicienda, sed ex re agricolae et commodo armentorum aestimanda.

P. 72. l. 22. lege: satione legitima
P. 74. l. 25. — *a Columella positas*
P. 75. l. 23. adde: Cum Columella sentit Theophrastus C. P. III. 26. *τὰ δὲ πυκνόσπορα πρότερον ἀποχεῖται τῶν μανοσπέρμων, ὅτι τὰ μὲν ῥιζοῦται καὶ εἰς τὰ κάτω σχίζεται, διὰ τὸ ἔχειν τόπον, τὰ δ' εὐθὺς εἰς τὸ ἄνω τρέχει.* quae Gaza vertit: quae dense fuerint seminata, spicam prius effundunt, quam

quam quae rarenter, quod altera largius radicentur et multiplicius deorsum scindantur, quia locus superfit, altera protinus sursum excurrunt.

P. 75. l. 40. lege: *Cuius loci lectio vulgatam h. l. satis*
P. 76. l. 30. — *locus Columellae. Ad vliginem*
— l. 34. — *deriuandam.*
P. 77. l. 30. — *quod ex mensa*
— l. 44. — *colore, de quo*
P. 78. l. 2. — *νοστιμώτατον,*
— post lineam 42. adde:

post tertiam sationem] Scilicet ex regula Aristotelica quam Theophrastus etiam sequitur C. P. II. 18. κἀκεῖνο ὅμοιον ἔν τε τοῖς σπέρμασι καὶ ἐν τοῖς ζώοις, ὥστε μὴ εὐθὺς ἀλλὰ τριγονήσαντα μεταβάλλειν. ἅπαντα γὰρ κατὰ μικρὸν ἐξαλλοιῶται καὶ μεθίσταται. Ceterum in loco Plinii de siligine manifestum nunc demum agnosco vitium: *Sed minus quam cetera frumenta in stipula periclitatur, quoniam semper rectam habet spicam, nec rorem continet, qui rubiginem faciat.* Auctorem sententiae frustra quaesiui; verum argumenti vim coarguit Theophrastus C. P. III. 27. vbi de rubigine non obnoxiis frumentis: τοιαῦτα δὲ τὰ ἐπικλινῆ τῷ στάχυϊ καὶ μὴ ὀρθά. διὰ τῦτο δὲ καὶ τὸ ἐπικύπτειν συμφέρει τὸν στάχυν, ὅτως ἀπορρέῃ καὶ μὴ ἐμμένῃ τὸ ὕδωρ καὶ ἡ δρόσος. ὑποκλίνεσι δὲ οἱ μακροὶ στάχυες μᾶλλον, οἱ δὲ πλατεῖς καὶ βραχεῖς ὀρθότεροι. διὸ καὶ ἐρυσιβῦνται — διὸ καὶ ἡ μὲν ἀχιλλᾶς κριθὴ καὶ λεῦκη καὶ μέλαινα ἐρυσιβώδης. ὀρθοὶ γὰρ οἱ στάχυες. ἡ δ' ἐτεόκριθος ἀσφαλής. ἀπονεύει γάρ. Quae eadem repetit IV. 15. et exemplo tritici illustrat, subiuncto hordeo. Verum istius loci verba graeca mire vitiosa sunt, adeo vt non mirarer, si Plinius inde sua duxerit Codice olim integriore vsus. Errorem tamen Plinii vel librariorum eius ne sic quidem licebit excusare.

P. 81. l. 33. lege: *minus aquarum*
P. 83. l. 27. — *vsum in serenda*
P. 84. l. 41. — french-bean
P. 85. l. 11. — *lutosa terra*
— l. 33. — *εὐσηψίαν*
— l. 38. — as to allow
P. 87. l. 13. — *gerere hilum*
— l. 42. — *Plinius transtulit, πρωΐσκορα.*
P. 88. l. 31. — *tectiorem, quam*
P. 89. l. 18. — *cauere diceretur.*
— l. 29. — *repetit Crescentius*

P. 89. l. 38. lege: *crasso cortice in terra m. s. nato*
P. 91. l. 22. — μετοπωρινῆς
— l. 41. — *serere docent.*
congesticia] In Palladio etiam *congestiua* habet liber Erford.
P. 92. l. 9. — *serantur, Italiae*
— l. 21. — *habet Idem*
— l. 29. — *sed de cicere*
P. 93. post lineam 13. adde:
loco quam laetissimo] Theophrastus C. P. IV. 9. ταχὺ δέ τινα ἐκκαρπίζεται ἐδάφη, καθάπερ ὁ ἐρέβινθος. διὸ καὶ μόνος ἐ ποιεῖ νέον. Cf. ad II. 14. 1. Idem III. 26. C. P. ἡ μὲν γὰρ γλίσχρα καὶ μελάγγειος ἐρέβινθον. Denique quod noster de cicera sect. 19. *nec austros in flore sustinet*, id de cicere Theophr. C. P. VI. 14. ἀπολεσθέντες γὰρ ὅταν ἀνθῶσι καὶ ἐφύσῃ ἄρτι συνισταμένοις, ἀπόλλυνται καὶ διαφθείρονται σφαλίσαντες. — ἢ καὶ συνδιατηρεῖ (ἡ ἅλμυρις) πρὸς τὸ ἄκοπον ἕνεκα. Sic idem H. P. VIII. 6.
P. 93. l. 35. lege: *et a Punico distinguere*
— l. 39. — *docet, hominibus*
P. 94. l. 38. — ἐαρινῆς
P. 95. l. 13. — γογγυλασπάραγον
P. 96. l. 7. — *Napum*
— l. 29. — caule foliisque
P. 100. l. 28. Verba: Lectionem *ratio* — Pontedera: reiicienda sunt ad finem annotationis.
— l. vlt. lege: adhibentur ἄροτρα
P. 101. lin. 3. adde: De Graecia testatur idem Theophr. C. P. IV. 2. ὄροβον γὰρ σπείρουσι καὶ πρώϊον. Sed idem III. 8. fabam et lupinum mature seri ait, lupinum quidem statim ab area spargi.
P. 102. l. 20. lege: cratitione
— l. 21. — Britannum
— l. 36. — ignorari monet
P. 103. l. 27. — *surculosas.* Capparin
P. 105. l. 36. — ἐλλοβωδῶν
P. 106. l. antepenult. — pura exstat
P. 107. l. 10. — diuersus erat;
— l. 23. — aut herba ipsa
P. 108. post lin. 24. adde:
aliis stercorari et iuuari agros] Hoc Theophr. C. P. IV. 9. dicit μὴ καρπίζεσθαι τὴν γῆν, ἀλλὰ νέον ποιεῖν. — ταχὺ δέ τινα ἐκκαρπίζεται ἐδάφη, καθάπερ ὁ ἐρέβινθος, διὸ καὶ μόνος

νος ἀ ποιεῖ νέον, ἐὸ' ἐστὶ τῆς τυχούσης χώρας ἀλλ' ἀγαθῆς. cf. ad II. 10. sect. 20. Graeci igitur legumina haec idem conferre dicunt futurae sementi, quod ager noualis seu recens prosciſſus.

P. 111. l. 33. lege: κατεργᾶσθαι
P. 116. l. 9. — et *rapa* plurali
— l. 34. — dentatas ſupertrahi
P. 117. l. 37. — *infuſa fuerint*
P. 122. l. 6. — vbi fabam terere
— l. 33. — πτύον et θρίνακα
P. 124. l. 16. 17. 18. Has lineas dele.
— l. 20. corrige: Ingenioſe ſane!
P. 126. l. 11. lege: Guilandino
P. 127. l. 36. — quem ipſe contuli.
P. 130. l. 1. — dicitur vua
— l. 6. — *foeminea, quae*
P. 132. l. 23. — Ἀμίνεος
P. 133. l. 30. — tempeſtatem vdam vmbramque.
P. 134. l. 36. — χωρίοις
P. 136. l. 33. — cum Biturigibus
P. 137. l. antepenult. lege: adiectae arbores
P. 138. l. 23. — graecum κάπνεον, cuius vua
P. 139. l. 24. — locutionem, docebo.
P. 142. l. 36. — fumo ſeruatas
P. 143. l. 21. — *frugum praeclara, ſed*
P. 144. l. 22. — Atque hoc etiam
P. 152. l. 38. — *ſpecialiter*, vt gloſſam
P. 153. l. 2. — 2. *Anima per medullam*]
P. 155. l. 10. — Ita etiam liber Sang.
— l. 42. Verba: peractum et: delenda ſunt.
P. 156. l. 33. adde: Verum nunc video, *inculcat* eſſe debere, quoniam vulgatum *habeamus* mutaui in *habemus*.
P. 160. l. 6. corrige: *quas fluminum*
P. 161. l. 1. — *ad quam iuſta aeſtimatio*
P. 165. l. 11. — βαθὺν
P. 169. l. 39. — radices citabit.
P. 172. l. 31. — Arbor. 17. et V. 9. 9.
— l. 36. — hieme calorem
P. 175. l. penult. — Quinctiliis V. 8. 10.
P. 179. l. 7. — reſpiciat Columella.
P. 180. l. 18. adde: Graeci decerpta antea κλήματα, malleolos, in doliis compoſitos, ſeruabant, itaque ſaepe germinauerant, cum ferebantur. Theophr. C. P. I. 13. τοῦτο φανερὸν

νερὸν ἐν τοῖς ἀφαιρεμένοις φυτοῖς τῶν ἀμπέλων τε καὶ ἑτέρων καὶ συντιθεμένοις ἐν πίθοις. προβλαστάνεσι γὰρ οἱ βλαστοὶ τῆς ὥρας καθηκέσης.

P. 180. l. antepenult. lege: rami oleae
P. 184. l. 16. — vulgata, quam
— l. 23. — *puri ſapores ſine luſtamine*
— l. 36. — *vietus*]
P. 185. l. 15. — *ſeptentrioni ſit obuerſa, ne*
P. 186. l. 33. — paſtinationis. Ita
— l. 37. — palam inprimit.
P. 187. l. 27. adde: Nunc video librorum Editorum principum et Codd. lectionem: *ſit, ſi modo, quando ſcandit excelſius, plus alimenti terraeque deſiderat.* vnice probandam eſſe.
— l. 34. corrige: praecipit Atticus
P. 188. l. 37. lege: vitis crura multo
P. 191. l. 36. — quiſquam adhuc
P. 193. l. 41. — in reliquis locis *duritie.*
P. 195. l. 13. — liber *ſi* omittit.
P. 197. l. 36. — ſcripturae latet
P. 205. l. 25. — Pontedera. Columella
— l. 41. — *eo plus materiae*
P. 206. l. 26. adde: indagandum.
P. 208. l. penult. lege: omittit *quidem.*
P. 209. l. 6. verba: (id eſt, deuexam, pronam) delenda ſunt.
P. 211. l. 19. corrige: anguloſus
P. 217. l. 28. lege: putabam, ſed poſtea
P. 223. l. 33. — ibique affigatur
P. 225. l. 38. — copulaui. Ita
P. 226. l. 28. — *Oſier*, quod apud
— l. 31. — *praeter morem*
P. 227. l. 38. — Gratius Cyneg.
P. 230. l. 28. — Arundo characias
P. 233. l. 22. — tamen ipſe *radicibus*
P. 234. l. 29. adde: Qualitatem terrae aliquam ſignificari, confirmat locus X. 150. vbi *poſiti dumoſis collibus horti* terram ſiticuloſam arguere videntur. Nemo enim ſanus in colle dumis obſepto hortum inſtituit. Ibidem verſu 152. vbi oratio de eodem horti ſitu continuatur, pro *area* liber Moſquenſis *glarea* habet ſcriptum, quae lectio ſi vera eſſet, naturam ſoli dumoſi accuratius indicaret.
P. 235. l. 7. verba: *latitudinis pedum quatuor:* repetita, dele.
— l. 29. lege: Arapennem is

P. 242.

P. 242. l. 5. lege: quamuis ipſae quaeſtiones
P. 245. l. 13. — Hucuſque Hamberger. Deinde adde quae alieno loco infra p. 308. lin. 40-43. appoſita leguntur.
P. 246. l. 14. dele: monent.
— l. 23. lege: *infimi ſcrobis*
P. 247. l. 15. — Bergamenſes
P. 248. l. 21. — adnixa ſingulis
— l. 29. — laudauerat
P. 253. l. 23. — In vite aliter palma dicitur.
P. 255. l. 28. — *ἐκκόπτειν*
P. 256. l. 14. — nec tam
P. 258. l. 40. — *περὶ*
P. 261. l. 39. — Hanc optimorum
P. 262. l. 27. — perduci, inde
— l. 33. — *ſobolem*
— l. 40. — frequentari, vinea
P. 263. l. 36. — Columellae opulum
P. 265. l. 22. — ex h. l. poſuit *vitis*
P. 266. l. 4. — *rumpitur. Culminiam*
— l. 21. — ſcriptura rectior eſt,)
P. 267. l. 4. — nucleo paruo et pauci
P. 270. l. 12. — *ſexquipedales* correxi.
— l. 21. — legendum eſſe *vt*, ex
P. 271. l. 36. — vel oliueto, vt ex
P. 275. l. 9. — *ἄρδῃ*
P. 279. l. 8. — ſed ibi ſtipitem, truncum
— l. 15. — *ἔτῃ*. ſtercus vetant
P. 280. l. 33. — autumnum: poſt definiit, delendum eſt.
P. 283. l. 6. 7. — *videntur folia et verſus ſurſum videntur radices.*
P. 285. l. 2. — obſitam
— l. 40. — ita ductu librorum
P. 290. l. 33. — antalem ficum
P. 291. l. 23. — appellat, illam
— l. 40. — noſter, quo ficus
P. 292. l. 22. — ſeritur cacumine
P. 293. l. 20. — lignorum quadratorum
— l. 33. — diſpergantur
— l. 36. — *tarentinas*
P. 295. l. 9. — *brumam vt pleraque*
— l. 27. — pira Terentiana, vbi
P. 297. l. 28. Verba: De inoculatione — adiectam: dele.
P. 298. l. 15. lege: vero in arbore

P. 302. l. 37. lege: Sed monet recte, iam
P. 303. l. penult. — liber *appaſita*
P. 306. l. 23. — *Poteſt autem*
— l. penult. — in loco vulgo eſt:
P. 308. l. 35. — Auianus Fab. XXVI. 5.
— l. 40-43. Haec omnia tranſferenda erant ſupra ad pag. 245. vbi vide in Corrigendis notam.
P. 310. l. antepenult. lege: Fuſci ſunt, qui
P. 311. lin. 6 — mandat fieri Inſcriptio
P. 311. l. 22. — Gallus *Munier*
— l. 32. — Ἰτυκαῖος
P. 312. l. antepenult. — cum Hottomanno
P. 313. l. 15. — canum, Geſnerus
P. 314. l. penult. — binos iunctos
P. 316. l. 37. — hieme, dixerat
P. 320. l. 34. — incertum eſt. Conr.
P. 322. l. 21. — bis *citatum*
— l. 23. — νύξαντες
— l. 40. — Valerianus. Ranam
P. 323. l. 3. — reperies in Marcelli
— l. 20. — *dent* correxi. Veſtigia
P. 327. l. 38. — axungiam nominauit.
P. 328. l. 36. — quem nunc ipſe
P. 329. l. 10. — *laetus* miram
— l. 11. — modo moeſtum, modo
P. 332. l. 8. — facit, roſtro
P. 335. l. 16. — Gronouio.
P. 336. l. 22. — *lata* habet.
P. 340. l. 10. — lactis. Cenanas
P. 341. l. 9. — confirmat
P. 342. l. 26. — συγγίνωνται
P. 344. l. 11. — *ſeruata maris*
— l. 35. — habet, Geſnerus
— antepenult. — montana, certe
— penult. — ſiccanea, equorum
P. 345. l. 15. — non ſint paſſim
P. 346. l. 15. — potius nationes
P. 349. l. 11. — Articulos circa
P. 350. l. 29. — ponamus, et ex
P. 353. l. 1. — ſolus ſtabit
P. 355. l. 27. — ἀρχομένῳ
— l. 34. adde: Eandem compoſitionem poſuit Africanus in Ceſtis p. 294. ἵππῳ βήσσοντι θεραπεία φακὸς ἐπτισμένος,

σμένος, ἢν δίχα τῶν ἐλύτρων ἄκρως ἀλέσας ἢ λειώσας ἅμα ὕδατι ποτίσῃς. μέτρον δὲ τῆ ὀσπρίῃ ζώῳ παντὶ κατ' αὐτὸ ξέστῃ τέταρτον ἂν εἴη σύμμετρον.

P. 359. l. 40. lege: Gronouio. Voluit *adhibetur.*
P. 361. l. 17. — παλιντριβέος
— l. 39. — *ſtatim* delebat.
P. 362. l. 40. — χρόνον ἔτως
P. 365. l. 41. — ſed equis
P. 366. l. 3. 4. — aſinam et equam.
P. 367. l. 12. — *foetam nihilo minus*
P. 371. l. 3. — vocabulo
— l. 9. — Murinum aſinum graece
— l. 14. — habeant vittas
— l. vlt. — parte, (συνωμία)
P. 377. l. 20. — fuſcam muſto
P. 384. l. 29. — Ita pro *partum*
P. 385. l. 36. — *qui cum* confirmat.
P. 388. l. 15. adde: Plutarchus in Quaeſt. natur. p. 618. ed. Reiſke quaerit: διὰ τί τοῖς συνεχῶς διὰ τῶν δεδροσισμένων δένδρων βαδίζεσι λέπραν ἴσχει τὰ ψαύσαντα τῆς ὕλης μόρια τῆ σώματος. Sequentia docent, intelligi inprimis crura et pedes, qui ex contactu rorulentorum fruticum lepram contrahant. Additur, mulieres pinguiores, vt corpus extenuent, ſolere collectum veſtimentis et lanis mollibus rorem bibere.
P. 392. l. 33. lege: Puſulam duci ex
P. 393. l. 27. — *in quo etiam*
P. 394. l. 1. — ſeu irin
P. 398. l. 28. — aſſerit, capras
P. 404. l. 29. — δριμὺν
P. 406. l. 1. — Malebat *promitti*
— l. 19. — *Twanley*
P. 407. l. 19. — emphyſemate laborans curatur
P. 409. l. 30. — de Herrera
— l. 32. — Καπριὰν
P. 416. l. 21. — τῆς ὑφᾶς
— l. 37. — βράγχον
P. 417. l. 20. — λαβρότερον
P. 421. l. vlt. — caudae
P. 423. l. 11. — *furculari.*
— l. 23. — Hae ſunt
P. 424. l. 4. — *ingratum virus.*
P. 427. l. 39. — poſſit a foeminis.
P. 432. l. 1. — vocabuli

P. 437. l. 16. lege: debere *quod*
P. 440. l. 8. — reddidit Celſus VI. c. 6.
P. 446. l. 6. — licere. Autor
— l. 30. — Tacito. Manilius
P. 454. l. 23. — Sed nunc
P. 455. l. 1. — Χηνοβόσκιον.
— l. 13. — color ferorum
P. 458. l. 20. — deſcripſit Nemeſianus
P. 459. l. 22. — παπυρῶδες
P. 460. l. 33. — et ſqualos
— l. vlt. — opinioni
P. 461. l. 6. — me morantur
P. 463. l. 1. — κάτω vel καταφέρεσθαι,
P. 465. l. 2. — flexuoſos
P. 466. l. 20. — χαλκίδας
P. 469. l. 42. — quaſi longo iam vſu
P. 470. l. 25. — ſimilia robora
P. 473. l. 11. — ἀναλαμβάνεσα
P. 475. l. 1. — plantarum nectaria — dicta variae
— l. 34. — de vtraque zizipho
P. 477. l. 15. — p. 481. cenſuit
P. 479. l. 2. — nota ad I. 6. 2.
P. 482. l. 24. — frondoſa
P. 491. l. 5. — τῆ κηρίῃ
P. 493. l. 22. — Linnaeanum Rhus
P. 495. l. 5. — incubent fauos
— l. 34. — καπνιζόμενος. ἐγγίγνονται
P. 498. l. 20. — συμπέττεσι
— l. 31. — Phalaena cereana
P. 500. l. 2. — vindemiator
— l. 25. — vti ſenſus
P. 502. l. 6. — Caeterum Br. deinceps
P. 504. l. 10. adde: annotauit Gronov.
P. 509. l. 9. corrige: comparati
P. 510. l. 19. — 9. *gramine laeto*]
P. 512. l. 15. — *implicitos frutices.*
P. 514. l. 31. — Noli, ruſtice, parcere
P. 515. l. 16. — reponi. Abr. Gronouius
— l. 36. — fractum ligonem
P. 518. l. 36. — vmbelliferam plantam, ex
P. 527. l. 31. — quem poeta paulo
P. 528. l. 9. — et Neptunum, cuius
— l. 18. — non audet

P. 528. l. 25. lege: Delphicam laurum.
P. 532. l. 8. — Elixatis ſphondylis
P. 533. l. 11. — Hinc Varroni
P. 537. l. 6. — caueatur.
— l. 19. — *coleopteri genus*,
P. 539. l. 32. — mutauit Harduinus in *tamnum*;
P. 540. l. 11. — Archigene
— l. 35. — Deinde forma *thyrſuta*, ex
P. 541. l. 4. — myacanthon
— l. 23. — *antas conualles*
— l. 40. — *hi antes*
— l. 22. — *Pedites quatuor*
P. 544. l. 7. — Columella dicere
— l. 14. — genus eſt vt cucurbitae
— l. 31. — *Citrium* nominant.
P. 545. l. 38. — vbi vides peponibus
P. 552. l. 35. — Attico rei ruſticae
P. 553. l. 29. — Tardipes eſt
P. 557. l. 41. — capite defecit
P. 561. l. 19. — numerum ridicarum,
P. 562. l. 22. — auctoribus Oceanum
P. 567. l. 35. — erythrodanum
— l. 41. — in Alpibus
P. 572. l. 18. — Plinio, in cuius
P. 574. l. 10. — *nunc locis frigidis*
P. 577. l. 23. — pertinent ad lupinum,
P. 579. l. 5. — Leoniceni
P. 581. l. 1. — *lauru*
P. 589. l. 1. — Similiter
P. 591. l. vlt. — ſemina bliti,
P. 595. l. 3. — radiculas ait per aeſtatem
P. 596. l. 27. — Quae de cucumeribus ſcripta leguntur h. l. emendari debent ex iis, quae ſuperius tempore poſteriori ſcripta accuratius traduntur.
— l. vlt. — eiuſmodi lapide
P. 597. l. 14. — mala fide
P. 598. l. 5. — reiicit, et modum
— l. vlt. — a. *flebile*
P. 600. l. vlt. — vetuſtiſſimarum editionum, quae
P. 601. l. 4. — *κυλινδρωτῆς*

P. 605. in fine adde: Haec Morgagni I. 63. Quibus Geſnerus pauca addidit, monens, Columellam his voluiſſe deſinere, adeoque ipſum lemmata feciſſe. Longe aliam eſſe quae-

quaeſtionem, vtrum ea ſint, quae habemus hodie, quaeque in libris antiquis reperta antepoſita nunc Columellae libris vno in loco conſpiciet lector.

P. 604. l. 30. in loco Xenophontis corrige ἐκλιπεῖν
P. 607. l. 5. lege: quem poſuit
— l. 8. — θάλαμος ἐν
P. 610. l. 30. — Heſychii gloſſa
— l. 33. — Mel, vtpote facile aceſcens, cum aceto adhibetur ad
— l. 35. in fine adde: Africanus Ceſtor. p. 299. καὶ ἀναγκαζόμενον εἰς τάχος τὸ ὄξος οἶδα παντοδαποῖς ἐπιτηδεύμασι, τραπέντος ἤδη καὶ μεταβληθέντος ἐπὶ τὸ χεῖρον (τοῦ οἴνου). οἱ μὲν γὰρ κεκαυμένας ἐμβάλλουσι κριθάς. οἱ δὲ κέραμον πεπυρωμένον. καὶ ἄλλοι σίδηρον. ἐμβάλλεται δὲ πολλάκις καὶ μέλι.
P. 612. l. 5. Quae in annotatione hac traduntur, accuratius in ſuperiore aliquo Commentariorum loco, recentiore tempore perſcripto, docentur.
P. 614. l. 35. lege: Oleris cordi
P. 615. l. 19. — ex quo annotatum eſt *adici. tum,*
— l. penult. — concoctu faciliorem
P. 616. l. 29. — nulla alia re differt
P. 617. l. 3. — καυλὸς
— l. 10. — cynoſbati
P. 619. l. 20. — ex melle fieri,
— l. vlt. — braſſica
P. 625. l. 35. — indita. Aeneam lampadem
P. 627. l. 27. — eliquanda
P. 628. l. 5. — ὀξίζειν
P. 629. l. 37. — exſugat, vnde
P. 630. l. 41. — vitioſe ſcriptum eſſe
P. 632. l. 7. — p. 224. Deinceps Sang.
— l. 28. — *condias:* Pontedera
P. 636. l. 10. — graecum ſalſum aluum
P. 638. l. 19. adde: Huc pertinet locus Plutarchi in Quaeſtion. Natur. p. 636. ed. Reiſke: διὰ τί τὸ γλεῦκος, ἂν ὑπὸ ψύχους περιέχηται τὸ ἀγγεῖον γλυκὺ διαμένει πολὺν χρόνον. vbi ſimul annotatum legitur, muſtum, ex vuis, per pluuiam lectis, expreſſum, minus efferueſcere, ἧττον ἀναζεῖν.
— l. antepenult. — in collyrio habet
P. 641. l. 28. — regularum defectu
P. 643. l. 6. — dicuntur, tum ſexus
P. 645. l. 31. — melittites vel melites vinum
P. 646. l. 28. — *infundentes humidos*

P. 647.

P. 647. l. 39. lege: *mergi vuas. Liguria*
P. 651. l. 39. — Romam perlatum memorat
P. 652. l. 11. — vero videntur haec omnia esse,
— l. 16. — περισσωμένοις
— l. 18. — ἀχύρων.
— l. 21. — Nostri
— l. 37. — τῶν πρισμάτων,
P. 653. l. 14. — cuminum cum
P. 655. l. 29. — seu vallos esse inter
P. 656. l. 33. — maissulas miscet oliuis.
P. 657. l. 18. — ἀπυρήνες
P. 663. l. 24. — Columella; quamuis
P. 667. l. 21. — salsuram, sed
P. 668. l. 30. — ἧκα καθηράμενος
P. 671. l. 25. — fuisse. Statius
P. 672. l. 6. — multas grauesque

Ceteri operarum errores, in reliquis si qui forte paginis, quas percensere mihi nunc non licuit, fuerint reperti, fideliter ad calcem Commentarii ad Palladium indicabuntur.

HISTORY
OXFORD